Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
30 P
26

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
55
11 B
15
ROMA

12
12
E
16

Digitized by Google

XXVI. n. 48

Digitized by Google

VILLAE
IO. BAPTISTAE PORTAE, NEAPOLITANI,
LIBRI XII:

1, Domus
2, Sylua cædua
3, Sylua glandaria
4, Cultus & insitio
5, Pomarium
6, Oliuetum
7, Vinea
8, Arbustum
9, Hortus coronarius
10, Hortus olitorius
11, Seges
12, Pratum.

In *quibus maiori ex parte, cùm verus plantarum cultus, certaq́ insitionis ars, & prioribus seculis non visos producendi fructus via monstrantur; tum ad frugum, vini ac fructuum multiplicationem experimenta propemodum infinita exhibentur.*

Adiecto INVENTARIO quamcopiosissimo.

M D XCII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRANCOFVRTI
Apud Andreæ Wecheli heredes, Claudium Marnium, & Ioannem Aubrium.
Cum S. Cæsareæ Maiestatis priuilegio.

Digitized by Google

AVTORIS, DE SVA VILLA, PROOEMIVM.

CONSTITVI, *lector optime, vt Socrates sui gymnasij vestibulo,* ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, *scriptum præfixerat, ne illuc ingrederentur, qui secum circinum (quo Geometræ in metiendis figuris vtuntur) non attulissent, quo se ipsos metirentur intelligerent; ita huic meæ villæ ianuis,*

PROCVL, PROCVL ITE PROFANI,

inuidi scilicet, obtrectatores, & male feriati. Isti enim (vt videre iam mihi videor) vix limine ingresso, syluas horridas, pomariũ inconcinnum, hortos incomptos, vineam malè ordinatam, segetes & pascua arida steriliaq́, ac deniq́, totius villæ incompositum dicent corpus, & nostris (proh dij immortales) floridis hortis Austrum, satis nebulas & rubigines, ac demum nostræ segeti diram calamitatem exoptabunt, ac nimis quàm licenter in alienam messim manum imponent, atraq́ serpentum lingua hominem incessent, qui patefactis ianuis, eximia liberalitate libenter precatur, vt in eos ingrediantur, & iucundissimo aspectu, & quam vberrimis fructibus suorum hortorum vtantur, fruantur, quos quidem summo labore excoluit, concinnauit, compsit, expoliuit, & in quincuncem construxit. Nec considerant vniuersas quas hic satas vident plantas non sine multiplici peregrinatione esse conquisitas, singulari diligentia è diuersis regionibus acceptas, non sine sumptu, ac summo studio quæ veterum de his extarent scripta experiendo, noua inueniendo, nostro vsui accommodando, vt alienis laboribus frui possemus. Sed qui consimile munus obierunt, nostroq́ conatui æquiori animo indulgebunt, hi nostram villulam, quantulacunque sit, circumeant, hortulos & viridariola considerent, nec tædeat montes subire, syluas, & oliuetum, & tandem si optimè cœlo terram associauimus considerare. Sed cur tam ingens onus, nec nostris humeris par susceperim,

quum plerosque sciam tam Græcos, quàm Latinos, singulari exactaq; doctrina præditos, huic rei specialiter incubuisse, in causa fuit, me non parum facturum esse, si studiosis omnibus, ac rerum naturæ exploratoribus integram, exactamq; agricolationis historiam conscripsissem: nam ex eis, qui extant, nemo fuit, qui id attigerit. Hesiodus Bœotus Græcus, vt altius rem exordiar, qui omnium princeps de agricultura celeberrimè cecinit, de segetibus aliqua, de arboribus aut vitibus perparum, de reliquis nihil dixit. Eius interpres Virgilius Maro, qui Romana per oppida Ascreum carmen resonare fecit, hortorum dotē aufugit, è tantisq; quæ retulit, flores modo rerum decerpsit, quindecim vuarum generibus nominatis, tribus oleæ, totidem pyrorum, malo tantum Assyrio; cæteris omnibus neglectis. Theophrastus Eresius extra omnem ingenij aleam positus, vt singulari sua eloquentia diuinum nomen sortitus sit, cuius doctrinam tanti Aristoteles fecit, vt suæ academiæ eum principem substituerit, absolutum opus tum de historia plantarum, tum de causis conscripsit, ex quo, tanquam è vasto mari subsecutæ ætatus cæteri, ingenio & scientia præcellētes, quicquid de plantis scripserunt, hauserunt, hauriendumq; censent vno ore docti omnes: & me iam à scribendo deterruisset, nisi viderem eius libros non tam idoneos esse iis, qui agrum colere volunt, quàm qui scholas philosophorum. Nos singularis cuiusque plantæ ab eo historiam variis in locis distractam, membratim collegimus, & in vnum corpus coegimus, vt Absyrtus ille Medeæ non tam membratim fuerit conquirendus; & obscuras cultus causas, quas ipse breuissime reddidit, nos perspicuis & quam potuimus clarioribus verbis describere conati sumus, vt non solum ingenio & arte claris, sed rudibus & rusticis clarescerent; multarumq; plantarum cognitionem, quæ iam vetustate, & in tanta nominum ambiguitate & stirpium multitudine, obliterata erat, ex Orco reuocauimus, vt pro virili innotescerent: eumq; denique tanquam optimum præceptorem in omnibus consectabimur. Cassianus Bassus alioquin Constantinus Cæsar, qui ex veteribus Græcis selecta agriculturæ præcepta compilauit, adeo omnia breuiter perstrinxit, vt qui authores illos viderint superflua, qui carent illis parum vtilitatis colligere possint. Ex Latinis M. Cato hominum summus in omni vsu: ille triumpho & censura super cætera insignis, magis tamen etiamnum claritate literarum præceptisq; omnium rerum expetendarum datis Romano generi, inter prima verò agri colendi illius æui confessione optimus, ac sine æmulo agricola: cuius doctrinam tanti Plinius fecit, vt eius dicta, tanquam oracula

Digitized by Google

racula obseruari præcipiat: de agricultura non nisi aphorismos quosdam, breuiaq; præcepta de aliquibus, multis omissis. M. Varro philologis potius, quàm rusticis librum conscripsit. Columella de vineis quàm luculenter, de segetibus, horto & arboribus aliqua, de cæteris nihil attigit. Plinius & Palladius non nisi, quæ ex his exceperunt, habent. Nec ignoro ingentem neotericorum esse turbam, sed sine doctrina, experientiaq;: nil aliud nisi quæ ex his de pagina in paginam transcripserunt. Sed & illud obseruandum, quod in hac arte tanquam rei caput, & summa est, rei agricolationis scriptores, non solum inter se varios & discordes esse, sed mutuo contrarios: nam vt qui in Bithynia Pergamo, vel sub æquinoctiali sunt, cito serunt, demetunt, vindemiant, condunt: cõtra verò qui sub septentrionali polo, serissimè: in media verò regione degentes medij sunt: sic etiam Asiani frigidis locis aliquas plantas exponunt, cõtrà septentrionales æstuosis, medianæ regiones apricis. Vnde nec idem solum, cælum idem plantis tribuunt, & tandem secundum eorum regionem quisq; regulas præscripsit, vt horum præcepta, illis è regione sint opposita, vnde iis, qui eorum regulis vsuri sunt maximè ansam errandi præbeant: huic defectui succurrere impossibile indicabam: sed quum cogitarem omnia à Deo sapientissime condita, nihilq; sine sua doctrina; cœpi mecum ipse sciscitari & rem animo versare, tandem noui vnamquamque secum plantam suæ rationis, cultus, soli, & cæli indicia ferre, sua physiognomonia siue partiũ compositione hæc omnia indicare, vt in physiognomonicis abunde diximus: sic & vnoquoque capite sui cæli, soli, & cultus suas cuiusque regulas ex se ipsa indicauimus, ac omnium primum docuimus. Præterea tum ex antiquis scriptoribus, tum ex neotericis, quos vsque adhuc videre contigit flores, fructus, plantas, & quicquid pulchri, optimi, & vtilis indicauimus, extirpauimus, in hanc nostram villam plantauimus, digessimus, seruimus, & inseruimus, vt nil eorum, quæ ad plantarũ cognitionem ex philosophis, philologis, poëtis, medicis, agricolis, & rerum naturæ exploratoribus, spectant, desiderari possit. Ex quibus non transcripta solùm, sed quæ ex probatissimis authoribus collecta, de his peruigili studio, perpetua obseruatione, sumptu, labore, & quotidiana experientia periculum fecimus, & peritissimorum agricolarum testimonio comprobata, literis mandauimus. Nec me putetis obsecro Nicandrum Colophonium illum, qui quum ex vrbe nunquam discessisset, de re rustica scribere ausus sit: nam quum ab vrbe, amicis, cæterorumq; consortio longius exulare contigisset, ne otio tabescerem vrbis & amico-

rum desiderium plantis serendis, inserendis, cicurandisq; leniebam. Et vt pratorias, triumphales, & regias maiorum nostrorum manus ab aratro, ligone, & pastino non abstinuisse legimus: sic nos nostras non illibenter adhibuimus. testes sunt vineæ meæ, arbusta, horti, viridaria, & amicorum, in quibus innumerabiles visuntur plantæ, mea manu consitæ, insitæq;, posteris relinquendæ, nec solum solitos & suetos fructus ferentes, sed nec adhuc hominibus visos, & nostris maioribus inuisos, quos studio, arte & experientia producere didicimus. Stirpibus omnibus delineationes, si quæ ex antiquis extarent suffecturas apposuimus, sin minus, expositam oculis plantam ex omnibus partibus repræsentauimus, & viuis quibusdam coloribus designauimus, vt omnibus cognoscibilis esset. Nec parum opis recentioribus agricolis præstitimus, quum maiores nostri in alicuius plantæ effigie repræsentanda, notas tam paucas, & incertas apposuerunt, vt quoduis aliud potius, quàm plantam illam repræsentare videantur, ne vni vultum exhiberemus, quem alteri conuenire docebatur. Maximam me Medicorum gratiam consecuturum spero, quum in dignoscenda alicuius plantæ facie à Theophrasto, Dioscoride, Galeno, vel Plinio descripta, non parum insudarim: id obiter in processu Medicis profuisse de agricultura tractanti quid obfuit? Plantarum, & fructuum nomina, præsertim Campaniæ nota adiunximus, vt antiqua nostris sæculis innotescerent. Poetarum fabulas interpretati sumus, vt sub inuolucris latentes plantæ cultus & vires innotescerent, vt nil nostris in his historiis nosci dignum possit desiderari. Libros, capita, & capitum partes ita ordinauimus, vt quisque facile sciat, & inueniat quæ concupierit. Sed nollem vos ante nostræ villæ vestibulum diutius retardare. fores iam patefactæ sunt, vicina est, ingredimini hilare, & fruimini.

HÆRE-

HÆREDES VVECHELI CANDIDO LECTORI S.

HVIVS operis exemplar, beneuole lector, antequam ipsum prælo subiiceremus, viro cuidam erudito relegendum tradere nobis operæpretium visum fuit, vt si qua errata in eo vel inter describendum vel alia ratione commissa forent, ea cum iudicio corrigerentur, quò opus istud quàm fieri posset emendatissimum prodiret: sicut & solemus omni conatu & opera, quantum in nobis est, curare & efficere, vt libri qui à nobis excuduntur, quam emendatissimi in lucẽ prodeant, nec in eum finem vllis sumptibus parcere. Inuentum est autem exemplar istud mendosissimũ atq; infinitis erratis scatens: quod describentis incuriæ potius quàm authoris oscitanciæ tribuendum censemus. Primum enim Græca vocabula ferè vbique erant miserè deformata, literis vel mutatis vel transpositis vocibus integris sæpenumero corruptis & deprauatis, accentibus vel omissis vel malè collocatis. In Latinis verò innumeræ mendæ: nam præter grammaticalia errata penè infinita, sensus etiam multis in locis vel nullus, vel mutilus, vel inuersus: affirmationes pro negationibus, & negationes pro affirmationibus: distinctiones prauæ: loca citata & desumpta ab authoribus antiquis pessimè descripta, vt in singulis ferè locis consulendi fuerint authores ipsi, vt loca citata suo sensui vel nitori redderentur. Qua in re summam fidem & diligentiam ab eo, qui hoc munus à nobis rogatus in se suscepit, adhibitam esse res ipsa testatur. Cuius diligentia tamen tanta esse non potuit, vt omnia loca corrupta restitueret. Sunt enim quędam, quamuis non multa ita deprauata, vt ad eorum sensum assequendum plusquam OEdipo coniectorę opus foret, quæ lectorum iudicio relicta sunt. Cætera quæ iudicio & cõiectura emendari potuère, quanta *fieri potuit* religione iuxta rei naturam & authoris sententiam restituta sunt. In cuius rei fidem conferat, qui volet, librũ quintum & sextum, nempe pomarium & oliuetum, huius operis & editionis cum editione Neapolitana, (nam duo illi libri iam antea Neapoli seorsim fuerunt excusi) ac videbit, à quot & quantis mendis illi sint repurgati. Nec putandum alios libros huius operis manuscriptos qui nondum in lucem prodierant, emendatiores fuisse, cùm potius mendosiores extitisse vere affirmari possit. Hunc ergo laborem in studiosorum gratiam susceptum speramus multis vtilem & ipsi authori gratum futurum. De hisce autem, beneuole lector, te monitum voluimus, vt nostram diligentiam in curandis emendationibus librorum, quos excudimus, perspectam habeas, nosq; & nostros labores tanto æquiore & gratiore animo prosequaris. Vale.

PRIVILEGII SVMMA.

Cæsareæ Maiestatis priuilegio cautum est Andreæ Wecheli hæredibus, Claudio Marnio & Ioanni Aubrio, ne quis IOAN. BAPTISTÆ PORTÆ Neapolitani VILLÆ libros hosce duodecim *intra sacri Romani Imperij, & omnium regnorum ac prouinciarum imperialium fines, eodem vel alio charactere excudere, aut vbicunque recudenda dare, aut alibi impressa importare, vendere vel distrahere palam vel occultè ausit. Idem priuilegium iis concessum, de aliis etiam auctoribus, in philosophica, medica & iuridica facultate, aliisq; disciplinis liberalibus, ad sex cuiusque editionis annos. Quod sacræ Maiestatis interdictum si quis neglexerit, non modò libris expressis, verum etiam insuper decem marchis auri puri, imperiali fisco, fraudis vindici & dictis Wecheli hæredibus, ex æquo soluendis, mulctabitur, vt latius in Cæsareo diplomate declaratum est, dato Viennæ* XXV *mensis Maij, anno Domini* M D LXXXII.

Rudolphus.

V. Io. Bapt. Weber.

Ad mandatum sacræ Cæs. Maiest. proprium

P. Obernburger.

IOAN.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI

VILLAE

LIBER PRIMVS SIVE DOMVS.

De Agricultura laudibus, & necessitate. CAP. I.

SATIS sanè inurbanum, & rusticum videretur, si nostram villam ingressurus, in ipso statim ianuæ limine, ab aliqua ingentium ipsius laudum præfatione deficerem. Animo autem volutanti, quæ, qualésve fuerint Agriculturæ diuitiæ, delitiæ que, adeo innumeræ occurrunt, vt vnde incipiam, non sat assequi possim. Nam si necessitatem considero, tanto est humano generi emolumento, vt ea carere nullo modo possis. Si vtilitatem, inter primas non postrema: aut quæ nam illi poterit comparari? Si voluptatem dignitati commistam, ea est excellentia, ea authoritas, ea denique maiestas, vt non reperias vnam ex maximarum artium numero, quæ non illi, tanquam reginæ famulari videatur. Sed in huius pomœrij angustiis nostræ orationis pauperiem vereor & reformido, quum linguam in eloquentiæ studiis non ita exercuerim, vt strenuas manus in eius exercitatione nauiter impenderim. Sed ita suis floribus exornari velim, vt nil ipsius gloriæ authoramento detraherem, & quæ loquar omnia, & meliora, & (vt verè sunt) locupletiora ob oculos exponerem, ac vellem, si possem, vt nouus Atlas humeris terram ad astra vsque sustollere. Quòd humano generi pernecessaria sit, euidentius est, quàm vt pluribus probari velit: sine enim rebus, quas rerum parens, & nutrix Natura edit, humana conditio subsistere nō posset, & qui id negauerit, & ma-

trem ipsam, & nutricem negabit. Arborum, herbarumq; fructibus vescimur, & iis quoque cætera vescuntur animalia, quibus & nos victitamus: iccirco plantas ante omnia animalia mundo natas Theophrastus, Porphyrius, & Eusebius enunciarunt, & ante eos verissimus Moses, qui tertia die Deum Opt. Max. pomiferum lignũ, sexta verò animalia produxisse tradidit. Diuus Chrysostomus Deum scribit terræ culturam ante omnes alias artes in vitam intulisse, ac protoplasto iussit agriculturam quandam obire, non laboriosam, non ærumnosam, sed multam sibi præbentem Philosophiam. Sardi eò dementiæ venerunt, vt arbores terra antiquiores dixerint, Apollonio Tyanæo referente. Hippocrates pomis, & seminibus homines ali debere arbitrabatur, quòd iisdem per exordia vsus fuisset. Idem testatur Ouidius:

Metam. lib. 1.

Ipsa quoq; immunis, rastroq; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus:
Contentiq; cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebant,
Cornaq;, & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore, glandes.

Plato Cyclopas cibis ex fructibus spontè prouenientibus viuere scripsit. Philostratus Indos, qui iuxta flumen Indum habitant, syluestrium arborum fructibus. Plinius, & Solinus iisdem Hyperboreos, qui vltra Riphæos montes incolunt. Herodotus Aracis fluuij insularum accolas plantarum fructus maturos colligere, & ad hyemalem cibum reponere ait. Strabo Massagetas ex syluestribus fructibus expressos succos bibere, iisque victitare. Pollux veterum cibum drupas fuisse. Plinius Astomorum Indiæ gentem sine ore, solo odore radicum, florum, & præsertim syluestrium malorum viuere, quæ manibus semper habet, eaque longiore itinere defert, ne desit olfactu cibus. Plutarchus in Artaxerxe Cadusios scribit pyris, malis, ac cæteris fructibus vesci: solo fruges denegante. Athenæus Athenienses solùm ficubus nutriri, Argiuos, & Tirynthios pyris syluestribus, Medos amygdalis, Indos arundinibus, Carmanos palmis, & Persas terebintho. Immò arborum nulla est, quæ plures populos alat, atque palma: nam Nasamones eius pane victitant. Arimphæi ex arbore Pontica dicta, ex Herodoto. Sunt & populi, qui ex cibo nomen adepti sunt Libyæ populi ex loti arboris fructu viuentes, Lotophagi vocati sunt ab Homero. Æthiopes Rhizophagi, quòd cibus ex radicibus, Diodoro Siculo authore. Spermophagi nõ procul a Meroe Nili insula, quòd è seminibus panem ad victum conficiant. Arcades è glandium esu Pythiæ oraculo Balanophagi vocati sunt, Plutarcho, & Plinio referentibus: inde esculus è genere glandiferarum, ab esu nomen indepsit: cæteros ne lectores tædio afficiamus, consulto omittimus. Nutriuntur radicibus, frondibus, & fructibus animalia, quibus pęrcipuè nutritur homo: cerui, capreę, apri, lepores, cuniculi, & cętera. Nec solùm quæ terrã inhabitant, herbis viuunt, sed & quæ mare, & aëra, reptiliaq;. In

his

his authoritates Poëtarum adducemus. Maro:

Pascuntur in magna sylua, formosa iuuenca.
——— non, me pascente, capellæ
Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.
Lenta salix fœto pecori.
Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis.

Ex frondibus fasciculos componunt agricolæ, quos sub tecto ad boues, & pecora seruant, vt iis hyeme pascantur. Et frondatores qui eas legere consueuerant, canere solebant. Idem:

——— canit frondator ad auras.

Pecus oleaster opimat, oues vlmeis frōdibus, capræ fraxineis commodè aluntur. Glans bobus cibus est. Plautus in Truculento;

Rus mane dudum hinc ire me iussit pater, vt bubus
Glandem prandio depromerem.

Sed vt arbores primos hominibus cibos præbuerunt, ita & habitacula, quarum vmbra, ramis, & truncis se aduersus solis, pluuiarum, imbrium, & niuium molestias tuerentur. Ouidius:

Pro domibus frondes norant.

Nemesianus:

Sylua domus, cubilia frondes.

Quintus Fabius Pictor, Primis hominibus non domus extructæ, ornatæque, sed vimina, & caua arborum ligna, in quibus tectorum vice inhabitarent. Eutropius idem, ex frondibus, & virgultis contextis casulas habitasse. Immò adhuc sunt nationes, quæ à primo more non recesserunt. Narrat Herodotus Scytharum Argippæos, eam partem ad auroram vergentem, incolentes, sub arboribus incubare. Pomponius Mela de Scythis idem scribit. Dionysius suæ Africæ Massylos per syluas, & saltus errare scribit. Arimphæos Asiæ populos nemora pro domiciliis habere. Indorum nonnullos sub ficu, ac æstate, ob animalia venenosa, in arboribus lectos sternere, & Brachmanas sacerdotes illos in syluis agere, & corpus frōdibus vestire. Gallorum Magos Druidas arborum lucos eligere: Arabas arbores pro tuguriis habere, Plinio, & Solino authoribus. Ex hac antiquitus syluarum habitatione, quum homines soli errarent per nemora, & educta secum sobole, è syluis egrederentur, ex arboribus nati existimati sunt. Ad id alludentes Poëtæ, homines ex arboribus procreatos finxerunt. Virgilius:

Gensq; virûm truncis, & duro robore nata.

Arcadas iactari se ante astra natos, & hominum primos fuisse, primamq; originem traxisse, narrat Statius.

Arcades hinc veteres astris Lunaq; priores,
Agmina fida datis: nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos, quum prima pedum vestigia tellus

Admirata tulit, nondum arua, domusq; nec vrbes,
Connubiisq; modus: quercus, lauriq; ferebant
Cruda puerperia, ac populos vmbrosa creauit
Fraxinus, & fœta viridis puer excidit orno.

Fuerunt & syluæ non solùm hominum, sed deorum habitacula. Virgil.

——— habitarunt Di quoq; syluas.

Hæc fuerunt numinum templa, priscoq; ritu simplicia rura: etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant: nec magis auro fulgentia, atque ebore simulachra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. ex Plinio. Immò in campis Elisiis, vbi beatorũ sedes, nemora esse dicuntur. Nec solum arbores domos, sed earũ trunci, & folia prima præbuerũt tegumenta. Cognata quidẽ res, à quibus & victũ, & domos accepissent, item & vestes. Scribit Strabo Massagetas insularum quarundam Scythiæ populos sua arbore se vestire. Plinius Astomos ex frondium lanugine. Arabes ex Cynæ arboris frondibus vestes componere. Clemens ex Sarmatis Allobios indui plantarum corticibus, Mela Germanos iisdem corpora contegi. Fœminas quasque in calceatu suberis cortice vti videmus, & Plinius antiquitus in hyberno calceatu vsas fuisse tradit. Sunt & arbores lanigerę apud varias gentes, vt pretiosis indumentis sericorum morem dederint, plurimorum authorum testimoniis memorabiles. Seres sunt hoc lanificio syluarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium caniciem, apud Indos. Æthiopia illis cõtermina laniferas etiam habet arbores, quæ pro fructu lanam ferunt, qua ad vestimenta vtatur. Virgilius:

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana,
Velleraq; vt foliis depectant vellera Seres?

Ægyptus, authore Polluce, fert plantas, è quibus lanificium contexant. In Tylo insula, arbores laniferas nasci tradit Theophrastus, ex quibus telas, ac deinde vestes, alias viles, alias pretiosas conficiant. Insulæ cuiusdam meminit Diodorus in Oceano meridiem versus positæ, ex cuius lanugine incolæ sibi vestes præparant. Plinius in Atlante monte plantas cupresso similes nasci tradit, quæ tenui lanugine obducantur. Atque in Co insula cupressi, terebinthi, fraxini, & quercus flores, decusso imbre, vermes generant, qui stamen ad bombicinas vestes faciant. Et ne longiùs exempla repetamus, sunt & apud nos vermiculi, mori foliis sati, qui vellus conflant, ex quibus pretiosæ vestes conficiantur.

Ad alios plures humanæ vitæ necessarios vsus valet Agricultura. Cicero libro de diuinatione, Arborum autem confectione, omniq; materia, & culta, & syluestri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, & ad mitigandum cibum vtimur, partim ad ædificandum, vt recti septique, frigora caloresque pellamus. Magnos verò vsus affert ad nauigia facienda, quorum cursibus suppeditantur omnes vndique copiæ, plurimisque maritimis rebus fruimur, atque vtimur.

De

De vtilitate, quæ prouenit ex Agricultura. CAP. II.

ARBORVM census eò certior, & quæstuosior est, quò necessitas, commoditas & frequentior vsus rerum ex Agricultura prouenientium nos magis vrget, magisque illis indigemus, vnde tam vtilis, vt omnium vtilitatum vtilissimus sit. M. Cato Agriculturam mercaturæ præfert, quũ ipsa periculosa, & calamitosa sit: præfert & ipsam fœnerationi, quum fœneratio illicita, & inhonesta sit ob maximum quæstum. Maiores nostri ita in legibus posuere: furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli: quanto peiorem ciuem fœneratorem existimarint, quàm furẽ, hinc licet existimare. Sed fœneratio, quæ cum terra fit, licita honestaque est, & quæstus maximè pius, stabilissimusque consequitur, & minimè inuidiosus. Cicero de senectute, terram nunquam imperium recusare dixit, nec vnquam sine vsura reddere, quod acceperat, sed aliàs minore, plerunque maiore cum fœnore. Semper enim boni assiduiq; domini referta est cella vinaria, olearia, & penuaria, villaq; tota locuples est. Abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caseo, melle. Iam hortum ipsi Agricolæ succidiam alteram appellant. tum conditiora facit hæc superuacui etiam operis aucupium, atq; venatio. Xenophon vltra animi voluptatem, domus augmentum Agriculturam habere dixit. Aristoteles in Politicis tradens maximum Agriculturę quęstum, exemplum affert de Thalete * Milesio, cui quum obiiceretur Philosophiæ studiũ propter inopiam, quasi inutile, & infructuosum, prospexisse illum ferunt per Astrologiam oliuarum vbertatem futuram, quumq; coegisset pauxillum pecuniarum, hyeme adhuc vigente, emptionem fecisse olei in Mileto, & in Chio pro paruo admodum pretio, vtpote nemine plus offerente, arrasque dedisse: quum itaque postea tempus venisset, multis subito quærentibus, vendidisse oleum, quanti ipse voluit, ac magnam vim pecuniarum inde superlucratum, ostendisse amicis, perfacile esse Philosophis ditari, si vellent, sed hoc non esse illis curæ. Hoc etiam Sextius è Romanis sapientiæ assectatoribus Athenis fecit eadem ratione, vt ex Plinio habetur. Iulius Græcinus, ex Columella, ad diligentem calculi ratiocinationem expendens quæstum, qui ex vineis excipitur, detractis impensis, quæ ex vineæ solo, pedamentis, viminibus, vinitoris mercede, impensis, & pretij vsura, dum vinea in infantia à fructu cessat, demum semper superexcedere quæstum semisse iudicat. Plinius cupressorum syluas apud antiquos quæstuosissimas dicebat, quòd ex his asseres, & perticæ amputarentur tertiodecimo anno, ac singulis denariis venirent, vt plantaria filiarum dotem appellare in more esset. Celebratur Acilius Sthenelus LX iugerum non amplius vineis excultis, atq; CCCC nummûm vendidatis: maxima fama Rhemmio Palæmoni in hisce XX annis mercato rus DC nummûm, pastinatis de integro vineis ad vix credibile miraculum perduxit, intra octauum annum CCCC nummûm emptori vendidit pendente vindemia: cucurritque non nemo ad spectandas vuarum in iis vineis strues. Arborum vectigalia publica, priuataque, antiquiori recentioriq; æuo

* Plinius Democrito tribuit.

plurima fuisse leguntur. Arabas singula millia talentorum thuris annua Persarum Regibus pensitasse refert Herodotus, pro quo etiam pendunt Gebanitarum Regi, cui eidem Sabæi quartam partem exoluisse scribit Plinius. E balsamo Romanis Iudæi tributa pendebant. Ex cocco alteram tributi pēsionem Hispaniæ pauperes soluebant. Rhodiorum tributa fuere ficus, vinum, oleum, aliaque, quæ piget referre. Tandem nulla est ars, vt Xenophon inquit, quæ colentibus maiores gratias reddat, & auidos magis exaturet.

De voluptate, quæ ex villa, & arborum consitione percipitur.

CAP. III.

DIXIMVS de necessitate, & vtilitate Agriculturæ: ex iis simul coniunctis partus procreatur, qui voluptas, vel iucunditas dicitur: nec puto maius vitæ oblectamentum esse, vt quum feceris, quod necesse est facias, ex eo vtilitas proueniat. Sed quæ nam maior voluptas, quàm quæ cum vtilitate coniuncta est? Inter omnia enim quæ vtilitatem simul & iucunditatem pariunt, partes sibi primas vendicat Agricultura, vt ambiguum sit, vtilitatisne, an amœnitatis plus habeat. Deus magnam primo homini voluptatem daturus, in hortum deliciarum posuit, vt summa animi cum voluptate agrum coleret: non enim credibile est, vt ante peccatum ad laborem damnarit. Sed si omnium artium agricultura satis habet delitiarum, tunc maximas haberet, quod nil accidebat aduersi, vel cælo, vel terra, vt Augustinus refert. Quod enim maius, mirabiliusque spectaculum est, quàm positis surculis, iactis seminibus, insitis malleolis consideratione perspicere, quia neq; qui plantat aut rigat, est aliquid, sed qui incremētum dat, Deus? & si quid accedit extrinsecus, per illum accidit, qui regit & ordinat, inuisibilem Deum. Dicit Xenophon nil similem præbere voluptatem atq; ager, in quo spes sit, vt cultu melior effici possit: vnde vt ex voluptate caperes semper vtilitatem, agros, vbi optime excolueris, vendendos, atq; incultos è vestigio emendos, ob colendi iterum voluptatem. Sed quæ ex villa capiuntur, variæ & diuersæ sunt oblectationes. Cicero: Agro benè culto nil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius, ad quem fruendum non modò non retardat, verùm etiam inuitat, atq; allectat senectus. In quamcunq; enim partem te verteris, incideritq; visus, decussatis plantarum ordinibus, ipsa loca circumspiciendi libertate se extendente, oculi alliciuntur, iucundiore prospectu depascuntur, vt nunquam satur sis mirari: immò oculi prospectu allecti, veluti ex occulto magnete ex se ipsis conuertuntur, contrahunturque, vt abstrahere eos non possis. Si ad ramos oculos sustollis, patulis frondibus, & tremulis iactantibus Solem non excludere, sed vt potius eludere videantur. Edera serpens arbores amplexatur, arbores pedamenta, ipsa eas circundat, & hilari cæsarie comat. Nec minus subtus ferax est graminum prouentus, qui terræ superficiem omnem viriditate ornat amœna, ac iucundo amicit decore: variaque florum lasciuia gemmeis coloribus depingit, qui non ingrato Naturæ certamine

certamine

certamine dum alius alium superare nititur, smaragdi, hyacinthi, amethystique vice terræ amictum interlinunt. Odor flores comitatur, variaque odorum fragrantia nares oblectat. Pratorum medio clari, lympidique fontes internitent, nec solùm eorum frigiditate tactum reficiunt, sed transparentia exaugent iucunditatem: nam lucidissimo veluti in speculo geminatum pratum, & nemus ostendunt, verum alterum, imaginarium alterum: supra verum, in imo falsum. satis admodum suaue dixit Tibullus, æstate in media, sub Canis flagranti æstu arborum vmbris refocillari.

Sub canis æstiuos æstus vitare sub vmbra.

Et Claudianus.

Quum post labores sub platani cubes
Virentis vmbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Syrium,
Et membra somno fessa resolueris.

Zephyrus præterea susurrantibus foliis, ac lasciuientibus refrigerantem auram inspirat, vt auium cantus imitari videatur. Ausonius.

Somniferumq; canit sepes depasta susurrum:
Est & arundineis modulatio musica ripis,
Incubuit foliis quoties leuis Eurus acutis.

Vento enim arundines feriente, ex earum sibilo Poëtæ figmentum auspicati sunt, vt inde fistula reperta sit. Tum demum nonnihil est, vt variis fructibus delecteris, non tempore vno, sed diuersis, alio maturescente, alio renascente, alio decidente, vt vnusquisq; ex industria iucunditate te afficere sataget. Rami fructibus onerati pondere incuruantur, ac se infra decumbenti offerunt. O quàm dulcissimum est fructus ex arboribus, quas seuisti, inseruisti, & coluisti, propriis manibus colligere, & amicis, agnatisq; iactabundus largiri! Est & alia in arboribus delectatio, auium scilicet modulatio: passim enim ramis insidentes, ac volantes, argutos cantus ædunt, ac ex variorũ multitudine dulcissimus efficitur concentus, auresque cantibus demulcent suis. Philomela mille per discrimina vocũ canit, & nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipsa murmurat, plenus, grauis, acutus, creber, extentus; vbi visum est, vibrans, summus, medius, imus: breuiterque omnia tam paruulis in faucibus, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit. Est & in iis capiendis non minima voluptas, visco & retibus fallere. Horatius.

Quæruntur in syluis aues,
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.

Diocletianus dum ruri Salonæ agebat, testatus est soles ibi lætiores fuisse. Virgilius agricolas felices vocat.

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas: quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam,
Nec varios inhiant pulchra testudine postes: &c.
At secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, viuiq; lacus, ac frigida Tempe,
Mugitusq; boum mollesq; sub arbore somni.
Non absunt illi saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, paruoq; assueta iuuentus:
Sacra Deum, sanctiq; patres: &c.
Fortunatus & ille, Deos qui nouit agrestes,
Panaq;, Syluanumq; senem, nymphasq; sorores.
Illum non populi fasces, non purpura Regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec ferrea iura,
Insanumq; forum, aut populi tabularia vidit: &c.
Hanc olim veteres vitam coluêre Sabini,
Hanc Remus, & frater: sic fortis Hetruria creuit,
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Horatius rusticam vitam beatos homines efficere posse dicit, quum in ea maxima sit voluptas, molestiis omnibus expers.

Beatus ille, qui, procul negotiis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore;
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare;
Forumq; vitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit,

Vel quum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit;
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & vuam purpuræ.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Non Afra auis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus,
Iucundior quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori.

Sed dum innumeras villæ illecebras enumero, à qua longè fastidium abest, nollem lasciuienti calamo, nimia prolixitate fastidium legentium animis parere: id solùm pro coronide addam, summos nostrorum maiorum heroas, & proceres viros, quoties ex labore animũ relaxare vellent, tanquam ad aliquod delectabile ad villam confugisse, ad huius limina molestas curas omnes reliquisse, vbi longè ab hominum discordiis, ciuium simultatibus, vicinorum inuidiis, fori & curiæ strepitu, ad animi tranquillitatem veram consequendam quiescebant. Lucullus post imperatorias administrationes, reiectis Reipub. muneribus, in villam se contulit, vt ibi quæ pars vitæ superesset, quietè transigeret. Tiberius Princeps post multas res fortiter gestas, Romam reuersus, ad villam transmigrauit. Gordianus senior in syluis, & villis suauissimè vixit. Scipio Linternum delegit, vt relictæ patriæ ingratitudinis dolorem leniret. Homerus, qui multis ante seculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat de filio, colentem agrum, & eum stercorantem induxit. Filiscus dum Ciceroni exilium patienter ferre persuadet, vt rus colat, admonet, quod propinquum sit littori, quum nulla res sit, quæ ægrum animũ tam subleuet, quàm agricultura, vt ex Dione habemus. Nec defuere Philosophi, literatique viri, qui his locis animi causa secesserunt, vt mens solutior, & quietior in profundarum causarũ indagine esset. Vnde Academiæ locus Athenis in suburbio erat, quam Cimon riguis, & vmbrosis deambulachris exornauit, vt in eius vita Plutarchus narrat. Laydis Cyrenei in hortis schola fuit, quos Attalus Rex ædificauit. Theophrastus hortũ iuxta ædes collocauit, quem moriens testamento philosophantibus reliquit. Democritus Abderites prope hortum cellam habuit, & vt Hippocrates ad Damageratũ scribit, illum sub platano philosophantem inuenit. Philo Iudæus philosophus Pythagoricus iuxta maria hortos habuit, ibiq; philosophatus est, Eusebio referente. Palęmon Atheniensis in hortis docebat, iuxta quos discipuli tuguria, in quibus habitarent, construxerunt. Cicero non minus Philosophus, quàm Orator, academiam suam habuit, porticu, & nemore celebrem, littori impositam in villa, ab lacu Lucrino Puteolos

tendentibus; addiditq; Marianam quercum, & Tusculanum secessum, loca disputationibus apta, vnde quęstiones Tusculanæ à disputationis loco dictæ sunt. Habuit & M. Varro studium situm in villa, qua cogitabat, qua meditabatur iura populo Romano, quod Cicero in M. Antonium exclamauit.

De agricultura dignitate. Cap. IIII.

NVNC de agriculturæ dignitate loquemur: nam si scientiæ aut artes aliquam dignitaté meruerint, ipsa vniuersas sibi arrogare videtur. Si antiquitatem rebus aliquibus nobilitatem addere suspicetur quis, quum Agricultura antiquissima sit, cæteris nobilissimam esse cognoscemus. M. Varro rusticam vitam vrbana multò antiquioré tradit, quod fuit tempus, quum rura colerent homines, neq; vrbem habitarent: quod tempus si referas ad illud principium, quo agrũ coli cœptum sit, atq; in casis, & tuguriis habitabant, nec murus, nec porta quid essent, sciebant, immani annorũ numero vrbanis agricolæ præstant. Nec mirum, quod dat Natura agros, ars humana ædificat vrbes. Nec sine causa terram eandé appellabant matrem, & Cererem, & qui eam colerét, piam, & vtilem vitam agere dicebant, atq; eos solos ex reliquiis esse Saturni Regis. Mussonius de quæstu Philosopho decenti tradens, neminem esse tam effæminatũ dicit, qui vllum Agriculturæ opus, turpe, aut indecens bono viro dicere sit ausus. Hierocles in OEconomico paucos esse, qui credant viro indecens esse rei rusticæ operam dare. Xenophon in libro de tuenda re familiari, nil ei tam regale videri dicit, quàm studium agri colendi. A quo Cicero in officiis. Omniũ rerum ex quibus aliquid exequitur, nil esse agricultura melius, nil vberius, nil dulcius, nilq; homine libero dignius. Et in Catone. Mea quidem sententia haud scio an vlla beatior esse possit vita rustica: neq; enim solum officio delector, quòd vniuerso hominũ generi cultura agrorum est salutaris, sed ea delectatione, & saturitate, copiaq; rerũ omnium, quæ ad victum humanum, cultumq; etiam deorum pertinet. Prisca etiam ætas illa ad arborum dignitatem honestandam non auro, gemmis, vel re aliqua pretiosiori, sed ex arboribus honorari debere existimauit regum magnorũ coronas, & triumphantium gestamen. Sic in certaminibus, & ludis, & sacris victores insigniuntur, sic & Poëtæ. Neq; iis contenta, regiones, sinus, vrbes, & nobilium etiam familias ad perpetuam rei memoriam arborum appellatione honorauit. Alexander Magnus, qui Dariũ Persarum Regé bis bello superauit, Persea arbore coronari solitus est, in atavi sui honorem, qui hanc arborem è Perside Memphim transtulerat. Cæsarem post ciuilia bella in vrbé reuersum, vt aliqui eum regem exprimerent, eius imaginem lauro coronarunt, inde post victorias obtinuit, vt corona laurea ornari perpetuò liceret. Sic etiam qui de ludis, vel hostibus victoriam exportabant, ex lauro corona cingebantur, quod erat victoriæ signum. Naso.

——— tu ducibus lætis, quum læta triumphis
Vox canet.

Scipionē Carthaginensem triumphatorē, altera manu sceptrū altera lauri ramulū tenuisse scribit Appianus. Et Plutarchus, Paulū Æmiliū in triumpho dextra laurū habuisse. Papyrius de Sardis triumphans myrtea vsus est corona. Cęsar in triūpho Gallice è citro, vt ex Plutarcho habetur. Fuit nō minus decertātium honos. Theseus deuicto Minotauro è Creta rediēs, Delū appulit, & Apollini ludos instituit, in quibus victores Deliaca corona donarentur. Claudianus.

——nutant ad mutua palmæ
Fœdera.

Vnde prouerbio dicitur palmam dare, & præcipuè pro victoria accipitur. Qui in Olympicis ludis vinceret, oleastro coronabatur, quòd primùm Hercules, in cuius honorem inuenti, hanc arborem ex Hyperboreis attulerit. Æneas in naualibus ludis oliua victores coronari iussit. Virgilius.

——tres præmia primi
Accipient, flauaq; caput nectentur oliua.

In ludis Atheniensium, & Panathenęis etiam oleaginea corona cingebantur. Quinquennalia etiam fuere, in quibus victores pinea coronabantur: ob id Pythionicæ dicti, etsi Pindarus apio coronari referat. Poëtarum corona duplex, ex lauro, & hedera. Virgilius.

Pastores hedera nascentem ornate Poetam
Arcades.

Et de laurea Poëtarum corona etsi multæ adduci possint authoritates, Horatij sola contenti erimus.

——coronandis consueta Poetis
Laurea.

Nec satis antiquis visum est in publicis locis arboribus victores coronasse, nisi etiam priuatim in conuiuiis frondeas coronas tribuissent, vt hilarius cœnasse arbitrarentur. Dionysium primum instituisse legimus, vt hedera conuiuæ cingerentur. Fuit etiam ex rosis. Martialis.

Pinguescat minio madidus mihi canus amome,
Lassenturq; rosis tempora sutilibus.

Fuit etiam corona ex philyra, vt Ouidius Fastorum quinto.

Ebrius incinctis philyra conuiua capillis
Saltat, & imprudens vertitur arte meri.

Tantum quoq; arboribus tribuit antiquitas, vt nobilium Romanorū cognomina ex iis dicerentur. Ex syluis Syluani plures cognominati, & Syluij, vt Posthumius, qui Syluius cognominatus: is fuit Æneę ex Lauinia filius posthumus, sic dictus, quod in syluis natus esset. Ouidius.

Posthumus hinc, qui, quod syluis est natus in altis,
Syluius in Latia gente vocatus erat.

Stolonum cognomen inditū fuit ex culturæ diligentia. Ab hortis Hortensij cognominati. Militi etiam Frondij nomen impositum, quod frondibus re-

ferto capite Vulturnum transnauerit, & præclara aduersus Annibalem facinora ædiderit. Et Ciceronis liberto Laurea nomen fuit. Eodē etiam modo regionibus, & vrbibus arbores nomina imposuerunt. Syriæ vallis à quercu, vel terebintho denominatur, in qua Dauid Palesthinum gigantem interfecit. Mysi populi à fago nomen acceperunt, quod Lydi μύσον fagum vocent. A pyrorum abundantia Peloponnesum Apiam dicunt. Insula Cotiusæ, ab oleastro illic nascente, nomen habuit, qui cotinus vocatur. Cedros insula in Germaniæ littoribus, à cedro. Pityusæ insulæ in mari Balearico à pinu. Sinus Saronicus à quercu, ita antiqua Græcia quercum appellante. Buxentum Italiæ oppidum à buxo, Cyparissa ciuitas ab Homero dicta ob cyparissi multitudinem, Cerasus ciuitas Ponti à cerasis, Laurentum Italiæ oppidum à lauro: sic Daphne Asiæ vrbs Daphnitis, & Daphiusa, & aliæ innumeræ.

Præterea si dignitas agriculturæ accedit ex iis, qui eam tractauerint, regalis ars, & dignissima erit. Cyrus minor Persarum Rex agriculturam curiosè admodum pertractauit: nam in Lydia apud Sardes hortos sua manu conseuit, ad quem quum Lysander Lacedæmonius veniret, admiratus arborū elegantiam dispositionemq́;, magistrum vt indicaret rogatus, ille, per Iouem illicò respondit, se nō prius prandere solitū, quàm bellicum quid, aut rusticum opus absoluerit. Fueruntq; alij Asiæ Reges agriculturæ studiosissimi. M. Curius, quum de Samnitibus, Sabinis, & Pyrrho triumphasset, cōsumpsit extremum tempus ętatis in hac villa. Ad focū sedenti magna auri pōdera Samnites quum attulissent, repudiata sunt ab eo. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit, sed eis, qui haberēt aurum imperare. L. Quintio Cincinnato agrum aranti nuntiatum est eum dictatorem esse factum, cuius dictatoris iussu magister equitum C. Seruilius Hala Sp. Melium Regnum appetentē, & occupare volentem interemit, ex Cicerone, & Columella. Diocletianus maior sponte imperiales fasces relinquens, apud Nicomediam, in propriis agris consenescebat, iisdemq́; decem annis vacauit, quumq́; ab Herculeio, & Galerio sollicitatus esset ad rursus imperium capessendum, respondit: O vtinam Salonæ possetis videre oleta nostris manibus cōsita, profectò nunquam istud tentandum iudicaretis; authore Eusebio. Abdominus è stirpe regia Sidonis, quum ei regię vestis insignia portarentur, inuentus est in horto steriles repurgans herbas, & quum eum admitti Alexander iuberet, percontatusq. esset, quo animo inopiam ferret, respondit: Vtinam eodem animo regnum pati possim: Manus meæ meo desiderio sufficiunt, vt nil habenti, nil desit: ex Quinto Curtio. Alexander Magnus Arachosios populos agriculturā docuit, Plutarcho memorię mandante. Telephanes apud Cymesios regnauit, quorū terram excoluit, & arboribus cōseuit: ex Heraclide. Delphicam platanū Agamemnonis manu satam tradit Plinius, cuius generis Dionysius maior tyrānus in eius hortis habuit apud Rhegiū. Antoninus Pius, authore Capitolino, agriculturę diligens fuit. Ælius Spartianus ad Germanos proficiscens hortos spatiosos cōparauit, in qui-

bus

bus parca mensa atq; humi iacens cū filiis epulatus est. Ad historias sacras trāseūdo Salomon qui doctissimus & sapientissimus fuit, de cedro vsq; ad hyssopū disseruit. Sed quid memorē Philometrū, Hieronem, Archelaū, Attalum Asiæ Regē, qui omissis Regni curis, de iis præceptiones tradiderunt? Sed nō solùm, qui arbores coluerunt, ingentes sibi laudes, sed qui virtutes inuestigarunt, & nomina eis imposuerunt, immortalē sibi gloriam compararunt. Gentiana ab Gentio Illyricorū Rege inuenta, & culta æternū Regis nomen tenet: Lysimachi Macedoniæ Regis lysimachia: scordion Mithridatis Ponti Regis, clymenos habet Clymeni Regis, euphorbium Iubæ Regis Mauritaniæ, telephium Telephi Mysiæ Regis, echium & anchusa Alcibiadis Atheniensium Ducis. Idque etiam mulieres assecutas tradunt esse historiæ. Helenium Helenes inuentum, adhuc Helenes nomen æternum retinet. Ab Artemisia Mausoli Regis Cariæ vxore suum nomen artemisia habet. Tanta est huius artis dignitas, & præstantia, vt non solùm qui imperatoria maiestate spectabiles fuere, sed Heroes, & Dij à plantarum satione manus non abstinuerint. Hercules in Ponto, iuxta Heracleam quercum plantauit, vt memorat Plinius: Liber pater in Nisa, Indiæ monte, platanum, & laurum, vt Theophrastus inquit, & fabulæ ei fructuum inuentum tribuunt. A Venere dea punicum satum in Cypro fabulæ memorant. Aristeus Apollinis, & Cyrenes nymphæ filius, vt Diodorus Siculus memoriæ mandauit, qui Deus post mortem habitus est, Sardiniam arboribus conseuit. Nec solùm dij suis manibus serere delectati, sed qui aliquid in hac arte boni ad mortalium vsum inuenerunt, inter deos sunt habiti: Ceres ob frumenti inuentionem inter Deos habita est. Bacchus ob vini inuentionem, Circe ob egregium herbarum munus Solis filia, & diuina potius, quàm mortalis habita est. Cybeles currui leones adiunxerunt antiqui in eius gratiam, quòd ipsa terram sic cicurasset, vt cicures leones currum traherent. Esculus vel, vt Plutarcho placet, quercus Ioui dicata est, & sacra habita, quòd mortalium vitæ caussa fuerit, qui primum glandibus victitarunt. Apollini laurus dicata est, quòd fulmine non iciatur, & diuinationem in somnis præbeat. Mineruæ oleam dicarunt, quòd labis nescia, & à pueris, vel virginea manu sata, vberiores det fructus. Myrtus sub Veneris tutela, quod venereis remediis conducat, sic rosa, & philyra. Hedera, ferula, & picea Baccho, cupressus Plutoni, pinus Cybeli, punicum malum Mercurio, populus Herculi, & persica Harpocrati, & sic de aliis.

De sanitate, & aliis, quæ ex Agricultura comparantur, & quod Agricolæ boni viri sint. CAP. V.

INTER cætera, quæ ex villa conquiruntur, non omittenda pretiosa res, scilicet sanitas, quæ ex villæ comparatur habitatione. Omitto quod Natura tot aromata, ac medicatos succos, arborum fructus, & radices ad humanam sanitatem produxerit, vt eadem quæ ad escam, & voluptatem dederat necessaria,

etiam ad sanitatem tuendam valerent, quæ quia ab Hippocrate, Theophrasto, Dioscoride, Plinio & nostris phytognomonicis tradita sunt, libenter omittenda censuimus. Viridis primùm frondium color, visum relaxatum fouet, quam rem non minimum sanitati conferre iudico: nam, vt Seneca inquit, confusis oculis prosunt viridia, & eiusmodi coloribus infirma acies acquiescit. Eas probat Galenus, & Celsus exercitationes ad corporis augendas, & confirmandas vires, & ad valetudinem tuendam, quæ sub vmbra mista fiunt, quam vocant Græci ὑποσυμμιγῆ, easque vtiliores esse dicunt, quàm quæ sub tecto, & inter parietes fiunt. Vt plurimùm enim syluæ leui vento, vel aura mouentur: nam valentes flatus folia rumpunt, & silentes auras sua leuitate excitant, nec aëris densitatem ibi sistere patiuntur. Syluas, quæ picis resinæque gratia raduntur, vtilissimas phthisicis Plinius esse scribit, atque illis, qui longa infirmitate non adhuc retinent vires, & illum adiuuare plus cœli aëra, quàm Ægyptiam nauigationem, plusquam lactis per montium æstiua potus herbidos. Prosunt præterea syluarum vmbræ, & amœnitates non parum ad euitandam aëris contagionem, potissimum verò fragrantium. Quum Roma pestis atrociter sæuiret, Commodus Princeps Medicorum consilio Laurentum secessit, quòd hæc regio crebris lauri syluis opaca foret, cuius odores plurimum contra cœli maleficia prodesse omnibus notum: vt ex Herodiano habetur. Herodes, ob vxoris Mariamnæ mortem, quam interfici mandauerat, tanta tristitia affectus est, vt in grauem corporis ægritudinem inciderit, quam tantum aër pestilens auxit, vt dein suorum Medicorum suasu sese in syluarum secretis abdiderit: sic refuso paulatim vigore, simul & corporis, & mentis salubritatem receperit. Inter cæteros viri boni vocantur agricolæ à veteribus agricolationis præceptoribus. Cato rusticum opus proximum, ac quasi consanguineum sapientiæ dixit. Columella, sine ludicris artibus, atque sine causidicis olim satis felices fuisse, atque futuras vrbes, at sine agricultoribus neque consistere mortales, neque ali posse manifestum inquit. Est tandem rustica vita omnium fraudum expers: vnde boni viri non nisi ex agro requirebantur. Apud Aristophanem in Pluto, quia Chremilus vir iustus Charionē seruum mittit optimos viros vocatum, rus eum legat ad visendum Plutum. Quid enim eo exemplo Comicus vult innuere, nisi proborum hominum ruri esse domicilium, in vrbe sophistas, parasitos, & id genus hominum reperiri? Cato. Virum bonum quum laudabant, ita laudabant bonum agricolam, bonum colonum: amplissimè laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Minimeque malè cogitantes sunt, qui eo studio sunt occupati. Xenophon generosam artem vocat: quippe vtilis prouentu, iucunda opere, hominibus grata, facilis cognitu, & exercitio quoque generosa: nam generosa vocamus animalia, quæ pulchra, vtilia & mansueta sunt. Ingenua quoq; ars, nam quum cæterarum artium professores multa in eorum disciplina occultiora abscondunt, agricola magnopere gaudet suum opus ab omnibus cerni, rogatusque quomodo id egerit, libenter explicat.

adeò

adeò ingenuos, & liberales hæc ars homines reddit. Insuper corpora vegetiora, ac firmiora viribus reddit, impigros facit, & matutino surgere, properareque ad opus, venationibus insudare hortatur. Tandem quæ amantior seruis, dulcior vxori, optatior filiis, gratior amicis? Colonos ad iustitiam, officiumq; acuit, ad belli tempus animo & corpore valentes reddit, instruit quoque vt mutuam præstent vtilitatem: nam ad bellum conficiendum, & agrum colendum mutuo opere indigemus, ac similitudine quadam inter se conueniunt. Augustinus libro de opere monachorum agriculturam inter honestas artes connumerat. Salomon homines ad agriculturam hortatur, vtpote ad sanctiorem quæstum. Non oderis, inquit, rusticam operationem, & agriculturam ab altissimo creatam. Et quid aliud noster seruator Christus in euangelio docere videtur? Et abierunt alius in villam, alius in negociationem, nisi, vt diuus Chrysostomus ait, quia omnis humanus actus aut villa, aut negociatio est, quum nostris manibus rusticum opus operamur, villam colimus: sed honores ambire, aut mercari, negociatio est, hoc inhonestum lucrum, illud honestum vocat.

Quid sit Agricultura, & quis eius inuentor. Cap. VI.

Sed videamus quidnam sit Agricultura, & qualiter ab antiquis descripta: à Platone autem incipiemus, qui in Eutidemo Agriculturam nil aliud esse dicit, nisi alimenta è terra colligere. At M. Varro ait, Agricultura non modo ars, sed necessaria & magna, eaque est scientia, quæ docet, quæ sint in quoquo agro facienda, serendaque, quæque terra maximè perpetuo reddat fructus. Et agricolæ ad duas metas intendere debent, ad vtilitatem, & voluptatem: vtilitas fructus, voluptas delectationem parit. Xenophon verò in OEconomico Agriculturam esse aliarum artium parentem, & altricem, qua bene habente, cætera valent: neglecta verò, terra, marique iacent omnia. Esse præterea indagatricem, & accusatricem hominum vitæ, quippe quum nullus ignoret citra victus necessaria neminem posse degere, hac neglecta, nisi ex alia viuat arte, necesse vt in furandi suspicionem veniat. Cicero libro de senectute longo & suaui verborum lenocinio agriculturam describit, eiusque opera. Agricultura est ars, quæ docet vsuram cum terra facere, & plerunque maiore cum fœnore. Molliore terræ gremio semen sparsum excipit, occatum primo cohibet, deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, vt eliciat ex eo herbescentem viriditatem. Ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum, & stirpium minutulis aristulis, tantos truncos, ramosque procreat. Quomodo malleoli, plantæ sarmenta, viuiradices, & propagines efficiantur docet. Vitis, quæ natura caduca est, nisi fulta sit, ad terram fertur, palus adiungitur, vt clauiculis suis, quasi manibus, quicquid nacta est, complectatur, eamque multiplici, & erratico lapsu serpentem amputans coercet ars agricolarum, ne syluescat sarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Sic ineunte

vere in iis, quæ relicta ſunt; oriens vna ſeſe oſtendit, quæ & ſucco terræ, & calore Solis augeſcens, maturata dulceſcit. Sic adminiculorum ordines, capitum coniugationes, & religationes, propagationes, vitium, ſarmentorumque amputationes, & aliorũ remiſſiones: item irrigationes, agri foſſiones, repaſtinationes, ſtercorationes, quibus fit ipſa terra multo fertilior, docet. Nec ſegetes ſolùm & vineas curat, ſed arbuſta, hortos, pomaria, & prata. Nec conſitiones modò, ſed etiam inſitiones, quibus nil inuenit agricultura ſolertius. Hactenus Cicero. Sed mihi videtur nil aliud eſſe Agriculturam, quàm inſpecta plantæ natura, ei cœlum, terram, & idoneum cultum tribuere, & (vt ita dicam) cœlum cum terra maritare, vel ſocietatem perquirere cœli & terræ ad arbores. Sed quum cœlum nullo modo queat flecti, oportet vt ſedulus agricola ſitus varietate vtatur, vt cœlo facilè plãta aſſocietur. Exemplo omnia fient clariora. Quæ in ſiccis ſerenda ſunt, orientem & ſeptentrionem ſpectent, & quæ in humidis, meridiem. Præcoces in frigidis ſeremus, vt maturitas antecedat algorem. Quæ rores oderint, orientem verſus ſerantur, vt ſtatim nouus exoriens Solis radius, illum quamprimum deſiccet. Quæ contrà rorem expoſcunt, occidentem aut Boream verſus, ne tam cito à Sole deſiccentur, aut diutiùs frui liceat: ſic cœlum terræ parere ars cogit. Ob id omnium agricolarum ſuperiorum & noſtrorum ætatem ſapientiſſimum Democritum exiſtimaſſe puto: nam ſolus ipſe cœlo terram maritare nixus eſt: Vergiliarum enim ortu olearum caritatem vaticinatus eſt, ac vilius mercatum, carius poſtea vendidit. Ob id nos priuatim ſingulorum capitibus cœli, terræque meminimus, vt conſenſum cœli, terræque cognoſceremus. Sed Agriculturę inuentores tradamus. Ipſam primum inuentam ab Oſiri, qui idem eſt cum Dionyſio in Ægypto teſtatur Diodorus in primo, à Triptolemo in Græcia ab Atticis, & Eleuſinis populis teſtis eſt Iuſtinus in ſecundo, à Saturno in Latio, authores ſunt Virgilius, Macrobius, & Eutropius. Cererem, quam à gerendis frugibus Gererem appellatam alicubi Cicero prodidit, in Sicilia agriculturam reperiſſe, ſunt qui ſcribant. Nabidi ſuo Hiſpani. Alij aliis agriculturæ inuentum acceptum referunt. Cyprianus ſentit antiquitatem Saturno falcem tribuiſſe, cuius finis induſtriæ eſt, metere atque colligere fructus, quòd ipſe rem ruſticam docuiſſet: quod inſigne ei Ianus dederit, cui poſteritas rationem inſerendi, & artem faciẽdi ſurculos fert acceptas: vnde Latini Saturnum à ſatu vocitarint. Auguſtinus libro de ciuitate Dei refert Stercen prius fuiſſe peritiſſimum agricolam, à quo inuentum ferunt, vt fimo animalium agri fœcundarentur, & ab eius nomine ſtercus dictum eſſe: vnde & hunc quidam Stercutium vocatum ferunt, hunc certum fuiſſe Saturnum, quem meritò fecerunt Agriculturæ Deum. Philoſtratus, Per Nili ſimulachrum ita Ægyptij agriculturam indicant, ait, eiuſq; effigiem hac lepida deſcriptione effingunt. Huic enim ſeſe ab vndis attollenti pueri ludibundo blandiuntur occurſu, ſexdecim numero, quot itidem cubitis ad fertilitatem facit exundatio, quorum alij humeris inſident, hi à cincinnis ſuſpenduntur, in vlnis

alij cu-

alij cubitant, alij in pectore petulanter ſaliunt. Ipſe tam ex ſinu, quàm ex vlna illis flores ſpargit, vt ex ipſis coronas contexant, & ſuper floribus dormiant: ſiſtra quatiunt alij, neque abſunt qui plauſum, ſonitumque ab aquis excitent, applosis manibus.

De OEconomo ſiue patrisfamilias inſtitutione. CAP. VI.

VT quicquid hoc volumine tractetur, ordinatè procedat, dicendarum rerum tabellam proponemus, vt lector diuiſionem animo concipiens, finem, cui omnia ordinata ſunt cognoſcat. Et ſi veterum monumenta peruoluemus, ſi qui ſunt qui hanc artem diuiſerint, Varronem reperimus, qui initio ſuæ Agriculturæ id exequutus eſt, ſed eum ſequi non putamus, niſi quantum voto arrideat: nam quum in agriculturæ diuiſione pecora, boues, aues, & apes, aliaq; animalia clauſerit, volumus, vt qui horum hiſtorias ſcire auent, è philoſophorum, non ruſticorum libris perquirant. Nos quum paulò antè agriculturam de cœlo, ſolo, & cultu tractare dixerimus, & has ſuas eſſe principes partes, de cultu loquemur primo, & cum Varrone dicimus, aliqua eſſe quæ cum ſolo hærent, aliqua, quæ extra fundum ſunt, & hæc ſunt, quæ ad culturam pertinent. Res, quibus agri coluntur, alij in duas partes, alij in treis diuidunt, vt homines, animalia, & adminicula hominum. Homines vocales vocant, animalia ſemiuocalia, muta, in quo ſunt plauſtra. Sed rationi conſonum eſt, vt de hominibus primum loquamur. Sed hominum ratio, atque conditio vna quidem imperans, altera dicto audiens: imperans, vt paterfamilias: dicto audientes, villicus, villica, & ſerui: de illo prius, mox de reliquis. Paterfamilias ab Ariſtotele in OEconomia, & ab Xenophonte OEconomus dicitur. Et vt ſolent cæteri artifices, qui oratores, poëtas, & principes inſtituunt, ita & nos OEconomum noſtrum à natiuitate inſtituemus, cuius iuſſibus villicus obediẽs erit, nec quicquam in villa fiet, niſi quod ab eo præceptum erit. Primò igitur noſtrum OEconomum à Natura bono ingenio, & optimo iudicio nobilitatum eſſe oportet: nam quum multas artes & ſcientias callere neceſſe ſit, quibus in agricultura exercitio vtatur, quomodo arte, & experientia bonus OEconomus fieri poterit, niſi illa ab ortu fuerit aſſecutus? Sit etiam in naturali Philoſophia exercitatiſſimus: nam quum agriculturæ principia, vt Ennius nobis ſcriptum reliquit, & ab eo noſter M. Varro retulit, ſint terra, aqua, anima, & Sol, & hæc cognoſcenda potius cẽſeat, quia hæc in tota arte tractantur: quomodo OEconomus noſter perfectus eſſe poterit, ſi Philoſophiam ignorauerit? & quomodo difficillima monumenta Heſiodi, Aſcrei, Democriti, Xenophontis, Architæ, Ariſtotelis, & eius alumni Theophraſti, Hieronis Siculi, & Epicharmi eius diſcipuli, Philoponi, Attali, Chereæ, Ariſtandri, Amphilochi & Euphronis Athenienſium, & Magonis Carthaginenſis percipiet, (qui Pœnica lingua duodetriginta libris res diſperſas comprehendit, quos Caſſius Dionyſius Vticenſis Græca lingua viginti libris conuertit) & aliorum, qui à Varrone, Columella, & Caſſio recenſentur? Et quomodo ſine Philoſophia tot ſoli qua-

litates ex colore, ſapore, & quid ex his promiſſum, vel abnegatũ ſit cognoſcere valuerit, niſi ſaltem huius ſcientiæ principia delibauerit? Nam etſi Natura in rebus omnibus admiranda eſt, in agricolationis rebus admirabiliſſima eſt. Et quomodo tot inſitionis modos, ſationis, & cultus cognoſcet, plantarumque morbos, & medicinas, ſi illorum cauſas, & ſecreta nõ pertractauerit? erit profectò, vt empyricus, agricola, qui caſu, & experientia, & nõ recta ratione medebitur. Oportet etiam Mathematicarum ſcientiarum, & pręſertim Aſtrologiæ non ignarum, vt ex mundi declinationibus, ſyderum ortu, & occaſu, felices, & infelices plantarum euentus poſſit præſagire: nam ſyderum influxus in plantis liquido, & ſine vlla ambage percipiuntur, & qui id negauerint, ij proprium ſenſum negabunt. Caſſius Græcus initio ſuorum librorum quicquid à Didymo, Diophane, Philopatro, Arato, Zoroaſte, & Ptolemæo traditur, collegit, vt his artibus agricolam inſtruat. Varro omne quod intra æquinoctia, & ſolſtitia faciendum ſit, docet. Virgilius non minus quàm à nautis, ab agricolis ſydera obſeruanda præcipit.

Præterea tam ſunt Arcturi ſydera nobis,
Hædorumq; dies ſeruandi, & lucidus anguis:
Quam quibus in patriam ventoſa per æquora vectis
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Docent etiam Heſiodus primò, mox Virgilius dies felicibus operibus aptos.

Heſiodus. *At quintas fuge: namq; illarum pallidus Orcus,*
Tum diræ Eumenidum facies toto orbe vagantur,
Caſtigant ſi qua in terris periuria falſum
Affirmant, quæ lis alterne agitata creauit.

Virgilius. *Ipſa dies alios alio dedit ordine Luna*
Felices operum, quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenideſq; ſatæ: tum partu terra nefando
Cœumq;, Iapetumq; creat, ſæuumq; Typhœa,
Et coniuratos cœlum reſcindere fratres.

Et ſtatim ſuorum Georgicorum exordio Lunam & Solem, à quibus ferè omnia in agricultura proueniunt, inuocat.

——— *Vos ô clariſſima mundi*
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.

Columella hanc ſcientiam ſerenitates, & tempeſtates prænoſcere dicit, ne imbribus, ventiſq; imminẽtibus agricola opera inchoet, laborémve fruſtretur. Cœli & anni præſentis mores intuetur: neq; enim ſemper eundem velut ex pręſcripto habitum gerunt, nec omnibus annis eodem vultu venit ęſtas, aut hyems, nec pluuium ſemper eſt ver, aut humidus autumnus. Et quomodo ex agriculturæ operibus diues fiet, niſi fructuũ caritatem, aut abundantiam prænouerit, vt de Thalete Mileſio diximus? Florẽtinus Græcus in ſui OEconomi inſtitutione clamat, neceſſariũ eſſe temporũ varietates cognoſcere: nam maior ope-

ior ope-

ior operũ pars ex his pendet. Vel quomodo agrũ in quincuncem disponet, atq; constitutis cœli partibus diriget, vel ædificia collocabit? Quomodo agros metietur, & quæstus ad diligentẽ calculũ expendet, si Geometriã neglexerit? Nec solùm harũ disciplinarum, sed quid quoquo agro faciendum consultissimũ esse oportet: nam malè cum domino agitur, inquit Cato, quẽ villicus docet. Et Columella: agrũ pessimè mulctari, cuius dominus quid in eo faciendum sit, nõ docet, sed audit villicum. Et qui studium agricolationi dederit, sciat hæc sibi tria aduocanda, prudentiã rei, facultatẽ impendendi, & voluntatem agendi: nam is cultissimum rus habebit, qui colere sciet, & poterit, & volet. Neq; enim scire, aut velle cuiq; satis fuerit sine sumptibus, quos exigunt opera, neq; rursus faciendi, aut impendendi voluntas profuerit, sine arte: quia caput in omni negotio est nosse, quid agendum sit, maximeq; in agricultura, in qua voluntas, facultasq; citra scientiam sępe magnam dominis iacturam afferunt, quum imprudenter facta opera frustrentur impensas. Itaq; diligens paterfamilias non solùm rei agricolationis peritissimus sit, sed prudentissimos agricolas de quaque re cõsulat maximè curabit, atque commentarios antiquorum sedulò scrutetur. Pręcipiunt etiam eiusmodi scriptores nostrum œconomum religiosum, & eximiæ bonitatis esse debere. Ait Cato. Paterfamilias vbi ad villam venerit, larem familiarem salutabit, Augurem, aruspicem, ariolum, Chaldæum nequem consuluisse velit. Addit his Florentinus. Sit agri præfectus pius, & consuetas religiones obseruet, non arbores dedicatas, aut consecratas, aut aliud quiddam eiusmodi contumelia afficiens, verũ omnes ad pietatẽ præparans, & ferias per hebdomadã fieri permittẽs, & nihil graue tunc facere permittat, sed vacare cogens, & maximè in lunaribus, aut annuis festis: & tandem sit exemplum omnium in agro degentium, vt ad illum, & illius vitam & mores respicientes, reuereantur magis, quàm pertimescant. Si igitur gentiles, & omni veritate orbati festos dies, & honorẽ illorum deorũ reuerebantur, quanto maiori obseruantia noster hic œconomus optimus futurus erit, quem Christianũ instituimus, euangelicaq; veritate edoctum? Si illi familiares deos salutabãt, ipse ecclesiã adeat, atq; piis orationibus à Deo felices villæ fructus deprecetur. & si illi vanis superstitionibus noxios præcauebant influxus, nos sanctis deprecationibus à Deo prosperos nostræ villæ euẽtus auspicabimur. Horreat igitur noster hic œconomus vanas superstitiones, falsasq; religiones, vt idẽ facere cæteri ab eo discant. Numinũ aliquorũ per iocũ omnis attestatio eliminanda. Dei, aut numinis cuiusuis cõtemptor è familia confestim eiiciatur, aut seuerissimè puniatur, ne perniciosa ea inolescat cõsuetudo. Sit in agro assidua domini præsentia. Ait Columella. Nõ assiduus labor, aut experiẽtia villici, nõ facultates, aut voluntas impẽdendi tãtùm pollent quãtùm vel vna domini pręsentia, quæ nisi freques operibus interuenerit, vt in exercitu quũ abest Imperator, cũcta cessant officia. Maximè reor hoc significantẽ Pœnum Magonẽ suorũ scriptorũ primordiis. Qui agrũ parabit, domũ vẽdat, ne malit vrbanũ, quàm

ruſticum larem colere: & cui cordi fuerit vrbanum domicilium, ruſtico prędio non erit opus. Ab eo Palladius: Præſentia domini prouentus eſt agri. Caſſius: Agrum multò præſtantiorē facit aſſidua domini præſentia. Quod idem à Catone, & aliis præceptum eſt. Sed addit alia idem. Vbi ad villam venerit paterfamilias, fundum eodem die, ſi poteſt, circumeat, ſi non eodem die, at poſtridie: vbi cognouerit quomodo fundus cultus ſiet, operaq; quæ facta, infectaq; ſiét, poſtridie eius diei, villicum vocet, roget quid operis ſiet factum, ſatis ne tempori opera ſient cōfecta, quæ durare poſſint, quid reſtet, aut quæ reliqua ſient conficienda, & quid factum vini, frumenti, aliarúmve rerum omnium. Vbi ea cognouerit, rationem inire oportet operarum, dierum: ſi eius opus non apparet, dicit villicus ſedulò ſe feciſſe, ſeruos non valuiſſe, tempeſtates malas fuiſſe, ſeruos aufugiſſe, opus publicum effeciſſe. Vbi eas, aliasq; cauſas multas dixerit, ad rationem operū, operarumq; villicum reuoca. Quum tempeſtates pluuiæ fuerit, videto quot dies, qúæve opera per imbrem fieri potuerint, dolia lauari, picari, villam purgari, frumentum trāsferri, ſtercus foras efferri, ſterquilinium fieri, ſemen purgari, funes veteres ſarciri, nouosq; fieri, centones cuculionesq; familiam oportuiſſe ſibi ſarcire. Per ferias verò potuiſſe foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortū fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, ſpinas runcari, cremariq;, ex piſcina immūditias efferri, munditias fieri, ſeruis ex cocta cibaria non tanta dari, quanta quum ſine tempeſtate operantur in aruis. Vbi hæc cognita æquo animo ſient, qúæve reliqua opera ſient, curare vti perficiantur. Rationē item vinariam oleariamq;, quid venierit, quid exactum ſiet, quid reliquū ſiet, quidq; ſiet, quod veneat, quæ ſatis accipienda ſient, ſatis accipiantur, reliqua quę ſient, vt compareant. Si qua deſint in annum, vti comparentur, quæ ſuperſint, vti veneant. Quæ opus ſient locato, locentur, quæ deinde opera fieri velit, & quæ locari velit, vti imperet, & ea ſcripta relinquat. Vendat oleum, ſi pretium habeat, vinum, frumētumq; quod ſuperſit, vendat. Boues vetulos, armenta reiicula, oues reiiculas, lanam, pelles, ploſtrum vetus, ferramenta vetera, ſeruum ſenem, morboſum, & ſi quid aliud ſuperſit, vendat. Patremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet. Sed quum dixerim noſtrum hunc patremfamilias doctiſſimum eſſe oportere, ac plurimarum ſcientiarum callentiſſimum, nollem tyronum animos ex diffidentia deterrere ad hanc artem conſequendam, immò vellem vt maiori cum ardore, & animi alacritate ad metam aſpirarent. Fulmen eloquentię Demoſthenis Ciceronem non perterruit ad eum imitandū, neq; fulgura Ciceronianæ eloquentiæ Brutum, Cęlium, Pollionē, & Meſſalam deterruerunt: nec Virgilium ad ſummum Muſarum culmen aſcendiſſe abſterruit Actium, nec Platonis philoſophia Ariſtotelē. Vnde ſi paterfamilias non erit Philoſophus ſicut Democritus, aut Pythagoras, nec Aſtrologus, vt Meton, Eudoxus, Calippus, aut Ptolemæus, nec de terræ qualitate iudicāda peritus, vt Triptolemus, vel Ariſtæus, nō ob id vellem hanc artē craſſa Minerua pertractaret: nam multum à veritate abſunt, (vt rudes

rudes quamplurimi putant) hanc artem facillimam, & ab omnibus pertractari posse constituentes.

Qualem oporteat esse rusticum officio villicationis præfectum.

CAP. VIII.

ARISTOTELES, vt diximus, in Politicis adeò miris laudibus Agriculturam extollit, vt libero homine dignã faciat, mox optimam ciuitatem describendo, quasi suimet oblitus, ciuili viro indignam iudicat, eiusque operibus seruos relegat: sed qui id optimè considerauerint, maximũ Philosophum non sibi cõtrariari cognoscet: nam sicut in homine videmus animã imperantem, corpus verò, vt instrumentum, ei seruiens, ita & viri sunt, qui non nisi speculari, & scire apti sunt, in quibus viget anima: sunt & alij, quibus torpet, vires verò corporis luculentas habent. Operatrices artes binis partibus discriminatæ sunt, altera modum operandi iubet, altera iussa exequitur, prima ex anima, secunda ex corpore proficiscitur. Sic ea Agriculturę pars, quę cœlorum situs, tempora, & soli qualitates speculatur, liberi hominis est, & iam in ea exerceri nostrum patremfamiliâs diximus: quæ verò corporis vires exercet, hæc arat, fodit, pastinat, & colit: in hac rusticum villicationis præfectum instituendum proponimus, vt hic pareat, ille imperet. Sed quis docebit futurum villicum, si nullus professor est? Difficillimum putat Columella ab vno velut authore cuncta consequi rusticationis pręcepta, vnde plurimos cõsulat eius partium consultissimos oportet magistros, bonos aratores, optimos fossores, fœnisectores, arboratores, & vinitores: cõplurium igitur agrestium artibus formatus sit oportet, qui villicationis officium suscepturus erit. Is ergo à pueritia edocendus, & rusticis operibus educandus, multisq; prius experimentis inspiciendus erit futurus villicus. Ætas nec prima, nec vltima conueniet, nam serui sic tyrunculum contemnunt vt senem. quoniam ille nondum nouit opera ruris, hic exequi iam non potest: illum adolescentia negligentem reddit, hunc senectus facit pigrũ: media igitur ætas à trigesimo vsq; ad sexagesimum annum officio aptissima. Xenophon hunc beneuolum, diligentem, imperio aptum, & iustũ exoptat. beneuolentia facit vt obsequẽtes habeat operas. obsequentes equi à domitoribus delinimento aliquo demulcentur, reluctantes virga cõpelluntur. Seruos qui ventri indulgẽt, gulæ illecebris, ambitiosos laudibus excitabis. In hac ætate villicus scientissimus, & robustissimus sit oportet, & vt doceat subiectos, & ipse commodè faciat quæ præcipit: siquidem nil benè sine exemplo docetur. & sit operariorum magister, non discipulus. Nec solum rusticationis, sed imperitandi scientiam habeat. Imperitandi parum prudentes aut sæuius, aut lenius agendo rem perdunt. Potissimum autem est in hoc magisterio existimare quale officium cuique iniungendum: nam nec valentissimus posset exequi quod imperatur, si nesciat quid agat, nec peritissimus, si sit inualidus. Considerare debet opera virium, tanquam promouendi onera, portandiq;: quæ minus virium plus artis, sicut putationibus, & insi-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tionibus: sic aliqua viribus & arti sociata, vt fodiendi, arandi, segetes & prata secandi. Cato vigilantem probat. Primus cubitu surgat, postremus cubitum eat. Columella vult vt omnium primus familiam cōstantem producat, & ipse strenuus præcedat. Maximè enim referre dicit primo mane opus aggredi, vt velut in aliquod præliū cum vigore, & alacritate eum, tanquam ducē sequantur, & neminem post se relinquat, variisque exhortationibus in opere ipso exhilaret laborantes, & interdum tanquam deficienti succursurus ferramentum auferat, & ipse suo officio fungatur, moneatq; sic fieri debere, vt ab ipso fortiter sit effectum. Quum verò tectum subierit, non in suo domicilio delitescat, sed agat cuiusque maximam curam. Si quis in opere sauciatus fuerit, vel languidior factus, in valetudinarium deducat, & conuenientem curam adhiberi iubeat. Nullum, inquit Xenophon, est, quod plus gratiæ sit habiturum; quàm seruos, vbi in morbos inciderint, curare vt curentur. Nec minor cura eorum, qui rectè valebunt, vt cibus & potio præbeatur. Assuescantque circa larem domini epulari, & ipse in eorum conspectu similiter epuletur. Fortissimum quenque largitionibus prosequatur, nōnunquam suæ mensæ adhibeat, & aliis honoribus dignetur. Communicanda quoq; cum iis quæ faciunda sunt opera, quod ita quùm fit, minus se despici putant, atq; aliquo numero haberi à domino. Studiosiores ad opus fieri liberalius tractādo, aut cibariis, aut vestitu largiore, aut remissione operis, cōcessionéve, vt peculiare aliquod in fundo pascere liceat, aut huiusmodi rerum. Pro beneficio gratiā referat, vt alij rectè facere discant. Si quis quid deliquerit, bono modo vindicet. Hæc Catonis, & Varronis oracula à Columella dilucidata. Considerare debet quòd imperia in maioribus rebus difficulter custodiuntur, ne aut crudeliùs, aut remissiùs agat cum subiectis. Foueat bonos, parcat minus probis, & ita temperet, vt magis eius vereantur seueritatem, quàm sæuitiam detestentur, custodiatq; potius ne peccet operarius, quàm quum peccauerit, seuerè puniat. Et si aliquibus quid grauius sit imperatum, aut animaduersum, consolando eorū restituat voluntatem, ac beneuolentiam in dominum. Nulla maior custodia, quàm quorundam operis exactio. Verum est M. Catonis oraculum. Nihil agendo homines malè agere discunt. Sic operarij diligenter exequentur sua munia, & post operis exercitationem fatigati, potius cibo, & somno, quàm maleficiis se dederint. Cultā, vestitamq; familiā vtiliter magis habeat, quàm delicatè, id est munitam diligenter à frigoribus, & imbribus, quæ vtraq; prohibentur pellibus manicatis, & sagatis cucullis. Et ferialibus diebus, quibus vacant ab opere, vestes quorūcunq; resarciantur, & ferramenta recognoscantur, eaq; semper duplicia cōparet, ne si quod in opere vitiatum, à vicino petendum sit, quia plus in operis seruorum auocandis, quàm in pretio rerum eiusmodi deperditur. Vini sit abstinentissimus, quod est inimicissimum diligentiæ; obliuionem enim inducit vini potus. Cato. Sobrius sit semper. Ad cœnam ne quò eat. Tum etiam à Veneris amoribus auersus, quibus sese si dederit, non aliud quicquam possit cogitare,

tare, quàm illud, quod diligit: ob id terminos suæ coloniæ egredi nõ debet, nec absentia sua fam liæ cessandi, aut delinquendi spatiũ dare. Varro Sasernæ iussu præcipit, Ne quis de fundo exeat, præter villicum, & promum, & vnum, quem villicus legat: si quis contra exierit, ne impunè abeat, si abierit, vt in villicum animaduertatur. Quod potius ita præcipiendũ fuit, ne quis iniussu villici exierit, neq; villicus iniussu domini longiùs, quàm eodem die redierit, neq; id crebrius, quàm opus esset fundo. Nec solùm quæ diximus sapere oportet, sed domino fidem, ac beneuolentiã exhibere, sine quibus nihil potest villici scientia. Cato præcipit ei, Ne plus cẽseat sapere se, quàm dominũ. Consideret quæ dominus imperauerit, fiant. Amicos domini eos habeat sibi amicos. Iniussu domini credat nemini. Quod dominus crediderit exigat. Rationẽ cum domino crebro putet. Ne quid emisse velit, insciente domino, nec quid dominum celauisse velit. Alieno manũ abstineat, sua seruet diligenter. Litibus familia supersedeat. Familię malè ne sit, ne algeat, ne esuriat, opere benè exerceat: sic facilius malo, & alieno prohibebit. Villam videat clausa vti siet, & vti suo quisq; loco cubet, & vti iumenta pabulũ habeant. Familiã ne siueris peccare. Florentinus hæc addit. Alienas rationes ne cõducat. Non turpis lucri appetens, neq; circa vsuras inexplebilis, sed paucis cõtentus, & semper quę necessaria sunt vsui egẽtium suppeditans. Mentiri & maximè peierare formidet. Et si quid inuentum melius, potius ad dominũ referat, præterquã si valdè adeò vtilitas rei vrgeat, vt domini iussionẽ expectare nõ possit. Sed pretiosissimũ est, inquit Columella, intelligere quemquam se nescire quod nesciat, semperq; cupere quod ignoret addiscere: nam etsi multũ prodest scientia, plus tamen obest imprudentia, vel negligẽtia, maximè in rusticatione. Cato. Opera omnia maturè cõficias face: nam res rustica sic est, si vnã rem serò feceris, omnia opera serò facies. A quo Columella. Si quid perperàm factũ est, vel imprudẽtia, vel negligẽtia, res tamẽ ipsa domino decoxit, nec fieri potest, vt iacturã resarcias: nam si opus vnũ tardiùs, quàm oporteat, peractũ sit, cætera quoq; quæ sequuntur, seriùs adhibentur, turbatusq; operis ordo, spem totius anni frustratur: neq; credas diem prætermissum, sed annũ periisse. Venandi, & aucupandi studiũ fugiendũ: iis enim studiis plurimæ operæ auocãtur. Aliquæ sunt quoq; rusticorũ sententiæ. Officia maximè iuuenũ congruunt, imperia seniorũ. Genera omnia surculorũ, vel frugum præclara, sed terris tuis experta cõmitte: in nouo enim seminũ genere, ante experimentũ non est tota spes ponenda. Locis humidis citius, quàm siccis semina degenerant. In agro periclitantur interiora, nisi colantur extrema, Necessitas feriis caret. Benè agrũ colere necessariũ est, optimè verò damnosum. Nequã esse agricolã quisquis emeret, quod ei præstare fundus posset. Malum esse patrem familias quisquis interdiu domi faceret, quod noctu posset, nisi tãtùm in cœli tempestate: peiorem quoq; quod profestis diebus ageret, quod feriatis deberet: pessimum verò quod sereno die potius operaretur sub domi tecto, quàm in agro. Sermonis, vel etiam per iocum omnis à cuncta fami-

lia abſit turpitudo: corrumpunt ſiquidem bonos mores colloquia mala. Abſit mendacium, nam qui mentitur vult fallere: & qui ſtudio fallendi inuigilat, is proditor.

Qualis villica eſſe debeat. CAP. IX.

NE villicus noſter ſine iucundiſſima ſocietate in villa moretur, vt ſi quidem neceſſe foret foris ruſticari, operibus præeſſe, vel alio genere negotiari, aliam domi relinquat, vt quæ foris peracta, & congeſta eſſent, intus cuſtodiantur, & cætera conficere opera poſſit; ideo ei villicam cōſtituemus. Neceſſe enim eſt, vt alteruter foris ſit, qui labore, & induſtria res cōparet, intus verò, qui ſub tecto recondat, vt ſi fructus, vel reliqua vtenſilia, quibus hominū genus excolitur aliturq;, congerantur, habeatur, quum neceſſe fuerit, qui promeat: iure igitur noſtro villico domeſticam hanc ſociam adiungemus. Itaque virum, cui frigora, & calores, & alia ruſticationis opera erāt perpetienda, & victus in aperto quærendus, & iniuria propulſanda, quàm mulierem Deus fecit audaciorem, & fortiorem. Mulieri deinceps, quòd his omnibus fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit, iccirco timidiorem reddidit, quàm virum: nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi, voluitq; alterum alterius indigere, quoniam quod alteri deeſt, præſto plerunq; eſt alteri. Hæc Xenóphon, à quo Cicero, & Columella. Sit ergo inter eos ſumma reuerentia, cum concordia, & diligentia miſta. Flagret mulier diligentiæ æmulatione viri, negotia ſua curâ, maiora, & meliora reddere. Nil ſit in domo diuiduum, nihil quod maritus, aut fæmina proprium dicat, ſed commune. Villica igitur iuuenis eſſe debet: non nimium puella propter eaſdem cauſas, quales de villici ætate diximus. Integræ quoque valetudinis, nec fœdi, nec pulcherrimi habitus: fæditas faſtidioſum, nimia ſpecies deſidioſum facit eius contubernalem: illa vagum villicum, & auerſum ſuo contubernio, hæc intra tectum deſidem, & complexibus adiacentem. Sit à vino, ab eſcis, ſuperſtitione, ſomno & à viris remotiſſima. Meminiſſe debet quid faciendum, & quid in poſterum proſpiciendum. Eundem tādem morem ſeruet, quem villico præcepimus. Prima eius cura ſit familiam paſcere. Interrogatus Cato quid in re familiari primum foret? reſpondit familiam paſcere. quid ſecundum? bene paſcere. quid tertium? veſtire. Sit ergo primùm familiæ menſa neceſſaria, minimè ſumptuoſa, minime luxurioſa, luxus inertiam gignit: nequid tamen ſiti, famiq; explendæ deſit, vt frugalitas vbique cuſtodiatur, ebrietas, & crapula deuitetur. Aſſueſcat non in alto plumarum ſinu ſepeliri, ſed aut in ſtramento, aut in centonibus, ita vegetior ad cuncta munia obeunda exurget. Mollities omnis arcenda, labori inuigilandū eſt. Tunicas lineas, ſiue ſubuculas plures habeant ſinguli, permutādi cauſa, ne dum ſordeſcūt, triſte ſuggerant miniſterium. Deinde laboret, vt quam minimam operā villicus intra tectum impendat, cui & primo mane cum familia prodeundum eſt, & crepuſculo

peractis operibus fatigato redeundum. Cæterum munia, quę domi capessenda, non in totum muliebri officio relinquenda sunt, sed ita deleganda ei, vt identidem oculis villici custodiátur: persuasum habere debebit, aut in totum, aut certè plurimùm domi se morari debere. Xenophon apum exemplum ante oculos ponit, quarum dux haud absimile huiusmodi officio (inquit apud illum *Ischomachus* vxori) quod nos subituri sumus, exequi videtur. Ille quidem in otio esse apes non sinit, sed quas oportet ad opus extrà mittit, importataq; ab eis, excipit, ac seruat, donec tempus vsus veniat, quæ æquè omnibus diuidit, intus fauis incubantibus præsidet, vt celeriter conficiantur. Ita ipsam facere necesse est: si quid in agro faciendum, foras seruos emittere, si quid in villa, intra parietes continere, atque animaduertere, ne diuturna cessatione frustrentur opera. Quæ domum inferuntur, diligenter inspicere ne delibata sint, & ita explorata, atque inuiolata recipere: tum separare, quæ consumenda sunt, & quæ superfieri possunt custodire, ne sumptus annuus, menstruus fiat. Quæ inferuntur idoneis locis recondat, vt sine noxa permaneant, curandumq; vbi quidq; reponatur, vt quùm opus sit, promatur. Vetus est prouerbium, pauperiem certissimam esse, quùm alicuius indigeas, vti eo non posse, quia ignoretur, vbi proiectum iaceat, quod desideratur. Itaque in re familiari laboriosior est negligentia, quàm diligentia. Excelsissimum igitur conclaue pretiosa vasa, & vestes habeat: quod deniq; horreũ siccum atq; aridũ, frumentis habetur idoneũ, quod frigidum, optimè vinũ custodit, quod benè illustre, fragilẽ supellectilẽ, & ea postulat opera quę multi luminis indigent. Hęc postquã secreuimus, & suo quęq; loco reposuimus, villicę curę relegamus, vt quodcunq; opus sit, sciat vnde det, & meminerit, quid & quando, & cui dederit, & quũ receperat, vt quicquid suo loco reponat. Præterea nõ minor cura esse debet, ne supellex, vestisve condita situ dilabatur, aut fruges aliáve vtensilia, sua desidia, corrumpantur. Illud perpetuò obseruandũ, vt eos, qui foris rusticari debebunt, quum iam familia è villa processerit, requirat si quis contubernalis intra tectũ tergiuersans fefellerit, sciscitetur desidiæ causam, an aduersa valetudine restiterit, & si compererit simulantem languorem, sine cunctatione in valetudinarium deducat: præstat enim opere defatigatum sub custodiam requiescere vnum, aut alterum diem, quàm pressum nimio languore veram noxam concipere. Deniq; non sedentaria eius opera est, sed modo ad telam, modo ad eos, qui cibum familiæ conficiunt, inuisere, tùm bubilia, & præsepia mundanda curare. Valetudinaria si vacent ab imbecillis, aperire, & immunditiis liberare, vt quùm res exegerit, benè ordinata & salubria languentibus præbeantur. Nec minus interesse pastoribus in stabulis fructum cogentibus, aut fœtus ouium, aliarúmve pecudum subrumantibus; & tonsuris vellerum interesse, & lanas diligenter percipere, vellera ad numerum pecoris recensere: tum insistere atriensibus vt ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur, & si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. Præ-

terea ea cōficere addiſcat, quæ variis temporibus vſu veniunt, ad famulis quotidie ad cibum neceſſaria ſuppeditandum. Videlicet vt ex vino vapido acetum fiat: Muria quomodo dura fiat. Circa vernum æquinoctium herbas has condat, & reponat, cymam, caulem, capparim, apij coliculos, rutam, olus atrum, ferulas, paſtinacæ agreſtis flores, & ſatiuæ, aſparagos, ruſcum, nepitam, lapſanam, & fœniculum. Æſtate circa meſſem cœpas, corna, pruna, pyra, mala aceto, vel melle ſeruet. Laſerem, appropinquante vindemia, condiat, portulacam, olus atrum, deſiccet in Sole mala, pyra, ficus, vuas; non minima enim horum pars in ruſticanum cibum aſſumitur. Debet & vaſa vindemiæ præparare, vt decemmodias, trimodias, fiſcellas texendas & picandas dare: nec minus falculas, & vngues ferreos quamplurimos parandos, exacuendoſque, & ſimilia vſui neceſſaria. Multas vini condituras, ſapam & defrutum coquere. Remedia ad aceſcens vinum conficere. Condere cydonia, vuas ollares, mala granata, & reliqua mala, multaq; olearum genera, eaq; præparare, quæ ad oleum conficiendum neceſſaria: ante vindemiam, vt lignorum copiam, ſcalas, corbulas, modias, decemmodias, & ſimilia præparet.

Villæ operarios quales eſſe oporteat. CAP. X.

NVNC villicum noſtrum edocebimus, qualis corporaturæ, & doctrinæ villæ operarij eſſe debeant, vt commodè iis in operibus vti poſſit. Non igitur eligēdi ſerui ſunt ex vrbe, vel qui delicatas artes exercuerint, ſocors quidem, & ſomniculoſum id genus hominum eſt, ocio, aleæ, popinæ, & lupanaribus aſſuetum: nam iiſdē ineptiis alios corrumpunt. Eligendi ſunt ab infantia durati, & ſi tales obtineri non potuerint, præficiantur, qui laborioſam ſeruitutem tolerauerint, & primam iuuētæ ætatem traſcēderint. Varro: Agri coluntur hominibus ſeruis, aut liberis, aut vtriſque. Grauia loca villicus noſter mercenariis potius, quàm ſeruis colere iubeat, & in ſalubribus quoq; locis opera ruſtica maiora. Operarios parandos eſſe, qui laborem ferre poſſint, nec minores annorū viginti duorum; & ad agriculturam dociles. Mancipia eſſe oportet neq; formidoloſa, neq; animoſa, vt ex Caſſio transfert. Bubulco ſatis eſt vocis, & corporis proceritas, hæ res metuendū pecoribus efficiunt: ſed tēperet vires clementia, quoniā terribilior eſſe debet, quàm ſæuior, vt & obſequantur eius imperio, & diutiùs perennent boues nō confecti vexatione ſimul operū, verberumq;. Quamuis neceſſaria, nō tamen ſatis eſt indoles mētis. Longiſſimum aratorem faciemus, quod in re ruſtica nullo minus opere fatigatur prolixior, quia in arando ſtiuæ penè rectus innititur. mediaſtinus qualiſcunq; ſtatus poteſt eſſe, dūmodo perpetiendo labori ſit idoneus. Caſſianus rationē addit Columellæ præceptis. Longum corpus fortiter incumbit ſtiuæ, totūq; vomerem degrauat, ne in ſuperficie ſulcus ducatur, ſed & plagæ ex alto delatæ magis cōtingunt ipſos boues: nam ſi parui exiſtant, boues præcedentes eos occultant, nec poſſunt ea, quæ ante boues ipſos ſunt, contueri. Caprarios leues, & celeres eſſe

res esse oportet, vt caprarũ velocitatem assequi possint. Vineæ non sic altos, quemadmodũ latos, & lacertosos vinitores exigunt: nam hic habitus fossuris, & putationibus, cæterisq; earum culturis magis aptus. Minus in hoc officio quàm in cæteris agricolatio frugalitatem requirit, quia & in turba, & sub monitore vinitor opus facere debet. Puerilem ætatẽ ad agriculturã aptitudinem maximã habere dicunt, etsi vnaquæq; ætas idonea sit: nam pueri per ætatem enutriuntur ad operas, & subseruientes, & ad singula quę fiunt, diligenter animũ aduertentes, facileq; flectere se potentes ad gramen euellendum, & folia decerpenda, ac frondes, & naturã terræ experientia, operaq; & industria ex senioribus addiscentes. Magistros pecoribus oportet ponere sedulos, & frugalissimos: ea res vtraque plusquam corporis statura, roburq; confert huic negotio, quoniam id ministerium custodiæ diligentis, & artis officium est. Iubet Columella operarios in classes diuidendos, & non maiores quàm denum hominum faciendas, quas decurias appellauerunt antiqui, & maximè probauerunt, quòd is numeri modus in opere cõmodissimè custodiretur, nec præeuntis monitoris diligentiã multitudo cõfunderet. Itaq; si latior est ager, in regiones deducendæ sunt & classes, diuidundũq; ita opus, vt neq; singuli, biníve sint, quoniã dispersi non facilè custodiuntur. Neq; tamẽ supra decẽ, ne rursus vbi nimia sit turba id opus ad se pertinere singuli nõ existiment. Hęc ordinatio nõ solum cõcitat æmulationẽ, sed & deprehendit ignauos. Sed qualis opportunus numerus operariorũ in villa foret, Cato declarare laborauit, ad duas metas rationẽ dirigens, ad certũ modum agri, & genus sationis, exemplũq; in oliueto & vinea tradidit. Oliuetũ agri ducentorum quadraginta iugerũ, habere oportet villicum, villicã, operarios quinq;, bubulcos tres, subulcũ vnum, asinarium vnũ, opilionem vnum, summa hominum tredecim. Alteram formulam describit de vinearũ iugeribus centũ, vt dicat haberi oportere hæc, villicũ, villicam, operarios decem, bubulcum vnum, asinarium vnũ, subulcũ vnum. Sed Varro Sasernæ opinione scribit, satis esse ad iugera octo hominẽ vnum, & debere eũ fodere diebus quadragintaquinque, tametsi quaternis operis singula iugera possit, sed relinquere se operas tredecim valetudini, tẽpestati, inertię, indulgẽtiæ. Sed Licinius satis, ait, dilucidè horũ neuter modulos relinquit. Quod si Cato proportione vti voluit, ad maiorẽ fundum, & minorẽ adderemus, & demeremus. Præterea extra familiã debuit dicere villicum, villicã. neq; enim si minus CCXL iugera oliueti colas, nõ possis minus vno villico habere, nec si bis tanto ampliorẽ fundum, aut eo plus colas, ideo duo villici, aut tres habendi fuere. Operarij modo, & bubulci proportione demendi, vel addendi ad minores, maiorésve modos fundorum. Hi quoq; si similis ager est: sin est ita dissimilis, vt totus arari nõ possit, vt si sit cõfragosus, aut aridus cliuus, minus multi opus sunt boues, & bubulci. Vnde ex his, aliisve rationibus Catonis rationi non assentitur, sed potius Sasernæ, qui ait singula iugera quaternis operis vno operario ad cõficiendum satis esse. Sed si hoc in Gallia satis fuit, non continuo

idem in agro Liguſtico montano. Itaq; de familiæ magnitudine, & de reliquo inſtrumento tria vult animaduertenda. In vicinitate prædia cuiuſmodi ſint, & quanta, & quot quæq; hominibus colantur, & quod additis operis, aut demptis, melius, aut deterius habeas cultum.

De cœli electione pro villa comparanda. CAP. XI.

PRÆCEPTA cœli electionis agri proſequemur. Primum eſt Catonis oraculo ſancitum. Prædium quùm comparare cogitabis, ſic in animum habeto, vti ne cupidè emas, néve opera tua parcas viſere, & ne ſatis habeas ſemel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit quod bonum erit. Vicini quo pacto niteant id animum aduertito: in bona regione benè nitere oportebit. Circumſpicias vti bonum cœlum habeat, ne calamitoſum ſiet. Vtiliſſimus, inquit Varro, is ager, qui ſalubrior eſt, quàm alij, quòd ibi fructus certus, contráq; in peſtilenti, calamitas, quamuis in feraci agro, ad fructus colonum peruenire non patitur. Etenim vbi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus eſt incertus, ſed etiam colentium vita. Quare ſi ſalubritas non eſt, cultura non aliud eſt, quàm alea domini vitæ, ac rei familiaris. Duoq; in primis ſpectaſſe videntur Italici homines, colendo poſſent ne fructus pro impenſa, ac labore reddere, & vtrum ſaluber locus eſſet, an non: quorum ſi alterutrum decollat, & nihilominus quis vult colere, mente eſt captus, atq; ad agnatos, & gentiles eſt deducendus. Nemo enim ſanus mente, debet velle impenſam ac ſumptum facere in culturam, ſi videt non poſſe refici; nec ſi poteſt reficere fructus, ſi videt eos fore, vt peſtilentia diſpereant. Columella eadem, quæ hi, habet. Palladius modum demonſtrat aërē cognoſcendi. Quatuor rebus agriculturam conſtare ſcribens, aëre, terra, aqua, & induſtria. Ex his tria naturalia, vnum facultatis, & voluntatis. Naturæ eſt quod in primis ſpectare oportet, vt eis locis, quæ colere deſtinabis, aër ſit ſalutaris, & clemens. Et aëris ſalubritatem declarant loca ab infimis vallibus libera, & nebularum noctibus abſoluta, & habitatorum conſiderata corpuſcula, ſi eis color ſanus, capitis firma ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus, & ſi fauces commeatum liquidæ vocis exercent. Hoc genere benignitas aëris approbatur, his autem contraria noxium cœli illius ſpiritum confitentur. Didymus. Loci marini, vt plurimum ſalubriores ſunt, & montani, & accliues, ad Boream vergentes: qui verò prope paludes, & ſtagna, aut locis concauis, aut ad Auſtrum ventum, aut ad Occidentem inclinati, ſunt morboſi. Vitruuius. Saluberrimus locus erit excelſus, non nebuloſus, nō pruinoſus, regiones cœli ſpectans neq; æſtuoſas, neq; frigidas, ſed tēperatas. Euitetur paluſtris vicinitas: nam quum auræ matutinæ cum Sole oriente ad locum peruenerint, & iis ortę nebulæ adiungentur, ſpiritusq; beſtiarum paluſtrium venenatos cum nebula miſtos in habitatorum corpora flatus ſpargent, efficient locum peſtilentem. Locus ſi ſecundum mare erit, ſpectabitq; ad Meridiem, aut Occidentem, non erit ſa-

luber,

Iuber, quia per æstatem cœlum meridianum Sole exoriente calescit, meridie ardet. Qui spectat ad Occidentem, Sole exorto tepescit, meridie calet, vespere feruet. Plinius contraria his habet, inquiens: Attilius Regulus ille, Punico bello bis consul, aiebat, neque fœcundissimis locis insalubrem agrum parandum, neque effœtis saluberrimum. Salubritas loci non semper incolarum colore detegitur, quoniam assueti etiam in pestilentibus durant. Præterea sunt quædam partibus anni salubria, nihil tamen salutare est, nisi quod toto anno salubre. Sed tot variæ de aëris salubritate sententiæ ne legentium animos in ambiguum remorentur, ita cōciliare tentabimus. Est nobis profectò, vt villam in salubri aëre habeamus, vehementer elaborandum: quùm viderimus maiores nostros, ne cœlum graue habituri essent, & incommodum, prudenti quidem & maxime salutari consilio, & omni penitus diligentia præcauisse: nam terram, & aquam si quid habeant in se vitij, corrigi posse docebimus: cœlum verò nulla ingenij ope, humanáve industria quit flecti: & spiritus, quo ipso vno maximè vitam trahimus, & seruamus, purissimus sit oportet, vt sani semper viuamus. Neq; est quem fugiat in nostris corporibus maximam vim habere. Acutiori ingenio præstare homines videmus, qui cœlo fruuntur puriori, quàm qui crasso, vdoque. Aër is est saluberrimus, qui purgatissimus, & quàm purissimus est, visus acie liberrimè peruius, pellucidus, leuissimus, coæquabilis, & minimè varius. Sic pestiferum illum dicimus, qui nebularum, aut vaporum spissitudine concretus, & fœculentus, vt quasi quoddam graue hæreat superciliis, atq; aciem premat. Et si alias ob causas maximè solibus, & ventis ita redditur. Aërem, qui vehementissimè efferuescit, grauem, crassumque arguunt; argumento Solis radios acrius agere si densum offendant, quàm rarum. Ægyptij perpetuo, & quasi constanti aëris tenore præ cæteris à Deo donati sunt, & præsertim qui ad Libyam vergunt, quod ibi nunquam auræ varientur, & integerrima valetudine sunt, vt scribit Herodotus. Romæ aër calescit, frigescitq; illico, ob id insaluber. Venti ex ipsa locorum facie, aërem attenuant, incrassantque. Auræ præstantiores, quàm venti, & venti mediocres, quàm *immodici, & violenti.* Sed hi minus molesti, quàm immobilis aër: nam immobilis, *vt aqua putrescit.* Aër motu hilarescit: nam surgentes è terra vapores, aut dissipat, aut motu incalescendo concoquit. Commodi venti sunt, qui obiectis mōtibus fracti, vel syluis, vel longa commigratione lassi, sed non per infecta loca pertranseuntes, ne malum ad nos deferant. Iccirco vitanda vicinia, ex qua noxium quid effluat, veluti teter odor barathri, cloacæ, vapor palustrium, fœdarumq; aquarum: nam aqua nulla fœdior, quàm quæ nullo motu contabescit. Vitandus aër ex fluuiis ortus, qui imbribus excrescunt: nam aërem frigidum, & crassum ducunt. Plinius Theophrastum, & Hippocratem sequutus, Aquilonem, ait, ad restituendam, seruandamq; salutē commodum, Austrum hominū, pecudumq; generi infestissimum. Ciconia nunquam se Austris committit. Delphini per Aquilonem voces audiunt, Austro

tardiùs, & non nisi ex aduerso redditas. Spirante Aquilone, anguillam ternos dies sine aquis durare, Austro non item. Auster pituitosos reddit, Corus tussim affert. Meridianũ mare improbatur, quod duos pati soles videatur, vnum cœlo, alterũ ab aquis inurentem. Maximam illic fieri aëris varietatem, Sole cadente, vbi frigentes vmbræ noctis adueniunt. Matutinæ auræ improbantur, quod crudos surgentes vapores adferant. Homerus verissimè omnino antelucanas è flumine auras insalubres tradidit. Nullo loco indecentius villa erit, quàm quæ intra vallem abdita sit: nam omni prospectus amœnitate intercepta, sine vlla dignitate delitescit: nam & imbrium ruinis obruitur, & circumfluentibus aquis infunditur, & modico imbibito humore, continuò madescit, & vaporem valetudini noxium semper effumat. Ingenia hebetatis spiritibus non valebunt, nec corpora durabunt. Si ingreditur Sol, reciprocatis vndique radiis torrebuntur, si nõ illustrantur Sole, torpescunt, & recrudescunt. Adde, si ventus in ea penetrat, quasi canalibus coactus, molestius quàm par est furit: si non ingreditur, concretus illic aër putrescit. Conuallem istam non indecenter aëris lacunam, stagnúmve vocare possumus. Itaque locus vbi aër amœnus sit, neque humilis, & quasi immersus, neque celsus, & supereminens, sed mediis collibus, optimus vocabitur: in eo enim lætissimus aër assiduo spiritu mouebitur. Arbores in vnam partem inclinatæ, aut refractæ, infestis ventorum motibus cessisse ostẽdunt. Saxa locis innata si summotenus putria fuerint, aëris intemperiẽ nunc ardescentis, nunc torpentis ostentant. Vitanda igitur loca, in quibus vehementes eiusmodi tempestates grassantur: nam hominum corpora caloris, aut acri vi frigoris si vexantur, tota coagmentatio labefactatur, adq; morbos, & immaturam senectutem compellitur. Crasso aëre non famesces, sicco sities.

Quomodo cœli vitia emendari possint.
CAP. XII.

SED Columella dicit. Quùm sapientis sit patrisfamilias non vbique emere, aut vbertatis illecebris, aut delitiarum concinnitate: sic verò industrij est, quicquid aut emerit, aut acceperit facere vtile, & fructuosum, quoniã & grauioris cœli multa remedia priores tradiderũt, quibus pestifera lues mitigetur. Varro. Salubritas, quæ ducitur è cœlo, non est in nostra potestate, sed in Naturæ, vt tamen multum sit in nobis, quòd grauiora, quæ sunt, ea diligentia leuiora facere possumus; etenim si propter terram, aut aquam, odorémve, quem aliquo loco eructat, pestilentior est fundus, aut propter cœli regionem ager calidior sit, aut ventus nõ bonus flet, hæc vitia domini scientia emendari possunt, ac sumptu, quod permagni interest vbi sint positæ villæ, quo spectent, porticibus, ostiis, ac fenestris. An non ille Hippocrates Medicus in magna pestilentia, non vnum agrum, sed multa oppida, scientia seruauit? sed quid necessum est illum vocari ad testimoniũ? quum Varro ipse, quum Corcyræ esset

exerci-

exercitus, ac classis, & omnes domus repletæ essent ægrotis, ac funeribus, immisso nouis fenestris Aquilone, & obstructis pestilentibus, ianuaq; permutata, cæteraq; eius generis diligentia, suos comites, ac familiam incolumes reduxit? Si aër pestifer ex vicinia palustrium locorum erit, remedium à Vitruuio petemus. Si paludes excelsiores fuerint mari, hac ratione emendabimus. Fossis enim ductis, fit aquæ exitus ad littus, & ex mari tempestatibus aucto, in paludes redundantia motionibus concitatur, amarisq; mixtionibus non patitur bestiarum palustrium genera ibi nasci, quæque de superioribus locis natando proximè littus perueniunt, inconsueta salsitudine necantur. Sic etiam de terræ infœcunditate considerare debemus.

De situ villæ eligendo. CAP. XIII.

DIXIMVS de cœlo, subiungemus de situ non minus necessaria, quàm quæ de cœlo dicta sunt. Potest enim optimus situs cœli malignitatem emendare, & bonitas à situ rependi potest: contra qui situ abutuntur, poterunt peruertendo damnosum reddere: ideoque non segniter maiores nostri de eius electione non prætereundas admonitiones reliquerunt. Varro tria agrorum genera tradidit, campestre, collinum, & montanum, è quibus infimis alia cultura aptior, quàm summis, quòd hæc calidiora, quàm summa; sic collinis, quòd ea tepidiora, quàm infima, aut summa. Itaque vbi lati campi, ibi magis æstus, & eò in Apulia loca calidiora, & grauia. Et vbi montana, vt in Vesuuio, quòd leuiora, & ideo salubriora. Qui colunt deorsum, æstate magis laborant, qui sursum, magis hyeme: verno tempore in campestribus maturius eadem illa seruntur, quàm in superioribus, & celerius hic, quàm illic coguntur. Nec non sursum, quàm deorsum tardius seruntur, ac metuntur. Propter hæc tria fastigia formæ, discrimina quædam sunt sationum, quòd segetes meliores esse existimantur campestres, vineæ collinæ, syluæ montanæ. Campester locus is melior, qui totus æquabiliter in vnam partem vergit, quàm is, qui est ad libellam æquus, quod is quùm aquæ non habent delapsum, fieri solet vliginosus, eò magis si quis est inæquabilis, eò deterior, quod fit propter lacunas aquosus. Igitur optimum villæ situm describit Cato, qui sub radice montis siet, & in Meridiē spectet. Columella item referente, Peritissimi rusticarum rerū tria genera terreni esse dixerunt, cāpestre, collinū & montanum. Campū non æquissima sitū planitie, nec perlibrata, sed exiguè prona, collem clementer, & molliter exurgentem, montē non sublimem, & asperū, sed nemorosum, & herbidum maximè probauerunt. Mox perfectā describens villæ formā, ait. Agrum habeas salubri cœlo, vberi gleba, parte campestri, parte alia collibus, vel ad Orientem, vel ad Meridiem molliter deuexis, terrenisque aliis cultis, atque aliis syluestribus, & asperis. Palladius verò omnia colligens satis absolutè eum describit. Situs verò terrarum, neq; planus, vt stagnet, neque præruptus, vt defluat, neque obrutus, vt in imum deiecta valle subsidat,

neque arduus, vt tempeſtates immodicè ſentiat, & calores. Sed ex his omnibus vtilis ſemper eſt æquata mediocritas, & vel campus apertior, & humorem pluuium cliuo fallente ſubducens, vel collis molliter per latera inclinata deductus, vel vallis cum quadam moderatione, & aëris laxitate ſubmiſſa, vel mons alterius culminis defenſus obiectu, & à moleſtioribus ventis aliquo liber auxilio, vel ſublimis, aſper, ſed nemoroſus, & herbidus. Didymus: ad ſanitatem & ſpeculationem, & regionis colluſtrationem locus aptiſſimus exiſtit in altioribus locis ædificatus. Sed ſitus ſi eligendus, ſit in frigidis prouinciis Orienti, aut meridiano lateri oppoſitus, ne alicuius magni montis obiectu, his duabus partibus excluſis, algore rigeſcat, aut per partem Septentrionis remoto, aut per Occidentes in veſperam Sole dilato. In calidis verò prouinciis pars potius ſeptentrionis optanda eſt, quæ & vtilitati, & voluptati, & ſaluti æqua bonitate reſpondeat. Plinius eadem. Spectare in æſtuoſis locis ſeptentrionem debet, Meridiem in frigidis, in temperatis exortum æquinoctialem.

De villæ ſolo idoneo eligendo. CAP. XIIII.

AGRICVLTVRÆ omnes optimi præceptores iubent non minorē curam in ſoli electione, quàm in cœli eſſe impendēdam. Ob id ad eius bonitatem inueſtigandam quamplurima ſigna docuerunt. Nos omnium ſententias ad trutinam expendemus. Et ſi quibuſcunque huius villæ partibus, vtpote vinea, ſegete, pomario, horto, & reliquis peculiare ſolum deſcripſimus, lubet hic de vniuerſo villæ ſolo verba facere, quùm plurimum interſit, quo ſolo, quam arborem ſeueris: neque omnes arbores omni terra gaudent, ſed vnaquæque ſuam peculiarem expoſcit, quam ſi adipiſcantur, multo longiores radices felicius deproment, altius hærebunt, vberioremq; fructum largientur. Arbor enim eo fœcundior, quo terram propriorem nacta fuerit. Inter tot terrarū genera aliquod eſt, quod hæc arbos ſeligat, & magis amet, & hæc alio potius delectatur, & eſt aliud, quo plures geſtiant. Xenophon multò facilius terræ ingenium, quàm hominis, vel equi experiri poſſe dicit: nam in promptu eſſe, facilemq; ſe ad cognoſcendum omnibus præbere. Signa ſunt à ſapore, odore, colore, pondere, ab ea naſcentibus, aliiſq; ſignis, quæ recenſemus. A guſtu incipiemus. Virgilius in Georgicis.

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Tale dabit ſpecimen. Tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaq; prælorum fumoſis derpe tectis.
Huc ager ille malus, dulceſq; à fontibus vndæ
Ad plenum calcentur, aqua eluctabitur omnis,
Scilicet & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaror.

Columella ab eo excipiens ait. Sapore quoque terram sic cognoscemus. Si ex ea parte agri, quæ maximè displicebit, effossæ glebæ, & in fictili vase madefactæ dulci aqua permisceantur, ac more fæculenti vini diligenter colatæ gustu explorentur: nam qualem traditum ab eis retulerit humor saporem, talem esse dicemus eius soli. Idem Palladius, & Anatolius. Possumus & tactu terræ pinguedinem experiri, Virgilio docente.

Pinguis item quæ sit tellus, hoc denique pacto
Discimus: haud vnquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.

Columella hæc declarans. Itaq; considerandum erit, si solum, quod excolere destinamus, pingue sit, quod expedita satis nobis ratione contingit discere: nam perexigua conspergitur aqua gleba, manuq; subigitur, ac si glutinosa est, & quouis leuissimo tactu pressi inhærescit, & picis in morem ad digitos lentescit habendo, eademque illisa humo non dissipatur, ea res admonet nos, inesse tali materiæ naturalem succum, & pinguedinem. Eadem Palladius. Cognoscitur & ab odore. Anatolius ita nos admonet. Effodiunt in altum, indeque aliquid terræ extrahunt, & ab olfactu quidem meliorem experiuntur. Sed Plinius Ciceronis authoritate exactiùs docet. Certè Cicero lux doctrinarum altera, meliora, inquit, vnguenta sunt, quæ terram, quàm quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixisse, quàm redolent. Ita est profectò: illa erit optima, quæ vnguenta sapiet. Quod si admonendi sumus qualis sit terræ odor ille, qui quæritur, contingit etiam sæpè quiescente ea, sub occasu Solis, in quo loco arcus cœlestis deiecerit capita sua; & quum à siccitate continua immaduit imbre, tunc emittit illum suum halitum diuinum è Sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit. Is esse odor in commota debebit, repertusq; neminem fallet, ac de terra odor optimè iudicabit. Talis ferè est in noualibus cæsa vetere sylua, quæ consensu laudatur. Nec desunt alij odores, ex quibus terræ bonitatem experiri quis possit. Sed vt sciamus quale densum, vel solutum solum fuerit, Virgilium audiamus.

Nunc quo quamque modo possis cognoscere dicam,
Rara sit, an supra morem si densa requiras.
Ante locum capies oculis, alteq; iubebis
In solido puteum demitti, omnemq; repones
Rursus humum, & pedibus summas æquabis arenas:
Si deerunt, rarum. Sin in sua posse negabunt
Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager, glebas cunctantes, crassaq; terga
Expecta, & validis terram proscinde iuuencis.

Sed Columella hoc experimentum ponit ad dignoscendam pinguem terram, hoc modo. Sed & si velis scrobibus egestam humum recondere, & recalcare, quum aliquo quasi fermento abundauerit, certũ erit eam esse pinguem;

quum defuerit, exilem; quũ æquauerit, mediocrem. Palladius eadem iisdem refert verbis. Diophanes verò: Scrobem fodiunt, & bonam terræ partem extrahentes, postea rursus terram in foueam iniiciunt, & si quidem iniecta terra foueam expleuerit, aut redundauerit, optimam terram iudicant; si verò iniecta terra fouea non expletur, non bonam esse terram pronunciant. Idemque Poëta docet pondere posse leuem, & grauem experiri.

Quæ grauis est, ipso tacitam se pondere prodit,
Quæq; leuis.

Sed optimã terræ qualitatẽ ex signis cognoscere docet doctissimus Theophrastus, princeps agricolarum, qui naturã arborum, & terrarum considerans, omnia ad mediocritatẽ reduxit, vt omnibus aliquo modo cõueniret; atq; hoc modo decernit. Solum quod mediam continet confusionem contrariorum, id est, soluti & spissi, sicci & humidi, leuis & põderosi, & qui ima summis cõueniant modice, hoc omnium optimè consulit omnibus ferè arboribus, atq; frugibus: id enim propriùs quodammodo aëris habitui, quàm cætera conuenire videtur. Cæterum inter hæc ipsa, quod ad alterã partem declinat, in proximæ commendatione est, vt quod solutum, leue, atq; humectũ est. id enim alimentum in se continet, hiat, vt radicibus facilem cõmeatum suppeditet, vt se facilè prolatare possint: sunt enim radices penora & promi. Spissum, ponderosum, ac sitiens cõtrarium pręstat. Hoc idem illi sentiunt, qui solum nigrũ commendant, vt Leophanes. Causam enim illicò reddere tentat, quod genus id excipulũ vtriusq; facile esse potest, imbriũ & squalloris, vtpote quod capax tam ęstus, quàm humoris nimium sit. Beritius ab eo. Optimum solũ nigræ terræ est, & ab omnibus præ illis laudatũ: nam & imbrem fert, & siccitatem. Consequens est terra fulua, quæ & flumine rigatur, limosa & vliginosa appellata, item dulcis & calida: hæ enim ad vites, & ad arbores, & ad sata aptitudinẽ habere cognitæ sunt. Sed & profunda terra laudatur, maximè si friabilis sit, & tractabilis, operiq; non repugnans, ad solam tamen arborum fertilitatem apta existit: Quin & rubra ad reliqua optima est, ad arbores tamen producendas ineptè habet. Palladius ex his eligendam terram his verbis docet. Sit gleba putris, & ferè nigra, & ad tegẽdum se graminis sui crate sufficiens, aut misti coloris, quæ etsi rara sit, tamen pinguis soli adiunctione glutinetur. Quæ protulerit, nec scabra sint, nec retorrida, nec succi naturalis egentia ferat. Color nanque non magnopere quærendus est, sed pinguedo, atq; dulcedo. Tandem eligendus est pinguis, & resolutus ager, qui minimum laborẽ poscit, & fructum maximum reddit. Secundi meriti est spissus, qui labore quidem maximo, tamen ad vota respondet. Sed pulla terra maximè à Catone laudatur. De qua sic Plinius. Terra tenera quæ vocatur pulla, erit optima, & operi satior. Intelligere modò libeat dictam mira significatione teneram, & quicquid optari debet, in eo vocabulo inuenitur. Illa temperatæ vbertatis, illa mollis, facilisque culturæ, nec madida, nec sitiens, illa post vomerem nitescens, qualem fons ingeniorũ Ho-

merus in armis à Deo cælatam dixit, addiditq; miraculum nigrescentis, quamuis fieret in auro: illam, quam recentem exquirunt improbæ alites, vomerem comitantes, coruiq; aratoris vestigia ipsa rodentes. Virgilius ita cecinit.

Nigra ferè, & presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum. (nanque hoc imitamur arando.)

Aspectu fieri posse probationem Anatolius refert. Si in squallore non valdè rumpitur, neq; si imbres vberes, impetuosiq; deciderint, & cœnosa fiat, verùm omnem pluuiarum aquam in suum sinum excipiat, & si non frigoris tempore dorsum ipsius testaceum appareat. Hęc enim, vt plurimum, bona poterit iudicari. Pulcherrimum & alium modum probationis veteres inuenerunt, iridē oculis subiacentem. Si nanq; magnæ & syluosæ sunt arbores syluestres ex ipsa nascentes, absolutissima pronunciari potest, si mediocres media, si verò spinas & sarmēta tenuia producat, & herbam breuem, imbecilla hæc est, & non multi pretij. Virgilius ex aspectu humidam cognoscere docet.

Humida maiores herbas alit, ipsaq; iusto
Lætior: ah nimium ne sit mihi fertilis illa,
Neu se prævalidam primis ostendat aristis.

Varro ex Diophanis Bithynij authoritate dicit signa sumi posse aut ex ipsa, aut ex iis, quæ nascūtur ex ea: ex ipsa, si sit terra alba, si nigra, si leuis, quæ quum fodiatur facile frietur, naturaq; non sit cineritia, néve vehementer d. nsa. Ex his autem, quæ enata sunt fera, si sunt prolixa, atq; ea, quæ ex his nasci debent earum rerum feracia. Columella satis admirari non potest cùm alios, tùm Cornelium Celsum non solùm agricolationis, sed vniuersæ naturæ prudentem virum, sic & sententia, & visu deerrasse, vt oculis eius tot paludes, tot etiam campi salinarum non occurrerent, quibus ferè cōtribuuntur prædicti colores. Nullum videmus locum, qui modò pigrum contineat humorem, non eundem vel nigri, vel cinerei coloris, nisi in eo fortè fallor ipse, quòd non putem aut in solo limosæ paludis, & vliginis amaræ, aut in maritimis areis salinarum gigni posse læta frumenta. Sed est manifestior hic antiquorū error, quàm vt pluribus argumentis conuincendus sit: non ergo color, tanquam certus author testis est bonitatis aruorū. Sed Plinius omnino negat ex signis terræ bonitatem præsagiri posse. Pulla, qualem habet Campania, nec vbiq; optima vitibus, aut quæ tenues exhalat nebulas. Nec rubrica multis laudata. Cretam in Albensium Pompeianorum agro, & argillam cunctis ad vineam generibus anteponunt, quāquam præpingues: quod excipitur in eo genere. Inuicē sabulum album in Ticinensi, multisq; in locis nigrū, itemq; rubrum etiam pingui terræ permistū, infœcundum est. Argumenta quoq; iudicantium sępè fallunt: Non vtiq; lætum solum est, in quo proceræ arbores nitent, præterquā illis arboribus. Quid enim abiete procerius? aut quæ vixisse possit alia in loco eodē? Nec luxuriosa pabula pinguis soli semper indiciū habent: nam quid laudatius Germaniæ pabulis? & tamen statim subest harena tenuissimo cespitum corio.

Nec ſemper aquoſa eſt terra, cui proceritas herbarum, non hercule magis, quàm pinguis adhærens digitis, quod in argillis arguitur. Scrobes quidem regeſta in eos nulla complet, vt denſa, atque rara ad hunc modum deprehendi poſſit, ferroque omnis rubiginem obducit. Nec grauis, aut leuior iuſto deprehenditur pondere. Quod enim pondus terræ iuſtum intelligi poteſt? Nec fluminibus aggeſta ſemper laudabilis, quando ſeneſcant ſata quædam aqua.

De ſolo in agri electione fugiendo. CAP. XV.

DIXIMVS terras amplexandas, comparandasque, nunc fugiendas ex ſignis cognoſcere docebimus à contrariis cauſis. Quibuſdam in terris, inquit Theophraſtus, ima arborum pars optimè conſtat, ſuperna verò vitioſa eſt, quod in ſolo harenoſo, tophoſo, aduſtoque euenit. Sabulũ enim alimento caret, ob id germina ſubminiſtrare haudquaquam valet: vnde infelix germinatio: ſuntq; in eo diſſitæ partes, ob id facilem radicibus commeatum præſtare poſſunt, vt in profundum effundantur: & ob partium raritatẽ item nocumenta æſtus & frigoris ad radices admittunt. Sic in paluſtribus, & luculentis. Fugiendum quoq; frigidum, denſum, ſalſumq; ſolum, quia incommodum conſtat, denſitas enim ſtrangulat ſua vehementi cohæſione. Cato inquit, Terrã caue carioſam tractes. Addit Plinius, Néve plauſtro, néve pecore impellas. Quid putamus hac appellatione ab eo tãtopere reformidari, vt penè veſtigiis quoq; interdicat? Redeamus ad ligni cariẽ, & inueniemus illa, quæ in tantum abhominatur vitia, aridæ, fiſtuloſæ, ſcabræ, caneſcẽtis, exeſæ, & pumicoſæ. Plus dixit vna ſignificatione, quàm poſſit vlla copia ſermonis enarrari. Eſt enim interpretatione vitiorum quædam non ætate (quæ nulla in ea intelligi poteſt) ſed natura ſua, anus terra, & ideo infœcunda ad omnia, atque imbecilla. Virgilius frigidam ex naſcentibus herbis exquirere docet.

——— at ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt, picea tantum, taxiq; nocentes,
Interdum aut hedera pandunt veſtigia nigra.

Improbantur à Varrone lapis, marmor, rudus, arena, ſabulo, argilla, rubrica, puluis, creta, glarea, carbunculus, id eſt quæ Sole perferuet, ita, vt radices ſatorum comburat. Palladius. Ne alba, & nuda ſit gleba, ne macer ſabulo ſine admiſtione terreni, ne creta ſola, ne arenæ ſqualentes, ne ieiuna glarea, ne auroſi pulueris lapidoſa macies, ne ſalſa, vel amara, ne vliginoſa terra, ne tophus arenoſus, atq; ieiunus, ne vallis nimis opaca, & ſolida. Plinius. Terram amaram, ſiue macram ſi quis probare velit, demonſtrant eam atræ degeneresque herbæ: frigidam autem retorridè nata. Item vliginoſam triſtia, rubricam oculi, argillamque operi difficillimas, quæque raſtros, ac vomeres ingentibus glebis onerent: quanquam non quod operi, hoc & fructui ſit aduerſum. Anatolius ſalſam terram fugiendam eſſe ab omnibus dicit: & hic veterum conſenſus. Quum enim in ſtercore ſalem fugiamus, & amurcã ex oliuis ſale non conſperſis,

ſperſis; arborum radicibus affundere rerum experti præcipiant, & ſterquilinia dulci, non ſalſa aqua rigemus. Manifeſtum eſt quòd ſalſam terram improbent, ad omnia ineptam, præterquam ad palmæ fructus, quos optimos producit, immò vitare oportet ſalſi ſtercoris vſum ad dulcis terræ miſturam. Præterea fœtidam terram fugere oportet, vt quæ omnibus inutilis exiſtat.

Quomodo terræ vitia emendari poſſint. CAP. XVI.

SED ſi nobis fundus non erit eligendus, ſed hæreditate contigerit, quid faciendum docebimus. Dicebant enim maiores noſtri non malum agrum, ſed malum colonum reperiri. Immò id innuentes in hieroglyphicis Cybeleio currui duos leones domitos adiunxere hac conſideratione, vt leo terræ ſymbolum eſſet, quum genus id animalium in longinquis, & à nobis remotiſſimis regionibus inueniatur: nullam enim dicunt eſſe terræ partem tam remotam, quæ coli, ſubigíque non poſſit. Conſiderandus ergo eſt ſylueſtris & incultus, ſiccúsne ſit, an humidus, nemoroſus ſtirpibus, an ſaxis confragoſus, iuncóne ſit an gramine veſtitus, aut filicibus, alíisve frutetis impeditus. Si humor redũdarit, vligo ea exiccanda, nemoroſi, frutetoſiq; tractus, extirpandæ radicitus arbores: aut quũ ſucciſæ fuerint, incendendæ, dein arandæ. Saxoſus lapidibus expediendus eſt. Iunci & graminis pernicies repaſtinatione frequenti internecanda, filix aſſiduè extirpanda, feruntq; filicem ſationibus, & ſtercoratione interimi, vt ſubinde naſcens ſuccidatur, intra biennium; ſic eius viuacitas abſumitur. ex Columella. Plinio hæc diſplicent: ait enim. Terram terra emendari (vt aliqui præcipiunt) ſuper tenuem pingui iniecta, aut gracili, bibulaque ſuper humidam, ac præpinguem, dementia operæ eſt. Quid enim poteſt ſperare qui talia colit? Si ager ad cultum ſeu ſiccitate, vel aquarum nimietate & moleſtia aptus nequicquam ſit: hoc pacto emendabimus. Vineam in prato, & humecto loco facies ſic. Infodies ab oriẽte in occaſum lineis directis & æquidiſtantibus foueas, quàm maximè id liceat profundas, latas pedes nouem, diſtantes inter ſe pedes quindecim, & quam exemeris ex foſſa tellurem accumulabis in area interualli, vt accliuitate meridianum excipiat ſolem. Iſtiuſmodi colliculis factis manu, vitis tutior & feracior. Contrà in colle ſicco pratum facies ſic. Foſſam oblongam non decurſoriam, ſed ſtagnantem in parte ſuperiore facies, margine ad libellã collibrato, & coæquabili, in eã deriuabis aquam ex proximis fontibus, & ſuperfluens à latere continua parilitate ſubſtitutum corrigabit agrum. In campeſtri Veronenſi ſaxis rotundis referto, nudo, & penitus infœcundo, crebra effecere irrigatione, vt cutis obduceretur ceſpiticea, & pratum excreuit lætiſſimum.

De aqua villæ eligenda. CAP. XVII.

DIXIMVS de aëre & terra, ſequitur tractatio de aquis, non minus cæteris neceſſaria. Referemus prius quæ à maioribus relata ſunt, mox noſtra ſubnectemus. M. Varro in villa exædificanda hoc potiſſimum quęrit, vt intra

septa villæ habeat aquam, si non quamproximè. Primùm quæ ibi sit nata. Secundùm, quæ influat perennis. Si omnino aqua non est viua, cisternæ faciundæ sub tectis, & lacus sub dio: ex altero loco vt homines, ex altero vt pecus vti possit. Columella iubet maximè probatam haberi aquam, sine qua nemo nostrum vel prosperæ, vel aduersæ valetudinis vitam proroget. Quæ sit vel intra villam, vel extrinsecus inductus fons perennis. Si deerit fluens, putealis quæratur in vicino, quæ non sit haustus profundi, non amari, aut salsi saporis. Si hæc quoque defecerint, vastæ cisternæ hominibus, piscinæ pecoribus instruantur, colligendæ aqua pluuiali, quæ salubritati corporis est accommodatissima. Huic proxima fluens aqua è montibus oriunda, si per saxa præceps deuoluitur. Tertia putealis, vel collina, vel quæ non infima valle reperitur. Deterrima palustris, quæ pigro lapsu repit. Pestilens, quæ in palude consistit. Hic tandem humor quamuis nocentis naturæ, temporibus tamen hyemis, edomitus imbribus mitescit, ex quo cœlestis aqua maximè salubris intelligitur. Plinius ab Hippocrate, & aliis, stagnantes, pigrasque damnat, vtiliores quæ profluunt existimat, cursu enim procursuque ipso extenuari, atque proficere: eoque miratur cisternarum ab aliquibus maximè probari, rationem afferentibus, quòd leuissima sit imbrium aqua, vt quæ subire potuerit, & pendêre in aëre. ideoque & niues præferunt imbribus, niuibusque etiam glaciem, velut ad infinitum coacta subtilitate. Leuiora enim hæc esse, & glaciem multò aqua leuiorem, quorum sententias refellit. In primis leuitas illa deprehendi aliter, quàm sensu vix potest, nullo pene momento ponderis aquis inter se distantibus. Nec leuitatis in pluuia aqua, argumentum est subisse eam in cœlum, quum etiam lapides subire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ, quo fit, vt pluuiæ aquæ sordium inesse plurimum sentiatur, citissimeque ideo calefiat aqua pluuia. Niuem quidem, glaciemque subtilissimum elementi eius videri miror, apposito grandinum argumento, è quibus pestilentissimum potum esse conuenit. Nec verò pauci inter ipsos è contrario ex gelu, ac niuibus insaluberrimos potus prædicant, quoniam exuctum sit inde, quod tenuissimum fuit. Minui certè liquorem omnem congelatione deprehenditur, & rore nimio scabiem fieri, pruina vredinem, cognatis ex niuis causis. Pluuias quidem aquas celerrimè putrescere conuenit, minimeque durare in nauigatione. Epigenes autem aquam, quæ septies putrefacta, purgata sit, perhibet amplius non putrescere: nam cisternas Medici etiam confitentur inutiles, aluo duritias facientes, faucibusque: etiam limi non aliis inesse plus, aut animalium, quæ faciunt tædium, confitendum habent. Nec statim amnium vtilissimas esse, sicuti nec torrentium vllius, lacusque plurimos salubres maximè. Limus aquarum vitium est, si tamen idem amnis anguillis scateat, salubritatis indicium habetur, sicuti frigoris, tineas in fonte gigni. Aquam salubrem aëri quamsimillimam esse oportet, cuius sapor odórve nullus esse debet. Quidam statera iudicant de salubritate, frustrante diligentia,

gentia,

gentia, quando perraratum est, vt leuior sit aqua. Inter pares melior quæ calefit, refrigeraturque celerius: quin exhaustam vasis ne manus pendeant, depositisq; in humum tepescere affirmant. Ex Rufo. Potabilium aquarum quinque sunt differentiæ, pluuia vel cisternina, fontana, putealis, fluuialis, & palustris: quarum pluuia leuissima, facillimeque mutabilis perhibetur: multis languoribus optima, quòd statim euadat. Fontanarum quę fontes ad septentrionem è saxis stillantes scaturiunt à Sole auersi, duri, & tardi motus inuehunt aquas, tardius incalescunt, & refrigerantur: quæ verò ad orientem emanat, per angustias, vel puram terram dilabitur, calescit, & frigescit celerrimè: optima esset, nisi conductibus fieret deterior. Putealis frigida difficulter excernitur. Fluuialis difficulter operatur, arefaciendo, præcipuè quum per mala diffluit loca. Præstant quæ perennibus fontibus fluunt, & aliis nō ammiscētur fluuiis. Palustris omnino mala, præter Niliacam, quia cœnosa, lutosa & grauis est, ob statum, moramque est tanquam mortua, & putrida. Quæ cito coquit edulia, etiam in ventre alios cibos coquit. Quæ crassitudinem, pondusque obtinet, & subsidet, & facile coit, calculosa est. Aqua quæ difficulter penetrat, difficulter coquibilis. Ex Athenæo hæc excerpsimus. Homerus aquas, quæ è saxis scaturiunt, insalubres vocat. Fontanam, quæ per longa terrarum spatia fertilium deducitur, bonitate cæteras antecellere dixit Hesiodus. Quæ fluit è Pangæi fodinis, cotyla nonaginta sex drachmas hyeme pendet, æstate sexaginta sex. Spissat enim & cōtrahit magis illā frigus, quàm cæteras: quapropter in horarum indicibus quum fluit, horas nō reddit certas, & pares æstiuis, sed inæquales, exitu ob crassitiē tardiore. Diophanes dicit. Præ omnibus aquarum curam habere oportet, non solùm propter aquæ fructum, sed etiam quòd temperatissimum aërem faciat, ficcitatibus obortis. Fortunatum est igitur valdè, fontanam aquam habere, quæ si desit, pluuiales colligantur in nostrum, totiusque familiæ vsum sufficientes, non velut quidam facere solent in stabulum, vbi pecus ouillum & reliqua animalia stercoribus locos cortis, ac stabulorum replent, sed in domibus in quibus etiam diligenter easdem purgare, & assiduè oportet. Puram verò aquam in puteos per ligneos canalium ductus conuehere. Palladius ex his aquæ salubritatem cognoscere docet. Primùm ne à lacunis, aut palude ducatur, ne de metallis originem ducat, sed sit perspicui coloris, neq; vllo aut sapore, aut odore vitietur, nullus illi limus insidat, frigus tepore suo mulceat, æstatis incendia frigore moderetur. Sed quia solet occultiorem noxam tectior seruare natura, ipsam quoque incolarum salubritate noscamus. Si fauces bibētium puræ sint, si saluo capite, in pulmonibus, ac thorace, aut nulla est, aut rara causatio: nam plerunque has noxas corporis ad inferiorem partem, quæ supra sunt, corrupta demittunt, vt vitiato capite ad pulmones, vel stomachum morbi causa decurrat: tunc culpandus aër potius inuenitur. Deinde si venter, intestina, vel latera, vel renes nullo dolore, aut inflatione vexētur. Si vitia nulla vesicæ sunt. Hæc & his simi-

lia, si apud incolas pro maiori parte constare videris, de aquis aliquid ne suspiceris. Nos illam dicemus sapore optimam, quæ saporem habet nullum, & colore commodissimam, quæ omni sit colore penitus vacua, quæ lympida, pellucida, & tenuis, quæ in candidum linteum infusa, non commacularit, quæ feruefacta fæcem non dimiserit, quæ muscosum alueum, quo perfluat, & præsertim saxa coinquinata non reddiderit. Ex optima aqua multæ commoditates exoriuntur. Indiam inquit Diodorus multa ex parte habere homines proceros, & validos, ingenioq; præditos acri, quòd saluberrimas aquas bibant. Est animantibus aqua, veluti caloris pabulum, vitaq; alimentum, sic plantarum, cæterorumq; quibus mortales vtuntur. Vnde quæ in terris crescunt, & adolescunt omnia, si aquam ademeris, fore, vt futura sint nulla.

De hydrophantica. CAP. XVIII.

SED si regio aquis careat, oportet eam, vbi sit, inuestigare, vt puteos excauemus: nos hydrophanticam docebimus, sic enim Græci vocant artem aquam inuestigandi; eamq; ex Democriti scriptis colligemus. Campi, & planiries, vt plurimum, aquis carent, & maiores magis minoribus, & si in eis reperiuntur, plerunque salsæ sunt. Naturalis causa est. Solent semper quod tenuissimum, ac leuissimum est attrahere, quare quum campos per totam diem Sol occupet, humorem ex ipsis emulgere, & in vaporem dissoluere: vnde sæpe cõtingit, vt aquis careant: nam si aliquid relinquitur, salsum reperitur, quemadmodũ & in mari euenit. Ex montibus plerosq; aquosos esse, & imas ipsorũ partes humidiores, quàm summas, & densas, & vmbrosas magis humidas esse, quàm nudas. Aquæ montanæ nõ salsæ, quum non per totã diem Sole exurantur, & obliquè non rectè feriat, vnde montes, qui ad septentrionẽ declinant, aquosiores pronũciant ad Meridiem inclinatis, & eos, qui ad orientẽ, & occidentẽ minus quidẽ aquosos, quàm qui ad septentrionẽ vergunt, at plus quàm vergentes ad Meridiem. Et densos arboribus plus aquosos, quàm nudos, propterea quod arborũ densitate adumbrentur. Imæ montiũ partes aquosæ sunt, ob id quod aquarum naturæ est ad infernam partem deferri, & quod quæ in altis sunt, ad humiles cõgerentur, & plures fontes reperiuntur, in quibus magni montes semper incumbunt, alti, ac densi, concauos & conualles locos habentes. In talibus enim imbres per annum collectos, & per terram excolatos ipsos fontes augent. Quasdam verò aquas circa has imas montium partes non apparere, verùm vbi intra terram aliquatenus subductæ cursum perfecerint, tum demum in apertum prodire. Quædam verò in mare per terram in venis productæ ad multum loci spatium scaturiunt, qualis fons in Arado, & Heraclia Ponti. Quemadmodum enim in animatis corporibus totum corpus venis, & arteriis interstinctum est, sic etiam in terra aquas habentes, vel inter se implexas, vel rariores, quas sæpissimè offendunt puteorum fossores. Quapropter fontes maximè augeri circa solstitium hybernum, Sole quidem nõ similiter

liter vrgente, imbribus augescentibus: sub æstiuum verò solstitium, & Canis exortum contrarium accidere. Sed Aquileges ex signis tùm soli, tùm terris nascentium, aquas subterraneas, & latentes vestigant, ex iuncis, butomo, rubis, cypero, gramine pingui, † arundine, malacocisso, cucumere syluestri, hippuri, quinquefolio, & batrachio: vel heliotropio, calamintha, callitricho, meliloto, oxilapatho, sanguinali, solano, stratiore, chamæleuce (bechion vocat Plinius) chamæleone: & vbi plures herbæ densæ, & virides, agnus castus, coniza, trifolium. Plinius his addit potamogeton. Quin & vbi ipsarum aspectus marcidus apparet, propius pauimento aquas indicant inualidas, & non permanentes, quæ verò luxuriantis aspectus & viuidiores, aquas subesse altissimas & durabiles. Nunc soli genera dicamus, quæ aquas habent. Argillosi, & pumicosi generis, & squallente fluxu prædita omnino aquosa. De glutinosis, lutosis, nigra terra, pingui, & calculosa desperandum. Sed vestigator hoc modo scrutabitur aquas ex Democrito. Habeat vasculum plumbeum semisphæricum, congij capacitate, accipiatque lanæ floccos molles duos, aut tres lotos, & probè carptos, eosque lino obliget; ipsum verò lini filum, intra vas ad fundum eius cum cera cõglutinet. Sed & oleo vas illinatur, & in loco, vbi aquam speramus, coniectura facta, puteus effodiatur altitudine trium cubitorum, in quo inuersum vas ponatur, & circumpositis harundinum foliis, rursus ad cubiti mensuram terra aggeratur; id ipsum Sole occidente faciendum. manè terra auferatur, & herbis amotis, vas subuertatur, & consideret, si fuerint fontes lanam aqua plenam reperiet, & vasculum bullarum plenum. Aquæ qualitatem cognosces, si lanam ipsam gustaueris. Quod si multa erit humiditas, vt lachrymæ distillent, propè aquam sperato, si autem humiditas simpliciter apparuerit, adest quidem aqua, sed in alto: si nullum horum signorum apparebit, idem periculum in alio, atque alio loco facere oportebit, consideratione habita, ne disparatos locos tentemus. Alio modo etiam cognoscere docet, vbi subsit aqua. In altiorem locum progrediuntur, & priusquam aër albescat, primum Solis radium obseruant, & si quid nebulosum in ipsum adtrahi, antequam rarescat, appareat, aquam expectare conuenit. Obseruabis etiam in primo Solis splendore culices sursum in directum volantes, seq; ad trabis similitudinem contorquentes: nam hi aquam portendunt. Insuper ex altiore loco animaduersionem habere: æstate in meridie, quando aër purus, & terra siccissima erit, tunc in aquosis locis vapor sursum eleuatur, & paruæ nebulæ similitudine, hyeme verò suffumigationem quandam & halitum eiusmodi locus remittit, similem eis, qui ex fluminibus, stagnis, & puteis efferuntur. Plinius alia addit. Aquarum sunt notæ iuncus, harundo, aut herba, de qua dictum est, multumque alicui loco pectore incubans rana. Salix enim erratica, & alnus, aut vitex, aut hedera spontè proueniunt. Certior multò nebulosa exhalatio, ante Solis ortum longius intuentibus, quod ex edito quidã speculantur, proni terram mento attingente. Est & peculiaris æstimatio, peritis tantum nota,

† calamo Indico,

quam feruentissimo æstu sequuntur, dieiq; horis ardentissimis, qualis ex quoque loco repercussus splendeat. Nam si terra sitiente humidior est ille, indubitata spes promittitur; sed tanta intentione oculorum opus est, vt indolescant, quòd fugiẽtes ad alia experimenta decurrũt. Loco in altitudinẽ pedum quinque defosso, ollisque è figlino opere crudis, aut peruncta pelui ęrea cooperto, lucernaque ardente cõcamerata frondibus, dein terra. Si figlinum humidum ruptúmve, aut in ære sudor, vel lucerna sine defectu olei restincta, aut etiam vellus lanę madidũ reperiatur, nõ dubiè promittũt aquas. Quidã & igne prius excoquunt locum, tanto efficaciore vasorum argumẽto. Terra ipsa promittit candicantibus maculis, aut tota glauci coloris. In nigra enim scaturigines non sunt perennes. Figulari creta semper adimitur spes. Aqua semper dulcis in argillosa terra, frigidior in topho: dulces enim leuesq; facit, & colando cõtinet sordes. Sabulum exiles limosasque promittit. Glarea incertas venas, sed boni saporis. Sabulum masculum, & arena carbunculosa, certas stabilesque & salubres. Rubra saxa optimas, & spei certissimæ. Radices montium saxosæ, & silex, hoc amplius rigentes. Hæc Plinius ex Vitruuio, & Palladius.

Quæ in aquarum electione fugiendæ. CAP. XIX.

RESTAT fugiendarum aquarum exponamus signa. Columella deterrimam palustrem dicit, quæ pigro lapsu repit. Pestilens, quę in palude semper consistit. Plinius. Ante omnia damnantur amaræ, & quæ scrobem statim implent. Damnantur fontes, qui cœnum faciunt, quique malum colorem bibentibus: refert &, si vasa ære inficiunt, aut si legumina tardè percoquunt, si liquatæ leniter terram relinquunt, decoctæq; crassis obducunt vasa crustis. Est etiamnũ vitium nõ fœtidæ modo, verùm omnino quicquã resipientis. Athenæus. Quæ gelidior, durior, & ad staterã grauior aqua est, ob eandẽ rationem deterior: nempe quia propter nimiam frigiditatẽ, & multam quam habet terrenã crassitiem, laboriosius à ventriculo conficitur. Aqua gelida, quoniã magis terrena durior est: nam quæ corpulẽtior, calefacta calidior, refrigerata frigidior est. Sed aqua si quid viscosi, mucidi, crudive in se admistũ habet, bibentes gutturosos, & calculosos reddit. Extat Hippocratis sententia: aquam non depuratam, sed grauẽ, & indecenti sapore bibentes, ęstuosi, & temulenti fient, & cætera corporis membra, cubiti, spatulæ, facies, reddẽtur penitus extenuata, & gracilia, & vitio splenis male concreto sanguine, in morbos incident varios & pestilentes, æstate profluuio ventris, fluente bile, & dissolutis humoribus deficient, tum aqua intercute, pręcordiũ angustia, & laterum anxietatibus laborabunt. Iuniores atra bile insanient, senes humorum incendio flagrabunt, fœminæ ægrè concipient, & perquàm difficiles partus enitentur. Omnis deniq; ætas, & sexus morte immatura intempestiuè cadet, acta atq; absumpta morbis, & dies istorũ erunt semper tristes, & coinquinati malis humoribus, atq; omni perturbationum genere vexati, & animo exagitati erunt in mœrore, & tristitia. Cœlestes aquas interest, quo tempore, qua hora, quo vento flante colle-

geris, quóve loco asseruentur. Aquas post brumā grauiores putant, quæ per æstatē colliguntur minus dulces quàm quæ per hyemē. Primæ post Caniculam pluuiæ amaræ & pestilentes sunt: adustis enim terræ mistionibus inficiuntur, & terrā quidem ob eam rem sapere amaritudinē, quòd solibus adusta sit. hinc est quòd è tectis delapsam, quàm è terra collectā salubriorē putant. Pœni philosophi inquiunt pluuiā per æstatem cum tonitru collapsam impurā, & salsedine nocuam. Nocturnū imbrem præstare diurno Theophrastus dicit, & salubriorem eum, qui flante Aquilone ceciderit. Pluuiam aquam probant, quæ purissimis è locis euaporata sit: nam plerunq; senties fœtentem, atq; fortassis amarā ex loci infectione, vnde primùm is sudor euaporarit. Excoctę Sole aquę salinosę & lentosæ fiunt. Stagnantium pessimam dicunt, quæ sanguisugas alat, quæ tela superinducta pigruerit, quæ fœtore nauseam cierit, quæ colore atro & liuenti, quæ spissitudinem in vase multam asseruet, quæ mucosa grauitate lentescat, quæ si manus ea laueris, tardè siccescat.

Aquarum vitia quomodo emendentur. CAP. XX.

NARRAT Plinius: Nitrosas atq; Salmacidas, in desertis mare rubrū petētes, addita polēta, vtiles intra duas horas faciunt, ipsaq; vescuntur polenta. Neronis Principis inuentum est, decoquere aquā vitroq; demissam in niues refrigerare: ita voluptas frigoris cōtingit sine vitiis niuis. Omnem vtiq; decoctam vtiliorē esse cōuenit, item calefactā magis refrigerari subtilissimo inuento. Vitiosæ aquę remediū est, si decoquatur ad dimidias partes. Paxami hęc sunt remedia. Aquarum amaritudinē corallio contuso iniecto emendabimus, aut ordeum cōtusum, & linteolo illigatum in aquas ponimus. Hirudines perdunt anguillæ, & cancri fluuiales aquis iniecti. Aqua nitrosa sic curanda ex Diophane. Infundatur in dolia, & sub diuū exponatur, donec resederit, & leniter in alia vasa diffundatur, relicta fæce subsidente. Florētinus. Si verò & aqua nō sit bona, neq; potabilis, sed morbosa, coquatur donec decima ipsius pars insumatur: deinde refrigeretur, atque ita innoxia erit. Sic enim & marina aqua decocta dulcis redditur. Ne cisterninæ aquæ putrescant, hæc sunt adinuenta remedia. Sunt qui putent vitreum vas plenum sale si bene obturaueris calce subacta oleo, ne quid aquæ in vas penetret, idque immiseris vt medias inter aquas cisternæ pendeat, fore vt aquæ illic nulla putrescant mora. Addunt aliqui etiam argentum viuū. Nonnulli putant, si vas nouum fictile acri plenum aceto, vt diximus, bene obturatum immiseris, mucosam ocyus aquam instaurari. Pisces enim aquæ mucore, terræque vligine, ali, atque depasci arbitrantur: ob id in puteum, cisternamque pisciculis iniectis reddi aquam purgatiorem. Quæ putrescere cœpit aqua, vehementer subagitata, iterum atq; iterum translata, & cōmota fœtorem amittet. Quum incidisset, inquit Iosephus, in aridū locum Moyses, & nō adesset alia nisi puteus amaræ aquæ, & sordidæ, iussit exhauriri, id quū fecisset miles excussione, exagitationeq; istiusmodi, potabilis reddita est. Marina aqua, inquit Solinus, argilla si percoletur, dulcescit:

& salem adimi compertum est, vbi tenui torrentis arena iterum, atque iterum coletur. Vas fictile benè occlusum si habueris immersum mari implebitur dulci. Vbi turbulentam Nili fluminis aquam posuere. Si quid supra limbum, & marginem aquæ amygdalam perfricaueris, è vestigio clarescet.

Reliqua, quæ ad perfectum fundi solum eligendum valde conducunt. CAP. XXI.

ALIA quoque villæ sunt ad eligendum solum necessaria. Xenophon putat cultum agrum nõ esse emendum, quòd bene cultus ager magno veniret, ac minimi esset reditus, sic nec vllo modo similem præberet voluptatem, atq; ille, in quo spes sit, vt cultu melior effici possit, scilicet qui ob domini sui negligentiam, siue tenuitatem incultus esset. Varro dicebat. Alia in ipsa villà sunt, vt cœlum, solum, alia extra, sed valdè ad villam necessaria. Primum ne sit vicina regio infesta: multos enim agros colere non expedit, propter latrocinia vicinorum. Secundum, quæ vicinitatis inuectos habeat necessarios, vt quæ ibi nascuntur, ibi vendãt, & illinc inuectos opportunos ad ea, quæ in fundo opus sunt. Multi sunt habentes prædia, quibus frumentum, aut vinum, aliúdve quid desit importandum: contra non pauci, quibus aliquid sit exportandum. Tertio eundem fundum fructuosiorem faciunt vecturæ, si viæ sunt, qua plaustra agi facilè possint, aut flumina propinqua, quà nauigari possit, quibus vtrisque rebus euehi, atq; inuehi ad multa prædia scimus. Quarto refert ad fructus quemadmodum vicinus in confinio consitum agrum habeat: si enim ad limitem quercetum habet, non possis rectè secundum eam syluam serere oleam. Sic iuglandes magnæ, crebræ finitimæ, fundi oram faciunt sterilem. Columella à Varrone, & aliis excipiens, aliqua addit, reliquis non minus intuenda, aquam, viam, vicinum. De aqua diximus. De via, multùm conferre agris iter commodum. Primò quia domini præsentia assidua, qui libentius commeaturus sit, si viæ vexationem non reformidet; seruos quoque, qui sequuturi patremfamilias sint, non ægrè iter pedibus ingredi. Deinde ad vehenda, & exportanda vtensilia, quæ res frugibus auget pretium, & minuit impensas inuectarum rerum. Vicini incommoditas non quidem certa, nam mors, aliæve causæ mutare solent, vnde sunt, qui Catonis sententiã damnent. Sed is non errat: nam sicut sapientis est casus magno animo sustinere, ita dementis est ipsum sibi malam fortunam facere, quod facit, qui malum vicinum suis nummis parat. Et prouerbio fertur, Aliquid mali propter vicinum malum; sed multi prætulere carere penatibus, & propter iniurias vicinorum, sedes suas profugerunt, Achæos dico, Hiberos, Alanos quoque, nec minus Siculos, Pelasgos, Aborigines, & Arcadas, & priuatos in regionibus quibusdam, vt Autolicum, Caccum, detestabiles vicinos fuisse memoria tradidit. Traditque idem Columella vicinum suum, à se non nominari, qui nec inuiolatum seminarium, nec pedamenti quicquam adnexum vineæ, nec pecudes pasci negligen-

Plautus in Mercatore.

gligen-

gligentius sinebat, ob id talem pestem vitandam censet. Ad cætera præcepta illud adiecit μέτρον ἄριστον, rebus omnibus adhibendum modum, mensuramque. idq; non solùm aliud acturis, sed & agrum paraturis dictum intelligatur, ne maiorem, quàm ratio calculorum patiatur, emere velit. Virgilius.

—— laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Pœni dicere solent imbecilliorem agrum, quàm agri colonum esse debere, quoniam quum sit colluctandũ cum eo, si fundus præualet, allidi dominum. Nec dubium quin minus reddat laxus ager non rectè cultus, quàm angustus eximiè. Tantum ergo obtinendum est, quantum est opus, vt emisse videamur quo potiremur, non quo ipsi oneremur. Non rectè est possidere velle, si colere non possis. Modum agri in primis seruandum antiqui putauere, quippe censebant, inquit Plinius, satius esse minus serere, & melius arare. Apud Xenophontem habetur: ad villam eundum exercitij causa, redeundum equo: ergo villa non remota penitus ab vrbe: sitque via non difficilis, sed hybernis, æstiuisque itionibus, & subuectionibus apta, seu pedibus, seu reda ire lubet. Villamq; habere condecet, qua matutini radij oculis proficiscentium non sint infesti, & vespertini soles domi redeuntes non molestent.

De rusticorum ædificiorum situ. CAP. XXII.

PRIVSQVAM ad rusticas domos constituendas descendamus, patrisfamilias, rustici, aliorumq; operæpretium erit, de earum situ aliqua præfari. Cato iubet prima adolescentia patremfamiliæ agrum statim conserere studere, ædificare diu cogitare: quare conserere cogitare non oportet, sed facere. Vbi ætas accessit ad annos triginta sex, tum ædificare oportet, si agrum cõsitum habeat. tùm ita ædificet, ne villa fundum quęrat, néve fundus villam. Patrem familiæ villam rusticam benè ædificatam habere expedit, vt dicemus. M. Varro potissimum sub radicibus montis syluestris villam ponit, vbi pastiones laxæ sint, ita vt contra ventos, qui saluberrimi in agro flabunt, posita sit. Ad exortus æquinoctiales aptissima, quod æstate habeat vmbram, hyeme Solem. Sin cogare secundum flumen ædificare, curandum ne aduersum eum ponas, hyeme enim fit vehementer frigida, & æstate non salubris. Aduertendum etiam si qua erunt loca palustria, & propter easdem causas, & quod arescunt, & quod in iis crescunt animalia quædam minuta, quæ non possunt oculi consequi, & per aëra intus in corpus per os, & nares perueniunt, atque efficiunt difficiles morbos. Nec in eas partes spectet villa, ex quibus ventus grauior afflare soleat, néve in conualle caua, & vt potius in sublimi loco ædificet, qui, quod perflatur, si quod est, quod aduersarium inferatur, faciliùs discutitur. Præterea quod à Sole toto die illustretur, salubrior est, quod & bestiolæ si quæ propè nascuntur, & inferuntur, aut efflantur, aut aritudine cito pereũt. Nimbi repentini, & fluuij, & torrentes, periculosi illis, qui in humilibus, aut

cauis locis ædificia habent, & repentinæ prædonum manus, quòd improuisos facilius opprimere possunt. Columella his sua addit commenta. Villæ domus in editiori situ superponatur, vt à tergo potius, quàm præ se flumen habeat, & vt ædificij frons auersa sit ab infestis eius regionis ventis, & amicissimis aduersa: quum pleriq; amnes æstate vaporantes, hyeme frigidis nebulis caligent, quæ nisi vi maiore inspirantium ventorũ summoueantur, pecudibus, hominibusq; conferunt pestem. In salutaribus igitur locis ad orientem, vel ad Meridiem, grauibus ad septentrionem villa conuertitur, eademque semper mare rectè conspicit, quum pulsatur, aut fluctu respergitur, nunquam ex ripa, sed paulum summota à littore. Nam præstat à mari longo potius interuallo, quàm breui refugisse, quia media sunt spatia grauioris halitus. Nec paludem vicinam esse oportet ædificiis, nec iunctam militarem viam, quòd illa caloribus, noxium virus eructat, & infestis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos densissimis examinibus inuolant, tum etiam natricum, serpentumque pestes, hyberna destitutas vligine, cœno, & fermentata colluuie venenatas emittit, ex quibus sæpè contrahuntur cæci morbi, quorum causas ne Medici quidem perspicere queunt; sed & anni toto tempore situs, atque humor instrumentum rusticum supellectilemque, & inconditos, conditosque fructus corrumpit. Hæc autem prætereuntium viatorum populationibus, & assiduis diuertentium hospitiis, infestat rem familiarẽ. propter quæ censeo eiusmodi vitare incommoda, villamque editiore situ condere, vt frons eius ad orientem æquinoctialem directa sit: nam temperatum libramentum hyemalium ventorum, & æstiuorum tenet, quantoq; fuerit ædificij solum pronius orienti, tanto & æstate liberius capere perflatus, & hyemis procellis minus infestari, & matutino regelari ortu poterit, vt cõcreti rores liquescant, quoniam ferè pestilens habetur, quod & remotum, ac sinistrum Soli, & apricis flatibus. Palladius enim postulat in loco fieri aliquanto editiore, & sicciore, & propter iniuriam fundamentorum, & vt læto fruatur aspectu. Sed totius fabricæ tractus vnius lateris longitudine, in quo frons erit, meridianam partem respiciat, in primo angulo excipiens ortum Solis hyberni, & paululum ab occidente auertatur hyemali. ita proueniet, vt per hyemem Sole illustretur, & calores eius æstate non sentiat. Didymus etiam necessarium autumat in altioribus locis ædificare. ad sanitatem enim, & speculationem, & regionis collustrationem hîc locus aptissimus existit. Cæterum tota figura domus ad orientes extruenda est, itemque fores: venti enim ex orientis partibus spirantes, saluberrimi sunt, & Solis calor citius irrumpens attenuat, & dissipat omnem aëris crassitudinem, ac caliginem. Nec verò humiles domos, aut arctas facere oportet, sed spatiosas, & amplas, & altas. Quidam ad Meridiem domum extruere consulunt, vtpote plurimum Solem diutissimè habentes, verùm ipse ad orientem pronunciat, propterea quod Auster à Meridie spirans humidus & inæqualis morbosissimus existit. Sed mihi non videtur vbique locorum ædificandam

dam

dam villam, vt æquinoctium orientem Solem ſpectet; nam iſta, quæ de ſolibus & aura feruntur, pro regionum ſorte mutari in promptu eſt, vt non ſemper Aquilo lenis, nec Auſter vbique inſalubris. Perdoctè quidem Celſus omnes ventos aſſerebat, qui à mari caderent, eſſe denſiores, qui autem à mediterraneis veniant, nunquã non eſſe leniores. Et vitandas ventorum gratia primas valliũ fauces cẽſeo: nam illic venti nimiũ frigentes ſunt, ſi per vmbrã veniunt, aut minus æſtuoſi, vbi per conſtratum, & colluſtratũ ab multo Sole applicent.

De ruſtica vrbana patrisfamilias domo. Cap. XXIII.

QVONIAM antiquos agricolas in ruſticæ domus conſtitutione varios, & diſcordes video, ac ſatis inperſpicuè nõ ſolùm domum, ſed eius membra deſcripſere: nec minus recentiores aliqui architecti falluntur, hi quia ruſtica nõ intelligunt, illi non vrbana: nos igitur ex ſententia villicam vrbanã domum deſcribemus. Diximus villam hominibus, animalibus, & inſtrumentis indigere, aliisq; neceſſariis, & homines diuidi in patremfamilias, villicũ, & ſeruos, ob id primo patrisfamilias domum conſtruemus, ſiue ruſticam vrbanam, mox ruſticam, in qua villicus & operarij ſe recipient, tertio inſtrumentorum, & rerum neceſſariarũ, vt torcularia vini, & olei, aliorumque Columella vnam vrbanam, alteram ruſticam, tertiam fructuariam vocat, nos de ſingulis peculiariter loquemur. Idem ait. Vrbana domus in hyberna, & æſtiua ſic digeratur, vt ſpectent hyemalis temporis cubicula brumalem orientem; cœnationes occidentem æquinoctialem. Rurſus æſtiua cubicula ſpectent meridiem æquinoctialem, ſed cœnationes eiuſdem temporis proſpectent hybernum orientem. Balnearia occidenti æſtiuo aduertantur, vt ſint poſt meridiem, & vſq; in veſperũ illuſtria. Ambulationes Meridiano æquinoctiali ſubiectæ ſint, vt & hyeme plurimũ ſolis, & æſtate minimũ recipiant. Xenophon: Non tam varietate ædificiorũ, atq; ornatu illuſtretur, quàm vtili ſupellectili ac habitantibus neceſſaria, cuius gratia facta eſt. Palladius. Ædificium pro agri merito, & domini fortuna oportet inſtitui, quod plerunque immodicè ſumptum, difficilius eſt ſuſtinere, quàm condere. Ita igitur æſtimanda eſt eius magnitudo, vt ſi aliquis caſus incurrerit ex agro, in quo eſt, vnius anni, aut vt multũ biennij penſione reparetur. Forma tamen eiuſmodi vt ad habitationẽ breuiter collectas, & æſtati, & hyemi præbeat manſiones. Quæ hyemi parantur, ita ſint conſtitutæ, vt poſſit eas hyberni Solis totus propemodum curſus hilarare. Sed ſi æſtiuæ manſiones ſunt, orientem ſolſtitialem, & partem ſeptentrionis aſpiciant. Didymus. Balnea facere oportet, vt non ad Boream, & ſeptentrionem aſpectum vertant, ſed ad occaſum hybernum, aut meridiem. Sint autem ampla, & purum aërem ſuſcipientia. Etenim ſterquiliniis, & cœno fœtentibus locis in vicinia non exiſtentibus purus aër ingreditur. Fornaces in his eſſe debent ad terram formatæ, introſpectantes, inclinatæ, deorſum tendentes, vt cõiecta in ipſas ligna intro procedant, neque exitum habeant, verùm flammæ

intus delitescens, multam calliditatem cellæ, ac vasis de se præbeat. Hæc antiquorum doctrina est. Sed ego vellem œconomi domum animi gratia cõstructam, rusticam verò emolumenti. Herilis altera æstiua, altera hyberna. Cubicula hyemis spectent brumalem orientem, cœnatio occidentem æquinoctialem, cubicula æstiua Meridiem, cœnatio hybernum occidentem, ambulatio ad meridianum æquinoctium exposita sit: & sic pro cœli, regionisque constitutione alibi, atque alibi aliter habenda censeo, quoad frigida calidis, & vda siccis contemperentur. Occupet tectum non feracem agri locum, sed alioquin dignissimum, inde omnis auræ, solis aspectusque commoditas, & voluptas capiatur. Venientem hospitem honestissimis excipiet spatiis, spectabitur, spectabitq; vrbem, oppida, mare, fusamq; planitiem, colliũ & montium prospectum, hortorum delitias, piscationum, venationumq; illecebras in oculis expositas habeat. Tuis non desint ambulationes porticis, quibus ad gratos per brumam soles senes confabulentur, & familia diem agat festum, æstate fruatur vmbra. Primaria ædis pars atrium est, proximè cœnacula, subinde singulorum cubilia, postremo conclauia. In atrium cætera membra, velut in forum publicum ædis confluant, ex quo non aditus modo, sed luminum etiam commoditas importetur, cuius spatium amplum, apertum, & dignum. Et voluerunt alibi tecto opertum, alibi sub dio, alibi partim apertum, partim nudum, alibi vno latere, alibi pluribus, alibi lateribus porticum adiunxere. In eo cõmoditatis gratia adhibeatur, vt frigenti regione acerbitas Boreæ, in æstuosa plaga molesti soles excludantur, cœli gratissimus spiritus admittatur, & lucis iucundissimæ copia vndique influat: patebitque in medio ipsius vestibulum, & aditus non arduus, nõ obscurus, non arctus. Porticum veteres ad Meridiem ponendum censuere, quod æstate Sol sublimiore ambiens cyclo non immittat radios, hyeme submittat. Æstiuis cœnaculis aquam in primis, & hortorum viridia exposcunt, hybernis teporem, & focum. In vtrisque amplitudo, hilaritas, & lautities optatur. Cœnaculis adiunctæ sint coquina, & cella obsonaria, vbi reliquias cœnæ, vasa, & mantilia referantur. Coquina nõ tam longè semouenda, vt quæ calida conuiuis exiguntur, inter portandum refrigescant, nec tam propè, vt patellarum, & cortinarum odor, & strepitus exaudiatur. Conclaui puellæ & coniuges contineantur. Sed hæc pro rustica vrbana domo sat sint. aliam reperies à Plinio nepote descriptam.

De rustici domo, seruorum, & animalium. Cap. XXIIII.

Diximus de herili domo, nunc ad rusticam transeamus, quam nõ longè ab herili esse oportet, vt quæ quisque agat, & quæ facto opus sit, intelligat. Huius munus erit fructus seruare, homines, & instrumenta. Varro præcipit prouidendum vbi familia versetur, si fessi opere, vel frigore, vel calore, vbi commodissimè possint sese quieti recipere. Villici prope ianuam cellam esse oportet, eumq; scire, qui introeat, aut exeat noctu, quidve ferat, præser-

præſertim ſi hoſtiarius eſt nemo. In primis culina videnda, vt ſit admota, quòd ibi hyeme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur, & capitur. Columella aliquanto diſtinctius tradit. In ruſtica parte, alta & magna culina ponetur, vt & contignatio careat incendij periculo, & in ea commodè familiares omni tempore anni morari queant. Optimè ſolutis ſeruis cellæ Meridiem æquinoctialem ſpectantes fient, vinctis quàm ſaluberrimum ſubterraneũ ergaſtulum plurimis, ſitq; id anguſtis illuſtratum feneſtris, atq; à terra ſic æditis, ne manu contingi poſſint. Villico iuxta ianuam fiat habitatio, vt introeuntiũ, exeuntiumq; conſpectum habeat. Procuratori ſupra ianuam ob eaſdem cauſas, vt is tamen villicum obſeruet ex vicino. Bubulcis & paſtoribus cellæ ponantur iuxta ſua pecora, vt ad eorum curam ſit opportunus excurſus. Omnes tamen quamproximè alter ab altero debent habitare, ne villici diuerſas partes circumeuntis ſedulitas diſtendatur, & vt inter ſe diligentiæ, & negligentiæ cuiuſque teſtes ſint. Hæc ita ordinauit, quia præmonuerat Cato, villicum prouidere debere, vt ſuo quiſque loco cubet, & vti iumenta pabulum habeant. Deſcriptis hominum habitationibus, ſubnectemus & animalium. Varro in villa faciunda iubet ſtabula, ita vt bubilia ſint, vbi hyeme poſſint eſſe calidiora. Columella. Pecudibus fiant ſtabula, quæ neq; frigore, neque calore infeſtentur: domitis iumentis duplicia bubilia ſint, hyberna, atque æſtiua: cæteris autem pecoribus, quæ intra villam eſſe conuenit, ex parte tecta loca, ex parte ſub dio, parietibus altis circumſepta, vt illic per hyemem, hic per æſtatem ſine violentia ferarum conquieſcant. Sed omnia ſtabula ſic ordinentur, ne quis humor influere poſſit, & vt quiſq; qui ibi conceptus fuerit, quàm celerrimè dilabatur: vt nec fundamenta parietum corrumpantur, nec vngulæ pecudum. Lata bubilia eſſe oportebit pedes x, vel minimum i x. quæ menſura & ad procumbendum pecori, & iugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat. Non altius ædita eſſe præſepia conuenit, quàm vt bos, aut iumentum ſine incommodo ſtans veſci poſſit. Palladius. Stabula equorũ vel boum meridianas quidem plagas reſpiciant, non tamen egeant ſeptentrionis luminibus, quæ per hyemem clauſa nihil noceant, per æſtatem patefacta refrigerent. Ipſa ſtabula propter vngulas animalium ab omni humore ſuſpenſa ſint. Boues nitidiores fient ſi focum proximè habeant, & ignis lumen intendant. Octo pedes ad ſpatium ſtandi ſingulis boum paribus abundant, & in porrectione x v. Plancæ roboreæ ſupponantur ſtationibus equorum cum ſtramine, vt iacentibus molle ſit, ſtantibus durum. A quibus Vitruuius. Culina coniuncta habeat bubilia, quorum præſepia ad focum, & orientis cœli regionem ſpectent, ideo quòd boues lumen & ignem ſpectando horridi non fiunt. Item agricolæ regionum imperiti, non putant oportere aliam regionem cœli boues ſpectare, niſi ortum Solis. Bubilium autem debent eſſe latitudines nec minores pedum denum, nec maiores quindenum, longitudo vti ſingula iuga nec minus occupent pedes ſeptenos. Ouilia & caprilia ita magna ſunt facienda, vt

singula pecora, areæve, minus pedes quaternos, & semipedem, ne plus senos possint habere. Equilia maximè in villa, vbi loca calidissima fuerint, constituantur, dum ne ad focum spectent: quum enim iuméta proxime ignem stabulantur, horrida fiunt. Item non sunt inutilia præsepia, quæ collocantur extra culinam in aperto, contra orientem. Quum enim in hyeme anni sereno cœlo in ea traducuntur, matutino boues ad Solem pabulum captantes fiunt nitidiores. Columbarium ita construere docet Palladius. Illud accipere potest sublimis vna turricula, in prætorio constitutá, læuigatis, ac dealbatis parietibus, in quibus à quatuor partibus (sicut mos est) fenestellæ breuissimæ fient, vt columbas solas ad introitum, exitumque permittant. Nidi figurentur interius. Quintilij ita exactiùs docent. Locus, in quo columbarium construendum est, non habeat domos propinquas. Statuantur columnæ pro magnitudine extruendi operis, eæque circulariter. Deinde supra columnas capita imponantur, & supra columnarum capita aliæ columnæ ligneæ ponantur, & supra columnas in circuitu duæ domunculæ extruantur, altitudine cubitorum septem. Fiatque in parietibus ab occasu fenestra lucis gratia, ab ortu alia, in qua custos collocetur, qui columbas cohibeat, & vnde ad pascua exire oportet. A meridie ianua construatur, per quam ingrediatur is, qui auium curam gerit. Sic ab reptilibus illæsæ conseruabuntur, neque est possibile reptilia per columnas ascendere, quum sint diligēter oblitæ, & tectorio inducto explanatæ. Neque feles insidiari possunt, quum domus longè absint; nidi intus construendi à pauimento vsque ad fastigium. Apponantur singulis nidis asseres, vt per ipsos transitus fiat. Effodiatur in domo lauacrum, quo & bibere, & lauari possint, ne occasione præbendæ aquæ, homo eas frequenter perturbet. Verrere domum, & stercus euehere necessariū, & si quid intus resarciendum.

De rustica fructuaria domo, & de horreo. CAP. XXV.

NVNC de fructuaria domus parte loquemur, quæ in horrea, apothecas, cellam oleariam, torculariam, vinariam, fœnilia, paleariaque diuiditur. Dicemus primò de horreis, quæ & locorum, & situs diuersitate, varia fiunt. Nam sunt & locorum peculiaria quædam, quæ vim maximam conseruandi frumenta habent. In Cappadocia, loco quodam Petra vocato, vel quadragenos annos frumenta fœcunda, & ad sementem percōmoda durare proditū est à Theophrasto, sexagenos autem, & septuagenos ad vsum cibariū seruari posse idonea. Locum autē istum cùm aliàs excelsum, tum flatibus & auris esse apertum, & ab exortu, & occasu, Meridieq; æditum. Feruntq; in Media, & reliquis excelsis tractibus condita diu perdurare valere. Sunt & alij qui granaria habent sub terris, ait Varro, vti speluncas, quas Siros vocant, vt in Cappadocia, & Thracia, alij, vt in Hispania citeriore, puteos, vt in agro Carthaginensi, & Oscensi. Horum solum paleis substernunt, & curant ne humor, aut aër tangere possit, nisi quum promitur ad vsum: quò enim spiritus non peruenit, ibi non

non oritur curculio. Sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta, milium verò plus annos centum. Nec me præterit, inquit Columella, quibusdam videri horreum camera contectum sedem frumentis optimam, (idque in sicca positione villæ: nam quamuis granum robustissimum corrumpitur situ) cuius solum terrenũ, prius quàm cõsternatur, perfossum, & amurca recenti, non salsa madefactũ, velut signinum opus pauiculis cõdensatur. Tum deinde quum exaruit, simili modo pauimenta testacea, quæ pro aqua receperint amurcam mistam calci & arenæ, supersternuntur, & magna vi pauiculis inculcantur, atq; expoliuntur, omnesq; parietum atq; soli iuncturæ testaceis puluinis fibulantur: nam ferè quum his partibus ædificia rimas egerunt, caua præbent, & latebras subterraneis animalibus. Sed locis, quæ redundãt vligine, positio illa pensilis horrei probatur ab omnibus agricolarum magistris. Varro: Triticum condi oportet in granaria sublimia, quę perflentur vento ab exortu, ac septentrionum regione, ad quæ nulla aura humida è propinquis locis aspiret. Granaria supra terram sublimia factitantur in Hispania citeriore, & in Apulia. Columella præcipit, vt siccæ res congerantur in tabulatis, vt frumentum, fœnum, frondes, paleæ, cæteraq; pabula. Sed granaria scalis adeantur, & modicis fenestellis Aquilonibus inspirentur: nam ea cœli positio maximè frigida, & minimè humida est, quæ vtraq; perennitatem conditis frumentis afferunt. Plinius. Horrea supernè impleri, nec ad flatus admittere, aut fenestras habere vllas. Alij ab exortu tantum æstiuo, aut septentrione. Alij contra suspendunt granaria ligneis columnis, & perflari vndique malunt, atque etiam à fundo. Alij omnino pendente tabulato extenuari granum arbitrantur, & si tegulis subiaceant, subferuescere. Columella & Fauonium ventum conferre frumento dicit, de quo quidem miratur, siccissimum alioqui. Vitruuius granaria sublimata, & ad septentrionem, aut Aquilonem spectantia disponit; ita enim frumenta non poterunt cito concalescere, sed afflatu refrigerata diu seruari: nam & cæteræ regiones procreant curculiones, & reliquas bestiolas, quæ frumentis solent nocere. Ideo granaria, quæ ad Solis cursum spectant, bonitatem cito mutant. Palladius. Horreorum situs ipsam septentrionis desiderat partem, & superior, & longè ab omni humore, & lætamine, & stabulis ponendus est, frigidus, ventosus, & siccus. Ab horreis tamen Auster debet esse auersus. Tarentinus Græcus: probè frumentum concludi in locis supra terram, qui lumen ab oriente habeant. Adspiretur locus item moderatè à Borea, & Fauonio, & auertatur ab Austro, & eiusmodi ventis. Non habeat humiditatem, aut graueolentiam aliquam, aut halitum iniucundum; maximè autem ab equorum, & boum stabulis aliisque eiusmodi, atque omni caliditate procul absit. Alij alias situs conditiones addidere. Nunc de materie, ex qua construendum horreum differemus. Theophrastus parietes calce leuigatos putrefactionis initia præbere dixit, quia hæc calorem auget, & quum puluis calidus & siccus sit, & illimẽtum calcis calorem susceptum vtiq; seruat:

nam & quum vniuersum, altumque aceruatum est, putret: sic enim plus caloris exoritur. Hæc Theophrasti verba. Omnes admonent ex variis rebus, & amurca tectorium parietibus horrei inducere. Plinius ab eo. Granaria sine calce constructa, quum sit frumento infestissima. Varro. Parietes & solum tectorio marmorato loricandi, sin minus ex argilla, misto acere è frumēto, & amurca, quòd murem, & vermem nō patitur esse, & grana facit solidiora, & firmiora. Columella. Parietes oblinuntur amurca, subacto luto, cui pro paleis admista sint arida oleastri, vel si ea nō sint, oleæ folia. Deinde quum prædictum tectorium inaruerit, rursus amurca respergitur, qua siccata frumentum infertur. Ea res ab noxa curculionum, & similium animalium commodissimè videtur conditas fruges defendere, quæ nisi diligenter repositæ sint, celeriter ab iis consumuntur. Palladius. Solum omne bipedis sternatur, vel minoribus laterculis, quos suffuso testaceo pauimento debemus imprimere. Sed factis granariis amurca luto mista parietes linantur, cui arida oleastri, vel oleæ folia pro paleis adiiciantur: quo tectorio siccato, rursus amurca respergatur: quæ vbi siccata fuerit, frumenta condentur. Hæc res curculionibus, & cæteris noxiis animalibus inimica est. Tarentinus aliqua addit. Illinantur parietes luto, vti pro paleis pili ammisti sint, deinde argilla alba intus, & foris obducantur. Post hæc cucumeris syluestris radices & folia ad biduum aqua macerato, & cum aqua calcem arenariam subigito, indeque internas partes diligenter oblinito. Quidam etiam ad calcem pecorum vrinam admiscent, tanquam quæ animalia necet. Sed & testaceam calcem, quæ pauimento inducitur, lotio macerant. Quidam cinerem sarmentorum quercus eadem gratia frumento inspergunt, alij boum stercus aridum. Alij absynthij, aut abrotoni arida virgulta imponunt, ampliusq; folia semperuiui aridæ. Præstat autē calcem arenariam amurca subigere; hæc enim bestiolas omnes corrumpit, & frumentum solidius, & densius facit. Quapropter alij amurcam ad dimidias decoctam parietibus aspergunt, atq; vbi inaruit, fruges inferunt, ac deponunt. Varro. Eo modo construenda granaria sunt, vt non solum à lateribus per fenestras, sed etiam subtus à solo ventus regelare possit. Plinius etiam monet, vt à fundo perflari possit. Tarentinus, vt per medium habeat densos & frequentes canales, per quos & calidus vapor expiret, & aura refrigerans inspiret. Columella lacubus distingui granaria perhibet, vt separatim quæque legumina ponantur. Palladius. Tunc diuisas cellas (si magnus sperabitur seminum modus) grano cuique tribuemus, & si terræ pauperies minora promittit, vel craticiis podiis erunt discernenda granaria, vel vimineis vasculis reditus tenues colligemus. Columella non ventilanda frumenta censet: nam multos esse scribit opinantes, curculiones ventilatione arceri posse, si excesæ fruges ab eis fuerint, & quasi refrigerentur, quod falsissimum existimat: neque enim hoc facto expelluntur animalia, sed immiscentur totis aceruis: qui si maneant immoti, summis tantum partibus infestantur, quoniam infra mensuram palmi non nascitur cur-

tur curculio, longeque præstat id solum, quod iam vitiatum est, quàm totum periculo subiicere: nam quum exiget vsus, facilè est, eo sublato, quod vitiatum erit, integro inferiore vti. Quod idem à Plinio, & Palladio excipitur. Sed addit. Nihil tamen diu custodiendis frumentis commodius erit, quàm si ex areis in alterum locum vicinum transfusa refrigerentur aliquantis diebus, atque ita horreis inferantur. Aliqua nunc addemus remedia, à maioribus tradita ad frumenti diuturnitatem. Plinius. Sunt qui rubetam ranam in limine horrei pede è longioribus suspensam inuehere iubeant. Varro. Quidam ipsum triticum conspergunt, quum addant circiter in M modium quadrantal amurcæ. Item alius aliud affirmat, aut aspergit, vt chalcidicam, aut caricam cretam, aut absynthium, absynthiiive decoctum. Item huius generis alia. Palladius. Aliqui corianni folia frumentis miscent ad seruandum profutura. Herba coniza sicca (vt Græci affirmant) substrata frumentis, addit ætati. Tarentinus. Omnibus porrò præstat terram perfrigeratam, argillosam, aut mali punicæ folia arida, & cribrata antea præparata habere, & quum frumentum deponitur, ad singulos frumenti medimnos, argillosæ terræ chœnicem, aut foliorum tantundem inspergere. Vtilissimum porrò conizam semifrigefactam in pauimētum frumento substernere, & post diffusos decem medimnos rursus conizam integere, & rursus frumentum super ingerere, donec totum deponatur. Quod enim hoc modo depositum fuerit nō solùm in multos annos à putredine immune perseuerat, verùm etiam idem pondus seruabit in paneficio.

De cella vinaria, torculari, & vasis subtorcularibus. CAP. XXVI.

LOQVEMVR de cella vinaria. Columella in plano cellas statuendas dicit, quæ custodiam recipient rerum humidarum, vt vini, olei, cæterarumque. Varro villam laudari ait, quæ vinariam cellam habeat, ad modum agri aptam, & quæ fenestras habeat, vt dolia aërem frigidiorem excipiant. Palladius eius situm describens, septentrioni oppositam esse debere, frigidam, vel obscuræ proximam, longè à balneis, stabulis, furno, sterquiliniis, cisternis, aquis, & cæteris odoris horrendi, ita instructam necessariis, vt non vincatur à fructu. Vitruuius ad septentrionem habere oportere luminaria fenestrarum, quum enim alia parte habuerint, qua Sol calefacere possit, vinum, quod erit in cella, confusum ab calore, efficietur imbecillum. Plinius. Latus cellæ vinariæ, aut certè fenestras obuerti ad Aquilonem oportere, vel vsque in exortum æquinoctialem. Florentinus. In regionibus calidis ad orientem, & septentrionem fenestram habeat, in frigidis ad Meridiem. Sed Columella. Cella procul esse debet submota à balneis, furno, & sterquilinio, reliquisque immunditiis, teterum odorem spirantibus, nec minus à cisternis, aquisve salientibus, ex quibus qui extrahitur humor vinum corrumpit. Florentinus. Procul à torculari, & ab omni graueolentia remota, nihilq; prorsus fœtidum cellis vinariis con-

cludendum est, velut coriacea graueolentia, caseus, allium, oleum, ficus, vasa inutilia. Omnia enim huiusmodi humiditatem de vino attrahunt, & computrescunt, rursusq; ad vinum ipsum graueolentiam referunt. Submouenda est etiam à lacu, stabulo equorum, loco secessus, stabulo palearum, pistrino, balneo: si verò reperiantur circumsitæ arbores, excidantur. Radices enim in se circumplectentes eam corrumpunt, & odorem ad se adfricant, maximè fici, & punicæ. Plinius. Sterquilinia & arborum radices procul abesse, omniaque odoris euitandi, facillimo in vina transitu, ficos vtique, & caprificos. Nunc eius constructionem aggrediamur. Varro inquit. Sit pauimento procliui in lacum, in quo, si contigerit, defluens vinum excipietur, ne pereat, quod sæpè, vbi conditum vinũ nouum, orcæ, vt in Hispania, feruore musti ruptæ, nec non & dolia in Italia. Palladius cellam vinariam ita dispositam esse iubet, vt basilicæ ipsius forma calcatorium loco habeat altiore constructum, ad quod inter duos lacus, qui ad excipienda vina hinc inde depressi sint, gradibus tribus ferè, aut quatuor ascẽdatur. Ex his lacubus canales structi, vel tubi fictiles circa extremos parietes currant, & subiectis lateri suo doliis per vicinos meatus, manantia vina defundant. Si copia maior est, medium spatium cupis deputabitur, quas ne ambulacra prohibeant, basellis altioribus impositas, vel supra obruta dolia possumus collocare spatio inter se largiore distantes, vt (si res exigat) curantis transitus possit admitti. Quod si cupis locum suum deputabimus: is locus ad calcatorij similitudinem podiis breuibus, & testaceo pauimento solidetur, vt etiam si ignorata se cupa diffuderit, lacu subdito excipiantur non peritura vina, quæ fluxerint. Florentinus Dolia locanda esse vt vicissim & se mutuo non contingant, pedali mensura in medio relicta, quo & hi, qui cellæ vinariæ curam gerunt, facilem habeant ad interiora dolia ingressum, & si vnum dolium acescat, propinquum sibi non simul peruertat: nihil enim adeò velociter contagionem percipit, velut vinum, præsertim mustum. Cæterum dolia in siccis locis locanda sunt, vt in terra sint duæ ipsorum partes, si regio infirmum & tenue, & nullius nutrimenti vinum ferat. Si verò potens, & crassum, dimidia ipsorum pars. Subiicienda vnicuique dolio arena crassa, & sicca: super hanc verò insternendus est iuncus vnguentarius mediocri copia: reliquum terra egesta explendum, quæ commodè sit ad Solem exassata. Arena enim, & terra sicca omnem humorem in se ipsas attrahunt, tum ex terra, tum eum, qui in ipsis doliis consistit, ampliusque dulce vinum facit. At verò vim ipsius hoc modo coniectare licet. Si namque nouam sportulam arena expleueris, vinumque acescens infuderis, percolabitur purum, & sine odore: si verò non sit arena, terra oblata vtendum prius insolata. Plinius etiam doliis interualla dari præcipit, ne inter se vitia serpant, contagione vini semper ocyssima. Nos autem cellam probamus subterraneam: hæc enim loca frigida sunt. Vina tandiu recta manebunt, quandiu frigida sunt. Sint enim occlusa, ne ventis infestentur; nam qui à Subsolano, Meridie, & ab oc-

ab occasu veniunt, præsertim bruma & vere, profectò perturbantur. Ad Caniculæ autem sydus etiam à Borëa commouentur. Solis radio acescit, Lunæ hebescit: ob id eius latus, & lumina à Subsolano in Aquilonem obuertito. Motu fracessit, elanguescitque, ob id positio eius loco stabili, & à curruum cursu immuni. Odoris rapax vinum est, vt alibi diximus, & fermè eneruatur, soluiturque: ob id sordes, & malè odorata omnia, vliginem, crassum vaporem, fumum, horti spiramenta, ex cepe, brassica, fico, & caprifico, expurgato, longè abigito, penitusque excludito. Dolia quò capaciora, eò vinum erit acrius, & fortius. Dicto de cella vinaria, nunc de torculari, & subtorculari dicendum. quam curam Florentinus assumpsit describendi. Torcular itaque iuxta multitudinem apportandorum fructuum ædificandum est, quo habeant operarij locum, in quo commodè diuersari queant, & vt ipsæ vuæ habeant spatium commodi situs, vt & tempore vrgente fructus maiore compendio afferri possint, & ne operarij odore suffocentur. Oportet autem totum torcularium vndiquaque leuissimo tectorio oblitum esse, neque minus tabulata superna, vt nihil terreum, neque animalium vllum in ipsis generatorum delabens, vinum inquinet. Sit amplius torcular calidum, & lumen habeat vndiq; plurimum. At locus & vas subtorcularium sit amplioris, & post vsum lauetur aqua marina, & spongia detergatur. Relinquatur autem sine operculo, ne computrescat, & quia mures aliquando in subtorcularium vas incidentes, multam graueolentiam inducunt, lignum latius imponendum, per quod euadere queat mus, si casu illabatur. Quando eo quis rursus vsurus est, similiter lotum, & detersum suffumiget. Cortinale, vbi defrutum fiat, iubet Columella, nec obscurum, nec angustum sit, vt sine incommodo minister, qui sapam decoquet, versari possit.

De cella olearia, & torculari eius. CAP. XXVII.

CELLAM oleariam Varro ad modum agri aptam, & pauimento procliui in lacũ construendam, in quo si contigerit defluat oleum, excipiatur: fenestras habeat, vt aërem calidiorem recipiat, loco plano, & potius arido, quàm humido. Columella, Torcularia, cellæq; oleariæ calidæ esse debẽt, quia cõmodiùs omnis liquor vapore soluitur, ac frigoribus magis constringitur. Oleum, quod minus prouenit, si cõgelatur, fracessit: sed vt calore naturali est opus, qui contingit positione cœli, & declinatione, ita non est opus ignibus, aut flãmis, quia fumo & fuligine sapor olei corrumpitur: propter quod torcular debet à meridiana parte illustrari, necesse, ne habeamus ignes, lucernamq; adhibere, quum premetur olea. Vitruuius. Olearia autem ita est collocanda, vt habeat à Meridie, calidisque regionibus lumen. Non enim debet oleum congelari, sed tepore caloris extenuari. Magnitudines autem earum ad fructuum rationem & numerum, & doliorum sunt faciendæ, quæ quum sint culearia, per medium occupare debent pedes quaternos. Ipsum autem torcular,

ſi non cocleis torquetur, ſed vectibus & prælo premitur, ne minus longum pedes quadraginta conſtituatur: ita enim erit vectiario ſpatium expeditum. Latitudo eius ne minus pedum ſenum denum: nam ſic erit ad plenum opus facientibus libera verſatio, & expedita. Sin autem duobus prælis loco opus fuerit, quatuor & viginti pedes latitudini dētur. A quibus Palladius. Olearis cella meridianis ſit obiecta partibus, & contra frigus munita, vt illi per ſpecularia debeat lumen admitti: ita & operas, quæ hyeme futuræ ſunt, nullus algor impediet, & oleum quum premetur, adiutum teporibus, frigore non valebit aſtringi. Trapetis, & rotulis, & prælo nata eſt forma, quam conſuetudo dictauit. Receptacula olei ſemper munda ſint, ne nouos ſapores, infecta veteri rancore corrumpant. At ſi quis maiori diligentiæ ſtudet, ſubiectis hinc inde cuniculis pauimenta ſuſpendat, & ignem ſuggerat fornace ſuccenſa: ita purus calor, olei cellam ſine fumi nidore vaporabit, quo ſæpe infectum colore corrumpitur, & ſapore.

De oporothecis. Cap. XXVIII.

DIXIMVS de horreis, cella vinaria, oleariaque, nunc de oporothecis. Vocabant antiqui ὀπώραν autumnales fructus, qui adſeruabantur: erit ergo oporotheca pomorum reconditorium, ab ὀπώρα, vt diximus, & θήκη repoſitio, quod & ὀπωροφυλάκιον, vel oporophylacem quoque dicunt. Varro oporothecas iubet loco arido, & frigido exædificare, vt ad Aquilonem feneſtras habeat, atque vt eæ perflentur curare, nec tamen ſine foriculis, ne quum humorem amiſerint, pertinaci vento vieta fiant. Ideoque in iis cameras marmorato, & parietes, pauimentaq; laudabiliter faciunt, quo frigidior ſit locus. A quo eadem Plinius. In vniuerſum de pomis ſeruandis præcipitur. Pomaria in loco frigido, & ſicco contabulari, ſeptentrionalibus feneſtris ſereno die patere, Auſtros ſpecularibus arcere. Aquilonis quoque afflatu poma deturpari rugis. Vitruuius. Poma, quæ non in ea cœli parte ponuntur, quæ eſt auerſa à Solis curſu, non diu ſeruantur. De quo etiam rationem affert. Nam ſemper calor quum excoquit, aëribus firmitatē eripit, & vaporibus feruidis exugendo naturales virtutes, diſſoluit eas, & feruore molleſcentes efficit imbecillas, vt etiam in ferro animaduertimus, quod quamuis natura ſit durum, in fornacibus ab ignis vapore percalefactum ita molleſcit, vt in omne genus formæ faciliter fabricetur. Et idem quum molle & candens eſt, ſi refrigeretur tinctum frigida redureſcit, & reſtituitur in antiquam proprietatem. Licet etiam conſiderare hæc ita eſſe ex eo, quòd æſtate non ſolùm in peſtilentibus locis, ſed etiam in ſalubribus, omnia corpora calore fiant imbecilla, & per hyemem etiam quæ ſint peſtilentiſſimæ regiones, efficiuntur ſalubres, ideo quod à refrigerationibus ſolidantur. Sed quo modo in oporothecis fructus aſſeruentur, indicabimus. Varro ſupra paleas poſitos ſeruari rectè putat, & ſatis cōmodè in tabulatis, vt in opere marmoreo, vel ſubſtratis floccis. Plinius: Colligi mala poſt

æqui-

æquinoctium autumnale, neque ante x v lunam, neque ante primam horam. Cadiua ſeparari, ſtramentis, ſtoreis, paleiſve ſubſterni, rara componi, vt limites peruij ſpiritum ęqualem accipiant. Nos autem tabulatum laudamus in gelido & calidiſſimo loco, omni excluſo ſpiritu: aëris enim inconſtantia putreſcunt omnia. Nam, vt diximus, ex Aquilonis flatu poma rugis deturpantur: & Ariſtoteles turgefactis vtribus poma per integrum annum ſeruari promittit. Talis fortaſſe locus erat in Micaleſia Boëriæ ſecundum mare vrbe, Cereris templo, ante cuius ſimulachri pedes, ſi autumnales fructus expoſiti eſſent, integerrimi per totum ferè anni ſpatium perdurabant, vt ex Græcis authoribus habetur.

De ſterquiliniis, area, nubilario, fœnili, paleario & lignario. CAP. XXIX.

DIXIMVS quæ intra villam fieri debebant, nunc quæ extra, & primò de ſterquiliniis. Varro inquit: Secundum villam duo habere oportet ſterquilinia, aut vnum bifariam diuiſum, alteram enim in partem ferri oportet è villa nouum fimum, ex altera veterem tolli in agrum: quod enim infertur recens, minus bonum, id quum flacuit, melius, nec non ſterquilinium melius illud, cuius latera, & ſummum, virgis & fronde vindicantur ab Sole: non enim ſuccum, quem quærit terra, Solem ante exugere oportet. Itaque periti (qui poſſunt) vt eò aqua influat, eo nomine faciunt. ſic enim maximè retinetur ſuccus in eo. Columella his aliqua addit. Sterquilinia quoque duo ſint, vnum, quod noua purgamenta recipiat, & in annum conſeruet, alterum, ex quo vetera vehantur, ſed vtrumq; more piſcinarum deuexũ leni cliuo, & extructum, pauitumq; ſolum habeat, ne humorem tranſmittant. Plurimum enim refert non aſſiccato ſucco fimum vires continere, & aſſiduo macerari liquore, vt ſi qua interiecta ſint ſtramentis, aut paleis, ſpinarum vel graminum ſemina intereant, nec in agrum exportata, ſegetes herbidas reddant. Ideoq; periti ruſtici quicquid ouilibus, ſtabulisq; conuerſum progeſſerunt, ſuperpoſitis virgeis cratibus tegunt, nec areſcere ventis ſinunt, aut Solis incurſu patiuntur exuri. Palladius, Stercorum congeſtio locum ſuum tenere debebit, qui abundet humore, & propter fœtoris horrenda à prætorij conuertatur aſpectu. Humor abundans hoc præſtabit ſtercori, vt ſi qua inſunt ſpinarum ſemina putrefiant. Sequitur area, & nubilarium. Columella ait. Area ſi competit ita conſtituenda eſt, vt vel à domino, vel certè à procuratore deſpici poſſit. Eaq; optima è ſilice conſtrata, quod & celeriter frumenta deteruntur, non cedente ſolo pulſibus vngularum tribularumque, & eadem euentilata mundiora ſunt, lapilliſq; carent, & glebulis, quas per trituram ferè terrena remittit area. Palladius ita perbelle aream conſtruere docet. Area longè à villa eſſe non debet, & propter exportandi facilitatem, & vt fraus minor timeatur, domini vel procuratoris vicinitate ſuſpecta. Sit in loco ſublimi, & vndecunque perflabili, longè tamen

ab hortis, vineis, & pometis: nam sicut radicibus virgultorũ prosunt lætamen & paleæ, ita insidentes frondibus eas perforant, atq; arere compellunt. Sit autem vel strata silice, vel saxo montis excisa, vel sub ipso trituræ tempore vngulis pecorum, & aquæ admistione solidata: clausa deinde, & robustis munita cancellis, propter armenta, quæ quum teritur, inducimus. Sit circa hanc locus alter planus, & purus, in quem frumenta transfusa refrigerentur, & horreis inferantur, quæ res in eorum durabilitate proficiet. Didymus. Aream in alto loco construere oportet, quo promptè ventum suscepter. Præ omnibus cauendum ne secundum ventum domorum, aut hortorum constituatur: etenim venti tenuissima quæque ex paleis citra animaduersionem hominum oculis inferentes, pupillas perurũt, vt ex eo multi altero, alij vtroq; oculo sint priuati. Lædunt etiam paleæ fructus autumnales foris non lignosos, & maximè vites. Quemadmodum enim stercus, sic paleæ radicibus conferunt, ramulis verò & foliis nocẽtissimę existunt. Neq; verò minus ipsa olera lædunt, adhęrentes enim folia perforant, & perforata statim comburuntur. Oportet aream assidua amurca conspergere, & madefacere, insuperq; cylindro læuigare. Sic enim formicæ non iniuriabuntur. Virgilius.

Area cum primis ingenti est æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu puluere victa fatiscat.
Tum variæ illudunt pestes, sæpe exiguus mus
Sub terris posuitq; domos, atq; horrea fecit:
Aut oculis capti fodere cubilia talpæ:
Inuentusq; cauis bufo, & quæ plurima terræ
Monstra ferunt, populatq; ingentem farris aceruum
Curculio, atque inopi metuens formica senectæ.

Plinius. Aream ad messem præparare oportet, Catonis sententia amurca temperata, Virgilij operosius. Maiore ex parte æquant tantum, & fimo bubulo dilutiore illinunt. Id satis ad pulueris remedium videtur. Post aream nubilarium tradimus. Varro. Ædificium facere oportet, sub quod tectum totam fundi subiicere possis messem, quod vocant quidam nubilarium. Id secundum aream faciundũ, vbi trituraturus sis frumentũ, magnitudine pro modo fundi, ex vna parte apertum, & id ab area, quo & in triturã proruere facile possis, & si nubilare cœperit, inde vt rursus celeriter reiicere. Fenestras habere oportet ex ea parte, vnde commodissimè perflari possit. Columella. Areæ applicari debet nubilarium, maximeq; in Italia propter incõstantiam cœli, quo collata semitrita fruméta protegantur, si subitaneus imber incesserit: nam in transmarinis quibusdam regionibus, vbi æstas pluuia caret, superuacuum est. Palladius quoq; nubilarium describit. Fiat deinde vndecunq; proximum tectum, maximè in humidis regionibus, sub quo propter imbres subitos (si coegerit necessitas) raptim, vel munda, vel semitrita ponantur. Dicemus de fœnili, paleario &

ligna-

lignario ex Palladio. Fœni, palearum, ligni, cannarum repositiones nil refert in qua parte fiant, dummodo siccæ sint, atq; perflabiles, & longe remoueantur à villa propter casum surripientis incendij.

De chorte, piscinis, & pistrino. CAP. XXX.

FACIVNDVM etiam, inquit Varro, plaustris, ac cætero instrumēto omni, quibus cœlum pluuiū inimicum, in chorte, vt satis magna sint tecta. Hæc enim si intra clausum in consepto, & sub dio, furem modo non metuunt, sed aduersus tempestatē nocentem nō resistunt. Chortes in fundo magno duę aptiores. Vna, vt interius compluuiū, habeat lacū, vbi aqua saliat, qui intra stylobatas cū venit, sit semipiscina. Boues enim ex aruo æstate reducti hîc bibūt, hic perfundūtur, nec minus è pabulo quū redierūt anseres, sues, porci. In chorte exteriore lacū esse oportet, vbi maceretur lupinum, item alia, quæ demissa in aquam, ad vsum aptiora fiant. Chors exterior crebrò operta stramentis, ac paleis, obculcata pedibus pecudū, fit ministra fundo, ex ea quod euehatur. Vitruuius. Chortes, magnitudinesq; earū ad pecorum numerum, atq; quot iuga boum opus fuerit ibi versari, ita finiantur. In chorte culina quàm calidissimo loco designetur. Palladius. Chors ad Meridiē pateat, & obiecta sit soli, quo facilius hyeme aliquē teporem cōcipiat propter ea, quæ insunt animalia, quibus etiam ad æstatis temperandum calorē porticus furcis, asseribus, & fronde formari debent, quæ vel scandulis, vel (si copia suppetit) tegulis, vel si facilius, & sine impensa placuerit, tegentur caricibus, aut genistis. Columella piscinas minimū duas faciendas censet, alteram, quæ anseribus, ac pecoribus seruiat, alteram, in qua lupinum, vimina, & virgas maceremus. Palladius. Piscinæ duæ, vel solo impressæ, vel cęso lapide circa villā esse debebunt, quas facile est aut fonte, aut imbre suppleri, vt vna ex his vsui sit pecoribus, vel auibus aquaticis. Alia madefaciat virgas, & coria, & lupinos, & siqua rusticitas consueuit infundere. Columella postulat etiam furnum, & pistrinum circa villam, quantus futurus numerus colonorum postulauerit. Palladius. Si aquæ copia est, fusura balnearum debent pistrina suscipere, vt ibi formatis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur.

De septis, quæ villam tutandi causa fiunt. CAP. XXXI.

RELIQVVM est villā septis cingere, vt eā à furibus tutā reddamus, aut, vt Varro inquit, ne familia cū vicinis rixetur, ac limites ex limitibus iudicem quærant. Earum tutelarū genera quatuor. Vnum naturale, alterū agreste, tertium militare, quartū fabrile. Horum vnumquodq; species habet plures. Primum naturale sepimentū, quod obseri solet virgultis, aut spinis, quod habet radices viuæ sepis, ac viatoris prętereuntis lasciui nō metuit facē ardentem. Secunda sepes ex agresti ligno, sed nō viuit. Fit aut palis statutis crebris, ac virgultis implicatis, aut latis perforatis, & per ea foramina traiectis longuriis ferè binis, aut ternis, aut ex arboribus truncis demissis in terram, deinceps cōstitutis.

Tertium militare ſepimentum eſt foſſa, & terreus agger. Sed foſſa ita idonea fiat, vt omnem aquam, quæ de cœlo venit, recipere poſſit, aut faſtigiũ habeat, vt exeat è fundo. Agger is, qui intrinſecus fit, iunctus foſſæ, ita arduus ſit, vt eum tranſcendere nõ ſit facile. Hoc genus ſepis fieri ſolet ſecundũ vias publicas, & ſecundum amnes. Aggeres qui faciunt ſine foſſa, vocant muros. Quartum fabrile ſepimentũ eſt notiſſimum, maceria. Huius ſpecies quatuor, quòd fit è lapide, quod è lateribus coctilibus, quod è lateribus crudis, quod ex terra & lapillis compoſitis in formis. Fines verò prædij ſine ſeptis, ne familiæ rixentur, ſerunt alij circùm pinos, alij cupreſſos, alij vlmos, & vbi eſt campus nulla potior arbor ſeritur, quod maximè fructuoſa, quod & ſuſtinet ſepem, ac colit aliquot corbulas vuarum, & frondem iucundiſſimam miniſtrat ouibus, ac bubus, ac virgas præbet ſepibus, & foco, ac furno. Palladius diligentius docet. Munitionis multa ſunt genera. Alij luto inter formas clauſo, parietes figuratos ex lateribus imitantur. Quibus copia ſuppetit, macerias luto, & lapide excitant. Plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt. Nonnulli foſſis pręcingunt. quod vitandum eſt, quia horto ſubducit humores, niſi fortè locus paluſtris colatur. Alij ſpinarũ plantas, & ſemina in munitione diſponunt. Sed melius erit, rubi ſemina, & ſpinæ, quæ rubus caninus vocatur, matura colligere, & cum farina erui ex aqua macerata miſcere, funes dehinc ſparteos veteres hoc genere miſtionis ſic inducere, vt intra funes ſemina recepta ſeruentur vſque ad verni temporis initia. Tunc vbi ſepes futura eſt, duos ſulcos, tribus à ſe pedibus ſeparatos, ſeſquipedis altitudine faciemus, & per vtroſque, funes cum ſeminibus obruemus leui terra. Ita trigeſima die procedunt ſentes, quos teneros adminiculis opus eſt adiuuare, quibus inter ſe ſentes per ſpatia vacua relicta iungentur. Diophanes aliqua addit. Scrobem cubitali effodito altitudine, in eamque palos depangito, & funiculum per ſcrobem extendito, pręcedente autem die eruum molitum in promptu habeto, & rubi ſemen, ac paliuri, & oxyacanthæ, omnia ad mellis craſſitudinem macerata: poſteà verò extentum funiculum rubi & paliuri ſemine cõfricato, & oblinito, & locum cremore irrorato, ac modico tempore ſinito. Deinde terram ex ſcrobe egeſtam ſuperiniicito, & poſt dies vigintiocto germina producent pedalis altitudinis, quæ tranſplantabis in ſcrobem pede non altiorem, & intra duos menſes cubitalem magnitudinem excedent. Hæc facienda ſunt ſub æquinoctiũ vernum. Facile autem ſepem parabis ſi funem rubi ſemine confricaueris, & in terram defoderis, & harundines craſſas contuſas plantaueris modica profunditate, ita vt obliquas imponas, & non rectas, ſtercore vnà cum terra aggeſto. Quidam ſepem hoc modo faciunt. Virgas rubi in ſegmenta conſcindunt, eaque in ſepibus poſita palmari altitudine obruunt, irrigantque, donec germen erumpat. Aliqui cum moris, hoc eſt fructibus rubi maturis funiculum per manus confricant, deinde ſtercore & terra obruunt, rigant donec germen fundat. Democritus porrò tradit, inchoante vere vſque ad quindecim dies ſepem probè planta-

plantari hoc modo. Funem nauticum in marinis operis detritum, & de cętero putrefactum, rubi semine, & aliis prædictis spinosis, admixto eruo confricato, inde in scrobe defodito, & si fieri potest, singulis diebus irrigato, sic enim citò, & perfectè sepes nascetur. Plinius. Spinas sepis causa serunt, tomice moris spinarum circumlita.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER SECVNDVS
SIVE
SYLVA CÆDVA.

PROOEMIVM.

SCio rigidos censores aliquos nō defore, qui nostram villulam visendi gratia hucusque peruenerint, qui domo egressi præcipitem hunc montem, horridasq; has syluas videbunt, syluestrem, ac inurbanum me hominē existimabunt, cur nō eis floridos hortos, ac fructiferum potius pomarium exposuerim. Sed qui rationes nostras æquo animo expēdent, pleniori obsequio fortasse nobis indulgebunt. Semiramis Persarum Regina, etsi sexu mulier, præclaris verò facinoribus vir, altissimo & prærupto loco amœnissimos hortos conserendos curauit, vt qui hos visendos accederent, longo itinere per arduum, & decliue montis dorsum, valles, & salebrosos saltus defatigati, pòst hortos ingressi, elegantiores, & floridiores conspicerentur. Nos huius præclara imitatione, post syluas, & horrida montium nemora, vbi eos in nostrum pomarium introducemus, vberiores, ac gratiores futuros speramus. Præterea priora fuisse syluestria satiuis euidentiùs est, quàm vt debeat enarrari. Syluestres plantæ naturę ope gignuntur, vrbanæ humana vi, ac labore, earum prædomita feritate, in hortis mansuescunt, vnde syluestres vrbanas præcedere debent. Sed Hippon nullum putat discrimen inter syluestre, & vrbanum: nam alterum ab altero sola cultura differre dixit, quod falsum putat Theophrastus: nam differentiam inter vrbanum & syluestre naturalem esse dixit: siquidem alia sunt, quæ sine cultu viuere nequeunt, ceu illa, quæ coli so-

lita, alia cultũ nullum admittunt, vt verè syluestria, immò cultu deteriora reddũtur, vt abies, pinaster, celastrus, & reliqua, quæ hoc libro claudemus, quæ in sua naturali feritate semper manẽt, nullóve ingenio cicurari possunt, sed spõte in incultis, & immitibus locis nasci volunt, sicuti animalium plura genera, quę mitescere, & mansuescere nullo artificio, nullóve ingenio possunt. Sylua igitur apud antiquos duplex fuit, cædua vna, glandaria altera. Cęduam, de qua hic loquimur, vocamus eam, in qua arbores generantur, quæ quum ad iustã magnitudinem creuerint, cæduntur, vt eius materies igni, vel ædificiis, pedamentis, perticisve vinearum aliisve vsibus nobis cõmodum pręstent, vt succisa rursus ex stirpibus renascantur. De glandaria posterius dicemus: nam Cato agriculturæ primus, quæstuosiorem, magisq; villæ necessariam dicit: cæduam septimo loco, glandariam nono statuit. Nos arbores cæduas in resiniferas, & non resiniferas diuidemus. resiniferarum aliæ coniferæ æterna coma pubentes, vt cedrus magna, abies, cupressus, pinaster, & picea, vel decidua coma, vt larix: nõ coniferæ verò, terebinthus, iuniperus, lentiscus, betula. Quæ non resiniferæ, cõtinuoq; virentes, aquifolium, alaternus, coluthea, taxus, buxus, sabina, laurus, & tamarix: quibus decidunt folia, fraxinus, ornus, tilia, acer, carpinus, opulus, platanus, populus, vlmus, alnus, & salix.

Sylua quid, syluarumq́; dij. CAP. I.

SYLVA dicitur quasi soliua: alij verò à silendo dicunt: Græcis ὕλη, id est materia: nam sylua ad vsum habetur, vt ex ea materies cædatur. Soliti sunt Latini, Festo Pompeio authore, vti S, quum Græci aspiratione, vt quum hi ὕλην, nos syluam infinitam arborum indiscriminatim nascentium multitudinem dicimus. Apud Poëtas pro incondita rerum cõgerie recipitur. Iuuenalis.

——— *vultus grauis, horrida sicca*
Sylua comæ.

Virgilius quoque herbarum multitudinem confusam syluam vocat,

——— *primùm aspera sylua*
Lappæq́;, tribuliq́; absint.

Aphrodiseus febrium differentias, multitudinemq́, febrium syluas dixit. Statius sua carmina Syluas vocauit, quòd ibi variæ, & multæ materiæ explicarentur. Non paruifacienda est sylua, quum prima communis ciuitas fuerit, & antequam epularum esset vsus, glandes, & syluestria poma nobis iucũdissimo cibo fuere. Aristoteles in Politicis syluarũ custodes necessarios dicit, ne compingendis nauibus vnquam deesset materia: néve quid ex his præterquam ad opera publica succideretur, quæ syluæ consulares dicebantur. Nec dedignati sunt dij syluas habitare. Virgilius:

——— *habitarunt Dij quoque syluas.*

Plinius: Summum munus homini datũ, arbores, syluæq; intelligebantur. Hæc fuere numinum templa. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò

cuò seruantur, vt Ioui esculus, Apollini laurus, Mineruæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin & Syluanos, Faunosq; & dearum genera syluis, ac sua numina, tanquam & cœlo tributa credimus. Vana antiquorum religio syluanum deum Pana Gorgonis filium existimauit, quem alij Syluanum vocant, cæteri Inuum. Hunc Arcades maximè venerabantur, vt τὸν τῆς ὕλης κύριον nuncuparent, non syluarum modo, sed vniuersæ naturæ dominum. Virgilius.

Pan Deus Arcadiæ.

Et Ausonius.

Nec cultor nemorum reticebere Mænalide Pan.

Ilithia syluarum dea fuit.

Quæ loca, quæve regiones syluis abundent, & quomodo in aquosis nascantur. CAP. II.

NVNC vbi syluestres arbores libentius oriantur, viuant, & procerius adolescant, explicare tentandum. Est omnibus in confesso montuosas regiones, vel mõtes ipsos syluosos esse: etenim collibus, planisq; locis frigidiores sunt, habentq; alimenti copiã: nam receptos imbres ac niues ob arborum vmbrã diutiùs conseruant, quę postea liquefactę locum humectiorẽ reddunt, & præcipuè auersi Solis cursui: nam vbi Solis radij ad terrã directi sunt, prohibent ne humorẽ radices sugere possint. At locis, vbi diuturniores, longiorésve vmbræ, ac propterea frigidioribus, humores longiusculè adseruantur, quibus maximè ali arbores cõstat, & inter hæc loca, quæ ad septentrionẽ spectant. At qui ad Solem orientẽ positi sunt, & ad Meridiem, rari syluosi mõtes sunt: nam ardentes soles humorem exhauriunt. Theophrastus hæc habet. Vbiq; autem vniuersæ syluę pars ad septentrionẽ spectans, ligna spissiora, pulchrioraq; profert, & summatim meliora, atq; omnino robustiora in Aquiloniis exeũt, augẽtur, atq; proficiunt, densæ in longitudinem potius, ideoq; enodes, rectę proceræq; fiunt. Apricis autẽ in profunditatem, & crassitudinem distẽduntur, propterea obliquiores, nodosiores, atq; in totũ solidiores, spissioresq; assurgunt. Has easdẽ differentias habent quę opacis afflatuq; permotis nascuntur, nodosiores enim, breuiores, minusq; rectæ, quæ apricis, quàm quæ flatibus expositis exeant. Alibi verò. Omnis autem materies amplior, procerior, obedientior, solidior atque in totum melior, copiosior, quæ partibus aquiloniis exit, & ipsius arboris partes, quæ Aquilonem aspiciunt, spissiores adulescentioresque constant, quæ verò ab latere, aut in orbe perflantur, hæ vertuntur, contorquenturq, Aquilone, vt medulla earum contraria sit, nec in rectum porrecta. Est & circa hæc Vitruuij sententia de materie loquentis, quæ in Apennino monte nascitur. Eius montis iugum se circumagens, & media cui natura propè tangens oras maris Adriatici pertingit circuitionibus contra fretum. Itaque citerior eius curuatura, quæ vergit ad Hetruriæ, Campaniæque regiones, apricis est potestatibus: namque impetus habet perpetuos à Solis cursu.

Vlterior autem, quæ est proclinata ad superum mare, septentrionali regioni subiecta, continetur vmbrosis & opacis perpetuitatibus. Itaque quæ in ea parte nascuntur arbores, humida potestate nutritæ, nō solùm ipsæ augentur amplissimis magnitudinibus, sed earum quoq; venæ humoris copia repletæ turgentes liquoribus abundantia, saturantur. Quum autem excisæ, & dolatæ vitalem potentiam admiserint, venarum vigorem permutantes siccescēdo propter raritatem fiunt inanes, & euanidæ, ideoq; in ædificiis non possunt habere diuturnitatem. Quæ autem ad Solis cursum spectantibus locis procreantur, non habentes interueniorum raritates, siccitatibus exuctæ solidantur, quia sol non modo ex terra lambendo, sed etiam ex arboribus educit humores. Itaque quæ sunt in apricis regionibus spissis venarum crebritatibus solidatæ, non habentes ex humore raritatem, quum in materiam perdolantur, reddunt magnas vtilitates ad vetustatem. Hucusque Vitruuius. Sed mihi firmiores quæ in montibus nascuntur videntur, vtpote quæ validioribus ventis perflentur. Ingenita enim natura, tanquam aduersus hostes sese obfirmant. Quod testatur Seneca. Non est arbor solida, nec fortis, nisi quam frequens ventus incursat: ipsæ enim vexatione cōstringuntur, & radices altiùs figunt: fragiles verò, quæ aprica valle creuerint. Chiron Achillis hastam in Pelio monte, vt esset præstantior, excidit. Varro in montanis prolixiora, & firmiora nasci scripsit, propter frigus, & montanas syluas aliis præstare. Apuleius montem syluosum in villa copiosum habere oportere dixit, sponte naturæ productum, qui si non contingat, non difficile est etiam montes syluosos plantare. Etenim syluestrium arborum semina sunt, quæ disseminata syluam producere possunt. Sed in siccis locis non valdè succedit. Nos vt sylua in palustri concrescat, ita curabimus. Agrum aratro versabimus, omnemq; cespitem radicitus extirpabimus, post id ad exortum semina quæsita spargemus: hac satione locus plantarum copia refertus reddetur, quibus maxima ex parte humor exhuberans exhauritur, tunc & radicum accretione, caducorumq; foliorum, & surculorum pullulatione, in dies solum reddetur subleuatius, & siccius. Arbores præterea, quæ spontè nullaque adhibita cura nascuntur, in humidioribus locis frequentiùs, vberiusque nascuntur. Quod Virgilius ostendit.

Sponte sua veniunt, camposq; & flumina latè
Curua tenent.

De humidis syluis & ad septentrionem vergentibus maximis copiosisque multa adsunt Poëtarum testimonia. Lucanus de Hyrcania:

Vidit ab Hyrcanis, Indoq; à littore, syluis.

De Hybla Scythiæ prouincia Valerius Flaccus.

Densior haud vsquam, nec celsior extulit vllas
Sylua trabes, fessaq; prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam peruenere cacumen.

Est in septentrionali plaga Hercynia sylua, cuius miracula Plinius recenset: quæ

quæ omnia miracula excedunt. Theophrastus syluestres esse arbores, quæ maximè aquosis gaudent, vt populus, salix, & omnia denique, quæ secus fluuios nasci solent: de quibus posterius loquemur.

De stirpium diuisione, & dicendorum ordine. CAP. III.

ANTEQVAM rusticæ rei tractationem aggrediamur, visum est, vt quæ dicenda sunt, suis locis digesta pertractentur, totius operis diuisionem meo more ordinatim quasi in tabellam expictam legentium oculis proponere spectandam. Naturale omnium stirpium discrimen, & quod omnia præcedere debet, si Aristoteli, Theophrasto, cæterisq; credendum est, vrbanum erit & syluestre: ob id de syluestribus prius. Syluestres, aut feras arbores, vocamus eas, quæ cultum horrent, quibus si adhibueris, non solùm non mitescunt, sed deteriores redduntur: ope non gignuntur humana, sed sui cuiusque ingenij semina ferunt. Vrbanæ autem, quæ absque cultu viuere nequeunt. Plinius. Quæ mites fructu, vel aliqua dote vmbrarúmve officio humaniùs viuunt, non improbè dicantur vrbanæ. Hæc cura mortalium eueniunt. Et hæc iterũ Theophrasto authore diuidemus. E stirpibus quas terra edit, quædam in arbores attolluntur, aliæ in frutices exiliunt, sunt quæ humiliori statu contentæ solùm exeunt in herbam. Arborem appellat Theophrastus quicquid ab radice statim simplici caudice brachiatum ramis, surculosum, dissolutumq; contumax assurgit, quemadmodum olea, & ficus. Fruticem verò (seu mauis dicere cremium) quod ab radice multiplici, ramosumq; sese profert: qua nobis appellatione rubus, & hedera continetur. Herbam quod ab radice foliatum, sine caudice proueniat, sæpiusq; semen caule ferat, vt frumenta, & olera. Iis tribus veluti summis fastigiis omnes stirpes comprehenduntur. Ex herbarum genere porrò quædam fruticantur, quæ ramulis compluribus, surculisq; lignosis scatent, sed minutis constant foliis, has veluti fruticum rudimenta quædam, suffrutices aliqui appellare maluerunt. Græci φρύγανον vocant. Possunt tamẽ quædam cultus mangonio à sua natura desciscere, vt ad aliud genus permeare videantur, vt malua, quum senis septenisq, mensibus tanta crassitudine, longitudineq; proficiat, vt instar arboris grandescat, & ad vsus baculi veniat. Frutices quoque nonnulli vetustate in arbores degenerant, vt vitex & hedera. Arbusculæ itidem quædam si dimittantur syluescere, in frutices transeunt. Hoc naturarum germanitas præstat, vt vna in alteram se facilè vertat. Nos hunc ordinem sequẽdo in Syluis syluestres arbores describemus, in Pomario, & Oliueto domesticas, in Vinea & Arbusto vitem, fruticem, in Horto, coronario suffrutices, in olitorio herbas, in Segete, & Pascuis herbacea.

De syluestrium arborum genitura, natura, morbis, & physiognomonia. CAP. IIII.

NVNC de syluestrium arborũ genitura loquemur. Arbores, Theophrasto authore, sponte, radice, semine, auulsione, ramo, surculo, & cæteris

generantur, vt latius in quarto libro dicetur. Quę semine, radice, & sponte nascuntur, naturales maximè sunt, & ideo syluestrium generi accommodantur: reliquæ hominum arti & electui destinatæ. De his dicetur, quum de vrbanis loquemur. Est syluestrium arborũ natura vrbanæ similis, breuioribus tamen foliis, ramis, radicibus, & tota forma: quippe scabriora, spissiora, duriora, contortiora tam ipsa fieri solent, quàm vniuersa natura, sicciora enim, & tenuiora, atq; etiam spinosiora. Florent, sed parum durat florũ prouentus. Præueniunt germinatione vrbanas, plus fructus præmonstrant, minus maturant. Fructus producunt, quorum semen, siue os, pinguius, pulpa verò macilentior. Semina maxima crusta munita pręferunt, sapore acri vehementique. Fructus odoratiores. Sunt spinosa, horridaque, quod ex nimia siccitate prouenit. Vitæ longęuæ, diutiusq; perennant. Radices lignosas habent, longas, & procurrentes, etsi sint, qui dicant summæ cuti telluris inhærere. Fructificatio sera. Sunt plerunq; sterilia, & parum fructificãt, propter spissitudinẽ, & virium bonitatem, & molis totius largã nutritionẽ infœcunda reddũtur. Euenit namq; vt huiusmodi arbores alimẽtum ad se nutriendas absumant: quum enim fructificatio partem alimenti superuacuam desideret (ex hac enim fructus exoritur, sicut in animalium genere semen effici solet) si se aliorsum assiduè pars illa conuertat, absumaturque, tolli generationem necesse est: haud enim natura vtriq; partĩ satisfacere potest, quum alimentum, quantum suffecturum sit, capere nequeat. Omnes ferè, quæ magnitudine maiore se attollunt, minorem generant fructum, vt ficus indica: hæc enim & si mira quadam sit magnitudine, fructum exiguum admodum, eundemque fert paucum, vt quæ ad generandum totum absumat alimentum. Indoles, ex qua syluestribus arboribus cœlum & solum conuenientia distribuemus, ex his pendere videtur. Ne nimia frigoris acerbitate, & ventorum agitatione, oculi, & tenera pullulantium germina torperent, obrigerentque, natura eas perpetua fronde vestiuit & decorauit. Et quia eas ventosis locis, & frigidissimis amandauerat, ne perpetuis gelu & niuibus è cœlo decidentibus earum comæ onerarentur, néve diutius insidere, & inhærere possent, folia, pectinum modo dissecta, promissa, & capillamenti modo angusta, prætenuiaque largita est. Et quia ventosis locis permansuræ, ne eadem ampla folia ventos concipientia eas deturbarent, aperta dedit, vt vndique venti peruij dilaberentur, & euaderent. Altis firmisque radicibus etiam obfirmauit, vt quantum ad æthera extollerentur, tantum radĩces ad ima terræ demergerentur, ne maxima turbinum procella, vel quando Boreas proteruo spiritu furit, radicitus euellerentur. Quia frigorum, & siccitatum in montibus incolæ futuræ erant, ne earum succus exiccaretur, absorberetúrque flatibus, oleosum, pingue, piceum, & resinosum succum eis contribuit, vt diutiùs contra eos tutarentur: & ne ventus etiam nimię earum proceritati officeret, caudicem neruosum, rectum, firmumq; dedit, quòd cederet, non frangeretur, aut dum agitantur, commouenturque, deturbarentur ab

eis.

eis. Morbos ſylueſtribus arboribus accidere negant, quibus intereant, tamen quoque eas malè affici dicunt, perſpicueque, præcipuè quum germinare incipientes, vel paulò poſt germinationem, vel florentes, grandine vexantur, quumq; flatus frigidus, feruidusque his eiſdem temporibus ſucceſſerit: tempeſtiuis autem hyemibus, nec ſi excedant quicquã offendi, quinimmo omnibus algorem prodeſſe volunt, quippe niſi alſerint, deterius germinare. Sed violenta affectio ſylueſtres & vrbanas interimere poteſt, vt corticis in orbem detractio, excepta adrachne, & ſubere, immò hanc iuuari potius dicunt. Decacuminatio etiam quibuſdam affert mortem, vt pino, abieti, piceæ, & palmæ: quidam cedro & cupreſſo referunt. Hæ nanque detracta coma, deciſoque cacumine, totæ intereunt, nec quicquam germinant, ſicut nec ſi aduſtæ aut totæ, aut aliqua pars fuerit.

De cædenda materie & conſeruanda. CAP. V.

QVONIAM ſyluæ inſtitutæ ſunt ad cædendam materiem, ideo de eius ratione tractandum. Multùm enim refert ſi arbores tempeſtiuè cæſæ fuerint: nam firmiores, diuturniores, & æternæ fiunt magis, neque à carie, & tineis prærodentur, & hac ratione ædificia in longius tempus permanſura ſunt, vt nõ ſolum nobis, liberisq; noſtris, & reliquis ſucceſſoribus, cõſulamus, ſed publicis rebus, vt diutius perennent. Optimi materierum cæſores antiquitus magno pretio habiti ſunt, quum magno Reip. vſu eſſe cognoſcerentur. Vnde his munerũ vacatio tributa fuit, authore Calliſtrato iureconſulto. Sidonij cæſores maximè laudati ſunt. Salomon exædificaturus Dei molem, ad Iromum Sidoniorum Regem literas miſit, vt ſuorum cæſorum opera vti liceret, qui in monte Libano cedros, cupreſſos, & abietes cæderent. Nos primùm quæ à maioribus noſtris narrata reperimus, referemus, quæ ſumma diligentia rationeq; adnotarunt, mox ſequemur & noſtra, ſi quæ ipſi ex maioribus experti ſumus, aut peritiorum artificum monitis adnotauerimus. Theophraſtus materiem quidem rotundam tempeſtiuũ cædi dicit, & omnem quę decorticanda accipitur, quum germinare incipit: tunc enim cortex extricatu perfacilis eſt, quod turgere appellant, ſcilicet ratione humoris, qui ſub eo cortice fieri ſolet. Poſtea inextricabilis redditur, materiesq; nigreſcit, informisq; fit. Quadratam autem poſt turgorem, ſecuris autem deformitatẽ aufert: deniq; omne, quod pro valido capi oporteat, tempeſtiuius cæditur, non ſolum quum germinare deſierit, ſed etiam quum fructum percoxerit. Quæ aptæ obrui ſunt, aliquando poſt meſſem, aliquando poſt vindemiam & arcturum cæduntur. Robur ſeriſſimè cædendum, ſcilicet hyeme poſt autumnum: quòd ſi ſub turgore cædatur, citiſſimè omnium ferè cõputreſcit, ſeu cum cortice, ſeu ſine cortice capiatur. Potiſſimum quæ primo turgore, proxima quæ ſecundo, tertia quæ tertio. Quæ autẽ poſt fructuum maturitatẽ cæduntur, quãuis nõ turgida ſint, incorrupta perdurant, præterquã quòd ſub cortice vermiculi quidã naſcẽtes, caudi-

Theophr. de hiſt. plant. lib. 5. c. 1.

Plin. lib. 16.c.39.

cem per summa inscribunt. A quo Plinius. Cædi tempestiuum quæ decorticentur, vt teretes, ad templa, cęteraq; vsus rotundi, quum germinant, aliàs cortice inextricabili, & carie subnascente ei, materiaq; nigrescente. Tigna ex quibus aufert securis corticem à bruma ad Fauonium, aut si præuenire cogamur, Arcturi occasu, & ante eũ Fidiculæ. Nouissima ratione solstitio. Cato de materie cædenda hæc habet. Materies pro ridica, vbi solstitiũ fuerit ad brumam, semper tempestiua est. Quæ materies semen habet, quum maturum semen habet, tunc tempestiua est: quæ materies semen non habet, quum glubet, tunc tempestiua est. Ea quæ semen viride & maturum habet, vti est semen de cupresso, & pino, quisuis anni temporibus legere possis. Item quisuis anni temporibus matura est, & tempestiua, ibi dum sunt nuces bimæ, inde semen excidet, & anniculæ, vbi primũ incipiunt hiascere, tum legi oportet, tum primùm per semen incipiunt maturæ esse, postea vsque adeò sunt menses octo. Vitruuius hæc addit. Materies cædenda à primo autumno ad id tempus, quod erit antequam flare incipiat Fauonius. Vere enim arbores omnes prægnãtes sunt, & vires omnes suas in frondes, & anniuersarios fructus effundunt: quum ergo temporum necessitate inanes sint, ratione constat euanidas, & imbecilles esse. Quod in mulieribus videre est, vt à conceptu vsque ad partum, neque sanæ, neque validæ iudicentur: nam in corpore præseminatio crescens ex cibo detrahit alimentum in se, & quo firmior efficitur ad maturitatem partus, eò minus patitur esse solidum. Ædito fœtu alimentum quod prius detrahebatur, nunc inanibus, & patentibus venis in se recipit, solidescit, & redit in pristinam naturæ firmitatem. Eadem ratione arbores fructum maturantes, humorem effundentes, raræ, & languentes fiunt: vbi fructum emiserint, succum in se retinent, & quiescentes reficiuntur, & restituuntur. Mox hyemis vis comprimit, & consolidat eas: ergo si eo tempore cædantur, materies erit tempestiua. Cassianus ex Varrone. Ianuario mense ligna ad ædificandum, & operas cædi dixit, & si necessitas postularit, Iulio. Hesiodus post autumnum arbores secandas iubet.

Tunc operum multò ante memor discinde securi
Syluam incorruptam, tunc germina desinit arbos
Fundere, datq́; suas volitare per aera frondes.

Nunc syderum ratio declaranda est. Infinitum referre aiunt ad materiẽ secandam lunæ æstates, cum anni temporibus. Luna in syluis Diana vocitata est, Deaq; nemorum habita, quòd hęc arboribus succum inculcet. Rei agrestis doctores materiem non nisi decrescente Luna secari debere dicunt: vnaq; sententia consenserunt omnes. Theophrastus duritiæ causa cædi post Lunę occasum præcipit, quasi duriora, & computrescere peruicaciora forent. Plinius. Inter omnes verò conuenit vtilissimè in coitu eius sterni, quem diem alij interlunium, alij silentis Lunæ appellant. Sic certè Tiberius Cæsar concremato ponte naumachiario, larices ad restituendum cædi ex Rhetia præfiniuit. Quidam

dicunt

dicunt, vt in coitu, & sub terra sit Luna, quod fieri non potest nisi noctu. At si competant coitus in nouissimum diem brumæ, illa æterna fit materies; proximè, cum supradictis syderibus. Quidam & Canis ortum addunt, & sic cæsas materies in forũ Augusti. Cassianus addit suis præceptionibus cædendorum lignorum Luna sub terris latente, & in coitu existente, additque rationẽ: quia Lunæ lumen ligna molliora facit. Quod idem & Diophanes confirmat. Hesiodus post decimum septimum diem Lunæ.

Septima post decimam Cereris terat hordea sacra,
Ingentemq; licet ferro discindere syluam,
Ac varias aptare trabes, quibus ardua tecta
Moliri, ac structam possis agitare carinam.

Cato hominũ summus in omni vsu de lunaribus diebus hæc ait. Materiem omnem, quam effodies, Luna decrescente eximito, post meridiem sine vento Austro. Caueto ne per rorem trahas, aut doles. Idemque mox. Nisi intermestri Luna, atque dimidiata ne tangas materiem. Tunc ne effodias, aut præcidas abs terra: diebus quatuor proximis, quibus Luna plena fuerit, optimè eximitur. Omnino caueto nigram materiem doles, néve cædas, néve tangas nisi siccam, néve gelidam, néve rorulentam. Tiberius idem & in capillo tondendo seruauit interlunia. M. Varro aduersus defluuia pręcepit obseruandum id à pleniluniis. Columella à vigesima vsque ad trigesimam dixit. Vegetius à quintadecima vsq; ad vigesimam quintam ad naues fabricandas. Hoc modo innocentius secatur nitidior, solidiorq; materies, & immunis à carie conseruabitur. Huiusmodi rei Astronomi rationem dicunt, quòd in Lunæ motu omnis rerum humor commoueatur: ergo humore Lunam versus ad vltimas radicis fibras aut retracto, aut destituto; cætera materies purgatior relinquitur: Inde deficiente, exhaustam tunc dicunt arboris crassam illam pituitam, quæ quidem ad citam illam putredinem imbuendam prona erat. Constat etiam frondes arborum Luna decrescente præparatas non putrescere. Contra verò crescente Luna, ac eius plenilunio præcisa, inepta fabricis operibus per humoris conceptionem erit, & marcescet, vt eo ipsomet anno vermium labe exesa, in puluerem fatiscat, quod omnium Architectorum quotidiana opera perdocet: nam augescente Luna, corpora ipsa implentur, humoreq; exuberant, porrò humidũ ipsum sua natura parua temporis intercapedine corrumpitur. Nunc cædendi modum exponemus: nam multo fideliores putant futuras si non statim prosternantur. Modum Vitruuius docet. Cædi autem ita oportet, vt incidatur arboris crassitudo ad mediam medullam, & relinquatur, vti per eã exsiccescat stillando succus, vt qui inest in his inutilis liquor effluens per torulum, non patiatur emori in eo saniem, nec corrumpi materiæ qualitatem. Tum autem quum sicca, & sine stillis erit arbor, deiiciatur, & ita erit optima in vsu. Hoc autem ita esse, licet animaduertere etiam de arbustis. Ea enim quum suo quæque tempore ad imum perforata castrantur, profundunt

è medullis quem habent in ſe ſuperantẽ & vitioſum per foramina liquorem, & ita ſicceſcendo recipiunt in ſe diuturnitatem. Qui autem non habent ex arboribus exitus humores, intra concreſcentes putreſcunt, & efficiunt inanes eas & vitioſas. Ergo ſi ſtantes , & viuæ ſicceſcendo non ſeneſcunt, ſine dubio quum eædem ad materiem deiiciuntur, cùm ea ratione curatæ fuerint, habere poterũt magnas in ædificiis ad vetuſtatem vtilitates. Eadem Plinius, & Palladius: & omnes iubent ſtantes arbores, vſq; ad medullam concidi, vt ſanies & malus ſuccus ſtillando effuſius depleatur. Sunt inſuper qui tradant, arborem faciliùs cædi, ac celerius inareſcere, ſi manu prius palpetur, quàm ſecuri feriatur. Mirum profectò eſt, quod Anaxilaus, & Nicander Græci authores prodidere. Hic enim minimè algere cædentes, alligata ad arborem amphiſbœna ſerpente. Ille verò arborem linteo, & aſbeſtino lino circumuolutam ſurdis ictibus, qui non exaudiantur, ſcindi. Sed cæſa materies cuſtodiẽda eſt, nec temere negligenda, diutius duratura. Eam conditam habere oportet loco, vbi graues ſoles, & acres ventorum afflatus non appellunt, ſed vmbra penitus cõtectam eſſe oportet. Veteres architecti huius gratia fimo maxime ouillo illinire obſeruarunt: rationem aſſignat Theophraſtus, quod obturatis egreſſibus, concreta pituita, immodicaque vis vaporum per medullam ſenſim inſtillat, atque reſpirat, quo fit, vt reliqua ligni ſiccitas ſiccando coæqualibus condenſetur. Stantes autem cacumine inuerſo commodius ſiccari dicunt. Idem defoſſam materiem multo denſari arbitratur. Cato iubet cæſam materiem amurca illiniri, quo à tinea & carie ſit immunis. Præterea in ſuccidenda ſylua hoc duximus animaduerſione dignum: nam materies ſi vel ignis gratia, vel aliorum operum cæditur, alia atque alia ratio erit. Eo modo ſylua ſecetur, vt arboribus & reliquis radicibus conſulatur, aliter pœnitenda iactura ſequetur. Itaq; multi ante Fauonium, & ipſam germinationem cædi tempeſtiuum arbitrantur, alii poſt Brumam. quod ex loci natura proſpiciendum eſt: nam in calidis regionibus minus innocuè fit. Quod ſi contra in frigidis, ſequens vis hyemis ſtipites ſupernè exurit, adfertque non minimam, propter vniuerſitatem, calamitatem futuris germinibus. Verum qui in iiſdem locis factitant, hoc etiam præcauent, ne in ſyluis ad Septentrionem, & ipſum Boream verſus, ſed tantum ad Meridiem, & apricis expoſitis: ſed ne etiam in cæteris feſtinantiùs peragant, ne frigus intempeſtiuius nonnunquam adueniens nouella germina propter feſtinatam cæſionem præcocia adurat. Quidam autem longè poſt germinationem propter corticis vſum ſecant. Qui ſtantibus adhuc plantis corticem eximunt, maximè verò roboribus, & quercubus, & vlmis, ligni quidem & corticis duplex lucrum captantes, quod quum ſibi ipſis ſatagere cupiunt, ſibi tamen præuident nequaquam. Enimuero hoc modo germinationem retardant, tum etiam caudices maiori lachrimarum vi exiccantur, vt infernè etiam tardius, minusq; vbertim & proſperè regerminent.

De cedro magna. CAP. VI.

Acedro

A Cedro incipiemus, quum nulla in historiis celebrior, & tot tantisq; authorum præconiis illustrior: imitabimurq; Salomonem sapientissimum illum loquutũ à cedro, quæ in Libano, vsq; ad hyssopũ, quæ exit ex pariete minima. Tã vastæ magnitudinis est arbor, vt non coniferas modo, resiniferasq;, sed omnes, quas terra gignit, amplitudine superet. Erat apud antiquos æternitatis, & nobilitatis symbolum: æternitatis quòd eius materies nõ putrescat, nec cariem patiatur: & cedro digna loqui dicebantur illi, qui ea scribunt, quæ nulla temporis iniuria sit abolitura. Nobilitatis: legitur in Ezechiele aquilam passis alis minabundam ad Libanum applicuisse, cedriq; medullam & surculos abstulisse, & Babylona transtulisse, interpretatum est ab Adamantio Nabuchodonosora Babyloniæ Regem ad Libanum, id est Iudeæ claritatem peruenisse, abstulisseq; medullam cedri, id est nobilitatem extirpasse.

Nomen. Græcis κέδρος, Latinis cedrus. Sed magnã cedrũ, de qua hic loquimur, Græci κεδρελάτην vocant, composito nomine ex cedro, & abiete, quæ ἐλάτη iis dicitur, quasi cedrabies. Plinius à Græcis cedrelatẽ vocari dixit. Refert Moses Deum mandasse Noe, vt ante cataclysmi diem arcam conderet, qua humanum genus, cunctaq; animantia includerentur, vt ab imminenti morte defenderet ex lignis gofer, quod cedrum interpretantur, tum Philo Iudæus in libello biblicę antiquitatis, tũ Talmutistę omnes, quũ arca eximię magnitudinis futura esset. *Italis cedro.*

Descriptio. Ex Theophrasto describemus. Inter syluestres perpetuò viret folio, angusto, & in extremitate pungẽti. Caudice procero, lęui, & enodi. Radice per summa vaga. Mutilatione, seu decacuminatione posse interire refert in causis, ratione siccitatis, rectitudinis ac radicis simplicitate: desuper enim incũbens pestis caloris, frigorisve, facilè ad ima vsq; trãsmittitur, quia recta. Dioscorides tũ libro primo, tum quinto magnã cedrũ iuniperi baccas ferre scripsit. Et etiã cedri magnæ baccarũ meminit, in qua fœdissimè hallucinatus est. Plinius de magnæ cedri generibus loquens ait. Quæ floret, fructũ non fert: fructifera nõ floret, & in ea antecedente fructus nouus occupat. Quę verba è Theophrasto trãstulit, libro tertio, de iunipero loquẽte: Iuniperi duo genera, quæ floret fructũ non fert. fructifera nõ floret; cedro insulsè tribuẽs, quæ Theophrast⁹ iunipero asscripserat. Folio capillato, & pũgenti. Radice maxima spatio & plenitudine. Decacuminatione perit, vel cacumine ignibus adusto. Nos relatione Petri Negroni, totius orbis peragratione insignis, ita describemus, quas in Libano monte se vidisse fatebatur: ferebatq; secũ conos multos, quos habuimus. Arboris facies turbinata à summo, caudice excelsissimo, cuius pars ima scabra, superna glabra, à terra ramosa. Rami trãsuersi hęrent, vt arte infixi videãtur ad scandendũ. Conos ad cœlũ tendẽtes gerit, abiegnis similes, crassiores, maiores, durioresq;, quinq; aut sex digitorũ longitudine, colore ex cinereo fuluos, pertinaciter hærentes ramis, cõpactili squamarũ, ceu cupressorũ, congerie coagmẽtatos, atq; obtusos. Coni post duos annos hiantes paulatim, vẽtis, & pluuiis decidunt, relicto in ramo pediculo firmo, quo per mediũ coni traducebantur.

Horum meminit Plinius libro sextodecimo, Quorum & hastula infixa est. Semen abieti simile, dulce, vt pineæ, retinens oleosum quoddã odoratissimũ.

Cœlum. Theophrastus de cedro loquens. Quæ locis algentibus valent perdurare, hæc plus caloris sortiri, vt cedrum: super hac enim nec niuem posse durare autumant, ratione caloris. Et ex loci proprietate Syriam cedros ferre scripsit. Plinius scripsit in Creta, Africa, & Syria laudatissimam nasci. Cedrum natura æstuosis partibus dederat, at in Lyciis, Phrygiisq; montibus nascitur. Sed præcipue in monte Libano nascitur, teste contra Appionem Iosepho, toties sacris literis commemorata: Quasi cedrus exaltata sum in Libano. Vitruuius nasci scribit in Creta, Africa, & nonnullis Syriæ regionibus. Cedros insula in littoribus Germaniæ est, quod cedri arbore referta sit, sic appellata.

Materies. In Syriæ montibus eousq; crassescit latitudine cedrus, vt quatuor hominũ vlnis cingi nequeat. Adde his pulchriores in hortis comperiri, ita quod in Cypro Reges tum ex imperitia, tum ex transuehendi difficultate nunquam materiem cæciderunt. Longitudo his, quæ ad vndecitemem Demetrij Regis cæsæ sunt, * passuum tredecim, quod Herodotus primùm, mox Theophrastus, & eum secutus Plinius scripsit. Syri ad triremes vtuntur. Simulachra ex ea fieri solent: nam rimas non capit, & carnis æqualitate quodammodo constare videtur. Eius materies nata est humorem emittere, & in plenum omnes, quibus oleosus est humor: quamobrem deorum statuæ visæ sunt aliquando sudasse: ex hac enim condere consueuerunt. Plinius. Materiæ verò ipsi æternitas, itaq; & simulachra deorum ex ea factitauerunt. Cedrinus est Romæ in delubro Apollo Sosianus Seleucia aduectus. Cedrum æternum putant claro de omnibus materiis indicio in templo Dianæ Ephesiæ, vtpote cùm tota Asia extruente, quadringentis annis peractum sit. Conuenit tectum eius esse è cedrinis trabibus. Memorabile & Vticæ templum Apollinis, vbi Numidicarum cedrorũ trabes durant ita, vt positę fuerint prima vrbis eius origine, annis mille, centum, octogintaocto. Vitruuius, Ephesi in æde simulachrum Dianæ, & etiam lacunaria ex ea, & ibi, & in cæteris nobilibus phanis propter æternitatem sunt facta. Ex cedrinis etiam lignis domus Dauidis Regis in Hierosolyma ciuitate erat, quæ illi Iramus Rex Tyri miserat. Templũ illud Salomonis, quo nil vnquam in rerum natura mirabilius visum est, columnis & trabibus cedrinis stetit, vt libro Regum scribitur. Et dirutum iterum trabibus cedrinis reædificatum, permittente Cyro Persarũ Rege. Arca fœderis, quam Deus Moysi iusserat exædificari, ex materie sittim compacta fuit: est autem sittim, vt interpretes voluerunt, electissimum cedri genus. Virgilius Laurenti regiam describens, in eius vestibulo auorum effigies, Latini Regis è cedro fuisse scribit.

** orgyiarũ. Plin. 130. pedum.*

Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua ex cedro, Italusq́; paterq́; Sabinus
Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem,
Saturnusq́; senex, Ianiq́; bifrontis imago,

Vesti-

Vestibulo astabant.

Cedro sunt tubera, sicut sunt in carne glandia: in iis nec vena, nec pulpa, quodam callo carnis in se conuoluto. Sectilis quoq; in laminas: cuius operimento vestitur alia materies. Clauum non tenet, ex Plinio. Apud Homerum Calipsus ad nocturna lumina odoratam cedrum comburit. Ex quo Virgilius.

Proxima Circeæ raduntur littora terræ,
Diues inaccessos vbi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisq; superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Ex cedro laudatissima resina, vt Plinius inquit, cuius pix cedria vocatur. Defuncta corpora incorrupta æuis seruat, viuentia corrumpit. Mira differentia, quum vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita sit. Crassiorem resinam, & ad picem faciendã cedrus fundit. Eo liquore peruncta materies nec tineam, nec cariem sentit. Ideo cedratos olim Numæ libros Hemina tradit, quòd eos nulla attigisset tinea, nec etiam vetustatem experti essent: miraculo quòd tot infossi durauere annis; quippe DXXXV. In quibus scripta erat philosophia Pythagorica. Virgilius eius nidore serpentes abigi cecinit: *Resina.*

Disce & odoratam stabulis accendere cedrum.

De minoribus cedris. CAP. VII.

ETSI de coniferis primùm scribere proposuissem: quum cedri species plures sint, eæq; bacciferę, ne perirent, visum est ei subiungere. E Theophrasti verbis quisque coniicere poterit maiores cedros à minoribus diuersas esse. Plinius maiores à minoribus distinxit. Galenus magnam cedrelatem vocauit, minorem fruticosam, & iunipero similem. Theophrastus minoris cedri duas species ponit, Phœnyceã alteram, Lyciam alteram. Idæi simplicẽ dicunt: sed alteram ab altera differre, ob foliorum acutorum differentiam; quam oxycedron vocant. A quo Plinius. Duo eius genera, Lycia, & Phœnicea. Differunt folio: nam quæ durum, acutum, spinosum habet, oxycedros vocatur, ramosa, & nodis infesta. Altera odore præstat. Auicenna de genere pini esse dicit, habere fructum similem cupressi fructui, sed eo minorem, & habere spinas. Et est duarum specierum, quarum vna longa, altera breuis. Theophrastus minorem cedrum describens ait. Arbor iunipero nõ absimilis, sed cedro folium acutum, spinosum, & durum, subsistens infra iuniperi magnitudinem. Caudice contorto, nodoso, & frequentibus alis. Materie æterna, ne cariem quidem vllam sentiente, corde referta, rubea, & odorata. Sed fructus odoratus, ruber, & esculentus, iunipero similis, durans annum: prius non decidens, quàm subnascatur alius. Arcades fructus in eo ternos eodem haberi tempore confirmant, id est anniculos, qui nondum maturescant, & bimos, maturos quidem, sed qui gustu respuantur, trimos, qui mandi possint. Satyrus vtramque sibi à rusticis allatam sine flore, cupresso similem, scabriore tamen cortice. Radices

Genera. *Descriptio.* *Theophr. paulo aliter.*

solutæ, summa telluris cute hærent. Serotino fructu: nam quæ perpetuò virent, tardè fructifi cant. Est præterea fructus pinguis & lentus, ac quadã gliscens, vnde quamuis non magnus, confici tamen difficilè possit. Quoniam talis est. Plinius vltra prædicta, quæ retulimus verba, dicit fructum ferre myrti magnitudine, sapore dulcem. Phœniceam describemus, quæ nobis ab Istria affertur: Gaza Punicam vertit, quæ ab aculeorum ingenti asperitate, oxycedros omnibus dicta. Caudice cute potius, quàm cortice vestito Folio perpetuo, a state alacriori, acuto, fere trigono, ramis diffusis & contortis. Non floret, nisi florem dicere mauis foliola lena, quæ fructum circumsepiunt. Fructu semper grauida, anniculo succedit nouus, qui singulares sunt baccæ granula alba intus copiosa cõtinentes. Dioscorides, & Plinius cedridem vocant. Edulis, vere viridis, mox fuluus, demum rubescens. Lycia altera à prouincia nomẽ habet, ab obtusis foliis retusa dicta, folio obtusiori & frequentiori, tamarisci similitudine: Caudex subrubet, vitigineo cortice obductus: in reliquis iuniperũ refert. Folio quasi squamulis compactilibus coagmentato, digitorum attritu suauem odorẽ spirante. Bacca per initia viridis, mox flauescens, postremo ad rubrum declinans, gustu subamara, odorataque. Theophrastus saxosis locis, & frigidis nasci, & solum eiusmodi quærere dixit.

Cælum solum.

De abiete. CAP. VIII.

DE abiete, eadem conifera, resiniferaq; scribemus, quæ nec longitudine, amplitudineq; magnæ cedro cedit. Macrobius inter felices arbores annumerauit. Græcis *ἐλάτη*, ab *ἐλάω* id est impello, & prolongo: nam in præcelsam proceritatem assurgit. Hac etiam ratione à Latinis abies dicta est, quòd in cœlum abeat. Italis *abete*. Ἐλάτη etiam inuolucrum, calycémve fructus palmarum adhuc florentium significat, vt etiam appellari dixit Dioscorides. Vnde in causa fuit, vt Plinius turpiter erraret: nam de vnguentis loquens, ait: Est præterea arbor ad vnguenta pertinens, quam alij elatem, alij abietem, alij palmam, alij spatham vocant. Nos descriptionem à Theophrasto diuisim traditam, & disiectam, in vnum corpus coaptabimus. Primò quæ in vniuersum, mox quæ cuique generi conueniant, declarando. Surgit arbor recta, & magnitudine excelsa, totaq; forma decora. Corpus, cæpæ instar multiplici cortice tunicatur, assiduæ nanque tunicæ compactæ, subditæ aliam gerunt, atq; ex iis tota constat. Rami plures, duri, vel ramorum omnium durissimi, spissi, cornu sanè imitantes, colore flaui, tædæ similes, ordinati, vtrinque miro ordine inuicem sibi respondentes, nodosi. Folio semper virenti, raro, ac pectinatim insecto, in extremitate pungenti. Flore croceo, specioso, paulò ante solstitium se aperienti. Fructu autem post Vergiliarum occasum. Radice neruosa, singulari, ad ima descendenti, multis hirsuta capillamentis. Arcades non in profundum radices agere dicunt, vt radicibus flatu euertatur. At Idæi abietem altiùs quàm subit, radice descendere volunt, verùm radice simpliciore, ac meatu rectiori.

Nomen. *Descriptio.*

ctiori. Quum germinat, ter germinationem intermittit, ternaque germina edit, ideo τρίγονος appellatur. Fit prima germinatio Februario incunte, quamquam in Ida monte seriùs, ac ferè Idibus. Iterum germinat intermissis triginta diebus, aut paulò pluribus: sic fit, vt dum prima cacumina propelluntur, se cutis aperiat geniculato incremento, velut articulatim, vel sursum, vel in latera fundentibus surculis, idque fieri solet exitu Martij. Tertia germinatio Aprili mense, diebus scilicet quindecim intermissis, nec diutiùs senis, aut septenis diebus durat: clariùs tunc cernuntur incrementa non in longitudinem, sed in corpus incrementa vertuntur. Arborum germinationes cùm in plerisque, tum maximè in abiete conspiciuntur, quum genicula in versus rectos porrigantur, ramique ex æquo conditi procedant. Auctio, ac germinatio reliquis incerta est, tum modo, tum germine, sed abieti certa, continua, atque præpostera. Quum enim primùm scissum de caudice fuerit, rursusque de eo alterum finditur, idque assiduè factitatur post quemque germinationis superuentum. Amentifera est, autumno enim postquam folia decidêre, peculiare eius cõfestim gignitur, quasi grauida intumescat, vt germina pariat, duretque per hyemem vsq; ad ver. Præciso caudice reuiuiscunt omnes, abies verò inarescit omnino anno eodem, etiã detõso cacumine. Euenit peculiare quiddam abieti, quum enim præcisa, vel vento aliàve re quapiam, afflicta fuerit circa maiorem partẽ trunci, (habet enim aliqua ex parte læuem & enodem & æqualẽ) vel per quã ingens quidpiam redundans paulò deterius adnascitur circa fastigium, quod quidã circumauctionẽ, alij circumagnationẽ appellant, colore quidẽ nigrum, duritia verò præpollens, ex quo crateres conficiunt Arcades. Crassitudo talis, qualẽ arborem esse contingit, quò scilicet robustior, vegetiorque, eò crassior. Illud quoq; peculiare hac eadem in re abieti accidit: quũ enim ramis omnibus ablatis, cacumen decideris, mox emoritur, quũ verò inferiora euersa sunt, quod restat, viuit, & agnatio, quam modo dixi, circum id fieri assolet, scilicet quia vegetius ac viridius est, attamen non renascitur. Si medulla detracta sit, moriendum omnino est, Arcades aiunt, nec abies seruari potest: causa est, quòd medulla pars humidissima, & vitalis præcipuè sit: cuius rei argumentum, quòd materies, quæ medulla viduata est, peruertitur, recuruaturq; iam cõfecta, vsq; dũ penitus resiccetur. Quapropter abietis materiem filo scindunt, nec quicquã medullæ relinquunt. Perit etiam decacuminatione, scilicet si arboris extremitas præcidatur, nõ absq; ratione, quũ sicca natura sit, meatuq; cõdatur rectissimo, & vnica radice inhæreat. Vulnus enim infestat, facitq; vt & frigus, & ardor faciliùs subeat, præsertim quum vndiq; infertur, & ex proceritate, & meatuũ rectitudine non pigrè ad radices deueniat. Negata est eis à natura nepotum procreatio; tam siccitate radicis, quàm quod impetu suo toto sursum contendant, atq; etiã quia radice singulari nitantur, alteq; descendant. Nusquã enim alimoniæ quicquã superfluit, nec verò dimotũ aliorsum se vertit: itaq; fit, vt nullũ sit exurgendæ prolis initiũ. Ab vlcere ampliori

altioriq; non interit, quum tæda descinditur, immò ex infœcundis fœcundæ, & ex pauciferis multiferæ reddũtur. Corticis circumablatio in germinatione abietis necat: quum enim cortice sit turgido, mense Februario, vel Martio, si quis detraxerit, statim moritur, hyeme diutiùs tolerat. Hyphear, & stelis in abiete nascuntur, & hæc differre inter se volunt, argumentumque adducunt, quòd non solùm in congeneribus erumpãt, verum in eadem arbore plura diuersis partibus exeant, vt hinc stelis, inde hyphear, nec modò formas, sed fructus dissimiles ferant. Et hæc validiora sunt, quæ in abiete nascuntur, quàm aliis: plus enim alimenti, & idem pinguius subministrant. In abiete quædam nascuntur, quæ augures lucinas vocant, aëre nanque eblandito atq; remisso, hæc erumpere potissimum solent, vbi intestinus humor collectus, & exterus quoq; occurrens concreuerint, atque in rotundum conglobati fuerint. Hæc Plinius ab eo transfert. Folia Abieti non decidunt, insecta, pectinum modo, pungentiaq;. Flore croci colore circa solstitium. Semen reddit post Vergiliarum occasum. Germinationem tripartito intermittit, ac germina terna edit, & ideo inter squamas corticum spargit, quod omnibus arboribus in germinatione euenit, quoniam prægnantium rumpitur cortex. Est autem prima earũ incipiente vere, circiter quindecim diebus. Iterum germinat transeunte Geminos Sole: sic fit, vt prima cacumina impelli sequutis appareat, geniculato incremento. Tertia est ad solstitium breuissima, nec diutius septenis diebus, clareq; tunc cernitur crescentium cacuminum articulatio. Rami statim ab radice modici, velut brachia lateribus inhærent. In ea ramorum ordo, & subrecta diuisura, ramiq; in cœlum tendentes, non in latera proni. In lõgitudinem excrescit. Cortex multiplex tunicis. Radix singularis. Cortice in orbem detracto, necantur arbores, sed quædam tardiùs, quædam citiùs moriuntur. Refert & tempus anni. Abieti, si quis detraxerit Sole Taurũ vel Geminos transeunte, quùm germinat, statim moritur, eandem iniuriam hyeme passa diutiùs tolerat. Nec in vltimis ponendum, quando quibusq; satis vmbra aut nutrix, aut nouerca est, abietis, quæcunq; attigerit, non dubie venenum est. Fert & cachryn: ita vocatur pilula, in medicina vrendi vim habens: gignitur postquam folia decidere, hyeme durans, continet nucleum pineis similem. Is crescit hyeme, aperitur vere pilula tota, cadit, quùm folia cœperint crescere. Sed verbũ τρίσλιπον Gaza ter squamosum interpretatus est, quum prægnans cortex rumpitur, squamas spargere videtur, quùm ter inchoatum opus, intermissumq; reperat, & puto βίσλεπαρον legisse.

Genera. Abietum quædam mascula, quædam fœmina est, Theophrasti authoritate. Mascula folio pungentiori, acutiori, & magis flexo, vnde arbor intuitu crispior videtur. Huius nucibus parui quidem nuclei insunt, materies versicolor, latior, durior, medulla refertior, atq; in totum aspectu deterior, nodosiorque. Fœmina folio pinnato, summo mucrone rigenti assurgit, vsq; eò densum, vt facile, quasi concameratum imbres arceat, nec tamen pluuiam transmittat, simileque potissimum cyathis Bœotorum.

Illarum

Marum nucibus nulli quidem nuclei insunt. Materies mollior, candidior, operibusq; facilior, & in totum procerior caudex. Est & aliud genus, quod nascitur in Creta super lapides, & testacea (ὀστράκοις) carens radicibus, modo patellarum adhærens, folio carnoso, oblongo, crasso, frequenti, nec leguminum siliquis absimili. Concauum intus, nec aliquid intra se continens, colore accedens ad purpuram, forma erecta, multicaulis, rami longi, recti, solutiq;, magnitudine cubitali, vel maior. Plinius ab eo. Abies è cunctis amplissima est, & fœmina etiam prolixior, materie mollior, viliorq;, arbore rotundior, folio pinnato densa, vt imbres non transmittat, atq; hilarior in totum. E ramis panicularum modo nucamenta, squamatim compacta dependent. Hæc abietis masculæ, primori parte nucleos habent, non item fœminæ.

Gaudet abies locis vmbrosis, in quibus longè pulchrior, quàm in apricis exurgit, itaq; in Arcadia circa Cranam, loco quodã concauo, & silente à ventis, quem nunquam solem attingere aiunt, abietes tum longitudine, tum crassitudine cæteris præstant, non tamen frequentes, neque pulchræ cernuntur, quamobrem ad lautiora operum, vt fores cæteraq; magnifica, hisce minus vtuntur, sed ad nauigia domosq; duntaxat, quippe trabes, & antennas ex his optimas faciunt, atq; etiam malos, præstantissima longitudine, sed non similiter validas atq; ex his, quæ Soli expositæ starent, sed ex breuitate densiores illis robustioresq;. Si in montibus nascitur, non in excelsum excurrit, sicut circa Cyllenum promontorium euenit. Mnesteus propter calorem abietem posse durare locis algentibus, neque super hanc niuem posse durare autumat. Tortuosaque prouenire ob calorem medullæ asserit. In Latino agro abietes tum magnitudine, tum pulchritudine inter omnes Italicas præstant, tamen ad eas, quæ Corsica gignit, pro nullo certè habentur. Macedonica præstantior, quàm Parnasia, cæteræq; spectantur: nam suo loco manens, amplior, pulchriorq; extat. Hæc Theophrastus. Varro: In montanis quædam prolixiora, & firmiora nascuntur, propter frigus, vt abietes, & sappini. Plinius. Situs in excelso montium, ceu maria fugiant. Romæ infernas abies supernati præfertur. *Est &* per gentium quoq; regiones in iis differentia. Alpibus, Apenninoque laudatissimæ. In Gallia Iura ac monte Vogeso: In Corsica, Bithynia, Ponto, Macedonia. Deteriores Æneatica, & Arcadica. Pessimæ Parnasia, & Euboica: quoniam ramosæ ibi, & contortæ, putrescẽtesq; facilè. Montes & valles diligit abies. Apuleius humidis gaudere ait. Vitruuius. Abietes, quas in Apennini parte, quæ ad Hetruriam vergit, infernates vocant, & quia perpetuos habent Soles, siccitatibus exuctæ solidantur. In ædificiis ad vetustatem perdurant. Quæ Septentrionali regioni subiectæ vmbrosis perpetuitatibus non solùm augentur amplissimis magnitudinibus, sed earum venæ humore saturantur, quum exciduntur, siccescendo inanes fiunt & euanidæ: ideoq; in ædificiis diuturnitate carent, ideò supernates improbat. Quod à Plinio etiam excipitur. Robustiores aquiloniæ partes, & in totum deteriores ex humidis, o-

Calum.

pacisq;, spissiores ex apricis, & diurturnæ: ideo Romæ infernas abies supernati præfertur. Nos ex foliorum scissura & tenuitate, caudicis scabrositate, frigidis locis, algidis, & perpetuis niuibus obsitis nasci turam iudicamus.

Satio. E semine tantum, vt omnes coniferæ, nascitur. Cultum aspernatur, nã hominum diligentia degenerat. Crescit, quoad libero sole fruatur, neq; interim crassescit, neq; fruticat, at vbi in iustam magnitudinẽ excreuit, in profundum latumq; dilatatur: sic ramorum exortus, & laterales germinationes sequũtur, vt ex Theophrasto habetur. Nos autem ei profundum solũ destinamus, argumẽto quòd vnica, eaq; profunda ad ima descendẽte radice firmetur, vt firmiùs ventis exagitata inhæreścat solo. Et quia in tantam crassitudinẽ, & materiem crescit, non nisi ex humido solo tantum alimentum haurire potest.

Materies. Abies expetita nauigiis, vt ex Theophrasto habemus: quum excelsa, proceraque sit, malos & antennas ex ea facere solent. Præterea quum multiplici tunica constet, qui remos dolant, singulatim æquabiliterq; auferre conantur: nam si ita auferatur, remus validus relinquetur, sin autem permutauerint, nec omninò pariter dempserint, infirmus reddetur, hoc enim modo ictus, illo demptio fit. Triremes, atque longa nauigia ex abiete leuitatis causa faciunt. Quercui conglutinari non valet; quũ altera spissa altera rara sit. Affectus autẽ similis esse oportet, quæ societate conflari debeant, non contrarii, ceu si ligno lapidem coniungere velis. Nauibus, propter flexum, humidior capiatur necesse est: alioqui ad conglutinationem quidem siccior apta est: nauis enim compacta, & extra mare fidelior constat, & in mare protracta humore imbibito, se vndiq; protinus comprimit, atq; coniunctis rimis omnibus continuat, nisi penitus exaruerit. Tunc enim gluten aut omnino aspernatur, aut non æquè recipit. Tectis commodior est, usque optima quæ vetustissima, modo immunis à carie fit. Neruosa est & rigida, ita vt vtrumque habeat è contrario neruos validos, mollem carnem, & raram, qua de causa leuis est. Habet neruos venasque omnium nobilissimas. Pondus sustinere validè potest: nil enim ponderi cedit, sed renititur, argumento quòd nunquam rumpatur, sed potius quàm viribus, carie, aliisve deficiat. Materies nodosa, nodique reliquis omnibus ferè duriores, densissimi, solidissimi, patentes, colore, tædæ proximi, & maximè sui generis, & si lignum molle sit. Nodi recti, & ramis quodammodo infixi, quamobrem validissima est. Fissilis est, propter meatuum rectitudinem. Tradunt abietis, dum germinat, decorticatam materiem aquis inoffensam durare nimium posse. Patuit id apud Phneum Arcadiæ, cùm obstrusis faucibus, campus in lacum redundauit: tum enim ductis pontibus ex abiete, quum amplius extumesceret aqua, aliis super aliis fabricatis, postea quam exstrusis obturamentis vada erupit, discessitque, vniuersa materies incorrupta comperta est. Eius materies etiam quadripartita est: quadripartitam appellant, quibus in vtramq; partem medullæ bini venarum cursus naturæ contrarij pertendunt, atque per vtrunq; cursum adigunt, ictus cursi-

cursibus contrarios inserentes, dum in vtramque partem medullæ securis remeat, ita enim eueniat necesse est naturæ venarum ratione. paucæq; sunt quadripartitæ. Si primo turgore cæditur, materies coloratior redditur: nam & corticem detrahunt: vere cæduntur, tunc germinant. Plinius ab eo. Abies admirationis præcipuæ visa est in mari, quæ ex Ægypto Caij Principis iussu obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit, qua naue nil admirabilius visum in mari certum est. Arboris eius crassitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat. Succisa abiete humor diu defluit. Hæc omnium arborum altissima, rectissimaque. Nauium malis, antennisque propter leuitatem præfertur. Quadripartitos venarum cursus, bifidosque habet, vel omnino simplices. Ad fabrorum intestina opera medulla sectilis. Optima quadripartitis materies, & mollior, quàm cæteræ. Intellectus in cortice protinus peritis. Abietis quæ pars à terra fuit, enodis est: hæc qua diximus ratione decorticatur fluuiata, atque ita sapinus vocatur: superior pars nodosa, duriorq;, fusterna. In ipsis autem robustiores aquiloniæ partes, & in totum deteriores ex humidis, opacisque, spissiores ex apricis, & diuturnæ: ideo Romæ infernas abies supernati præfertur. Proximum medullæ habet quod Græci leuson vocauere. Tradunt abietem circa germinationem decorticatam, qua dixi Luna, aquis non corrumpi. Pondus sustinere validè potest. Fortissima ad tectum abies, eadem valuarum repagulis, & ad quæcunq; libeat intestina opera aptissima, siue Græco, siue Campano, siue Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorũ crinibus pampinato semper orbe se voluens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem & curribus maximè sociabilis glutino, in tantum vt findatur ante, quàm solida est. Cortex in magno vsu agrestium: vasa, corbesq;, ac patentiora quædam messibus conuehendis, vindemiisq; faciunt, atque prætexta tuguriorum. Vitruuius de abiete hæc habet. Abies aeris plurimum & ignis habet, minimumq; humoris, & terreni, leuioribus rerum naturæ potestatibus comparata, nõ est ponderosa. Itaq; rigore naturali contenta, non citò flectitur ab onere, sed directa permanet in contignationibus. Sed ea, quòd habet in se plus caloris, procreat, & alit termitem, ab eoq; vitiatur. Etiamq; ideo celeriter accenditur, quod quæ inest in eo corpore raritas aeris, patens accipit ignem, & ita vehementem ex se mittit flammam. Ex ea antequam est excisa, quæ pars est proxima terræ per radices excipiens ex proximitate humorem, enodis & liquida efficitur, quæ verò est superior, vehementia caloris eductis in aëra per nodos ramis præcisa altè circiter pedes xx, & perdolata propter nodationis duritiem dicitur esse fusterna. Ima autem quum excisa quadrifluuiis disparatur, eiecto torulo ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, & sapinea vocatur. Quod extruendis nauibus apta sit abies, etiam testimoniis Poëtarum probare licet. Ex abiete Idæa Paridem naues præparasse, quibus ad raptum Helenæ profectus est Euripides tradit. Claudianus idem.

Apta fretis abies.

Eam, qua Iason cum Græciæ heroibus in Colchidem vectus est, Ennius ex abiete structam fuisse asserit.

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes:
Néve inde nauis inchoandæ exordium
Cœpisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo.

Ouidius.

——— *Et casus abies visura marinos.*

Homerus malum in naui ex abiete fuisse, qua Telemachus Pylum nauigauit, dixit,

Ἱςὸν δ᾽ εἰλάτινον κοίλης ἔνδοθε μεσόδμης
στῆσαν ἀείραντες.

Hercules apud Apollonium Rhodium ad remum abietem euulsit. Hastæ ad præliandum etiam ex abiete fabricatæ sunt. Virgilius.

——— *Cuius apertum*
Aduersi longa transuerberat abiete pectus.

In abiete resina fit, cùm lignis degustatis vulnus infertur, haud enim quáq; *Resina.* secretionē modo eodem agi mos est. Succus illius resinaceus, vt omniū coniferarum: nec ampliori altioriq; vulnere interit, vt omnes, ex quibus resina colligitur. Abietis lachrimæ sponte cōcrescunt. Sincerè olet, & sapit. Hæc Theophrastus. Ab eo Plinius. Resina ei vitium. Succisæ humor diu defluit.

De Cupresso. CAP. IX.

DIDYMVS Græcus prodit Eteoclis fuisse filias, Charites dictas, siue Gratias, quæ dum tripudio dearum subsiliunt, extra choream deuolutæ, in puteum deturbantur; dolens earum vicem tellus, arbores frondosas puellis similes ad oblectamenta, & rei memoriam edidit. Sed Lactantius Placidus scribit: Cyparissus puer speciosus Telephi filius, dū venaretur, in amorem sui Apollinem compulit, à quo mirum in modum adamatus, in Chio insula, vt scribit Probus, ceruum habuit pulcherrimum & mansuetissimum, quo ab Apolline donatus, quem enixè dilexit. Alij dicunt Nymphis sacrum. Per syluas verò errans, & lassus sub arbore & in herba obdormiuit, strepitu autem à somno excitatus à se longè ceruum vidit, & syluestrem credens, iaculo imprudens traiecit, quòd vbi agnouit, tanto affectus est dolore, vt nec Phœbi consolatione, nec Medicinæ viribus ab huiuscemodi luctu ac planctu retrahi potuerit, vt cibo etiam, & potu abstinuerit. Sed illud tandem supremum munus à Deo petiit, vt omni tempore ei flere liceret. Itaq; Apollo eius misertus, in arborem sui nominis conuertit, ex qua lachrima deflueret. Sic Apollo apud Ouidium:

Tristisq;

——Tristisq́; Deus, lugebere nobis,

Lugebisq́; alios, aderisq́; dolentibus, inquit.

Seruius autem à Syluano deo adamatum dicit, cuius ceruam inſcius occidit, vt præ dolore poſtea puer contabuerit, verùm ab amatore deo in arborem ſui nominis conuerſus eſt, quam hic pro ſolatio portare dixit. Virgilius.

Et tenerum ab radice ferens Syluane cupreſſum.

Diti ob varias & multiplices cauſas cõſecrauit antiquitas, ſed omnes ex ipſius arboris natura. nam eius generis arbos exciſa, cùm minimè rediuiua ſit, humanæ conditionis ſortem referre videtur: nam ex ea reciſa, nil magis, quàm ex mortuo ſperãdum ſit. Quanquam Herodotus ſolam pinum ex arboribus putet minimè repullulare, vocatque eam πανώλεθρον, nimirum quòd reciſam cupreſſum in Creta inſula repullulare audierit, quod de pinu nuſquam obſeruatur. Et mortuorum animas ad inferos deſcendere dicunt, quorum deum Ditem arbitrantur, vnde eius arboris ramis ſepulchris affixis, diis Manibus commendari defunctos dicant, atque arborem nullam hominem ad inferos ſequi legas, præter cupreſſos. Horatius.

Neque harum, quas colis, arborum,

Te, præter inuiſas cupreſſos,

Vlla breuem dominum ſequetur.

Diti ſacra eſt, inquit Plinius, ideo funebri ſigno ad fores poſita. Apud multas gentes in cœmiteriis ſeri cœpta. Valentiis vidimus in patibulo multas confitas. Alia etiam ratione portis affigebatur, quod pollutionis, aut inceſtati de alicuius morte loci, aut funeris ſignum fuit, ne quiſquam pontifex per ignorantiam domum ingrediens pollueretur. Feralis à Virgilio dicta.

Ingentem ſtruxere pyram, cui frondibus atris

Intexunt latera, & ferales ante cupreſſos

Conſtituunt.

Petronius Arbiter.

Gaudent ferali circum tumulata cupreſſu.

Erat & vrendis funeribus apta. Virgilius.

Ergo inſtauramus Polydoro funus, & ingens

Aggeritur tumulo tellus, atraq́; cupreſſo.

Sed M. Varro pyras cupreſſo circundari dixit propter odorem vſtrinæ grauem, ne ea offenderetur populi circundantis corona, quæ tamdiu ſtabat reſpondens fletibus præficæ, quamdiu conſumpto cadauere, collectisque cineribus, dicebat nouiſſimum verbum Ilicet, id eſt ire licet. Sed alia ratione Aſclepiades cupreſſum luctuoſam dicit. Boream enim Celtarum Regem, quum filiam Cypariſſam nomine haberet, & eam amiſiſſet, arborem hanc in eius tumulo ſeuiſſe, à qua nomen inditum cypariſſo, & mox à ſatu illo luctuoſam feralemq; haberi cœptam. Non immerito magno habitum oſtento, quum arbos cupreſſus altitudine præexcelſa in Veſpaſiani auito agro ſine vi vlla tẽpe-

ſtatis radicitus euulſa repente prociderit, ac ſequenti die viridior eodem veſtigio ſurrexerit, grande proſperumque, & ſumma claritas Veſpaſiano iuueni ab aruſpicibus promiſſa, ex Tacito. Fuit & mortis oſtentum Imperatori Seuero, cui Æthiops ſcurra occurrens obuiam cum corona ex cupreſſo, quę quum ille ab eius oculis remoueri iuſſiſſet, paucis poſt diebus eſt vita functus. Cupreſſus inimica viti. Nam Varro ſcribens, qua cœli parte ridicæ figi debeant, ait: Si cupreſſos viuas pro ridicis inſeruit, alternos ordines imponunt, neq; eas creſcere amplius quàm ridicas, patiuntur, neque propter eas adſerunt vites, quòd inter ſe hæc inimica.

Nomen. Didymus Gręcus duplici nomine cupreſſos vocari ſolitas dixit, κυπάρισσος, & χάριτας, hoc vltimũ propter Charites Eteoclis filias, vt diximus. Charites, hoc eſt Gratiæ, appellantur ob delectationem. κυπάρισσος, ἀπὸ τοῦ κύειν καὶ φύειν παρίσους τοὺς κλάδους, καὶ τοὺς καρποὺς, id eſt à parilium ramorum partu, & fructuum, quòd ex æquo ramos & fructus creent. Dicuntur etiam Feſto Pompeio Cypariſſæ ignes prodigioſi, qui noctu apparere ſolent cupreſſorũ ſimilitudine. A Poëtis etiam κωνοειδεῖς dicuntur, quod in conum hæ arbores attollantur. Latinis cupreſſus, cypariſſus, & cypreſſus dicitur. Italis *cipreſſo*.

Deſcriptio. Sic à Theophraſto deſcribitur. Arbor longo, ſubrectoq; ſuſtollitur caudice. Folio anguſto, carnoſo, & indeciduo. Semine perexiguo, & obſcuro. Huius enim fructus, non id totũ eſt, quod pilæ ſpeciẽ gerit, ſed quod in cono naſcitur, prætenue, & exile: quaſi laricis (πιτυώδης) ſemini proximũ, quod pilula dehiſcẽte difflatur, & euolat, neq; facillimè colligitur, præterquã à peritis. Conis pendentibus exilit, vaſaq; ipſa relinquit inania. Creſci moroſa, quod ex denſitate, & ſiccitate euenit. Materie macilenta. Fructum ſerò perficit. Conſtat ligno tam fructus, quàm fructus ambientia. Radicibus ſummatenæ adhærentibus. Dempta coma, reſciſſoq; cacumine interit, nec ex ea quicquã, quaſi eſſet ambuſta, repullulat. quum natura ſicca ſit, & meatu condatur altiſſimo, vnicaq; radice inhæreat. Negata his omnibus ſobolẽ radicibus pullulandi, tam radicis ſiccitate, quàm quod ſurſum cõtendat, vt diximus. Plinius ab eo. In lõgitudinẽ excreſcit, vt vniſtirpia. Folio carnoſo. Floret poſt autumnũ. Radice per ſummæ ceſpitum. Trifera eſt, nam eius baccæ colliguntur menſe Ianuario, & Martio, & Septembri, ternaſq; earũ gerit magnitudines. Natu moroſa. Fructu ſuperuacua, baccis torua, folio amara, odore violenta, ac ne vmbra quidẽ gratioſa, materie rara, vt penè fruticoſi generis: meræ demum aſpectu non repudiata. Nullum ſtillicidiũ cupreſſi, vmbra minima, & in ſe conuoluta, ea etiã detracto cacumine, aut ignibus aduſto interit. Sed mihi videtur Theophraſti verbum πιτυώδης Theodorus non rectè vertiſſe laricem, quum laricem neq; Theophraſtus, neq; Gręci nouerint, ſed potius πιτυρώδης legendum, quod furfures ſignificat: nam nil propiùs furfuris faciem, quàm ſemen illud demonſtrat. Varro à Theophraſto mutuatus de cupreſſo hęc habet. Cupreſſi radices anguſtiùs diffunduntur. In creſcendo tarda. Semina ad oriendũ ſunt adeò parua, vt ſint obſcura:

ſtera: nõ enim galbuli, qui naſcuntur, tanquã pilæ paruæ corticeæ id ſemẽ, ſed in his intus primigenia ſemina dedit natura. Spectatu quidem iucunda eſt cupreſſi proceritas, effigieſq; illa metas imitata. Sed quùm fructu ſuperuacua ſit, ceſſit ea res in prouerbium, κυπαρίττου χάριτες, de re ſpecioſa quidem viſu, ſed prorſus inutili. Quare Phocion, quum Leoſthenes Athenienſes in bellum impuliſſet, illius verba dicebat cupreſſis eſſe ſimilia, quæ quũ ſpecioſæ eſſent, fructum tamen non haberent. Dioſcorides pilulas eius fructus vocat. Virgilius conos.

Aeriæ quercus, aut conifera cypariſſi.

Veluti ſylueſtris cupreſſi Theophraſtus meminit, quũ Thuiam memorat: nam forma cupreſſo ſimilis, ceu ſylueſtris cupreſſus dicit. Prætereà in genere cupreſſi mas omnino infœcundus eſt, fœminæ pleræq; fructu viduæ cõſtant. Plinius duo earum genera nominat. Meta in faſtigium conuoluta, quæ & fœmina appellatur, mas ſpargit extra ſe ramos, deputaturque, & accipit vitem. Didymus. Mas eſt ſterilis. Genera.

Cupreſſum loca feruida habere magis dixit Theophraſtus, vt Creta, Lycia, Rhodus. In Creta circa agrum Idæum exuberat. Sed in Creta quocũque loco mouerit quiſpiã, hęc gignitur, protinuſq; emicat. In Creta inſula, in montibus Idæis, Leuciſq; vocatis, ſuper ſumma quibus nix nunquã deeſt, cupreſſum cõperiri affirmat: nam id genus ſyluę plurimũ & in montibus, & omnino in inſula eſt. Plinius ab eo. Huic patria inſula Creta, quanquã Cato Tarentinam eam appellet, credo quòd primùm eò venerit. Et in Aenaria inſula ſuccisa regerminat, ſed in Creta, quocunque loco mouerit quiſpiam, hæc gignitur, protinuſque emicat. Illa verò etiam non appellato ſolo ac ſponte, maximeq; in Idæis collibus, & quos albos vocant, ſummiſq; iugis, vnde niues nunquã abſunt, plurima quod miremur alibi, non niſi in tempore proueniens, & nutricẽ magnopere faſtidiens. Primum aduena, & difficillimè naſcentiũ fuit. Herodotus, vt diximus, ſolũ in hac inſula reciſam repullulare dixit. Vnde quòd Cretæ id præcipuũ conceſſum, vt renaſcentes, quæ præſectæ fuerint, cupreſſos videãt, Cretã per eiuſmodi arborẽ ſignificant. Cupreſſeta porrò Gnoſiorũ Plato celebrat, in quib. æſtiuo die à Megillo, & ſociis de legibus cõmentatum tradit. Didymus: Gaudet humidis magis, & opacis, ac protectis locis. Virgilius Idæas vocat. Cælum.

——— *nec Idæis cypariſſis.*

Naſcitur propè Orontem fluuium, vt Iuuenalis, & Claudianus, ad Simoim,

Tollebant geminæ capita inuiolata cupreſſus
Ceſpite vicino, quales non rupibus Idæ
Miratur Simois, quales non diuite ripa
Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

Plutarchus Ammoniam, Chiam, Cyrenaicam laudat. Halcyone mons cupreſſis abundat. Mileſiæ cupreſſus à multis laudatur. Cypariſſia Græciæ ciuitas dicitur à cypreſſis, ibi multis naſcentibus, vt Homerus.

Cupreſſus naſcitur ſemine & trũco. Marẽ ex fœmina ꝓuenire affirmat Theo- Satio.

phrastus. In Creta nascitur etiam trunco, præsertim in montosis Tarræ, vbi cædua est, & cæsa regerminat, modo ab terra, modo à parte media, modo summa, raro ab radicibus. Cato satis accuratè eius sationẽ docuit. Quomodo cupresseta seri oporteat, Memius Percenius Nolanus ad hunc modum monstrauit. Semen cupressi Tarẽtinæ per ver legi oportet, maturum est vbi hordeum flauescit. semen vbi legeris, in Sole ponito, id purgato, id aridũ condito, vbi aridum expostũ fiet, per ver serito in loco, vbi terra tenerrima erit, quam pullam vocãt, vbi aqua propter fiet, eum locum stercorato primum benè stercore caprino, aut ouillo, tum vortito bipalio, & terram cum stercore benè cõmisceto, depurgato ab herba graminibusque. Bene terram comminuito, areas facito pedes latas quaternos, subcauas facito, vti cauæ aquã continere possint, inter eas sulcos facito, qua herbas de areis purgare possis. Vbi areæ factæ erunt, semen serito crebrũ, ita vt linum seri solet, eo cribro terram incernito, dimidiatum digitum terram altam succernito, id benè tabula, aut manibus, aut pedibus complanato. Si quando non pluet, vti terra sitiat, aquam irrigato leuiter in areas. Si non habebis vnde irriges, gerito inditoque leuiter. Quotiescunq; opus erit, facito, vti aquã addas. Si herbæ natæ erunt, facito, vti ab herbis purges quàm tenerrimis, & quoties opus erit per æstatem. ita, vti dictum est, fieri oportet, & vbi semen satum fiet, stramentis operiri oportet: vbi germen nasci cœperit, tum stramenta demi. Alibi alia addit, quæ hic omiserat, referre non pigebit. Semen cupressi vbi seres bipalio vortito, vere primo serito, porcas pedes quinos latas facito, eò stercus minutum addito, & consarrito, glebasq; cõminuito. Porcam planam facito, paululũ concauam. Tum semen serito crebro tanquã linum, & eò terram cribro incernito altam digitũ transuersum, eã terram tabula aut pedibus complanato, furcas circum offigito, eò perticas intendito, eò sarmenta, aut crates ficarias imponito, quæ frigus arceant & Solem, vti subtus homo ambulare possit, facito, crebrò runcato, simul ac herbæ inceperint nasci eximito: nam si herbam duram velles, cupressos simul euelles. Ab eo Plinius. De cupresso verbosius, sæpiusque, quàm de omnibus aliis prodiderit Cato. E cupresso fœmina pilulæ collectæ, quibus docui mensibus, siccantur Sole, ruptæq; emittunt semen formicis mirè expetitum, ampliato etiam miraculo tantuli animalis cibo absumi natalem tantarum arborum. Seritur mense Aprili, area æquata cylindris, aut volgiolis, densum, terraq; cribris supercernitur, pollicis crassitudine; contrà immane pondus attollere se nõ valet, retorqueturq; sub terra, ob hoc parcitur vestigiis. Leniter rigatur à Solis occasu in trinis diebus, vt æqualiter bibat, donec erũpant. Differuntur post annũ dodrantali filo, custodita temperie, vt viridi cœlo serantur, ac sine aura. Mirũq; dictu: periculũ eo tãtum die est si rorauerit quantulũcunq; imbrẽ, aut si afflauerit. De reliquo tutæ sunt perpetua securitate, aquasq; postea odere. In satu omnino nõ degenerat quoquomodo seratur. Aquam aspernatur, & fimũ, & circũfossurã amputationẽq;, & omnia remedia odit, quin etiã necatur. Nunc

verò

verò consilis facta in densitate parietum coercitaque gracilitate perpetuò tenera. Trahitur etiam in picturas opere historiali, venatus, classesq; & imagines rerum tenui filo, breuiq;, ac virente superuestiens. Immittitur in perticas, asserésve amputatione ramorum, qui XIII anno denariis singulis veneunt. Quęstuosissima in satus ratione sylua, vulgoq; dotem filiarum antiqui plantaria appellabant. Didymus. Cupressi semen colligitur quidem post calendas Septembris. Seritur postea in sulcos à nona Calendarum Nouembrium vsq; ad hyemem. Vnà autem cum cyparissorum satu hordeum rarum seminato, & sæpe eodem anno cupressus plena longitudine augescit; tantum enim crescit, quantũ hordeum ipsum: & transplantabis eam. Sed & stolones sua sponte producti, qui fiunt ex iactis seminibus cupressi, eodem modo transferuntur. Democritus intra sepem ac muros plantari debere cupressum tradit, vt ad delectationem, & sepimentum totius ædificii, ac quasi munimentũ nascatur.

Insitionem non recipere, nec alterius sobolem educare inquiunt, & vt generalius dicam, quæ pingues, quæve picem, & resinam illachrimant: nam hæ diffisso libro hiant, quasi de proprio lare saniem contrahunt, oleosumq; exudant liquorem, nitetq; circumquaq; pinguedo: quocirca cum aliis generibus immisceri recusat, perinde quoq; ac ipsum oleum. *Insitio.*

Simulachra è cupresso sculpere solent, rimas enim non capit, & carnis æqualitate quodammodo constare videtur. Eius materies diuturna, siue perpetua: itaq; in Epheso cupressina materies, ex qua valuæ templi Dianæ, quatuor ætates reseruata durauit. Sola hæc nitorem etiam recipit, ideoque ex hac condere opera lautiora cõsueuêre. Aliquando ex hac statuæ exudãt: cœlo etiam austrino, humectoq; ita afficitur, quum in ea aliquid sit pinguedinis. Hæc Theophrastus. Sed Plinius. Aduersus cariem, vetustatemq; firmissima. Teredines nasci prohibet amaritudo. Rimam, fissuramq; non capit. Valuas templi Dianæ Ephesiæ è cupresso esse, & iam quadringentis propè annis durare materiam omnem nouæ similem. Id quoq; notandum valuas in glutinis compage quadriennio fuisse. Cupressus in eas electa, quoniam præter cætera vno in genere materiei nitor maximè valeat æternus. Nón ne simulachrum Veiouis in arce è cupresso durat à condita vrbe quingentesimo quinquagesimo anno dicatũ? Cur verò diis simulachra è cupresso fieri solerent, in causa erat tum materiæ perpetuitas, tum odoris suauitas, quæ thymiamatis loco esse videtur. Gn. Cornelio Lentulo, P. Licinio coss. cupressea simulachra Iunonis Reginæ posita per virgines viginti septem, quæ vrbem lustrauerunt. Erat in Lebethris Orphei simulachrum ex cupresso, quod quum Alexandri temporibus sudorẽ multum emisisset, pro prodigio habitum; responsum est ab Aristandro Philosopho, benè sperãdum. Siquidem opus, quod tunc Alexander aggrederetur, ob rerum magnitudinem maximum sudorem esset historiographis allaturũ. Vitruuius, Quia cupressus habet humoris abundantiam, æqualemq; cæterorum mistionem, propter humorem solet esse panda. Sed in vetustatem sine *Materies.*

vitiis conſeruatur, quòd is liquor, qui ineſt penitus in eius corpore, ſaporem habet amarum: quapropter non patitur cariem, neq; eius beſtiolas, quæ ſunt nocentes. Ideoq; ex eo genere quæ opera conficiuntur, permanet ad egregiã diuturnitatem. Pythagorei, authore Laertio, cupreſſino ligno abſtinebant, quòd ex hac arbore Iouis ſceptrum fabricatum eſſet. Columella tertium locũ obtinere dicit cupreſſum pro ſtabiliendis viribus pro ridicis. Varro etiam cupreſſis pro ridicis vtitur. Ex cupreſſo Ariſtotele, Ariſtobolo, Vegetio, atq; Arriano in Syria fieri naues vulgatum, alterius materiei inopia.

Reſina. Reſinam fundũt cupreſſi acerrimam ſapore, poſt terebinthinã, & lentiſcinam bonitate, liquidam. Fit quoq; ex cupreſſo oleum, vt habetur ex Plinio.

De Pinu. Cap. X.

DE pinu loquemur, quod & magnitudine conos omnes ſuperet, & perpetuo vireat folio, & ſylueſtris ſit: nam per ſe in ſyluis naſcitur, montibusq;, horret tranſpoſitionem, cultum, & inſitionem, quæ omnia domeſticis familiariſſima, vnde impropriè mihi videtur inter vrbanas connumeratam à Theophraſto, Plinio, & Virgilio.

Fraxinus in ſyluis, pulcherrima pinus in hortis.

Nos item ne genera conturbemus, peruertamusq; è pomario, hic conſeremus. Pinus, vt Græci fabulantur, puella fuit, olim perquàm illuſtris, quam vnicè Pan adamabat. Contrà hanc deperibat Boreas. Vtriq; adducta, potius puella Pani adhæſit: propterea zelotypia ſtimulatus riualis Boreas, Pityn in ſaxa propulſans neci dedit: cuius vicem tellus condolens, in ſui nominis arborem commutauit, mutatoq; vitæ genere apud eos manſit. Pana virenti ramo coronat, lugetq; indignum facinus arbor collachrimans, quod Boreas eam immeritam proteruo ſpiritu impulerit. Huius fabulæ inuolucro Poëtæ miram arboris naturam innuunt: nam flet arbor, vbi Boream afflantem percipit. Cybele Deorum matri pinum dicauit antiquitas, vnde pini nuces à Martiali, Cybeles poma dicuntur.

Poma ſumus Cybeles, procul hinc diſcede viator,
Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.

Cybele iccirco ſacra propter Atym ab ea adamatum, atq; in hanc arborem transformatum. Fuit Atys ſpecioſus puer, qui ſacris magnæ matris præfuit, à ſuæ ciuitatis Rege perditè dilectus, qui quum ab eo ſibi vim inferri intelligeret, in ſyluas ad Cybelem perfugit. Rex autem inuento quum vim inferre conaretur, dea ſtupratoris verenda abſcidit, qui moriens, & facinus vlciſci cupiens, puero eadem præſcidit, quem quum ſub pinu ſemianimem iacentem Cybeles antiſtites inueniſſent, in templum deportarunt, & nixi ſunt, verùm fruſtra, reficere, mortuumq; ſepelierunt. Pinum arborem, ſub qua ille iacuerat, tutelæ ſuæ dea aſſcripſit: ſed vt eius in perpetuum memoria remaneret, edixit deorum mater, vt ſingulis annis defleretur, ſuiq; cultores caſtrarentur.

Ouidius.

Ouidius. ——— *mollesq́; ministri*
Cedunt iactatis vilia membra comis.

Alii Atym, quum per mare Phrygium nauigaret, ad flumen Gallum vsque perueniſſe memorant, cuius potu ad inſaniam verſus, ſilice teſtes ſibi amputaſſe. Iuuenalis.

Semiuir obſcœno facies reuerenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Sed Arnobius hanc fabulam aliter deſcribit. Fuit Atys Nanæ Sãgarii amnis natæ filius, hæc autem illum hircino lacte nutriuit. Phryges hircum atagum vocant, vnde Atys nomen. Hunc deorũ mater ardẽter adamauit, ſed perditiſſimè Acdeſtis, quòd Midas Rex ſentiẽs, vt illũ à nefanda coniũctione tutũ faceret, filiam ſuam ei matrimonio deſtinauit, & ne quis nuptialia munia violaret, intra oppidũ eos recludit, illudq́; muris, turribusq́; circummunit. Cybeles Atys neſciẽs fatum, ciuitatẽ ingreditur, turribusq́; ſpoliat, vnde poſtea turrita cognominata. ſciebat enim nõ aliter inter mortales liberũ quemquã eſſe, quãdiu matrimonii fœdere vinctus eſſet. Acdeſtis verò amore & ira æſtuans propter puerum à ſe alienatum, conuiuantibus furorem ingerit, vnde orta eſt inter eos nõ parua rixa. Poſtremo Atys ſub pino arbore ſe proiiciens, genitalia ſibi deſecat, quæ in Acdeſtin iaculatur, & cum ſanguine vitam efflat; abſciſſa autem deûm mater veſte inuoluit, & in terra recondit. Flos viola è ſanguine naſcitur, ex qua arbor redimitur, cœptumq́; poſtea eſt, ſacras pinos hoc flore velarier, ac coronarier. Acdeſtes enim Iouem deprecatus, vt Atys reuiuiſceret, non obtinuit, tamen aſſecutus eſt ne putreſceret, ſed ſemper in virides comas creſceret, & minutiſſimis foliis. Ouidius in ſua Metamorphoſi.

Et ſuccincta comas, hirſutaq́; vertice pinus,
Grata Deum matri, ſiquidem Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoq́; indurnit illo.

Ida mons Phrygiæ pini refertiſſimus eſt: quamobrem matri magnæ attribuunt. D. Ambroſius Naturæ imaginem pinum referre dixit, quippe ſemina quadam veluti annorum vice referat, neque niſi vi caloris admota excludat: eademq́; nux flammæ ſpeciem imitatur. Fraudi verò cõſecratam pinum Seruius dicit, quòd eius poma per fraudem interimant. Panes, & Satyri è pino comas factitatas gerunt, rationemq́ue affert Phurnutus, quòd montanum quid, & ſylueſtre hæc habeat. Lucretius.

——— *Cum Pan*
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans.

Et Propertius.

——— *Et Arcadico pinus amata Deo.*

Plinius autor eſt apud Iſthmios pinea corona coronari victores. Erant verò Iſthmia in Melicertæ memoriam inſtituta, & Pauſaniæ adhuc temporibus pinus apud aram Melicertæ germinabat, quem puerum à Delphino dela-

tum, Sisyphus rei miraculo motus, in Isthmo sepelisse fertur, & certamen illud instituisse. Apud Sicyonios Æsculapius, eodem referente, cum sceptro, & nuce pinea in manu altera, sculptus est. Erat & antiquitus mortis symbolum, quòd excisa nunquam suppullulasceret, & apud Homerum βέλος ἐχεπευκὲς telum ex pinu, letale exponunt interpretes doctissimi. Alii ad solam referunt arboris acerbitatem, & amaritudinem, quandoquidem amaritudo morti affinis est, & viceuersa mors pro amaritudine profertur. Staphylus Poeta πεύκης τρόπῳ, id est, in morem piceæ dixit. Crœsus per caduceatorem Lampsacenis interminatus est eos, vt pinũ exterere, nisi Miltiadem missum facerent; quumque Lampsaceni quærerent, quid illud esset, quod Rex vt pinum diceret extriturum, à doctiore edocti sunt, arborem semel excisam nunquam suppullulascere: illi tale excidium veriti, Miltiadem è vinculis soluerunt.

Nomen.

Theoprasto, πεύκη dicitur, quum omne, quod de πεύκη tractat, pino adaptari possit. Theodorus etiam optime pinum vertit. Bellonius, quia viros etiam acutissimos πεύκη, & πίτυς dictionum affinitas fefellit, litem dirimere gestiens, πεύκην piceam vocat, πίτυν, pinum; magisq; tenebras offundit. Idemque sentit Leonicenus. Sed hi mea quidem sententia Plinium sequuti facilè lapsi sunt. Plinius πίτυν pinum vertit: nam πιτυοκάμπας Græcè, Latinè pinorũ erucas vertit, ac toto suo volumine πίτυν nunc pinũ, nunc piceam indifferenter vertit. At quomodo Dioscorides vocauerit, vix paucis ex suis verbis elici potest. Theophrasto pini nuces στρόβιλοι dicuntur, sic Pindaro. Galenus κῶνον commune facit pino, piceæ, & pinastro. Simeon Sethi κονάρεια vocat strobilos. Mnasitheus Atheniensis pinearum nucleos, & conos ὀστράκιδας vocat. Ab Hippocrate id totum κοκκαλὸν dicitur, ex Athenæo. Ex hac Miletus vrbs Cariæ Pityusa dicebatur, cuius incolæ φθεῖρες, vel φθειρῶν ὄρος, quòd pinorũ fructibus abundarint, quarum fructus, vel flores, vt multis placet, φθεῖρες dicuntur. A pinu etiam Pityodes, & Pityusæ insulæ in mari Balearico dicuntur, & aliæ eiusdem appellationis in sinu Argolico. Lampsacus Hellesponti vrbs Troianis temporibus Laumedontea, & Pityusa, & Homero Pitys dicebatur. Latini pinum vocant à pinnato foliorum cacumine, cuius lignosos fructus frequenti nucamento in turbinatam effigiem compactiles, conos & strobilos vocant. Itali *pinno*.

Descriptio.

Ex Theophrasto hæc est excerpta descriptio. Pinus assurgit procero, & recto caudice, nodosoq;. Folio perpetuo, in extremitate pungenti. Medulla carnosa. Succo pingui, & resinaceo. Radice singulari, & prægrandi, & vnica descendente, paruæ autem complures ab illa exeunt, sed ex ea nulla soboles procreari potest. Pinum vecte sollicitatam, quo transferetur, longiorẽ quàm octo cubita radicem habere quidam vidisse retulit, quanquam non totam refossam, sed abruptam. Auctu difficilis. Amentum profert. Hypear, & stelis in ea nascuntur. Quidam florere existimant, alii minimè, sed nucamentum proportione præciduis grossis respondere. At Macedoniæ incolæ ne illas quidem florere arbitrantur. Eius germinatio intermissa, ter turgens, terve germina edens,

edens, ideo id genus arborum τρίσλιπον dicunt, quod ter inchoatum opus, intermissumq; repetat. Prima germinatio Februario ineunte, quamquã in monte Ida seriùs, ac ferè idibus. Secunda mense Martio, germinans ab extremo surculo vsq; ad proximum antecedentis, & quędam sursum, quædam in latera circumquaq; emittunt, veluti geniculo facto surculo primi germinis, vt fieri prima germinatio solet. Tertia Aprili mense, diebus circiter quindecim interiectis: fortè id diebus sex, vel septem absoluitur: quo quum ventum sit, non amplius in longitudinem, sed crassitudinem incrementa vertuntur, & si omnium germinationes conspicuæ sint, in pino maximè videtur: nam germina in versus rectos porriguntur. Ramique ex æquo conditi spectantur. Semina prosiliunt, conis adhuc pendentibus, vasaque ipsa relinquunt inania, etsi semen nuceum sit. Decacuminatione interit, quod non sine ratione accidit: quoniam humore non abundat, & meatu conditur rectissimo, & singulari radice inhæret. Vulnus infestat, facitque, vt frigus & ardor facilius subeat, præsertim quum vndique inferatur, quum meatuum rectitudine non pigrè ad radices deueniat. Cortex in orbem detractus in pino mors est: sed refert anni tempus, scilicet in germinatione. Quum enim cortex turget Februario, vel Martio mense, si quis ei detraxerit, morietur, hyeme diutiùs durat. Adustis radicibus nunquam regerminat. Pinus benigna omnibus esse putatur: quũ enim radice simplici, altaque nitatur, circa se non sugit, eaque altè descendens, è profundo sibi haurit alimentum, non defraudat superficiarias adsitarum arborum radices: vnde patitur myrtos, & lauros propè satas benè habere. ex quo manifestatur, maius incommodum radices afferre, * quàm vmbræ, quippe quum pinus vmbram amplissimam reddat. Plinius ab eo. Pinus habet folium capillamenti modo prætenue, longumque, & mucrone aculeatum. Ramosa in vertice. Perpetuò viret. Larix vstis radicibus non repullulat, vt in Lesbo accidit, incenso nemore Pirrhęo (quod Theophrastus de pinu, ipse de larice trãstulit.) Fructus grandissimus, pineis nucibus, altissimeq; suspensus, intus exiles nucleos lacunatis includit toris, vestitos alia ferruginis tunica, mira naturæ solertia molliter semina collocandi. Abies semen reddit post Vergiliarum occasum, pinus autem, & picea germinationem quindecim ferè præueniunt diebus, semẽ verò post Vergilias & ipsæ reddunt. In maxima admiratione tamen est; habet fructum maturescentem, habet proximo anno ad maturitatẽ venturũ, ac deinde tertio: nec vlla arborũ auidius se promit. Quo mense ex ea nux decerpitur, eodem maturescit alia, ac sic dispensatur, vt nullo nõ mense maturescat. Quæ se in arbore ipsa diuisere, *Zamiæ* vocantur, lædunt q; cæteras, nisi detrahãtur. Pinus nullo flore exhilaratur, natalésve pomorũ recursus annuos versicolori nuntio promittunt. Pino si quis detraxerit corticem, Sole Taurum, vel Geminos transeunte, quum germinat, statim moritur, eandem iniuriam hyeme passa diutiùs tolerat. Quod si angusta decorticatio fuerit, non nocet. Quibusdam debilibus sterilitatem, non necem affert, vt si quis pino ca-

* Gr. τοῖς σκιάσμασ.

cumen auferat: sterilescit enim, nec moritur. Necat vmbra sua germina pinus. Eius stillicidia ponderosissima: nec fastidienda hæc quoque scientia, neque non in vltimis ponenda, quando quibúsve satis vmbra aut nutrix, aut nouerca est. Pinorum quidem vmbræ quæcunque attigere non dubiè venenum est. Quod contra experientiam & Theophrastum est: nam videmus arbores sub pinu lætè fructificare. Et Palladius: pinum prodesse creditur omnibus, quę sub ea seruntur.

Genera. Theophrastus pinorum alteram vrbanam, alteram syluestrem dicit. Nunc de vrbana, posterius de syluestri. Plinius: vrbani generis alteram Tarentinam digitis fragili putamine, auiumque furto in arbore. Apud nos duo obseruantur genera, syluestris, & vrbani. Vrbanum duplex: duri, & mollis discrimine. Durum contumaci tegmine occluditur, vt nisi lapidis ictu frangatur, vesci non possis. Alterum fructus fert adeò molles, vt digitorum compressu aperiantur, vulgò *pigne mollese*. Hoc genus Plinio Tarentinũ dicitur. & coni ramis affixi, Solis æstu dehiscentes, nucleos emittunt, qui ab auibus deuorãtur.

Cælum. Frigida loca Theophrastus concupiscere scripsit, montibus lætari. Mnestor calidam esse asserit, argumento quòd locis algentibus valeat perdurare, & sui caloris ratione nec niuem super eam durare posse. Etiam tam sensu, quàm ratione eius caliditas percipi potest, quod pinguis, acris, odorata, & quæ quũ sicca, spissa, & putredine immunis durat, & succum pinguem, acremque reddit. Calida quoque quod facilè ignem concipiat. Gaudet enim pinus apricis, opacis, aut nullo modo aut prauè exurgit. Calida & humida est: argumentum vel ex generatione picis duci vtiq; potest. tum etiam vbertati humoris locus Soli expositus conuenit, sic enim excoctio confici amplius possit. Tam loca frigida amat, vt feruidis prouenire non posse nulli dubium sit. Plinius. Resiniferæ montes amant.

Solum. In Latini agri montosis passim obuiam pinus vt retulit Theophrastus, & magnitudine, & pulchritudine omnes Italicas præstat. Apuleius in arenosis locis prouenire dixit. Palladius locum gracilem amare, & sæpè maritimũ scripsit. Inter montes & saxa vastior, & procerior inuenitur. Ventosis & humidis, arborum fiunt incrementa lætiora, sed siue montes conserere velis, seu spatia quæcunque, hæc huic generi deputabis, quæ alteri vtilia esse non possunt. Ob id M. Varro prædij finibus seri iubet, ne familiæ rixentur cum vicinis, ac limites ex litibus quęrant iudicem, vt eius vxor habebat in Sabinis. Nos sterilibus, & inutilibus locis passim serimus, sed profundis: ostendit vnica, procera, & recta radix se in profundum seri debere, quo si defraudetur, nec procera, nec læta videbitur vnquam.

Satio. Id genus nõ nisi seminio nasci, vt omnes coniferæ, prodidit Theophrastus: solaq; non degenerans satu. Et alibi. Pinus conifera, & picea, tineosa maximè (vt sic loquar) persistere in totum videntur. Didymus legi strobilos iubet Iunio, antequam Etesiæ spirare cœperint, & dehiscentes tegumento exiliant, &

ab Octo-

ab Octobri mense vsque ad Ianuariũ vt amygdalus suis seri nucleis. Cato, nuces pineas seri, vt cupressi, & ad eundem modum tanquam allium. Plinius, nucleis septenis ferè in ollas perforatas additis. Tempore, à calẽdis Martij ad Idus eiusdem. Palladius siccis regionibus mense Octobri, vel Nouembri, frigidis, & humidis Februario, & Martio. Exarabis ea loca diligenter, atque purgabis, & frumenti more semẽtem asperges, ac leui sarculo curabis operire: nec enim plusquam palmo debet abscondi. Defendenda est tenera arbor à pecore, ne calcetur inualida. Proficiet, si nucleos aqua triduo macerabis. Dicunt pineum fructum translatione mitescere: sed plantas hoc modo procurant, vt prius multa semina in caliculis, terra & fimo repletis obruant, quæ vbi processerint, relicto eo, quod solidius est, auferunt alia: vbi iustam cœperit incrementum, trimam plantam cum ipsis caliculis transferunt, quibus fractis in scrobe indulgent radicibus largitatem. Terræ tamen equæ stercus admiscent, facientes straturam alterno ordine, subinde crescentem. Seruandum est tamen, vt radix eius, quæ vna, & directa est, vsq; ad summitatem suam possit integra & illæsa transferri. Frigidis locis, & humectis possunt Februario mense pineta seminari. Vbi semel sata est pinus, transplantari non patitur, nam si quis fibrillas aliquas fregerit, exarescit, vnde qui agris, vel pomariis serere eam cupiunt, vasculis primò, inde scrobibus confractis deponunt. Nos & si maxima diligentia transplantare conati sumus, rarò concepit.

Palladius expertus est nouellas pini arbores putationẽ promouere, vt quæ speraueras incrementa duplicentur. Omnes, neglectam viuere, nec cultu indigere putarunt; tamen quæ campis seruntur, & coluntur, in vastam amplitudinem crescunt, & conos maiores, vberiores, & sapidiores proferunt. Crebri rami interlucandi sunt, & vt melius arbor increscat, & vt ordinata, speciosior videatur. *Cultus.* Pini morbus est, vt Idæi incolæ tradunt ex Theophrasto, vt teda fiat, tam parte caudicis externa, quàm corde. Id quod ex abundantia succi, & vbertate larga luxuriantis naturæ prouenit: isque morbus naturalis est. Non enim vllo morbo afflictata moritur, sed optimæ habitudinis causa moritur: radices enim crassescentes in tedam abeunt ex succi copia, ac nutritionis excessu, quum alimentum, quia pinguedine obstructæ sunt viæ, transmittere nequeant, sicut animalia quædam, quæ supra modum crassescunt: quum enim auram attrahere nequeant, nec spirationis vsu frui possint, quoniam venarum oscula pinguedine sunt angustata, obductaque suffocantur. Iccirco non ineptè rustici de pino tradunt. Pinum obesitate strangulari: omnia nanq; spirituum egent solutione & meatuum libertate. Alibi verò. Quum tota radix abierit in tedam, pinum morituram. Ratio est, quia alimenti pars excocta purissimaque insidet, ex eo in sessu pinguedo fit: quod verò cæteris partibus peculiare est, sursum fertur ad earum alimentum non per pingues partes, sed per alios meatus. Cùm verò tota radix in tedam conuersa est, tum non amplius suppeditare alimentum cæteris partibus potest, sed occupatis aditibus, *Morbi, & remedia.*

obſeſſisque viis, à pinguedine illa intercluſo ſic ſpiritu, vt amplius commeare non poſſit, arbor extinguitur. Aliis autem arboribus, quibus nulla pinguedo, aut ſi ineſt non multa, id non euenturum. Pinus detracta teda ſeruari poteſt, pinguedo enim huic pro morbo habetur, ſed hæc non niſi benè adulta ſufferre poteſt, & hinc antequam putruerit, ſeruari ac viuere poteſt: nam non ſemper tedificare conſueuit, ſed quum viget, & ætate adulta eſt. Nouella tedâ caret, quum alimentum ad germina, incrementaque altitudinis abſumit, & quum dilatare cœperit, ſtatim tedæ habitudo conſequitur. Plinius ab eo. Aliæ verò obeſitate, vt omnia, quæ reſinam ferunt, nimia pinguedine in tedã mutantur, & quum radices pingueſcere cœpere, intereunt, vt animalia nimio adipe.

Cõditura. Nuces pineæ, Palladius ait, vſq; ad menſem Nouembris in arbore eſſe poſſunt, & maturiores legentur, prius tamen legendæ ſunt, quàm pateſcant. Nuclei niſi purgati durare non poſſunt, tamen alij in vaſis fictilibus nouis, & terra repletis, in teſtis ſuis miſſos aſſerunt cuſtodiri.

Materies. Pini materies expetita nauigiis, ex Theophraſto. Rotunda fiunt, quoniam non putreſcunt: & onerariis carinæ pineæ ſubiguntur, vt quum in terrã extrahunt, reſiſtere poſſint. Quercui conglutinari non poteſt, quia natura diſſimilis: affectus autem ſimilis ea eſſe oportet, quæ ſocietate conſtari debeant, non contrarij, ceu ſi ligno lapidem coniungere velis. Pondus ſubſtinere validè poteſt, argumento, quod nunquam rumpatur. Sed priuſquam viribus, carie, aliisve deficiat, quippe cùm reliquæ omnes in inferiora flectantur, pinum reniti affirmant. Pinus ferè omnium maximè viribus valet, & ad vſum ædificatorium ſpectabilis eadem potiſſimum eſt laxitatis, rectitudinisque meatuum cauſa. Hanc enim nec findi quidem vllo pacto poſſe affirmant, ſi glutine muniatur. Excuſores carbones pineos potius quærunt, quàm quernos, quãquam infirmiores ſint: ad flatum enim reſpondent cõmodius, quoniam minus marceſcant, extinguanturque. Habet & quadrifidos venarum curſus, ideò ad opera vehementer probant, quadripartitãq; appellant. Materies carnoſa, neruisq; paucis, materiem ſpiſſiſſimam præſtat; & ægidem gignere ſolet meliorẽ quàm abies. Nodi plures, & reliquis omnibus duriores, denſiſſimi, ſolidiſſimi, patentioresque, colore tedæ proximi, maximeq; ſui generis. Dicunt pinũ pluſquam abietem comedi à teredine poſſe: nam pinum dulcedinis nõnihil habere, eoq; magis, quò fuerit teda refertior. A quo Plinius. Pinus aduerſus cariẽ, tineasq; firmiſſima, ad aquarũ ductus in tubos cauatur. Obruta terris, plurimis durat annis: eadem ſi non immergatur, cito ſeneſcit, mirũ in modum fortior, ſi humor extra quoq; ſuperſit. Ex eadem malleos fieri. Sed Theodorus Theophraſti tetrazoos, & monozoos manifeſto errore quadriuium, & biuium interpretatur. Virgilius nauigiis aptam cecinit.

——— dat vtile lignum
Nauigiis pinus.

Palla-

Palladius. Pinus nisi in siccitate non durans, cui contra celerem putredinem comperi in Sardinia hoc genere prouideri, vt excisæ trabes eius, aut in piscina qualibet anno toto mersæ laterent, post operi futuræ, aut arenis obruerentur in littore, vt aggestionem, qua tectæ essent, alternis æstibus reciprocans fluctus allueret. Attalus apud Strabonem tradit: Ida mons Phrygiæ pinis refertissimus, quam ob causam matri magnæ tribuunt. In eo enim fuit ingens pinus, quæ à magnitudine, & speciositate, pulchra nominata est. Ambitus eius fuit pedum viginti quatuor, altitudo à radice sexaginta & septem: tota eius altitudo duorum iugerum, & quindecim cubitorum spatium amplectebatur.

Resina.

Pinum cædendam post germinationem affirmat Theophrastus. illius cæsura non annua, sed post plus temporis fieri solet: vbi iam vulnerata arbore, teda detracta est, resinam hauriunt, sic enim in vulnus inuectum humor copiosior confluit; copiosissima, ponderosissima, & picosissima quæ ex pino, teda enim pinus referta est. Portatur vtribus liquida, dein sponte, quo nunc cernitur modo spissatur. Plinius. Pinus fert minimum resinæ, interdū & nucibus ipsis, vix vt ascribatur generi. Resina sicca in pinu fit, nec magnopere in vsu.

Pix.

Terebinthum & picem quidam apud Syros largiri affirmant, quidam & piceam, & cedrum, & palmam addunt, sed hoc, quia rarum, pro contingenti accipi debet: nam qui Macedoniam incolunt, ne pinum quidem picis gratia vrunt, præterquā marem. Sterilem enim marem nuncupant, fœminę enim radicem tantùm accipiunt. omnis enim pinus tedam radice ingerit. Pix optima, purissimaq;, quam loca admodum aprica, & aquilonia præbent, contra, quàm opaca, horridior limumq; referens. Est præterea sterilitas quædam fertilitasq; tum copiæ, tum bonitatis, quippe quum mediocri hyeme copiosa, & bona, & colore candidior reddatur, asperâ verò, pauca, atq; deterior. Quæ quidem copiam & bonitatem picis definiunt: non larga fructificatio pinorum. Idæi qui pinos discernunt, & aliam Idæam, aliam marinam cognominant, picem fieri aiunt ex Idæa largiorem, nigriorem, dulciorem, in totumq; faciliorem, & odore gratiorem, dum cruda sit, decoctā enim in minus cōtrahi, quoniam plus habet seri. Quamobrem tenuiorem hāc esse addunt. Ex marina autem flauiorem, & crassiorem, scilicet crudam, ita vt decocto minus auferat, sed tedaciorem Idæam tradunt: (vtq; simplicius loquar) tantundem tedæ plus picis & dilutius pluuiosa tempestate, quàm sicca reddere volunt: & ex hybernis, opacisq; locis plus, quàm ex apricis, serenisq;. Hæc igitur ita Idæi, atq; Macedones asserunt. Replentur caua plagarum, videlicet in tantum, vt iterum pix extrahi possit, frugalis pini, anno proximo; mediocris secundo: vitiosæ, tertio. repletio non coitu ligni, sed incremento picis conficitur, lignum enim in hac arbore coire, iterumq; vnum refici nequit. sed confectio quidem picis reddi post tantum temporis solet: necesse autem ligni agnationem fieri quandam: siquidem detracta teda deustaq;, effluuium euenire picis solitum est. Id igitur accipi ita decet. Idæi vbi arboris caudicem cortice dispoliarint, quod parte solari

binis aut ternis à terra cubitis facere conſueuere, confluxum iſtuc fieri non ſine teda vno cumplurimum anno affirmant. Idq; quum ſecuri detraxerint, ſecundo iterum anno teda locum expleri, & tertio pari modo. Poſthac ob eam paulatinam inciſuram arborem extenuatam, putrefactamq; humi facile à flatu proſterni, tum eius cor extrahi: (hoc enim tedam maximè refert) extrahi autem ex radice. Hanc enim in omnibus teda conſtare, vt diximus, ſed hac in re probas quidem crebrius vulnus accipere, deteriores verò longiori tempore poſt: & parte aliqua reſeruata, plus temporis reſiſtere poſſe: tota verò detracta, minus, conſentaneum prorſus eſt: ternas tamen detractiones eiuſmodi maximè arbores tolerare poſſe videntur. Non ſimul fructificat, & tedificat pinus, ſed protinus nouella fructificat, multò autem poſt facta, vetuſtior tedificat. Picem hunc in modum vrere conſueuerunt. Quum locum æqualem præparauerint, & veluti area facta concurſum habente, in medium, diligenter pauimentarint, truncos perfiſſos componunt, proximè ſanè compoſitioni carbonum facientium, præterquam quòd ſine foſſa opus perficiunt, lignis erectis, & inter ſe cohærentibus, ita vt altitudinem aſſiduè pro multitudine capiant. Fieri autem aiunt, vt compoſitio ſit circuitu centenorum octuagenorum cubitorum, altitudine verò quum plurimum ſexagenorum, aut centenorum, & quinquagenorum ambabus, ſi teda pinguiſſima ſit. Quum igitur tedam ita conſtruxerint, & materiam pertexerint, aliqua terra ſuperinfuſa vndique, ſumma cum diligentia occultant, vt ignis nulla ex parte emicari poſſit. Pix enim peribit, ſi id acciderit. Succendunt autem per aditum relictum, dein eam quoque partem ſtipant materie, & obſtruunt terra, reliquaſque omnes obſeruant, & quacunque fumum protrudi viderint, ſcalis ſcandentes, terram aſſiduè infundunt, quò nullo pacto flamma erumpere poſſit. Canalis verò per medium ſtructus aceruum, picem fluentem in foueam ducit, cubitis circiter quindecim ab aceruo. pix effluens tactu frigida fit: vritur duos dies, & totidem noctes cumplurimum. Sæpe enim poſtridie ante Solis occaſum exuſta iam eſt, roguſque ceſſit, id enim euenit, quum nihil reliquum eſt, quod amplius fluat. Totum autem tempus, quo teda vritur, vigilanter obſeruant, ne quid ignis erumpat, ſacrificant atq; concelebrant, precantes, vt pix ſibi copioſa, bonaque fiat. Plinius ab eo. Pix non aliud eſt, quàm combuſtæ reſinæ fluxus. Picis vitium aduſtio. Experimentum ſi fragmenta ſubluceant, ac ſub dente lenteſcant acore iucundo. Aſia picem Idæam maximè probat, Græcia Pieticam, Virgilius Naritiam. In Macedonia laricem maſculam vrunt, fœminæ radices tantum (quod Theophraſtus ſupra de pino retulit.) Pix optima vbiq; ex apricis, Aquilonis ſitu. ex opacis horridior, viruſq; præferens, frigida hyeme deterior, ac minus copioſa, & decolor. Quidam arbitrantur in montoſis, copia præſtantiorem, ac colore, & dulciorem fieri, odorem quoq; gratiorem dum reſina ſit: decoctam autem minus picis reddere, quoniam in ſerum abeat, tenuioreſq; eſſe ipſas arbores, quàm in planis,

planis, ſed has, & illas ſerenitate ſteriliores. Fructum quædam proximo anno ab inciſu largiuntur, aliæ ſecundo, quædam tertio. Expletur autem plaga reſina, non cortice, nec cicatrice, quæ in hac arbore non coit. Pix liquida in Europa coquitur naualibus muniendis, multoſq; ad alios vſus. Lignum eius conciſum furnis vndiq; igni extrà circundato, feruet: primus ſudor aquæ modo fluit canali. hoc in Syria cedrium vocatur, cui tanta vis eſt, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſeruentur. Sequens liquor craſſior iam, picem fundit. Hæc rurſus in cortinas æreas coniecta, aceto ſpiſſatur, & coagulata brutiæ cognomen accepit, doliis duntaxat, vaſiſq; cæteris vtilis, lentore ab alia pice differens. Item colore rutilante, & quod pinguior eſt. E teda omnia illa fiunt. Picis duo genera, ſpiſſum, liquidumq;. ſpiſſarum vtiliſſima medicina brutia, quoniam pinguiſſima, & reſinoſiſſima vtraſque præbet vtilitates: ob id magis rutila, quàm cæteræ.

De Pinaſtro. CAP. XI.

DIXIMVS de vrbana, nunc de ſylueſtri, ſiue de pinaſtro dicemus. Plinius, pinaſter, ait, nil aliud eſt, quàm ſylueſtris pinus.

Theophraſtus πίτυν ἀγρίαν vocat, quaſi ſylueſtrem pinum dicas. Theodorus neſcio qua ductus cauſa in Theophraſto vertendo πίτυν nunc pinum, nũc pinaſtrum vertit, Plinium ſequutus. Dioſcorides videtur ςρόβιλον vocaſſe, quũ *prius* pinus & piceæ, poſtea ςροβίλω meminerit. Latini pinaſtrum vocant, *Plinio* authore, vt diximus. Itali *pino ſeluaggio*. *Nomen.*

Diximus è Theophraſto: pinorum alia vrbana, altera ſylueſtris. Syleſtrium binum ſtatuunt genus, quorum alteram Idæam, alteram maritimam vocant. Alii in marem, & fœminam diuidere ſolent. Macedones in marem, & fœminam, & ſterilem diuidunt. *Genera.*

Theophraſtus ita deſcribit. Idæa recta, celſa, materie craſſa, nuce oblonga, viridi, minimeq; dehiſcenti, tanq̃ ſylueſtriori, ramoſa, tedacior, picem largiùs præbens, nigrã, dulcem, tenuẽ, odore grauem, vtiq; cruda, quoniã decocta deterior propter ſerũ, quod in ea cõtinetur abundanter. Perpetuò viret. Maritima *folio* tenui, imbecilloq;, cortice læui, molli: vtilis ad coria, nuce rotũda, breui, aperiẽda: Materie valida, robuſta: Picẽ præbens flauentiorem, craſſam quãdã crudam, ita vt decoctio minus auferat. Macedones verò etiã genus quoddam pini ſterilẽ dicũt, & marem ſic deſcribunt. Caudice breuiori, folio duriori, ligno duro, circumacta medulla, fabrili opere cõtorto, colore nigriori. Subnaſcitur quiddã colore rubidius teda, odore grauiſſimo, neq; tedã redolẽs, neq; flagrãs, ſed ab igne diſſiliens. Fœmina procerior, folio pingui & molli, ſimpliciq;, *ſed* non vigenti, ligno molli, ac omnino tractabili ſecuribus. Gignit quod Græci vocant ægida, id eſt, cor eius, quum ſit minus tedacea, quàm mas, læuigatior, ac meatuũ curſu probior, id eſt, quum grandiũ arborem nõnullis ſecuris adigitur, quibus proſtratis cãdidæ partes, ambiẽteſq; computruerunt. Græcè ἴυγγον colore vehemẽter abiecto & neruo prętenui, ſicũ vocant Idęi tedarii. *Deſcriptio.*

Plinius

Plinius ita describit. Pinaster habet folium capillamenti modo prætenue, longumq; & mucrone aculeatum. Mira altitudine, à medio ramosa: copiosiorẽ dat hæc resinam. Alia in generibus ipsis, etiamnum in sexu differentiæ. Mas breuior, & durior, fœmina procerior, pinguioribus foliis, & simplicibus, atq; non rigentibus. Lignum maribus durum, & in fabrili opere obtortum, fœminæ mollius, publico discrimine in securibus. Hæ in quocunq; genere deprehendunt marem, quippe respuuntur, & fragosius sidunt, ægrius reuelluntur. Ipsa materies retorrida, & nigrior maribus radix. Circa Idam, & in Troade: & alia differentia est montanæ maritimæque: nam in Macedonia, & Arcadia, circaq; Elin permutant nomina, nec constat authoribus, quod cuique generi attribuant. nos ista Romano discernamus iudicio. Pinastro è syluestrium genere non decidunt folia. Nuces pinastri pytides vocant. Tedam mares duntaxat ferunt, & eam, quam Græci Sycen vocant odoris grauissimi. Theophra-

Cælum. stus in montibus nasci dixit.

De Picea. CAP. XII.

FABVLOSVM Plutarchus existimat, quod Praxiteles asserit, inuentum Melicertæ corpus picea scaturiisse à mari, esseq; Megaris locum, qui Callidromos cognominatur, quò puerum fruticibus huius arboris onustum remeasse viderint in mare, sic vt communi populi iudicio picea Neptuni coronamentum existimetur, etsi Libero patri, vt Lucanus putat, sacra dicatur. Quapropter ob honores Melicerti contributos, Neptuno, & item Libero patri, veteres, nec ab re, consecrarunt, quod vterq; humentis, fœcundi, fertilisque principii dominus habeatur. Cæterum Neptuno priuatim nuncupatur, non vt Apollodorus existimat, quod maritima arbos ventis, aut mare lætetur, eorumq; difflantes spiritus amet, sed quod fabricis nauigiorum picea experatur. Germanæ quin potius sorores habentur picea, pinus, strobili: nanque materiam nauibus præbent, suamq; picem ac resinam funditus oblinendam subministrant, sine quibus in mari parum fidelis compaginum esset commissura. Libero patri piceam fecere sacram, quòd vina reddat suauiora, quippe vitem locis picea scatentibus, iucundius ac gratius vinum proferre produnt. Ex calore causari Theophrastus dicit, argillam calidam esse, & non nisi argillosis piceam nasci. Dolia pice & resina cerari, vina multis regionibus picari, non ad suauitatem modo conciliandam, sed vt protinus nouitatem, aquosumq; humorem vinum calore iutum exuat. In Isthmo victores picea coronabantur. Plinius. Picea feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens, iam in domos recepta, tonsili facilitate. A picea, quæ *Pades* Gallicè vocatur, Septius Metrodorus apud Plinium, & M. Cato in libris originum Padum vocatum scribunt, quòd hæc arbos plurima circa eius fontem adnascatur.

Vocat Theophrastus πίτυν, Pindarus πίτυος frondibus coronari victores

Nomen. Isthmios. optimè igitur Theodorus in Theophrasti versione picem vertit. Latinis Picea, Plinio authore. Itali *Pino seluaggio*.

Theophra-

Theophrastus ita suam πίτυν describit. Caudice paruo, humiliori, graciliori, minusq; alto, minusq; recto, quàm pinus assurgit. Cortice spissiori quàm platano. Folio pinguiori, pauciori, squalidiori, tenuioriq;, sed capillato. Perpetuo viret. Negãt aliqui florere, sed vice floris esse nucamenta, grossis præciduis fici proportione respõdentia. Fit enim veluti foliorũ conceptus inter antecedentẽ obstrusionẽ, & sequentem exortum, medius. At ex proprietate autũni, postq̃ folia decidêre, peculiaria eius confestim gignuntur, quasi grauida intumescãt, vt germina pariat, duretq; per hyemẽ vsq; ad ver. Conos fert pino minores, magisq; algẽtes, resinaq; perfusos. Germinatione præuenit abietis florẽ, quia paulò ante solstitiũ erumpit, diebus ferè quindecim post Virgilias. Serò suum fructum perficit, vt perpetuò virẽs. Ligno autem tam fructus, quàm fructum ambientia constant. Adustis radicibus repullulat, vt in Lesbo accidit, incenso Pyrrhęi montis nemore, quod piceis scatebat. Peculiare de picea proditur, de mutilatione nõ interire, sed sterilescere. Causa quòd principio alterato imbecillioriq; reddito vires deficiunt, & fructus iccirco, vtpote vltimus creari minimè omniũ potest. Plinius ita suam piceam describit. Piceæ folia breui seta, & crassiora, duraq; ceu cupressis. Rami statim penè ab radice modici, velut brachia lateribus inhærent. Perpetuò viret. Nec facile inuicẽ discernuntur: tanta nataliũ mistura est. Sed picea minus alta, quàm larix est. folia, quàm larix sicciora, & tenuiora, ac magis algentia. totaq; humidior est, & perfusa resina. Lignum abieti simillimum. Larix vstis radicibus non repullulat, picea repullulat, vt in Lesbo accidit, incenso nemore Pyrrhæo. Piceæ verò (quàm abies) totis paniculis, minoribus, gracilioribusq;, minimos ac nigros nucleos habẽt, propter quod Græci phthirophoron eã appellant. In eadem nucamenta cõpressiora maribus sunt, ac minus resina roscida. Tristis est, nec sentit gaudia annorum, nec vllo flore exhilaratur, natalésve pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittit. Folia insecta pectinum modo piceæ, & pungentia. Picea abietem præuenit germinatione xv diebus ferè. Semen verò post Vergilias & ipsæ reddunt. Piceæ vmbra quæcunq; attigere, non dubiè venenum est. Picea detracto cacumine, aut ignibus adusto interit. Similis & depastio animalium. In piceis ramorum ordo. Decisis cacuminibus moritur, totis verò detruncatis durat, & si infra, quàm rami fuere, præcidatur, quod superest viuit: si verò cacumen tantùm auferatur, tota moritur. Inter syluestria Theophrastus piceam refert, πίτυν ἀγρίαν, scilicet syluestrem nominans. Præterea φθειρόφορος, id est, tineosa, & pediculosa dicitur. Plinius satiuæ pineæ meminit. Tertium è picea satiua sapinium, nucleorum verius cute, quàm putamine, adeò molli, vt simul mandatur.

Descriptio. *Genera.*

In montibus nasci pineã scribit Theophrastus, quæq; in planis nasci recusat. Nascitur in Arcadia parua, sed circa Elim agrũ multa. In Ponto nõ nascitur, & omnes quæ tædam inferunt. Cyprii hanc habent, viderurq; pino præstantior. Plinius. Montes amat, atq; frigora. Virgilius in Georgicis:

Cælum.

——— Aut sceleratum exquirere frigus
Difficile est, picea tantum, taxiq; nocentes.

Satio. Solo semine prouenire tradidit Theophrastus.

Materies. Cyprii omnia ex piceis conficiunt: sunt, qui ex picea triremibus leuitatis causa tornandum statuunt firmamentum. Domibus, & nauibus piceæ vsus, sed maximè ad nauale, sed putrere celeriter incipit. Malleos magnos ex picea faciunt. Quibusdam enim operibus molliores experi solent, vt argenteis carbones, qui ex picea confecti sunt. Tempus cædendi piceam, quum vua eius florere incipit. Hæc Theophrastus. Plinius. In magno vsu agrestium, vasa, corbesq;, ac patentiora quædam messibus conuehendis, vindemiisq; faciunt, atq; prætexta tuguriorum. Piceæ ad aquarum ductus in tubos cauantur: obruta terris plurimis durat annis: eadem si non integatur senescit: mirum in modum fortior, si humor quoq; extra supersit.

Resina. Humor piceæ lachrimæ modo gignitur. In picea degustatis lignis vulnus inferunt, & inde resinam hauriunt, sic enim humor copiosius confluit, haud enim quamq; secretionem modo eodem agi mos est. Secundum bonitatis locum obtinet, leuior enim quàm quæ ex pinu. ex Theophrasto. At Plinius, Picea plurimum resinæ fundit, interueniente candida gemma, tam similis thuri vt mixta visu discerni nequeat, & inde fraus seplasiæ.

Pix. Picea picem euidentiorem, paucam item, & amaram fundere dixit Theophrastus. Plinius. Aperitur picea à parte solari, non plaga, sed vulnere ablati corticis, quum plurimum bipedali hiatu, vt à terra cubito cum minimum absit. Nec corpori ipsi parcitur, vt in cæteris, quoniam astula in fructu est, verùm hæc terræ proxima laudatur, altior amaritudinem affert. Postea humor omnis è tota confluit in vlcus. Quum id manare desiit, simili modo ex alia parte aperitur, ac deinde alia, postea tota arbor succiditur, & medulla eius vritur.

De Sappino. CAP. XIII.

SVNT inter scriptores, qui sappinum abietis inferiorem partem vocitent: sunt alii, qui sappinum arborem peculiarem, & ab aliis specie diuisam dicant, vt demonstrabimus. Vitruuius de abiete loquens: Superior pars perdolata propter nodationis duritiem dicitur esse fusterna, ima autem quum excisa quadrifluuiis disparatur, eiecto torulo ex eadem arbore ad intestina opera comparatur, & sappinea vocatur. Ab eo Plinius. Abietis pars, quæ à terra fuit, enodis est, hæc qua diximus ratione fluuiata decorticatur, atque ita sappinus vocatur: superior pars nodosa, duriorque fusterna. Ex his authoritatibus sappinum videtur abietis esse partem. Nunc videbimus arborem sui generis descriptam, ac piceæ speciem esse. Vitruuius libro primo ait. Namque non omnibus locis arenæ fossitiæ, nec cementorum, nec abietis, nec sappinorum, nec marmoris copia est, sed aliud alio loco nascitur. Inopia abietis, aut sappinorum

norum vitabitur vrendo cupresso, populo, vlmo, pinu. Plinius de picea, larice, & resiniferis loquens ait. Inter hæc genera proprium quidem fecere sapinum, quoniam ex cognatione earum seritur, qualis dicta est in nucleis. Eiusque arboris imas partes tedas vocãt, quum sit illa arbor nil aliud, quàm picea, feritate paulum mitigata satu. Alibi. Tertium sapinium è picea satiua, nucleorum cute verius, quàm putamine, adeò molli, vt simul mandatur. M. Varro arbores inter se differentes facit, ait enim: Quædam in montibus prolixiora nascuntur, ac firmiora propter frigus, vt abietes, ac sappini. Columella etiam eas differre dicit. Tum enim exceptis nucleis ipsas nuces pineas vacuas numero quinq;, vel sex incendunt, & ardentes eodem demittunt. Alii nucibus sappineis ardentibus idem faciunt. M. Cato prælum sappino atra faciundum iubet. Vnde mihi videtur sapinum domesticam esse piceam.

De Larice. Cap. XIIII.

DIXIMVS de coniferis, resiniferisq;, quibus folia non decidunt, nunc de coniferis, & resiniferis perdifoliis, inter quas larix est. Theophrastus inter pini genera recenset. Ideo monebat ordo, vt post pini genera & resiniferarum, de ea aliquid scriberemus. Meminit eius Theophrastus quum dixit: Viret ex vrbanis perpetuò olea, palma, laurus, myrtus, & pini genus quoddam. Ex quibus verbis datur intelligi non omnes pinus perpetuò virere, sed aliquas hyeme caluescere, quod nulli inter pinuum genera conuenit, nisi larici.

Græcis λάριξ dicitur, vt ex Dioscoride colligitur, inquiente. A Gallia subalpina resina liquida conuehi solet, quam vernaculo nomine λαρίκα appellant incolæ. Et paulò post. Resinæ inter se distant, siquidem alia candida est, alia oleosa, alia mellei coloris similitudine, vt λάριξ. Plinius quæ Theophrastus de πίτυ dixit, nunc de larice, nunc de picea interpretatus est, ex quo anceps Theodorus nunc laricem, nunc piceam vertit, illiusq; erroris causa fuit. Latinis larix, & larex. Italis *larice*. Nomen.

Plinius laricem ita pingit, cuius verba è Theophrasto mutuatus est de pinu, & picea loquente. Quinto generi situs idem, eadẽ facies: larix vocatur: materies præstantior longè, incorrupta vis, emori contumax, rubens præterea, & odore acrior. Plusculum huic erumpit liquoris, colore melleo, atq; lentiore, nunq̃ durescentis. Perpetuò viret, nec facile discernitur à cæteris in fronde, etiam à peritis, tanta nataliũ mistura est, sed picea minus alta, quàm larix; illa crassior, leuiorque cortice, folio villosior, pinguior & densior, meliorq; flexu, at piceæ rariora sicciora que folia, & tenuiora, ac magis algentia, totaque horridior est, ac perfusa resina. Larix vstis radicibus non repullulat, picea repullulat, vt in Lesbo accidit incenso monte Pyrrhæo. Folio pungenti. Nullo flore exhilaratur, nec annorum gaudia sentit. Germinũ incremẽtum tripartito, ac terna germina edit, ideo & inter squamas corticũ spargit, quod omnibus arboribus in germinatione euenit, quoniam prægnantium rumpitur cortex. Descriptio.

Eſt autem prima eius germinatio incipiente vere, circa xv diebus. Iterum germinat, tranſeunte Geminos Sole: ſic fit, vt prima cacumina impelli ſecutis appareat, geniculato incremento. Tertia eſt eiuſdem ad ſolſtitium breuiſſima, nec diutius ſeptenis diebus, clareq́, tunc cernitur excreſcentium cacuminum articulatio. Larici humor diu defluit. Hæc omnium arborum cum abiete altiſſima, rectiſſimaq́;. Conuenit his, pinoq́;, vt quadripartites venarum curſus, bifidosq́; habeant, vel omnino ſimplices. Nos autem ita deſcribimus. Foliis plurimis pubet, ſed delicatioribus, per exortus quoſdam manipulatim, & penicilli in morem deciduis. Triplici excremento nota, manna nẽpe, agarico, & reſina: quæ Venetiis Larigna dicitur. Caudex craſſo corticis callo cõſtat, rimis profundis, & hiulcis liratim patẽtibus: rami ex cinereo albicãt, forma in mucronatũ turbinẽ abit. Coni tam pertinaciter adhærent ramis, vt perpetuò nouelli cũ veteribus videantur: ſed quũ folia exuit pandũtur, & ſemẽ excidit. Rami graciles, ac flexiles, colore melino, odore iucundo. Coni vt cupreſſi pilulę, ſed paulò lõgiores, breui pediculo ramis annexi, ſed è cõtrario politi: nã arborẽ verſus iacẽt, ſquamis cõpacti, cõtinentesq́; ſquamæ binos nucleos foliatos.

Cælum. Plinius montes amare dixit. Vitruuius notam eſſe arborem municipibus, qui circa Padi ripam, & maris Adriatici littora habitant. Dioſcorides in Gallia Alpibus contermina gigni. Nos frigore oblectari ſcimus, & boreali cœlo, vbi maximè ſæuit hyems. In Alpibus vidimus.

Materies. Plinius. Ampliſſima arborum ad hoc æui exiſtimatur Romæ viſa, quam propter miraculũ Tiberius Cæſar in eodem ponte naumachiario expoſuerat, aduectam cum reliqua materie, durauitque ad Neronis principis amphitheatrum. Fuit autem trabs è larice longa pedes cxx, bipedali craſſitudine æqualis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus. Fuit & memoria noſtra in porticibus ſeptorum à M. Agrippa relicta, æquè miraculi cauſa, quæ diribitorio ſuperfuerat viginti pedibus breuior, ſeſquipedali craſſitudine. Larix fœmina habet, quam Græci vocant ægida, mellei coloris. Inuentum eſt pictorum tabellis immortale, nulliſq́; fiſſile rimis hoc lignum. Proximum medullæ eſt, in abiete Græci leuſon vocauere. Inter omnes conuenit vtiliſſimè in Lunę coitu ſterni, quem diem alii interlunium, alii ſilentis lunæ appellant. Sic certè Tiberius Cæſar concremato ponte naumachiario, larices ad reſtituendam cædi ex Rhætia præfiniuit. Materia rubet. Pondus ſubſtinere poteſt, etiam in tranſuerſum poſita renititur, nec temerè rumpitur, priuſquam carie, quàm viribus deficit. In humore præcipua. Nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi conſumitur, quàm lapis. Vitruuius ad hæc. Larix nõ ſolùm ob ſucci vehementẽ amaritatem ab carie, aut tinea non nocetur, ſed etiã flammam ex igni non recipit, nec ipſe poteſt per ſe ardere, niſi (vti ſaxum in fornace ad calcem coquendã) aliis lignis vratur, nec tamen tunc flammam recipit, nec carbonem remittit, ſed longo ſpatio tardè comburitur; quod eſt minima ignis & aëris è principiis temperatura.

tura. Humore autem & terreno est materie spissè solidata, non habens spatia foraminum, qua possit ignis penetrare, reiicitq; eius vim, nec patitur ab eo sibi citò noceri. Propter pondus ab aqua non sustinetur, sed quum portatur, aut in nauibus, aut supra abiegnas rates collocatur. Ea autem materies, quemadmodum sit inuenta, est causa cognoscere. D. Cæsar quum exercitum habuisset circa Alpes, imperauissetque municipiis præstare commeatus, ibique esset castellum munitum, quod vocatur Larignum, tunc qui in eo fuerunt naturali munitione confisi noluerunt imperio parere. Itaque Imperator iussit copias admoueri. Erat autem ante eius castelli portam turris ex hac materia alternis trabibus transuersis (vti pyra) inter se composita altè, vt posset de summo sudibus, & lapidibus accedentes repellere. Tunc verò quum animaduersum est, alia eos tela, præter sudes, non habere, neque posse longiùs à muro, propter pondus iaculari, imperatum est fasciculos ex virgis alligatos, & faces ardentes, ad eam munitionem accedentes mittere. Itaque celeriter milites cōgesserunt. Postquam flamma circa illam materiam virgas comprehendisset, ad cœlum sublata effecit opinionem, vti videretur iam tota moles concidisse. Quum autem ea per se extincta esset, & requieta, turrisq; intacta apparuisset, admirans Cæsar iussit extra telorum missionem eos circumuallari. Itaque timore coacti oppidani quum se dedidissent, quæsitum vnde essent ea ligna, quæ ab igni non læderentur, tunc ei demonstrauerunt eas arbores, quarum in his locis maximę sunt copiæ, & ideo id castellum Larignum, item materies larigna est appellata. Sed ignari sanè est hominis putare resinosum lignum inustum flammis stare, quippe si pingui resina lapides perungantur, ardent. Continuaque videtur experientia non solùm accolas his vti lignis in hypocaustis, sed eius carbonibus vtuntur argentarij, & ferrarij fabri. Palladius. Larix vtilissima, ex qua si tabulas suffigas tegulis in fronte, atq; extremitate tectorum, præsidium contra incendia retulisti: neq; enim flammam recipiunt, aut carbones creare possunt. Resina laricis sinceriùs olet, vt abietis, pini, & cupressi. ex Theodori versione Resinæ.
Theophrastus. Plinius. Plusculum huic erumpit liquoris, melleo colore, atq; lentore, nunquam durescentis. Succisa humor diu fluit. A Gallia subalpina, quam vernaculo nomine larica, hoc est larignum appellant incolæ, mellei liquoris similitudine, ex Dioscoride.

De terebintho. CAP. XV.

RELIQVVM videtur de resiniferis historiam tradere, quæ coniferæ non sunt, & occurrit omnium præstantissima resinā fundētium terebinthus, & ex *syluestribus* arboribus. Palladius ex terebintho mel colligere apes dixit.

Græcis τέρμινθος, vel τερέβινθος, vt Democritus habet in Geoponicis Gręcis. Nomen videtur ex bacculis ciceri similibus desumpsisse, nam ἐρέβινθος Græcis cicer est. Latinis terebinthus. Itali *terebinto*. Surrentini siliquam syluestrē vocant, quòd frondes, & folia instar siliquæ proferat. Nomen.

Genera. Theophrasto mas sterilis, fœminę fœcundæ. Fœminarum alię fructum rubentem, magnitudine lentis edunt, qui concoqui non potest, alię viridem, pallidúmve, demum rubentem, nouissimè cum vua maturescentem, & nigrescẽtem, amplitudine fabæ, interim maiorem, & resinosum, furfurosumq; tactu. Est & altera Indica terebinthus, vel similis terebintho, cui folia, & rami, & reliqua omnia terebintho similia, fructus autem diuersus: nam & in Bactris terebinthum hanc esse, ferreq; nuces amygdalarũ magnitudine, quoniam non magnas, sed visu similes, & suauitate amygdalis præstantiores, & ideo loci illius incolæ his potius vti. De his in nostro pomario dicemus. Plinius ab eo. Ex his mascula, quæ est sine fructu. Fœminarũ duo genera, alteri fructus rubet, lentis magnitudine, alteri pallidus. In Surrẽtino tractu plures sunt terebinthi species. Altera sterilis, altera vindemiis fructum ferens, & huius plures item species.

Descriptio. Ex Theophrasto hæc habemus Materies admodum lenta. Radicibus validis actisq; in profundum, fidelis ad vetustatem. Flos racemosus oliuæ modo, sed rubens. Folium numerosum ab eodẽ pediculo, figura laurei, digestũ in versus, vt sorbo, vnicũ ad cacumen exit, & numerum parem conturbat: minus tamen angulata sunt, quàm sorbo, & similiora per ambitũ laurinis videntur, oleosáq; vt fructus. Fert & nucamenta quædã caua ceu folliculos vlmi exemplo, in quibus animalia, quasi culices erumpũt, & resinosus lentor, qualis è ligno, vnde fit resina. Fructus quandiu maturus nõ est, in aqua ferè supernatat, niger subsidit. Perpetuo folio viret. Vere cœpturo germinat. Messibus reddit semẽ. Viscus in ea nascitur. Dioscorides variis locis eã depingit. Terebinthus folia habet elaphobosci. Acinum sambuco similẽ, magnitudine rhois. Plinius ex Theophrasto. Fructus quum vere maturescit, non grandior faba, odore iucundus, tactu resinosus circa Idã Troadis. Flos racemosus oliuæ modo, sed rubens, folia densa. Fert & folliculos nutrientes quædam animalia, ceu culices; lentoremq; resinosum, qui è cortice erumpunt. Vere cœpturo terebinthus germinat. Messibus reddit semen. Apud nos frondes erumpunt lentisci positu, colore, & odore, sed magnitudine satis maiore. Acinuli quàm lentisci maiores, coccinei, purpurantes, maturescẽtes, veluti in cæruleum abeunt. Flore lentisci. Folliculi veluti cornua cartilaginei, vnde culices ex fuliginoso excremento euolant. Vulnusculis inflictis æstate in Tiburtinis collibus, vidimus resinam optimam resudare, quam lætabundi collegimus. Sed folium autumno perdit, & nuda hyeme frigoribus exposita est, quod non paruam admirationem ingessit.

Locus. Syluestris arbor, montes amat, ex Theophrasto. In Troade circa Idã, & Macedoniam, breuis, & fruticosa contortaque. Damasco Syriæ insignis, copiosa, decoro aspectu, vbi mons terebintho, nec alia sylua scatens. Plinius. Syria & terebinthum habet. Fruticosa circa Idam Troadis, sed in Macedonia breuis arbor hæc, atque fruticosa: in Damasco Syriæ magna. Montes amat. Terebintho fertilis Arabia, authore Diodoro Siculo, & Oricos Epiri ciuitas, vt narrat Seruius. Vnde Virgilius. *Oricia terebintho lucet ebur.*

Dio-

Diophanes terebinthos ſuo hoſpitio ceraſa non reſpuere dicit, ea enim recipit inſitione. Tarentinus trunco pyros recipere dixit. Surrento fœcundā ſterili inſerunt pro aucupiis. Martio menſe in trunco recipit ſiliquam eadem regione. Sed optimè etiam recipit piſtacea, vt dicemus. *Inſitio.*

Dixit Theophraſtus non niſi fructu, reſinàve vtilem. Reſina ei in lachrimę modum gignitur. Cædendam poſt germinationem affirmat, earumque cæſura non annua, ſed poſt plus temporis fieri ſolet. Vulnerantq; vtraque parte, & caudice, & ramo, ſed melior, copioſiorq; quæ ex caudice defluit. Optimaq; omnium eſt, ſpiſſa nanq; & leuiſſima, & odore gratiſſima eſt, verùm pauca. Terebinthum etiam apud Syros picem largiri affirmant. Eſt enim mons, vt retulimus, ingens, terebinthis ampliſſimis totus repletus, ibique vrunt. Vulneribus profundis, vt etiam abies, & quæ reſinam, tedamq; ingerunt, fœcundior efficitur, contra quàm cæteræ arbores. Plinius. Optimam, tenuiſſimamq; terebinthinam fundunt in Oriente. Sic & in Syria terebintho detrahunt cortices: ibi quidem & è ramis, ac radicibus, quum reſina damnetur ex his partibus. *Reſina.*

De iunipero. CAP. XVI.

IVNIPERI tractationem aggrediemur. Eadem reſinifera, & baccifera. Somnum afferre dicitur: ideo à Flacco lethęa dicitur propter obliuionem, quæ fit è ſomno, Argonauticon octauo.

Contraq; lethæi quaſſare ſilentia rami.

Scribit enim Medeam draconem ad ſomnum incantantem Apollonius libro quarto.

Ἡ δ᾽ ὄρπη ἀρκευθοῖσι νέον τετμηκότα θαλλῷ
Βαπτοῦσ᾽ ἐκ κυκεῶνος, ἀκήρατα φάρμακ᾽ ἀοιδαῖς
Ἐισεχέλει κατ᾽ ὀφθαλμῶν.

Hoc eſt. Medea iuniperi ſciſſo ramo, ſerpentem potione Cyceone tingens, incorruptibilia pharmaca cantibus inuocabat circa oculos. Iuniperi grauis vmbra, præſertim cantantibus: vt Virgilius in Gallo teſtatur. Et Plinius. Serpentes, vbi earum ſquamæ obtorpuere, ſpinis iuniperi ſe ſcabunt.

Græcis ἄρκευθος, & ἀρκευθὶς dicitur. Latini iuniperum vocant, viderurq; ita dici, quòd iuniores, & nouellos fructus pariat. Sola enim ferè arborum fœtus ſuos in biennium prorogat, qui nec matureſcit quidem nouo ſuperueniente. Itali *ginebro.* *Nomen.*

Iuniperum minoribus cedris Theophraſtus aſſimilat, ſed excelſior quidem, quàm cedrus. Folium ſimplicius, ac mollius, materies ſpiſſior, cæſa putreſcens: fructus baccarũ myrti magnitudine, hilaris ac niger, acerbus, inguſtabilis, durans in annũ, prius non decidens, quàm ſubnaſcatur alius. Germinat vere, quãquam ſerius fructificet. Plures fructus geſtat, alium perfectũ, alium imperfectũ, alium ſubnaſcentẽ habet, vt aliis quoq; contingit: quoniã concoctio lenta, & fructus abſolui difficile poteſt. Radices ſumma telluris cute diſperſæ hærẽt. *Deſcriptio.*

Auctu facilis, perpetua virens coma. Cortex sponte detrahitur: nam disrumpitur. In his enim natura ipsam rem, quæ commoda sit, videtur ostendere, quum corticem disgreget, & tanquam alienum reiiciat. Damnosum est omne alienum, sicut quod est aridum. Plinius. Spina pro folio est. Semen post Vergilias reddit. Non floret. Non amittit folia. Nos aliqua addemus. Iuniperi cortex membranaceus, qui sponte rumpatur: facies horrida. Martio germinare incipit quasi florum conceptum. Spina potius quàm folio, rosmarino simili, sed breuiori, ceruleis baccis, vel rufescentibus nigris.

Genera. Duo iuniperi genera cõstituit Theophrastus, vnum quod florem edat, nec fructificet, alterum, quod protinus fructum, vt præcidua poma fici præmonstret, nec tamen floreat. Itaque penè fieri, vt sola hæc arbor fructum in biennium habeat. Dioscorides duorum generũ dicit, nempe maius, & minus. Baccæ & iuglandem nucem, & Ponticam æquare inueniuntur, rotundæ, odoratæ, in mandendo dulces, subamaræ, quæ arcentides nuncupantur. Plinius iuniperos non florere dicit. Quidam earum duo genera tradunt, alteram florere, nec ferre: quæ verò non floreat, ferre protinus baccis subnascentibus, quæ biennio hæreant. Sed id falsum, omnibusque iis dura facies semper, sic & hominum multis fortuna sine flore est. Eius duo genera, altera maior, altera minor. Apud nos in proceram magnitudinem adolescunt, & aliæ humilius fruticant. Genus est, cuius fructus cerasi penè magnitudinem æquat.

Cœlum. In montium cacuminibus, & algentibus locis prouenit: verùm non in excelsum emicat, sicut circa Cyllene promontorium euenire tradit Theophrastus. Plinius. Vasta hæc in Hispania, maximæq; eius baccæ. Montes tamen amat. Sed calidis, & temperatis locis etiam libenter prouenit. In insula Pontia, & in nostra Campania crebra.

Solum. Qualicunque solo etiam natam vidimus. In arenoso soluto, facile sterili, in littoribus maris, non autem in vallibus, & aquosis.

Materies. Materies fabricis conuenit, tam futuris sub dio, quàm terra obruendis, ex Theophrasto. Cariem vetustatemq; non sentire dixit Plinius. Et in Hispania Sagunti aiunt templum Dianæ à Zacyntho aduectæ cum conditoribus, annis ducentis ante excidium Troiæ, vt author est Bochus, infraq; oppidum ipsum id haberi, cui pepercit religione inductus Annibal, iuniperi trabibus etiã nunc durantibus. Medulla vbicunq; solidior, quàm cedrus. Varro robustum pedamentum, quod ridicas dicit, vitibus adhibendum ex iunipero dixit. Columella ab eo. Tertium etiam locum obtinet pedamentum teres: idque maximè probatur ex iunipero. Apud nos quia materia fulua, & odorata est, ex ea conficiuntur coclearia: si vestes reponantur in arcis ex iunipero factis odorem recipiunt, & à tineis vindicantur. Si iuniperino veru carnes assentur infixæ, mirum in modum odor commendat eas.

Resina. Humor in iunipero ad lachrimæ modum concrescit, inquit Theophrastus. Fluit gummi ex iunipero ad nihil vtile, ait Plinius. Et alibi, Iunipero eadẽ virtus,

tus quæ cedri oleo, quo peruncta materies, nec tineam, nec cariem sentit. Materies dum igni crematur, non iniucundum fumum spirat, odorisq; suauitate grassantia pestis contagia depellit. Eius resinam officinæ vernicem dicunt. Ex iunipero gummi, & oleo ex seminibus lini presso fit vernix liquidus, cuius vsus ad illustrandas picturas. Gummi scriptoribus in vsu est multo. Eo tuso carthas perfricant, ne sint bibulæ.

De lentisco. CAP. XVII.

EST etiam lentiscus resinifera, bacciferaque. Arbor fuit, sub qua Iudæorum accusantium alter iuuenem Susannam adulterantem inuenisse Danieli falso testificatus est. Palladius ex lentisco apes mel conficere dixit.

Græcè σχῖνος dicitur, quasi σχιστὸν, id est fissile, quòd facilè findatur, vt experiuntur, qui ad dentiscalpia, & ad dentiū nitillam alboremq; frequenter findunt. Latini lentiscū à Lenteo verbo, quasi lentus fio, propter eius virgultorū lentitudinem deducunt. Præterea lentorem quendam quilibet foliorum attrectatu percipit. Itali *lentisco*. *Nomen.*

Thuris arborem Theophrastus lentisco similem prodidit, & fructu quoq; lentiscino. Cicero Aratum interpretatus, ter lentiscum florere prodidit. *Descriptio.*

Iam verò semper viridis, semperq; grauata
Lentiscus, triplici solita grandescere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

A quo Plinius. Est & alia manifestior ratio, mirabiliore naturæ prouidentia, in qua Ciceronis sententiam ipsius verbis subsignabimus. Ergo hæc aratio has habebit notas lentisci, primum fructum ostendentis, erit & tertia in bulborum satu scillæ, item in coronamentorum narcissi. Namque & hæc ter florent, primoque flore primam arationem ostendunt, medio secundam, tertio nouissimam. Didymus. Aiunt lentiscum ter fructum ferre, & si quidem primus fructus bonus fiat, primam seminationem probè fructum allaturam promittit. Similis significatio etiam aliorum existit. Sed causa tantorum virorum erroris dictio σχῖνον fuit, quo nomine scilla dicta est ab antiquis, vt ex Aristophane habetur, deq; ea scriptum ab Arato, non de lentisco: non enim lentiscum ter florere, sed scillam ex Theophrasto habemus. Et genus vnum scillæ, aut bulbum eius omnem ab Hippocrate schœnum vocari Galenus est author. Nos autem ita describimus. Lentiscus fruticat stolonibus, & caudice cōcolore, & simili terebintho, sed botris ex fuluo purpurascentibus, maturescendo nigricantibus acinis. Flores similes racemosi, muscosique, quos primo vere Aprili mense promit. Vtriculi, folliculive oblongi nascuntur in ramis, incurui, teretes, quibus insunt culices.

Optimam lentisci resinam ex Chio insula Dioscorides prouenire dixit. *Cælum.*

Ex ruderibus, & maritimis lętius emicat, vt in conflagratis Vesuuij saxis. Didymus humidis locis nasci scripsit. Plutarchus Chæroneus in hortis Soclari, quos Cephisus amnis ambiebat, vidit. *Solum.*

Satio. Didymus à Calendis Ianuarij plantari dixit. Plinius. Quædam pœna emendantur, aut morsu excitantur, vt palmæ, & lentisci, salsis enim aquis aluntur.

Insitio. Plutarchus, vt diximus, se in hortis Socleri ex lentisco oleas pullulantes vidisse scripsit.

Materies. Dentiscalpia è virentibus surculis fiunt, quod vis eius dentibus cōferat, Dioscoride authore: emendatq; oris dolorem. Quod & Martialis annotauit.

Foditq; tonsis ora laxa lentiscis.

Hinc quibus dentiscalpium semper in ore est, prouerbium quadrat, σχινοτρῶγες, id est lentisci arrosores, quòd nimio studio corpus curent.

Resina. Consistit in lentisco lachrima, quam mastichen dicit Theophrastus. Lentiscus resinam gignit, quæ lentissima cognominatur, & ab aliquibus mastiche. Optima in Chio, nitedulæ modo splendens, candore Tyrrhenicæ ceræ similis. ex Dioscoride. Sed Galenus nigrā ex Ægypto prouenire dixit. Palladius oleū ex ea extrahere docet, vt docebimus in Oliueto.

De betula. CAP. XVIII.

PRIVSQVAM resiniferarum arborum tractationi finem imponamus, de betula subiungemus. Est autem resinifera, siue bituminosa, nostrisq; tractibus frequens.

Nomen. Theophrasto σημύδα est. Latinis betula, melius quàm betulla. Matthiolus betulam dici putat, quòd bitumine scateat falso: nam betula à batuendo dicitur: batuere enim cædere est: sic batula, leui mutatione betula, quum olim ex ea fascium virgæ conficerentur. Pueris nota, & infesta. Apud nos vulgò dicta, *candolice.*

Descriptio. Folio cariæ est, ex Theophrasti descriptione, præterquā quod paulo angustiori, cortice versicolore. Quid verò sit caria, ipse idem nono libro, decimo capite declarat. Thapsiæ, & cariæ, quam alij pyrum appellant. Sed Matthiolus capite De populo, quid sit caria ignorat. Addit Plinius. Betula arbor est Gallica, mirabili candore, atq; tenuitate, terribilis magistratuū virgis. Addimus nos. Trunco enodi est, & candidissimo. Folio pyri per ambitum serrato deciduo. Iulos fert, sicut corylus. Virgultorum eximia tenuitate.

Cœlum. Betula Theophrasti tempestate non nisi Pyrenicæ familiaris, Italiæ omnino ignota. Plinius Gallicam vocat, & frigidis gaudere dixit. Nobis in Surrentino tractu videre licuit, locis opacis & frigidis.

Materies. Materie læui, non nisi ad baculos vtili, dixit Theophrastus. Plinius. Terribilis magistratuū virgis. Eadem circulis flexilis, item corbium sportulis. Leuissima: ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditq; suum vulnus: & ob id contumacius transmittit ferrum. Ad cistas, quæq; flexili crate constant, habet candorem, vigoremque, & in sculpturis facilitatē. Etiam ligaminibus apta. Nunc etiam vt olim Romanorum magistratuum fascibus minax, & hodie virgis pædagogorum sceptris pueros terret.

Bitumen. Bitumen ex ea Galli excoquunt. Nobis faces ad nocturna lumina parantur,

tur, quòd bituminoſa pinguedine redundat, tedæ modo conflagrat, & reſinoſum quiddam reſudat.

De aquifolio. Cap. XIX.

HACTENVS de coniferis, reſiniferisque: ſequitur vt alias, & ſylueſtres arbores deſcribamus cæduas. exordiumq; ſumemus ab iis, quæ æterna pubent coma. Et primùm de aquifolia. Macrobius infelices arbores vocat, & in ſuam ſententiam adducit Veranium teſtem. Sic enim Tarquinius Priſcus apud eundem, Quę inferûm deorum, auertentiumq; in tutela ſunt, inter quas aquifolium, quod ſterilis ſit.

Nomen vagum eſt, & ad ilicis ſpeciem, quam infrà deſcribemus, & ad præſentem. Theophraſto ἀγρία eſt. Falsò enim putauit Plinius eſſe Theophraſti κράταιγον, quum hæc ſylueſtris meſpili ſpecies ſit, vt ſuo loco dicemus. Plinij verba. Theophraſto authore genus intelligi voluit cratægon, ſiue crategona, quam Itali aquifolium vocant. Latinis aquifolium dicitur, quòd aculeata ſit. Olim enim aquus pro acus dicebant. Nos *agrifoglio* vocamus. *Nomen.*

Theophraſtus perpetuo folio virere dixit. Plinius folio pungenti. Eſt enim ambitu aculeatum. Vere cœpturo germinat. Nos autem ita deſcribemus. Perpetuo viret, ſed lætius hyeme. Spinis horrido folio in margine multilatero, leniter ſinuato, lauri ęmulo, carnoſo, & ſolido. Virgis viridi colore veſtitis, lentis, flexibilibus, baccis rubeis, rotundis, oxyacanthæ, ruſci aut aſparagi æmulis, racematim coaceruatis, nucleo intus ſimili, albo, craſsóve, flore albo, odoro, cortice læui, & herbaceo, ad gluten aucupatorium apto, ſed ſolo, quod ei nō conueniat, nacto, infrugifera. *Deſcriptio.*

Montes amare, & in planis naſci recuſare ſcribit Theophraſtus. Plinius: montes amat. In montibus perpetuo gelu obſitis nos naſci vidimus. *Cœlum.*

Apud nos mas, & fœmina eſt, quæ latiori folio prædita, & minus aculeato. *Genera.*

Locis frigidis acruminum genus non naſcitur. Sed ſuper hanc plantam inſitum, frigidiſſimis locis perennat. *Inſitio.*

Plinius de aquifoliis hæc habet. Si quæuis aquifolia in villa nata eſt, veneficia arcet. Flore eius aquam glaciari Pythagoras ſcribit. Itemq; iaculum ex ea factum in quoduis animal miſſum, etiam ſi citra deciderit defectu mittentis, ipſum per ſeſe recubitu propius adlabi, tam præcipuam eſſe arbori naturam. Cato vectes aquifolios fieri iubet. In laminas ſecatur, cuius operimento veſtiatur alia materies. Nobis ſcopis naſcitur, ſuſpenditurq; circa funes, è quibus ſalſæ carnes pendent: arcet enim mures ſuis aculeis. Fit ex ea viſcus ligandis auiū pennis. Corticem vere detrahunt, frondibusq; arborū inuoluentes, facto humi ſcrobe vliginoſis locis maxime obruunt, & ibi putreſcere patiuntur, quod fieri ſolet duodecim ferè diebus: tum marcidam eruunt, & tantiſper pila contundunt, donec in viſcum lenteſcat, demum in profluente, vt adhærentes corticum reliquiæ ſordesq; fluitent, proluunt, & adiecto iuglandis olei momento, fictilibus recondunt. *Materies.*

De alaterno. Cap. XX.

PVBESCIT & alaternus perpetua fronde, & è syluestribus est, Theophrasti authoritate. Verannius inter infelices arbores, & nefastas alaternum connumerat.

Nomen. A Theophrasto φιλύκη dicitur, à Dioscoride φιλυρέα. Latinis, vt Columellæ, & Plinio, alaternus. Neapolitanis *lanterno.*

Descriptio. Hæc habet de sua philyra Theophrastus. E syluestribus perpetuo viret. Ineunte vere germinat. Post Vergiliarum occasum fructificat. Obedientissima est, cãdorq; ei celastri modo. Suus honos in alendo pecore: nam semper fronde abundat. In mõtibus nascitur, in planis nasci recusat. Columella de alaterno loquens ait: Caprinũ pecus asperis locis, à syluestribus optimè pascitur, arbusculis, frutetisq; maximè gaudet, ea sunt arburus, alaternus, cytisus agrestis, qui in altitudinẽ non prosiliunt. Plinius. Alaternus habet frondẽ inter ilicem & oliuam, infelix, damnataq; religione, quæ neq; seritur vnquã, neq; fructum fert. Nos autẽ alaternum nasci dicimus frutice potius quàm arbore, fronde perpetua, cuius honos est in alẽdo pecore. Germinat ineunte vere, fructificatq; Vergiliarũ occasu, baccula rotunda, nigra, racematim coeunte, subdulci, qua turdi hyeme allecti retibus capiuntur. Etsi Plinius infrugiferã censeat. Celastri modo ei cãdor, etsi nobis celastrus incognitus sit, Theophrasti tamẽ authoritate albus est, & alaterni lignum album est. Nascitur in asperis, & montibus, in planis nasci recusat. In montibus ciuitatis Equensis frequentissima, è mediis lapidibus surgens. Foliis est oleæ nigrioribus, & latioribus, Plinius dixit, inter ilicẽ & oliuã, quod in alaterno optimè videre est. E sua materie pilæ apud nos conficiuntur, quæ ligneo malleo in ludis longè traiiciuntur, grauitate & firmitate insignes. Potest suspicari esse Dioscoridis philyram, nam quæ scribit omnia ferè è Theophrasto desumit: nam est ligustri magnitudine, foliis oleæ nigrioribus, fructu lentisci, subdulci, racematim cohærẽte: nascitur in asperis, & astringens est: nam stiptici est saporis.

De colytea. Cap. XXI.

COLYTEAM apponemus nobis frequentem, etsi Theophrastus raram inuentu dicit, & solum Idæ concessit: fronde enim perpetua est.

Nomen. Græcis κολυτέα, Theodorus colyteam vertit.

Descriptio. Colytea arbor circa Idam prouenit, alioqui rara inuẽtu, fruticosa, ramosaq;, & multis alis concaua, folio vlmi, longiore, satis ad latifoliæ lauri folium accedente, sed ampliusculo, & rotundiore, supra viridi, infra cano, neruosoque, prætenuibus neruulis, fibrisq; de medio callo in costarum speciem adductis, materie solida, cortice nõ lęui, sed quasi vitigineo vestitur. Radicibus per summa gracilibus, & solutis, cęterũ fibratis, & mirum in modũ flauis, sterilis, & flore vidua, surculos tamẽ gemmasq; circa folia pingues, leues, cãdidos, amẽtacea facie fundit: pręcisa, vel ignibus adusta, ab imis rediuiua resurgit. Eadẽ est, quã Matthiolus pro Dioscoridis philyrea depinxit. notę à Theophrasto appositę ad

amussim

amussim respõdent, nec præcisius vnquam ab eo depictum est. Flore caret, sed surculi illi, quos amentacea facie repræsentat Theophrastus, fructus proferũt lentiscinos: & si Theophrasto in Ida sterilis erat, apud nos latè fœcunda; si ibi rara, in syluis nostris frequentissima montosis.

De Taxo. Cap. XXII.

Fit obuiam taxus, syluestris, & perpetuæ frondis arbor. In inferni opacis nasci fingunt Poëtæ. Seneca in Hercule furente.

Horrent opaca fronde nigrantis comæ
Taxo imminente.

Et infernales furiæ ex hoc ligno faces gerere finguntur, authore Placido. Vnde Statius Thebaidos octauo.

Nec dum illum, aut trunca lustrauerat obuia taxo
Eumenis.

Quod non aliam ob causam ita Poëtæ finxerunt, nisi quia lætifera sit. Plinius à taxo toxica appellata putat, quasi taxica venena, quibus sagittæ tinguntur. Vasa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta mortifera fuisse compertum est. Et Sextius dixit in Arcadia præsentis esse veneni, vt qui obdormiant sub ea, cibúmve capiant, moriãtur. Repertumq; innoxium fieri, si in ipsam arborem clauus æreus adigatur. Quod Plutarchus in symposiacis commentariis adserit, præsertim id iis euenire, scilicet qui morentur sub eius vmbra, quum nouis floribus turgens sit: vniuerso enim corpori frigiditatem facit, strangulationes etiam, celeremq; mortem adfert. Cæsar commentariorum libro sexto de bello Gallico, Catiuulcus omnibus precibus detestatus Ambiorigẽ, qui eius consilii author fuisset, taxo cuius magna in Gallia & Germania copia erat, se exanimauit. Dioscorides scribit, auiculas, quæ in Italia taxi baccas deuorent, denigrari, & qui edant eas homines alui profluuio corripi, & Narbonæ homines lædi, qui sub ea cubent, & sæpenumero necari. Theophrastus veterinariis lætifera, non item ruminantibus. Sunt tamen homines, qui baccas edant suaui cibo, & innocuas esse dicant.

Theophrasto μίλος, & μίλιτος dicitur. Dioscoridi σμίλαξ, Paulo thynion. Plinius à Sextio milacem vocari dixit. Latinis taxus. Italis *tasso* & *nasso*. Nomen.

Theophrastus simplex genere esse dixit, Plinius maris & fœminę meminit. Genera. Taxus procera arbor, facillimeq; augescit, similis abieti, sed minus excelsa, alis crebrioribus, folio abietis, sed pinguiori, molliorique; ligno, quæ in Arcadia nascitur, nigro, aut puniceo, quæ autẽ in Ida, flauo, & cedro simili, propter quod vendentes fraudantes, tanquam cedrum vendant. Cortex cedro persimilis, tum scabritia, tum colore, quo detracto totum subesse cor cernitur. Radices ei graciles, per summa cespitum breues, rotundo fructu, & paulo ampliore, quàm faba, colore russo, tactu molli. Folio æterno. Floret paulo ante solstitium, maximè serotino germine, &, vt Archades volunt, omnibus serior, etsi

fructum nudum ferat. Hæc Theophrastus. Plinius ab eo. Similis abietis & piceæ, minus virens, gracilisq;, & tristis, & dira, nullo succo. Ex omnibus sola baccifera, mas noxio fructu, lætalis quippe baccis. Nicander, quia taxus similis abieti, ἐλατίδα vocat.

Cælum. In montibus nasci Theophrastus dixit. Circa Idam rara. In Macedonia, & Arcadia frequentior. Galenus eam probat, quæ in OEta Æthiopiæ monte nascitur. Alii vmbrosissimis locis prouenire dicunt, vt nos sæpe vidimus. In Corsica plurima nascitur Diodoro authore, vt ex illis mel collectum amarum fit. Virgilius.

Si tua Cyrneas fugiant examina taxos.

Nam Corsica Græcè Cyar dicitur, vnde Cyrnæus deducitur.

Et alibi Virgilius.

——— *Aquilonem & frigora taxi.*

Materies. Theophrastus, Materie soluta & tenera in operibus est, & præsertim in Arcadia. Ex ea conglutinamenta, siue subscudes scriniis, capsis, & subselliis parantur, atq; in totum similibus præstat. Apud nos ex ea arcus, & scorpiones parantur: vt antiquitus. Virgilius.

——— *Ithyreos taxi torquentur in arcus.*

Valet ad viperæ morsum. Claudius Cæsar, Tranquillo referente, vno edicto proposuit: nil æquè ad viperæ morsum facere, quàm taxi succum.

De buxo. CAP. XXIII.

E SYLVESTRIBVS etiam perpetuò viret buxus: myrti æmula ob frondium nitorem: è syluis erepta in viridariis viret, parietũ ambulachris plurimis formis conspicitur: nam topiario operi accommodatissima est, nec, vt myrtus, frigida hyeme aut gelu læditur. Cauebant antiqui ne buxum Veneri offerrent, ne palæstram veneream expiarent. Buxentum in Italia oppidum à buxo dictum est, & à Græcis propriam significationem seruat, nam illis πύξος vocatur.

Nomen. Græcis πύξος dicitur, & quæ ex ea tabulæ ad scribendum fiebant, πυξία dictæ. vnde & pyxides. Latinis buxus. Italis *bosso*.

Genera. Plinius tria recenset genera, Gallicum, quod in metas emittitur, amplitudinemq; proceriorem. Oleastrum in omni vsu damnatum, grauem præfert odorem. Tertium genus nostrate vocant, syluestre, vt credo mitigatũ satu, diffusius, & densitate parietum virens semper, ac tonsile.

Descriptio. Theophrastus ita describit. Arbor proceritate non excellens, folio myrti, immortali virens coma. Paulò ante solstitium floret, germine omnium ferè serotino, serò fructificat, vt Arcades volunt, omnium tardissimè. Fructu omnibus animalibus inuiso. Auctu facillima. Plinius autem hoc modo. Buxus concauo folio. Plurima fert: nam & semen suum, & granum, quod carthegon vocant, & à Septentrione viscum, à Meridie hypear. Interdum pariter res

quaternas

quaternas habet. Fructu omnibus animantibus inuiso. Addimus nos. Prædensis & rigidis virgultis, & ramis admodum foliosis, graueolentibus: Bacculæ tripodes coronula denticulata insigniuntur, myrto non absimiles. Flore herbaceo.

Aquilonaribus regionibus vigere, & locis, scripsit Theophrastus, algentibus, & asperis, vt in Cithæra, vbi plurima. In Olympo Macedoniæ gracilis, & breuis, qui etiam frigidus est. Maxima, pulcherrimaque crassamento, & proceritate cæteris præstans in Cyrenea prouenit, ideo mel ibi insuaue est, & buxum olens. In Media, & hortis Babyloniis hospitari nequit, vix summo conatu recipit: nam his & cultores hortorum vehementer laborant. Locis feruidis prouenire non posse nulli dubium est. Plinius Pyreneis, & Cythoro montibus plurima, & Berecynthio tractu crassissima. In Corsica flore non spernendo, quæ causa amaritudinis mellis. Nascitur in montibus. In Olympo Macedoniæ gracilior, sed breuis. Amat frigida, & aprica. Similis naturæ Cythorus Paphlagoniæ regionis Asiæ mons est, de quo Virgilius. Cælum.

Et iuuat vndantem buxo spectare Cythorum.

Catullo buxifer. Berecynthius mons Phrygiæ buxo etiam abundat, vt diximus. Virgilius Æneidos nono.

——— *Buxusq; vocat Berecynthia Matris*
Idea.

Didymus humidis locis etiam gaudere dixit.

Plinius eius docet sationem. Surculis etiam quibusnam sit articulatio arboris, non omittendum videtur. Nanque buxi tenuissimis quinis, senisve colligatis depacti proueniunt. Quondam in obseruatione erat, vt defringerentur ex imputata buxo, aliter viuere non crediti: detraxere hoc experimenta. Didymus. Buxus plantatur auulsione, clauis, & ramis, depositis in plantario post Idus Nouembris. Idem. A ramis, & taleis tantùm plantatur, nequaquam verò auulsione, propterea quòd neque ex radicibus *stolones* emittunt. Nos stolonibus plantamus, quum multos è caudicibus emittant, & semine, & radicibus solis depositis: nam viuax est admodum, etsi aspero solo, & gracili gaudeat. In viridariis, vbi lætissimum solum, optimè quoque prouenit. Satio.

Materies buxi, vt ex Theophrasto habetur, ex omni materie densissima, durissimaque eademq; grauissima. Simulachra ex eo sculpere quidam solent, rimas enim non capit, & carnis æqualitate constare quodãmodo videtur. Natura ei perpetua, vermibus innoxia, quum eius materies amara, duraq; sit, nec erodere valeant: quia medullam paruam incertamq; gerit, nec distincta spectatur: ea carere quidam putant, sed constat eam habere, argumento, quia ex ea sumptuosarum valuarum cardines facere artifices solent, quos architecti faciundos ex medulla præcipiant: quòd item vel omnis medulla distrahi Materies.

possit, etiam durissimarum materierum, quas nonnulli corda appellant, argumento sanè accipi potest. Sunt qui non in medio, sed per totum lignum dispersam esse affirment. Ad plaustrorum axes, & aratorum buras vtilis. Quæ in Olympo, breuis, & frequentia nodorum incommoda. Ad malleos etiam, & terebellos valens. Ob suam spissitatem enodis habetur, aut paucissimis nodis. Plinius. Buxo materies honorata, raro crispanti, nec nisi radice; cætero lenis quies materiæ silentio quodam, & duritie, ac pallore commendabilis. In igne quoq; duritia, quæ ferro, nec flamma, nec carbone vtili. Spississima ex omni materie, ideoq; & grauissima iudicatur buxus: gracilis natura, in aquis non fluitat: materie æternam putant. Tineam nasci prohibet buxus duritia sua. In laminas secatur, cuius operimento vestiatur alia materies. Terebris vaginas ex buxo faciunt. Nec adipem, nec carnem habet, nec medullam, minimumque etiam sanguinis. Facile corno conglutinatur. Arida omnia ligna facilius serris cedunt, præter buxum, quæ pertinacius resistit, serrarumque dentes replet æqualitate inerti, qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem. Sacrificæ Tuscorum tibiæ è buxo fiunt. Ennius buxum amaro corpore dicit.

—— Longeq; cupreßi
Stant duris folijs, & amaro corpore buxum.

Turbo etiam pueriles fit è buxo. Persius satyra sexta.

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

Præcipua pectinum dote commendatur. Martialis

Multifido buxus quæ tibi dente datur.

Iuuenalis:

Sed caput intactum buxo.

Torno materies probatur, cui non omnis apta est, verùm ea tantum, quæ prædura, atq; solida, & minime crispa, cuiusmodi buxi est, vt nulla alia torno vtilior, præstantiórve. Virgilius

—— Aut torno rasile buxum.

iquitus veteres è buxo elementa formabant ad pueros literis imbuendos, & hæc tabula pyxion dicebatur. Herodoto deltion. Pictores etiam artes in buxo docebant. Liquidis medicamentis è buxo etiam pyxides fiunt, quod maximè Dioscorides probat. Quare quia frequentiùs ex ea materie fieri solitæ sunt, sic vocantur. Apud nos ex ea fiunt tibiæ multiforatiles, & pyxides, quibus nomen dedit. Commendantur tabellæ pictoriæ, cocleares, & scachi.

De Lauro. CAP. XXIIII.

ETSI Theophrastus laurum inter vrbanas commemoret, & Plinius, quòd vmbræ officio humanius viuat, nos inter syluestres reponemus, quũ eius fructus vescus non sit. Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima domibus, ianitrix Cæsarum, pontificumq;, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Ipsa pacifera, vt quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis

quietis sit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ, victoriarumq; nuncia additur literis, & militum lanceis, pilisq;, fascesq; imperatorum decorat. Ex his in gremio Iouis optimi maximi deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit, idq; non, quia perpetuò viret, nec quia pacifera est, præferenda ei vtraque olea, sed quia spectatissima in monte Parnaso, ideoque etiam grata Apollini, assuetis eò dona mittere iam & Regibus Romanis, teste L. Bruto. Fortassis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex respõso. Et quia manu satarum receptarumq; in domos, fulmine sola non icitur. Ob has causas equidem crediderim, honorem ei habitum in triumphis potius, quàm quia suffimentum sit cædis hostiũ, & purgatio, vt tradit Massurius. Adeoq; in profanis vsibus pollui laurum, & oleam fas non est, vt ne propiciandis quidem numinibus accẽdi ex his altaria, aræve debeant. Laurus quidem manifesto abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione, interaneorum etiam vitia, & neruorum ligno torquente. Tiberium principem tonante cœlo coronari ea solitum ferunt, contra fulminum metus. Hæc Plinius. Laurum comitatur hæc historia, à Graiis rei rusticæ authoribus tradita, quæ fabuloso verborum inuolucro nonnihil etiam veri prætendit. Formosissimam Lanoui fluuii filiam Apollo deperibat, dans operam, vt ea, tanquam amasia potiretur, ab eo tamen capta, matrem precatur tellurem, se in suum reciperet gremium: subscribens votis tellus, confestim arborem edidit. Re conspecta deterritus Apollo, arborem gentilis virginis nomine donauit, & vulso ramo sese coronauit, fuitq; diuinationis signum arbos. Idq; non incongruum, quippe puellam sapientiam appellent, facultasque oracula dandi ab sapientia proficiscitur, quòd plena sit ignis arbos, Apollo ignis ipse, vtpote Sol, vnde lemures & laruas odit, & siqua laurus astiterit, eminus abiguntur in fugam fusi. Porro qui eam in vaticiniis cremant, prædictionis rationem creduntur iniuisse. Apollinis simulachra lauro coronantur, ob rẽ medicam. Columba quoties ægrotare cœpit, lauri folio decerpto, sibi ipsa medetur, neque verò palumbes tantùm, sed & graculæ, merulæque, & perdices lauri folio annuum fastidium purgant. Coruus quoque occiso chamæleonte, lauro infestum virus extinguit. Vnde apud Græcos freques adagium, laureum scipionem gestare, de his, qui in aliquas insidias lapsi, vitæ periculum euaserunt. Ob etiam vim igneá Apollini dicarunt, & ob id, vt Eusebius ait, à dæmonibus maximè odio habetur. Quòd vsta sonet, quandam vim prædicendi habere dixerunt. Empedocles qui animam igneam statuebat, lauri natura considerata, dicebat, si homini sit in arborem transmigrandum, in nullam commodius, quàm in laurum subeundum. Est & alia ratio vt Apollini sacra arbor dicatur. Laurus capiti dormientium apposita vera videri somnia facit, vt in Serapione legimus. Id ipsum Antiphonem, Philocrum, & Artemonem asseuerasse comperimus. Laurum tradunt secundam valetudinem adferre, proinde folia principibus à populo & caricæ die Ianuarii mensis donabantur, quippe

quum nec sacer morbus, nec malus genius negotium exhiberet, vbi laurus adfuisset. Quin & Æsculapii caput laurea redimitum, non alia de causa dicunt, nisi quia ea arbor plurimorum sit remediorum.

Veteres prætereа laurum tutelæ sacrarunt, quòd in locis, vbicunq; vel sata, vel affixa fuerit, incolumitatem præbeat, cuius rei non ignarus Ouidius:

Postibus augustis eadem fidissima custos,
Ante fores stabis, mediamq; tuebere quercum.

Fuit & Romæ palatium, quod à lauri cognomento daphne fuit appellatum. Præterea Latinum commemorant Circæ filium, & socerum Æneæ, antequam illuc Æneas aduentasset, arcem condidisse, inibiq; laurum inuenisse, (acropolim, id est, arcem nominant veteres, Regum tabernaculum, quod munitionis, securitatisque gratia summis vrbium cacuminibus sit extructum.) Laurentum Italiæ oppidum antè Lauinium & Lauinia dictum, authore Seruio, sic dictum, quòd quum Latinus Telegoni frater, & Circes filius, & Æneæ socer, post Lauinii fratris mortem, Lauinium amplificaret, in arce laurum reperit. Sic canente Virgilio.

Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
Sacra comam, multosq; metu seruata per annos:
Quam pater inuentam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus,
Laurentisq; ab ea nomen posuisse colonis.

Erant Pythia certamina à Pythone serpente, quem Apollo interfecerat, dicta. Vnde Ouidius.

Ne've operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.

Præmium Thessalonica laurus erat, vt Lucano placuit.

Vnde & Thessalia veniant ad Pythia laurus.

Pindarus & Callimachus, Græci Poëtæ, Ouidio longè antiquiores, Apollinem post deuictum draconem lauream induisse testantur: ratio quòd Apollo Daphnem adamauit, quæ mutata in laurum fuit, ex Pausania in Phocensibus. Romæ ludi Apollinis fiebant, quos Romanus populus laureatus spectabat. Virgilius:

——— *Phœbo sua semper apud me*
Munera sunt lauri.

Ob hanc rem Eurotam fluuium, qui Spartam præterfluit, quòd lauris ab vtraque ripæ parte obsitus sit, Apollinis sacrum Poëtæ dixerunt. In Sileno.

Omnia quæ Phœbo quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, iussitq; ediscere lauros.

Parnassus mons, quòd laurus in eo spectatissima proueniret, Apollini etiam sacer est. Lucanus.

Cardine

Cardine Parnassus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromioq; sacer.

Templum, quod primum Apollini erectum apud Delphos fuit, factum è lauri ramulis in terram, in specus morem defixis, ex Pausania. Sed dedicationis ratio hæc est: Diodorus dicit, quòd ille primùm hanc plantam inuenerit. Alii quòd fulmine non iciatur. Phurnutus, quòd facile incendatur, & ad purgationes idonea, ob id deo mundissimo & flagrantissimo dicatur. Lactantius propter vim diuinandi triplicem, præteritorum, præsentium, & futurorum. Ideo maximè illi Delphicam deuoueri, quòd hanc radices tres habere existiment. Romanorum principum corona è lauro fuit. Appianus inquit, Iulium Cæsarem post ciuilia bella in vrbem reuersum, multi vt Regem salutarunt, eiusq; imaginem lauro coronarunt. Scribit Dion post victorias obtinuisse, vt corona laurea ornari perpetuò sibi liceret, cuius rei causam afferebat, quòd caluus esset. A ludis & eorum victoriis, qui de hostibus victoriam adepti essent, ex lauro coronam cingebant. Ouidius.

——— *Tu ducibus lætis cum læta triumphis*
Vox canet.

Scipionem de Carthaginensibus triumphantem altera manu sceptrum, alteram laurum tenuisse scribunt Plutarchus, & Appianus. Suetonius refert aquilam præteruolantem gallinam albam, & lauri ramulum rostro ferentem apprehensam, in Liuiæ gremium, post Augusti nuptias, quum Veientanum suum reuiseret, dimisisse, quem quum pangi placuisset, postea adnatum lauretum, ex quo deinde triumphaturi Cæsares, laureas decerperent, & alias eodem loco sererent. In aruspicina laurus victoriam etiam præmonstrauit, vt ea, quæ in domo Alexandri Seueri iam infantuli nata iuxta persicum arborem, intra vnum annum persicum ipsam incremento mirabili superauit, vnde aruspices futurum prædixêre, vt puer is olim Persas euinceret: quod euentu est postea comprobatum, sub eo enim primùm Persę serui apud Romanos fuere. Adeò laurus triumphantium propria fuisse videbatur, vt obseruatum sit in laureto Cæsarum, sub cuiusq; obitũ arborem ab ipso institutam elanguisse. Iulii Cæsaris cædem præmonstrauit, quum pridie Idus Martias auis regaliolus cũ laureo ramulo Pompeianæ curiæ sese inferens, à varii generis volucribus ex proximo nemore persequentibus ibidẽ discerpta est. Nouissimo verò Neronis anno, in quo Cæsarum progenies defecit, sylua illa Veientana radicitus omnis exaruit. Tali portento fuit Alexandro Seuero laurus alia ingens, & antiqua, quæ in palatio cuiusdam ciuitatis, à qua proficiscebatur ad bellum, quod contra Germanos parauerat, subito collapsa, mortis itidem eius indicium habuit. Contrà non temere boni ominis laurus fuit, quæ circa Pompeii fasces alligata fuit, quæ quũ longo itinere exaruisset, in vico Galatiæ cũ Lucullo in colloquium descendenti, reuiruit, quod gloriã rerũ à Lucullo gestarũ ad

Pompeium transiturum interpretatum est, & paulò post subsequutum. Fuit & laurea Poëtarum insigne, & hac ratione coronandos Poëtas antiquitas censuit, quòd hæc Apollini, qui Musis præficitur, sacra fuit. Hesiodus in sua Theogonia scribit, ad se iuxta Heliconem montem nouem Musas venisse, & ramum Heliconiæ laurus manducandum porrexisse, quem quum degustasset, repentè poëtica doctrina repletus fit. Est & lauro perennitas, & vitæ diuturnitas, quòd nil magis à Poëtis expetitur: aliorum enim scriptorum authoribus, non tam fama, quàm vtilitas etiam quæsita: sola Poëtis gloria, & victuri nominis cupiditas insita est; ob id eleganter Ouidius, *Petitur sacris nisi tantum fama Poetis.* Diximus ex Hesiodo datum sibi laureum sceptrum à Musis, indicando laborem & scriptoris diligentiam: nam veluti sunt amara lauri folia, ita virtutis sudor amarus, & laboriosus. Frequens quoque fuit huius arboris vsus in deorum coronis, maiorque in sacrificiis, vt nulla communior, sanctiorque apud gentiles fuerit. Lauro, inquit Nicander, Thessalica Apollinis coma primum redimita. Æsculapium laurea corona vinciri solitum, scribit Plutarchus. In sacrificiis vsus fuit propter vim diuinandi, indicabatur enim euentus rei ratione crepitantis lauri: si enim abunde, & sonantius crepuisset, felix auspicium æstimabatur: vt intellexit Tibullus illo versu,

Laurus vbi signa dedit, gaudete coloni:

E diuerso autem si tacita deflagrasset, inauspicatissimum rebatur, quod etiam Propertius expressit.

Et tacet extincto laurus adacta foco.

Quamplurima sunt quoque authorum exempla, quæ omittimus. Prosunt insuper non parum ad euitandam aëris contagionem, syluarum vmbræ & amœnitates, potissimum verò fragrantium. Quum enim Romæ pestis sæuiret, Commodus Princeps Laurentum secessit, vt diximus, quòd hæc regio lauri crebris syluis opaca foret. Contra pestilentiam valet hæc arbos foribus affixa, authore Aristophane. Columella cubili gallinæ incubantis lauri ramulos subiicit, quòd credat aduersus tonitrua remedium fore. Quidam etiam doliis lauri folia imponunt, ne tonitrua peruertant. Idem refert rubiginem à segetibus lauri folio abigi, transireq; ex aruis in earum folia.

Nomen. Genera.

Græcè δάφνη, & δάφνις dicitur, quasi duophne: frondes enim igni iniectæ fragorem edunt salis strepitu. Latinè laurus. Itali *lauro, & allor.* Quia vrbana arbor est Theophrasto, ex ea multas differentias noscit, sensusque earum communior. In Heroo sinu laurus est, parte aquis extante lapidea, similis tamen virenti. Magnitudo frutici bipedalis. In mari quoque rubro viuere eam affirmant. Cato duas species commemorat, Cypriam, & Delphicam. Plinius tredecim genera recenset. Duo eius genera tradit Cato, Delphicam, & Cypriam. Pompeius Lenæus adiecit, quam mustaceam appellauit, quoniam mustaceis subiiceretur. Hanc esse folio maximo, flaccidoq; & albicante, Delphicam æquali colore, viridiorem, maximis baccis,

atque è viridi rubentibus. Hac victores Delphis coronari, & triumphãtes Romæ. Cypriam esse folio breui, nigro, & per margines imbricato, crispam. Tinum in sequenti dicemus. Accessit & regia, quæ cœpit & augusta appellari, amplissima & arbore, & folio, baccis gustatu quoque non asperis. Aliqui negant eandem esse, & suum genus regiæ faciunt, longioribus foliis, latioribusque. Iidem in alio genere baccaliam appellant hanc, quæ vulgatissima est, baccarumque fertilissima. Sterilem verò earum (quod maximè miratur Plinius) triumphalem, eaque dicunt triumphantes vti, nisi id à Diuo Augusto cœperit, vt docebimus ex ea lauru, quæ ei missa è cœlo est, minima altitudine, folio crispo, ac breui, inuentu rara. Reliqua genera in sequenti dicemus. Aliam etiam *Plinius* laurum recenset. In tractu Ponti circa Heracleam portus est, Amyco Bebrycum rege interfecto clarus. Eius tumulus à supremo die lauro tegitur, quam insanam vocant, quoniam si quid ex ea decerptũ inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abiiciatur.

Sed describamus laurum ex Theophrasto. Arbor læui, & tenui cortice vestitur. Caudice procero, nodis perquam paucis. Perpetuo virens folio. Succo scatens pingui. Radicibus non minoribus alni, obliquis, & inæqualibus, quæ spontè naturæ recto tramite non progrediantur. Germinat post Fauonium, carne in nucleo concepta. Fert vuam tam fœcunda, quàm sterilis, sed copiosiùs sterilis, quam marem aliqui vocant, quamquã non omnis, sed genus quoddam. Breuis est vitæ, quum materie soluta, proximaq; putredini sit, infirmitateque facilè perit; etsi non copiose fructificet. Sed & si citò perit, facilè suo latere germinat. Etsi meatuum rectitudinem habeat, difficilis tamen est auctus, quod suæ siccitati, vel imbecillitati ascribendum est. Vitis eius odore læditur, quod ex germinatione liquet: quum enim germen propinquum lauro, retrorsum parte sua postrema flectitur, quasi odoris vehementiã fugiẽs. Gelu non læditur, vt cæteræ, quamuis rara sit, quum resistat, perduretq; sui caloris potentia. Plinius. Pingui succo scatet. Baccas fert. Non amittit folia. Primo Fauonio germinat. Floret post prunum vere. Suas vuas fert, maximeque sterilis, quæ non gignit aliud: ob id à quibusdam mas existimatur. Cortice tenui. Radices crassiores, & inæquales, recto meatu incedẽtes, superficie viuaciores. Senescit velociter, sed è radicibus repullulat. Addimus: flore flauescente, baccis maturis nigrescentibus. *Descriptio.*

Theophrastus. Latinus ager aquis totus abundat, & plana habent laurum: Circæum verò, quod vocant, excelsum quoddã promontorium tradunt frequentissimum arborum & lauro maiori ex parte scatens. In Propontide laurus in montibus, & multis locis habetur. Vmbras adamant quibus fructus siccissimi, nucleosique sunt, quæque suapte natura soluta, sicca, & breuistirpia sunt, vt laurus. Ex Plinio habetur lauro frigus inimicum. In Olympo copiosior nulla est. Circa Bosphorum Cimmeriũ in Penticapeo vrbe, omni modo laborauit Mithridates Rex, & cæteri incolæ, sacrorum certè causa, laurum habere, *Cælum.*

& non cõtigit, quum teporis arbores abundent ibi. Notatũ antiquis nullũ genus lauri in Corsica fuisse, quod nunc satũ & ibi prouenit. Subit & in mõtosa.

Solum. Locis siccis & humidis prouenit, vt in agro Latino, dixerat Theophrastus.

Satio. Seritur laurus semine ex Theophrasto, sed interdum præstat, interdum degenerat magna ex parte, nec suum seruat colorem, adeo vt fructus è rubro niger eueniat, sicut in Antandro notatum est. Et hoc modo laurum ortã in platano dixit, quod tanquã ostentum interpretatur. Crebras deponere non plus nouenis pedibus distantes præcipit; sic enim suam infirmitatem tuentur: nam protectũ desiderant, quo se à frigore æstúve possint defendere. Nullus enim radicum implexus, mutuus decursus, rixatúsve improbus infestat, quum breuem agant radicem. Plinius. Lauri baccæ mense Ianuario Aquilonis afflatu siccante leguntur, expanduntúrq; raræ, ne calefiant aceruo. Postea quidam fimo ad serendum paratas, vrina madefaciunt. Alij in quallo pedibus in profluente deculcãt, donec auferatur cutis, alioquin vligo infestat, nec patitur nasci. In sulco repastinato palmi altitudine vicenæ ferè aceruatim ponuntur mense Martio. Hoc modo etiã seritur baccalis augusta & tinus. Natura & plantaria demonstrauit, multarũ radicibus pullulãte sobole densa, & pariente matre, quas enecet, eius quippe vmbra turba indigesta premitur, vt in lauris. Densiores seri iusserunt, in pedibus tamẽ nouenis, & si vmbra enormis, magnaque. Palladius Februario mense seminaria lauri facit, vel facta excolit. Didymus semine seri laurũ dixit. Diophanes baccas suadet legi circa Calendas Decembres, seri post Idus Martias, viuiradices transferri mense Octobri, & deplantari. Boni genij plantam laurum Romani vocant, & cõmodam ad vitiũ sepes. Nasci & laurum auulsione affirmat Theophrastus, si quis sublatis surculis serat, sed quod auellitur, radicis, aut stipitis aliquid habeat oportet. Didymus auulsione quoque plantari dixit. Virgilius etiam suadet, quòd ab imis maxime plantigera sit.

Pullulat ab radice aliis densissima sylua
Vt cerasis, vlmisq; etiam Parnassia laurus.

Surculo autem seri posse Theophrastus inficiatur. Extrema verò eiusdem sicca ex tenuitate, nec ad edurandum valida superextant, vnde pullulare ob eandem causam nequeunt, præterquam si quid raro, contraque naturæ ritum eueniat. Ob id auulsione non nisi difficilè nascitur. Causa quoq; eius siccitas, atq; raritas. Quod enim raro, laxoq; corpore cõstat, infirmius est, quàm vt humorem, calorémve seruare diutius possit: (etsi contrà prius dixerat. Causa est cõtrarietatis, quod in sterili Græciæ solo omnia difficillimè proueniebãt: apud nos concipit, & pullulat.) Est quoq; historia Liuiæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonij nomen accepit: quum pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abiecit in gremium illæsum. Intrepidéq; miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro laureum ramũ onustum suis baccis. Conseruari alitem & sobolẽ iussére aruspices, ramumq; eum seri, ac rite custodiri. Quod factũ est in villa Cæsarum, fluuio Tiberi imposita, iuxta

nonum lapidē Flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas, mireq; sylua prouenit. Ex ea triumphans postea Cæsar, laurum in manu tenuit, coronamq; capite gessit, ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditusq; mos est ramos, quos tenuerunt, serendi: & durant syluę nominibus suis discretæ, fortassis ideo mutatis triumphalibus. Durat & in vrbe nomen impositū loco, quādo Lauretum in Auētino vocatur, vbi sylua lauri fuit. Hæc Plinius. Ab occasu aquilę ad occasum sagittę seri iubet. Eędē, & propagine seruntur. Triumphalis talea tantum.

Quintilij in se ipsam inseri tradūt, & in sorba, & in fraxinos. Laurus in malū inseritur ex Diophane. Recipiūt cerasa, & ingratæ magnitudinis eas ꝑducunt. *Insitio.*

Pro ignariis ad ignem excitandum conceptaculum ex attagena. terebrum vero è lauro faciunt, non enim ex eodem quod agat, quodq; patiatur, sed è diuersis accipiūtur, & aliud efficiendi aliud patiendi vim obtinent. Cęterum vel ex eodē nonnunquā conficiunt, nec desunt, qui nil referre arbitrentur. Terebrū pertinacius esse debet, qua de causa laureū faciunt, id enim pro sua acrimonia valentius resistit, & quia valida est. A Theophrasto hæc Plinius. Calida sunt è quibus ignaria faciunt, exploratum hoc vsus in castris pastorumque reperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Sed nil hedera præstantius, quæ teratur lauro, laurumque terat. Aratri temonem docet Hesiodus ex lauro fieri debere. *Materia.*

Temonem ex vlmo viridi, seu confice lauro.

Columella pedamenta pro vineis ex lauro facit, Plinius vectes laureos.

De aliis lauri speciebus, tino, lauro Alexandrina, & hippoglosso. CAP. XXV.

DIFFERENS Plinius de lauri generibus, meminit tini, inquiens. Postea accessere genera: tinum, hanc syluestrem laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. Differt colore, est enim ei cærulea bacca. Augusta, baccalis, & tinus simili modo serūtur. Planta hęc vulgò *tricino* dicitur, est enim viridariis familiaris. Pumila est planta, foliis inodora, admodum florida, etiam hyeme, quo tēpore maximè expetitur opere topiario. Flos in vmbella corymbacea, ex albo purpureus, semine vt terebinthi, gigartis vuarum ex argento in cæruleum luridis. Hyeme seminibus scatet, quibus maximè vescuntur turdi. Alsiosa est, multisq; locis hospitari nescia, nisi radices testa, lapide circumposito, atq; obruto muniantur: & ita lætè prouenit. Totus noster Surrentinus tractus eis abundat. Sunt qui Theophrasti φιλύκην putent, sed repugnant multa, quæ in hac absunt. Ego potius celastrum dicerem Theophrasti. Inquit enim, Celastrus è syluestribus perpetuo nitet virore. Omnium tardissimè suos fructus perficit, & quoq; ob hyemem fructum amittere proditur. Summis gelidissimisq; prouenit locis. Ligno candido. Vsus ad baculos. Quæ omnia huic nostræ plantę congruunt. Viret perpetuò locis gelidissimis. Ex caudicibus manubria fiunt malleorum lignorum ad traiiciendum per aëra lusorias pilas ligneas, ligno candido. Octobri suos maturat fructus.

Taxa. *Hippoglossus.* Accedit in opere topiario taxa, excrescente in medio folio paruulo, veluti lacinia folij, ex Plinio. Dioscorides hanc vocat ἱππόγλωσσον (vel melius vt Galenus ὑπόγλωσσον) frutex folia habens rusci, tenui figura, & spinosam comam in summo, ceu linguas è foliis exeuntes habens, cuius coronã comis impositam, capitis dolorem imminuere dicunt. Hodie *Bislingua* dicitur, quod in eius foliis, veluti lingua promineat: ab aliis bonifacia, propter bonũ, & multiplicem in medicina vsum. *Laurus Alexandrina.* Hæc laurus Alexandrina est Theophrasti, quippe ita eam describit. Illa propria esse circa Idam fertur, laurus Alexandrina cognominata, &c. Lauri proprietas, quod fructum super folia gignat, quemadmodum myrtus syluestris, quippe fructum ambæ super dorsum folij gerunt. Et alibi. Laurus Alexandrina folium super folium gerit. Dioscorides, & Plinius hippoglosson nominãt. Alia est Dioscoridis, & Plinij Alexandrina laurus, & in Dioscoridis errorem Plinius impegit, quippe Theophrastus solas ruscum, & Alexandrinam laurum fructus super folij dorsum ferre scripsit, quod etiam animaduertit doctissimus Fuchsius. Sed nimis ineptè a Matthiola carpitur, quum Fuchsius laurum Alexandrinam Theophrasti, non illam Dioscoridis scribat. Aliam lauri speciem, quam Dioscorides, & ab eo Plinius Alexandrinã vocant, ille sic describit. Laurus Alexandrina folio rusci maiore, molliore, candidioreque, semine inter folia rubro, ciceris magnitudine, ramos spargit in terra dodrantales, interdum longiores, radice syluestri simili, maiore, molliore, odorata, inuenitur in montosis. Plinius autem. Est & Alexandrina, quam alij hippoglosson, alij Idæam, alij daphnitim, alij carpophyllon, alij hipelatem vocant: ramos spargit à radice dodrantales, topiarij ac coronarij operis, folio acutiore, quàm myrti, molliore, ac candidiore, maiore semine inter folia rubro. Plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, nec nisi in montosis.

De Sabina. CAP. XXVI.

SABINA etiam perpetua viret coma, ob id è syluis in viridaria translata, & topiaria facta.

Nomen. Græcè βράθυς, & βάραθρον. Latinè sabina, vel sauina. Plinius quia cupresso similis est, Creticam cupressum vocat. Itali *sabina*.

Genera. Altera sterilis, fructifera altera, quam bacciferam sabinam vocant.

Descriptio. Dioscorides. Prima cupressi folio similis, spinis horridior, grauiter olens, acris & feruens. Arbor coactæ breuitatis, quæ se magis in latitudinem fundit. Altera tamarici folio similis est. Plinius, Herba sabina duorum generum est, altera tamarici similis folio, altera cupresso. Apud nos crescit thamarisci foliis vulgò, sed rigidioribus & pungentioribus, tetrũ odorem halantibus, baccarum expertibus. In Surrentino tractu apricis, ventosis, petrosisque locis nascitur, baccifera, baccas fert oxicedri, quæ maturantes subpurpurascunt, resinosæ odorataeque. Planta, quàm superior minus fœtet, foliis cupressi, minus aspera, pungentiorque. Frutex vtraque non herba, vt Plinius dicit.

Sabina

Sabina herba propagine seritur, & auulsione, quia semine caret. Tradunt fęce vini, aut è parietibus latere tuso, mirè ali. Ex Plinio. *Satio.*

De tamarice. CAP. XXVII.

INEST & myricæ inter syluestres perpetuũ folium. In Lesbo Apollo myricæ ramos tenet, vnde Myriceus cognominatus, vt Archeus meminit. Antiquissimam verò plantam tamaricem, quę & myrice dicitur, esse, Metrodorus ait. At Nicander tamaricem speciosum fruticem; ideo *μάντιν*, id est vatem vocari scribit, quòd ab eo vaticinia exquirantur. Quamobrem Magi apud Medos & Scythę ad sua vaticinia tamaricis virgis vtebantur, quod genus diuinationis ab aliis quoq; gentibus obseruatum. Nam Herodotus sæpè in diuersis nationibus ramulis tamaricis vaticinia fieri testatur. Ægyptij verò sacerdotes in Iouis põpa myrica coronari, authore Plinio. Cappadociæ Magi, quos Pyrethos vocant, comprecationes non sine myricæ virgis faciunt. Visus enim in myricæ ramis insomnis Apollo decorus. Plinius inter steriles numerat: ob id Macrobius inter infelices.

Græcis *μυρίκην*, myricem & Italia, quam alij tamaricẽ vocant. Achaia autem bryam syluestrẽ, tamaricem vocat Lenæus. Corinthus, & quæ circà est regio, bryam appellat, vt ex Plinio habetur, quod *βρυώδης* id est muscosus sit flos: etsi falso textus bryoniã dicat. Palladi⁹ tamariscũ vocat. Itali *tamarisco*, & *tamarigie.* *Nomen.*

Dioscorides duo obseruauit genera, syluestre omnino sterile, fructiferum alterũ in Ægypto. Plinius ab eo. Corinthus eius duo genera facit, syluestrem planè sterilem, alteram mitiorẽ, hæc in Ægypto Syriaq; etiã fert abundanter lignosum fructũ, maiorem galla, asperũ gustu, quo medici vtuntur vice gallæ. *Genera.*

Myricem Theophrastus inter syluestres frutices locat folio carnoso, & indeciduo. Dioscorides fructum, quasi florem ferentem, compage muscosum. Ægyptus Syriaq; alterum gignunt mitiorem syluestri, cætera similẽ. Fructum parit gallæ proximum. Eadem Plinius, vt diximus. Infeliciaq; eius ligna vocat, quum & infeliciora sint Græciæ. Infelix existimata, damnataq; religione, quæ neq; seratur vnquam, neq; fructum ferat. Folio carnoso. Fructum non fert, ne semen quidem. Apud nos sub arboris magnitudine subsidet, exilior, humiliorque. Flores fert tomentosos, papposósque, quasi sericeos floccos, qui vnà cum semine defluunt, ex albo punicantes. Floret initio Maij, exili odore flore. *Descriptio.*

Hæmus tamarice scatet, ex Theophrasto. Dioscorides nasci prope paludes scripsit, Syria, & Ægypto. Idem ab eo Plinius. Apuleius humidis locis gaudere ait. Apud nos riguis & marinis spontè frutescit. *Cœlum.*

Tamaricis lignum Theophrastus in insula Tylo nasci, non, vt apud nos, imbecillum affirmat, sed validum, veluti iligneum. Plinius scopis amerinis similem dicit. Ad lienem præcipua est, adeoq, mirabilem eius antipathiam contra solũ hoc viscerum faciunt, vt affirmẽt, si ex ea alueis factis bibant sues, sine liene inueniri: & ideo homini quoq; splenetico cibum, potúmve dant in vasis ex *Materies.*

ea factis. Grauis author in Medicina, virgam ex ea defractam, vt neq; ferrum, neq; terram attingeret, sedare ventris dolores asseuerauit impositam, ita vt tunica cinctuq; corpori apprimeretur. Columella autē. Dum sues dulcedinem pabuli consectantur supra modum, æstate splenis incremento laborant, cui succurritur, si fabricentur canales ex tamaricis trunco, repleanturq; aqua, & dein sitientibus admoueantur. Quippe ligni succus medicabilis epotus intestinum tumorem compescit. Apud nos ex huius caudice ad splenem detornantur pocula, & doliola concinnantur.

De fraxino. Cap. XXVIII.

Diximus de syluestribus æterna coma viretibus: nunc de iis, quibus coma decidit, & primum de fraxino. Finxit antiquitas hominū primum genus è fraxino procreatū, quod Palefatus ad rem gestā reducens, Fraxinum hominē fuisse scribit, cuius liberi fraxini dicti sunt, & melię fœminę à Melio viro. Eius folia iumentis mortifera, cęteris ruminantibus innocua Gręci prodidere: in Italia nec iumentis nocent. Sed hæc Plinius erranter fraxino tribuit, quæ Theophrastus de taxo prodiderat, vt diximus. Vocum affinitas μελία, & μίλος taxus, Plinio fraudi fuit, nō σμίλαξ, vt Matthiolus dicit. Contra serpentes verò succo expresso ad potum, & imposita vlceribus opifera, ac nil æquè reperitur. Tanta vis est, vt ne matutinas quidē, occidentalésve vmbras, quáuis sint longissimæ, serpens arboris eius attingat, ideo ipsam procul fugiunt. experti prodimus. Si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius, quàm in fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, priusquā hæ prodeant, florere fraxinū, nec ante conditas folia dimittere. Hæc Plinius. Sed nunquam tam insigne mendacium dictū fuit, vt nunquam alibi libentius serpētes stabu-
Nomen. lētur, quam sub fraxinis, vt in nostris syluis sæpissimè vidimus. Græci μελίαν, & μυλίαν vocant, & τρίοζον, hoc est trinodē cognominant, quod ramos prægrādes, ordinatos, & numero pares habeat. Latini fraxinū vocant, quòd in fragosis locis libenter nascatur. Cuius semē lingua auis dicitur, quod auiū linguas imite-
Genera. tur. Itali *frassino*. Duo fraxini genera docet Theophrastus, quorū alterū excelsum procerūque, ligno candido, crassiuenio, neruato, molliori, enodi, crispioriq;, bubula dicta in Macedonia. Alterū humilius, minus auctile, scabrius, durius, flauius, fraxinū dictum. Sed Theophrasti βουμελίαν, Theodorus bubulā interpretatur. sed bumeliā dici puto grandē, quippe bu, intentionis nota est, quę magnis rebus præponi solet, quasi magna fraxinus, vt Plutarchus in Symposiacis docet, non bouem, sed magnitudinē intelligens. Rectius igitur Plinius. Gręci duo eius genera fecere, longam, enodem, alteram breuem, duriorem, fusciorem q; laureis foliis. Bumeliam vocant in Macedonia, amplissimam, lentissimamque. Alij situ diuisere: campestrem enim spissam, montanam crispam.
Descriptio. Sequitur Theophrastus. Folio lauri latifoliæ, acutiore, leniterq; per ambitū serrato, subsidenti, ramulū totum, ceu folio singulari credas cōstare, quoniam ab pediculo vno folia simul iuncta cōponuntur, & per ampla versum interualla,

tanquam

tanquam per genicula continentur, ordineq; pendent, perinde vt in sorbo, internodia latiora, candida, coniugationesq; plures, & folia longiuscula, & magis angusta, coloris herbacei, cortex læuis, spissus, & tenuis, rubro colore, radices crebræ, sublimes, & crassæ. Carere hanc fructu, & flore in Troadis Ida credunt falsò, etenim fructum fert minusculum, in siliquis nucis modo qualem amygdalæ, gustu subamarum. Fert & lauri modo fraxinus muscum, & alia quædam adstrictiora gustu, circinataque, vt pilolæ platani. Hæc partim circa fructum emergunt, partim multo semota, & sic quæ plecta, siue plicamenta, siue inuolucra dicũtur. Radix numerosa, densa, alta. Perfectè parit, & excoquit. *Auctu facilis*. Semẽ reddit æstate. Plinius ita vertit. Procera hæc & teres. Pennata & ipsa folio. Prima germinat, nouissima nudatur. Messibus reddit semen.

Fraxinus læuis, cauis, & madentibus gaudet. Scabra sitientibus & saxosis. contrà cæterarũ arborum mos in planis, tum fructu, tum materie præstat. In plana quoq; descendit. In Nilo fraxinus, & quę bumelia fraxinus cognominatur, plurima est. Hæc Theophrastus. Sed Plinius aquosis montibus gaudere dixit. Descendit in plana. Apuleius humidis locis gaudere dixit. In frigidis, & calidis nos viuere vidimus, sed optimè in temperatis, solo etiam gypsoso, & calculoso, sed pingui, & humido melius: in montibus planis, & conuallibus. *Cælum.* *Solum.*

Fraxinos, quia festinantius germinant, disponi quoq; maturius cõuenit, hoc *est* ab Idibus Februariis, plantis & ipsas nascẽtes. Altius dimittãtur, vt quę summa tellure gaudeant. Hæc & similia quaternos pedes dimitti oportet. Possunt & auulsi stolones viuere, quo in genere cum perna sua euellũtur, partemq; aliquã è matre auferũt secum. Ex Plinio. Quintilij verò mense Martio fraxinum plantari debere dicunt. Columella de fraxino. Post vlmũ, vel populum fraxinus est, quæ ouibus, & capris gratissima est, nec inutilis bubus: locis asperis & montosis, quibus minus lætatur vlmus, rectè seritur. itaque cui arbustum nouum instituere cordi erit, seminarium fraxinorum paretur ea ratione, vt vlmorum. Igitur qui arbustum cõstituere velit, ante annum scrobes faciat quatuor pedum quoquouersus, dein circa calendas Martias in eandem scrobẽ vlmum, & *fraxinum* deponat, vt si vlmus defecerit, fraxinus locum obtineat, si vtraq; vixerit altera eximatur, & alio loco deponatur. *Satio.*

Theophrastus tradit fraxinum post vindemiam, & Arcturum cœdi optimum. Materie humidissima, fabrisq; lectulorũ vtili. Malleis, & terebro nõ improbanda. Tornatus ex ea nauibus rotundis: lentitiam enim firmitatemq; retinet fraxinus. Testudinẽ & auriculas ex eo fabricant, nam valida esse oportet. Plinius. Materiæ causa natura copiosissimã fraxinum genuit, quæ quidem est ad plurima vtilis. Ea, quę sit in Ida Troadis, tantùm cedro similis, vt emẽtes fallat, cortice ablato (sed hęc ex Theophrasto excepit, quippe nõ de fraxino, sed de taxo dixit, iterũ nominis ambage fallus.) multũ Homeri præconio, & Achillis hasta nobilitata. obediẽtissima in opere, eadẽq; hastis corylo melior, cornu leuior, sorbo lentior. Gallica verò etiã ad currus flexibilis: ad rotarũ axes lætiore

fraxinus vtilis. Sic terebris vaginas ex fraxino vtilissimas fieri proditum: ex eadem & malleos. Palladius, Fraxinus si siccetur rigescit, ante curuabilis: cathenis vtilis habetur. Vitruuius. Fraxinus maximos habet humores, minimumq; aëris & ignis, terreni mistione temperata. Est in operibus lenta quum fabricatur, & sub pondere propter humoris abundantiam non habet rigorem, sed celeriter pandat, simul autem vetustate arida facta, aut in agro perfecta, qui inest ei liquor stanti, emoritur, fitque durior, & in commissuris, & in coagmentationibus ab lentitudine firmas recipit catenationes. Cato trapetum ex fraxinea materie facit. Apud nos fiunt circuli doliorum ingentes, & fiunt optimę ridicæ pro vitibus sustinendis. Ad militaria instrumenta præcipua est: sui firmitate, & rectitudine maximè hastis accommodata. Poëtæ testantur.

Statius.

——— *en infandos belli potura cruores*
Fraxinus.

Ouidius.

——— *& fraxinus vtilis hastis.*

Philostratus in Heroidibus Achillis hastam è fraxino fuisse autumat, scilicet longitudine, quæ nulli alij hastæ: cuius lignum adeo rectum erat, adeoq; validum, vt minimè frangi posset. Fingunt Poëtæ Pelei, & Thetidis nuptias in Pelio monte Thessalię celebratas fuisse, ad quas dij deęq; omnes inuitati, singuli Peleo dona tulerunt, Chiron floridam fraxinum, in eo monte desectam, ex qua hasta fabricata est; hanc Minerua expoliuit, Vulcanus absoluit, Peleus primò portauit, pòst filius Achilles: acies ex adamante, quæ omnia penetraret. Fuit postea in Mineruæ templo suspensa: vt Pausanias in Laconicis refert.

De Orno. CAP. XXIX.

SVNT qui ornum & fraxinum idem putent, Alij verò diuersum genus, alij verò, vt Columella fraxinum vrbanam, & ornum syluestrem putant.

Nomen. Latinis ornus dicitur, vt Virgilio, Columellæ, & Plinio, cęterisve. Itali *orno.*

Descriptio. Columella. Orni syluestres fraxini sunt, paulo latioribus tantum foliis, quàm cæteræ fraxini. Arbor non tam procera, vt fraxinus, caudice tereti, læui cortice, ramulis vtrinque pinnatis, folio fraxini paulo profundioribus crenis per ambitum serrato, bacculis racematim coactis, ab adolescentia rubescentibus, secundum maturitatem ex purpura nigricantibus, sapore ex acido in amarum degenerante, mespilaceo quasi concretu, multo graciliore habitu, reliquo tota effigie fraxinum æmulante.

Cælum. Plinius. Montes amant, descendunt etiam in plana orni. Columella. Si arbusta in asperis & siticulosis locis obserenda sunt, neque vlmus, neq; populus tam idoneæ sunt, quàm orni. Virgilius.

Nascuntur steriles saxosis montibus orni.

Iuuenalis:

Quan-

——— *Quantas iaculetur Monychus ornos.*

Recipit pyrum. Virgilius. *Insitio.*

——— *Ornusq; incanuit albo*

Flore pyri.

Ad modum digitalis recipere vidimus pyrum, & malum.

Materies. Fiunt ex eis ridicæ ad vites: eis enim indissolubili cõnubio copulatur, & arbustiuam suo fulcit adminiculo. Si pro hastis conficiendis seruatur, spissius plantentur. Rami ex inferiori parte frangantur, abradantur circumcirca, ne nodos efficiant, nam ibi rumpuntur.

De tilia. CAP. XXX.

SEQVITVR tilia, philyra Græcis dicta. Saturnum Philyram Oceani filiam adamasse Seruius scribit, quam nonnulli in florem commutatam aiũt, alii in arborem, cuius liber philyrinus vocetur, ex quo coronæ colligãtur. Palladius apes ex syluestri tilia mel colligere scripsit.

Hæc locis publicis plantatur, vbi rustici vicissim coeunt, vel ante sacras ædes, propter eius amplitudinem, foliorum latam vmbram, iucundam opacitatem, & iucundam odoris florum gratiam. Ad chartarum & membranarum vsum philyræ cortex, quæ tilia dicitur, vt plurimum selectus. Martianus Capella. Rarò verò libri philyreæ cortice subnotati. E philyra fieri libros tenuissimos, atq; in vtramq; partem replicabiles, in Commodo Herodianus author est, & Vlpianus iureconsultus librorũ appellatione contineri ait, siue in philyra, siue in tilea conscribantur, vt propterea philyræ vocatæ sint omnium arborum tuniculæ ad scribendum aptæ. Nomina coniuratorum in tabulis tiliaceis, eisdemq; duplicibus conscribi solita, Ioannes Xiphilinus author.

Nomen. Græcis φίλυρα, siue φιλύρα, Latinis tilia. Italis *teglia*. Plinius vocum similitudine deceptus tribuit vires τῆς φιλυρέας, Dioscoridis tileæ. Theodorus quoq; hallucinatur vertendo Theophrasto: nam tiliæ tribuit, quæ Theophrastus φιλύκη.

Genus. Duo habentur tiliæ genera à Theophrasto descripta, mas, & fœmina, quæ distant tum materie, tum totius corporis forma. Et ab eo Plinius. In tilia mas, & fœmina, differunt omni modo.

Descriptio. Mari materies senticosa, dura, nodosa, rufior, cortex crassior, ac detractus, statim inflexibilis, sine semine, sine flore. Fœminæ materies candida, cortex candidior, flexibilior, ex quo cunæ fiunt, eo odoratior, florifera, fructiferaq; est. Flos calyculaceus, pediculo quisq; suo annexus, viridis quandiu calyculo includitur, dehiscens verò flauescit, floret pariter cum mitibus, & vrbanis. Fructus oblongus, ad fabæ magnitudinem, rotundus, similis acino hederæ: maiusculus, angulis quinis, ceu neruis quibusdam in acutum depressis extuberat: partitionem hanc exilior indigestam, & omnino confusiorem habet: maior si scabitur semina emittit pusilla, & prætenuia. Folium hederæ, nisi quod

in acutiorem angulum ſe rotundat; incuruum, qua pediculo innectitur, à medio ſui prodit in acutum, criſpum per orbem, ac molliter ſerratum. Peculiare obtinet, foliis dulcibus, eſculentis pecori, ſed fructu animalibus omnibus inguſtabili. Paulò ante æquinoctium germinat. Perdifolia eſt, (etſi Theodorus in ſua interpretatione, vocis ambiguitate deceptus perperam ſcripſerit: æterna pubeſcere fronde) Amentifera eſt, æſtiuo ſolſtitio partes obuertit foliorum ſupernas, facileque in ea conſpicere eſt, quum ampliora, candidioraq; folia gerat; ergo, folia circumaguntur æſtiuo ſolſtitio, quum illo potiſſimum tempore folia decidant. Quum igitur foliorum agatur profluuium, aliquantiſper affici neceſſe eſt, & quæ infirma, & quaſi confecta ſunt, exareſcunt, ac decidunt, reliqua circumaguntur tantummodo. Omnibus id euenit, magis vel minus, conſpectius in tilia & olea & vlmo eſt, quia ſummo coloris diſcrimine pars prona diſcrepat à ſupina. Cortice in orbem detracto tardiùs interit tilia, quippe ei detrahitur, ex quo funes, ſed non vitalis, neq; princeps, ſed ſummus, qui plerunq; ſubnaſcente alio decidit. A Theophraſto Plinius. Mari odoratior cortex quàm fœminæ, vt Theophraſtus tribuit. Inter corticẽ, & lignum tenues tunicæ ſunt multiplici membrana, è quibus vincula tiliæ vocantur: tenuiſſimæ earum philyrę, coronarum lemniſcis celebres, antiquorumq; honore. Proceritate perquàm modica. Paulò ante æquinoctium germinat. Cortex tenuis, multiplex tunicis. Cortice in orbem detracto non offenditur tilia, alioquin corticem mittit, ſed non vitalem, nec proximum corpori, verùm eum, qui ſubnaſcente alio expellitur. Vertit tilia ad mille vſus, petenda folia in ipſa die ſolſtitii, & eſt confecti ſyderis ſignum. Plinius proceritatis modicæ dixit, quum arbor magna ſit, quòd non niſi philyream putauit, & affinitas nominis erroris cauſa fuit.

Calum. Tiliam in locis feruidis prouenire poſſe difficillimè putat Theophraſtus. ratio ex calore petitur, quia ignis igni additur ſine moderatione. Plinius montes & valles, & aquoſos montes diligere dixit.

Insitio. Plinius omne pomorum adulterium geſtire putat. Diuerſis modis vidit arborem inſitam iuxta Tiburtes tiliam, omni genere pomorum onuſtam: alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus, ſed huic breuis vita fuit.

Materies. Tiliæ materies medullam exiguã continet, nec multo reliquo molliorem corpore. Cæditur autumno. Ad nauium longarum tabulata, ad arcas menſurarumq; ſtructurã vtilis eſt, habetq; corticem funibus percommodum. Eſt enim materies eius tota mollis, vt inter carnoſas molliſſima, calidiſſimaq; dicatur, quoniam aciem ferri maximè hebetat, tincturam eius vi ſui caloris reſoluens. Materies mollis, & omnium præcipuè. Terebrum etiam è tilia fieri ſolet. Obedientiſſima inter cæteras præcipuè eſt, & in totum præfacilis operibus præ ſua mollitie. A Theophraſto Plinius. Eius materies leuiſſima, ſcutis faciendis aptiſſima, quorũ plaga contrahit ſe protinus, clauditq; ſuũ vulnus, &

ob

ob id contumacius transmittit ferrũ. Cortex in magno vsu agrestiũ, vasa, corbesq́;, ac patentiora quædam messibus conuehendis, vindemiisq́; faciũt, atq; prætexta tuguriorum. Teredinem non sentit. Mollissima tilia, eadem videtur & calidissima. argumentum afferunt, quod citissimè ascias retundat. Palladius. Tilia in sculpturis necessaria. Ouidius eius mollis materiæ meminit,

Nec tiliæ molles.

Cinesias Poëta Grecus flagitiosissimus olim fuit, in quem Lisiæ oratoris celebratissimi conuiciorum & stomachi plena legitur oratio: tam enim gracilis ille fuisse perhibetur, vt tiliaceis asseribus corpori circũdatis imbecillitatẽ suã fulciret. Quare Aristophanes illum philyreum vocitabat. Tiliaceis etiam tabulis fasciabatur Antoninus Pius, authore Capitolino, quum longus esset, & incuruaretur. Columella arculas tiliaceas laudauit. Virgilius læues dixit.

Nec tiliæ leues, nec torno rasile buxum.

De Acere. CAP. XXXI.

NVNC de acere dicemus. Plinius. Acer eiusdem amplitudinis, ferè tiliæ, operum elegantia & subtilitate cedro secunda.

Nomen. Gręcis præcipuè Theophrasto σφένδαμνος, aliud genus κλινότροχον. Latinis acer, vel aceris, vt Solinus, sic quibusdam dicta, quòd acria artificũ ingenia propter eius præstantiam exerceat. Vel acer, ab acutie foliorum. Italis *acero*.

Genera. *Aceris alii bina alii terna statuũt genera, inquit Theophrastus. Primũ, quod cõmuni generis nomine acer vocatur. Secundum carpinum, tertiũ κλινότροχον, videlicet vt Stagiritæ distinguere solent. Plinius ab eo. Album præcipui cãdoris vocatur Gallicũ in Traspadana Italia, trans alpes nascẽs. Alterũ genus crispo macularum discursu, quæ quũ excellentior fuit, à similitudine caudæ pauonũ, nomen accepit. In Istria, Rhetiaq́; præcipuũ. E viliori genere crassiueniũ vocatur. Græci situ discernũt. Campestre γλεῖνον vocãt, candidum esse, nec crispum, montanũ verò crispius, duriusq́;, etiamnum è mascula crispius ad lautiora opera. Tertium genus zygiam, rubentem, fissili ligno, cortice liuido, & scabro. Hoc alii genus propriè esse malunt, & Latinè carpinum appellant.

Descriptio. *Theophrastus ita describit.* Materies ei candida, atque neruata, ampla platano in findendo similis, venis longioribus fluctuans, sed gracilis, macilenta, mollis. Omnia eius fissa in acutum compressa abscinduntur, nec ita semifissa, sed summum potius præfissa, multineruia minus sunt, quàm pro sua magnitudine esse debeant. Cortice paulò scabriori, quàm tilia vestitur, subliuido, crasso, spissiorique picea, inflectique contumaci. Radicibus paucis, sublimibus, crispisq́; magna ex parte. Riguis potissimè nascitur, vt Idæi volunt, inuentuque rara est. De flore nasci aiunt fructum, non valdè oblongum, paliuro similem, verùm oblongiorem assignant. At verò Olympi incolæ carpinum montanam esse volunt: Acerem in planis nasci, candidam, rariorem corpore, minus crispã, quam nonnulli Gallicã vocãt, non acerem, marisq́; materiem crispiorem esse, atq; contortã, & in planis potius nasci, germinareq́;

maturius. In monte nascentem flauam, gratè coloratam, crispam & solidam esse, qua ad opera lautiora vtuntur. Semen reddit æstate. Macedoniæ incolæ quidem nec illas florere arbitrantur. Facilè capessit incremẽtum. Summa solis facie gaudens. Ab eo Plinius. Germinat paulò ante æquinoctium. Mares prius florent. Flos coloris herbacei, messibus reddit semen.

Solum. Riguis potissimum nasci tradidit Theophrastus. Plinius aquosis montibus gaudere dixit.

Materies. Cæditur post vindemiam, & Arcturum. Spissa & crispa materies. Hæc pauca Theophrastus. Sed Plinius, Acer operum elegantia, & subtilitate cedro secunda. Pulcherrimum verò est bruscum, multoq; excellentius etiam mollusceum, tuber vtrumq; arboris eius: sed bruscum intortius crispum, mollusceum simplicius sparsum. & si magnitudinem mensarum caperet, haud dubiè præferretur cedro. Nunc intra pugillares, lectorumq; silicios, aut laminas raro vsu spectatur. E brusco fiunt & mensæ nigrescentes. Etiamnum in siccis natæ præferuntur aquaticis. In laminas secatur, quarum operimento vestiatur alia materies. Dat & suber sectile. Mediaq; pars arborũ crispior, & quo propior radici, minoribus, magisq; flexilibus maculis. Hæc prima origo, luxuriæ arborẽ alia integi, & viliores ligno preciosiores cortice fieri, vt vna arbor sæpius veniret. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ, nec satis. Sic lectis pretia quæruntur, sic acer decipit. Ex acere eximiæ mẽsæ fiũt, quę ob id acernæ dictæ sunt. Horatius.

Hic vbi sublatis puer altè cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit.

Fiebat & olim ex acere sceptrum Iouis, vt testatur Laertius in Pythagorę vita. Ouidius imparem coloribus vocat.

——— *Acerq; coloribus impar.*

De carpino. CAP. XXXII.

MONTANVM acerem Theophrastus carpinum esse inquit, ex aliorum traditione: campestrem verò acerem Gallicam vocati, & esse alios, qui carpinum diuersum genus aceris dicant. Nos de eo separatim tractabimus. vel tertium aceris genus, vel carpini genus. Equidem admiramur horum doctorum tam crassam vel supinam distinctionem; nam ita carpinus ab acere distat, vt homo à leone, quum carpinus vlmum simulet, acer platanum.

Nomen. Græcis ζυγία est, quòd ex ea materie, vt Vitruuius inquit, iuga in mentis comparentur, quæ apud eos ζυγία dicuntur. Latini ex Columellæ, & Plinii authoritate, carpinum dicunt. Itali *carpino*.

Descriptio. Carpino, ex Theophrasti descriptione, materies flaua, crispaq;, ampla, platano in findendo similis, sed gracilior, & macilentior, longior, atque mollior. Radices paucas sublimes, crispásve ferè magna ex parte habet. Auctu facillima. Ex Plinii verò, materie rubenti ligno, fissili, cortice liuido, & scabro. Apud nos vlmi effigie surgit, vt ei congener videatur, follicosa sobole seminis, simi

les

les ſauagines in caudatis lupulorũ floribus videre eſt. Caudice procero, cortice ſubalbicante, modice ſcabro. Ramos fundit copioſos, robuſtos, in latitudinem ſeſe diffundentes, folioſos, vmbratileſq;: ex iis per æſtatem petioli quidam pendent, in quibus triquetra quædam folia ſubpallida & craſſa, folliculari ſpecie circumquaque racematim dependent, quorum medius apex cæteros lõgitudine ſuperat, & inter hos pauca quadam capitula exeunt ciceris magnitudine, in quibus ſemen concluditur. Radicibus nititur firmis, craſſiſq;.

Olympi montis incolæ carpinum montanum potius eſſe volunt, dixitque prius Theophraſtus montes amare, & in plana deſcendere, ex Plinio. *Cælum.*

Theophraſtus poſt vindemiam, & Arcturum cædi dixit. Carpinus ſpiſſa, & criſpa, duriſſimaq; eſt, hanc itaque prius quàm terebrum experiatur macerant, quò facilius molleſcens perforari queat. Lectis, ſumptuoſioribus fabricis, iugiſq; iumentorum apta. Plinius, Facibus nuptiarum familiariſſima. Higinius manubria ruſticis carpinea optima dicit. Vitruuius. Eſt minima ignis, & terreni miſtione, aëris autem & humoris ſumma continetur temperatura, non eſt fragilis, ſed habet vtiliſſimam tractabilitatem. Palladius vtiliſſimam materiem habere dixit. *Materies.*

De Oppulo. Cap. XXXIII.

SVNT qui montanam oppulum Theophraſti acerem dicant. Dicemus de oppulo, quæ arbuſto Gallico faciendo multum laudatur à Columella, quod vocant rumpotinum, quum maximè vitem alere videatur. At quia rarã neq; idoneam frondem pecori præbet, à pleriſq; repudiata eſt.

Oppulus à Varrone, & Columella dicitur. Ab Italis *oppio.* *Nomen.*

Columella oppulum ſimilem orno arborem dicit, humilem, & non frondoſam. Infra vlmi proceritatem ſubſidet. Caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè vitigineis, ſed raris & anguſtioribus, baccis racematim dependentibus, prima pubertate viridibus, à maturitate puniceis. Semina vt alæ locuſtæ. *Deſcriptio.*

Aſpera, & ſiticuloſa horret, ex Columella. Nos in frigidiſſimis vidimus. *Cælum.*

Qui arbuſtum conſtituere velit, annum ante, quàm deponat arbores, ſcrobes faciat quatuor pedum quoquouerſus. Dein circa Calendas Martias, in eandem ſcrobem, vlmum, & oppulum, vel fraxinum deponat, vt ſi vlmus defecerit, oppulus, vel fraxinus locum obtineant, ſi autem vtraque vixerit, altera eximatur, & alio loco deponatur. Arbuſtum inter quadragenos pedes diſponas, vt & arbores & vites conualeſcant, & ſegetes vmbra minus laborent. Depoſitam arborem ſæpius circumfodito, nec citra triennium ferro tetigeris. Completis ſex & triginta menſibus, ad recipiendam vitem formabis, & ſuperuacuos ramos amputabis, alterna brachia in modum ſcalarum relinquens, alterniſque annis. Sexto anno ſi iam firma videbitur, maritabis hoc modo. Ab ipſo arboris crure pedale ſpatium intermittito, deinde *Satio.*

sulcum in quatuor pedes longum, in tres altum, in dupondium & semissem latum, cum feceris, patiere minimè duobus mensibus eum tempestatibus verberari: tum demum circa Calend. Martias vitem de seminario, ne minorem quidem decem pedum sternito, & adminiculato, & reliqua, vt dicemus suo loco.

Materies. Lignum album aceri simile. Fiunt ex ea patinæ inciforiæ mensarum, & ollarum coclearia.

De Platano. Cap. XXXIIII.

AD aquaticas syluestres arbores descendemus. De platani præconio multa apud Plinium. Sed quis non miretur iure arborem vmbræ gratia tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est, per mare Ionicum in Diomedis insulam eiusdem tumuli gratia primùm inuecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, & iam ad Morinos vsque peruecta, ad tributarium etiam pertinens solum, vt gentes vectigal & pro vmbra pendant. Dionysius prior Siciliæ tyrannus Rhegium in vrbem transtulit eas, domus suæ miraculum, vbi postea factum gymnasium: nec potuisse in amplitudinem adolescere, & alias fuisse in Italia, ac nominatim Hispania, apud authores inuenitur. Hoc actum circa captæ vrbis ætatem, tantumque postea honoris increuit, vt mero infuso enutrirentur. Compertum id maximè prodesse radicibus, docuimusque etiam arbores vina potare. Commendatio arboris eius non alia maior est, quàm solem æstate arcere, hyeme admittere. Inde in Italiam quoque ac suburbana sua Claudio Principe Marcelli Esernini libertus, sed qui se potentiæ causa Cæsaris libertis adoptasset, spado Thessalicus prædiues, vt meritò dici posset is quoque Dionysius, transtulit id genus. Durantque etiam in Italia portenta terrarum, præter illa scilicet, quæ ipsa excogitauit Italia. Sub eius vmbra delectatum Xerxem Herodotus scribit diem integrum cum exercitu consumpsisse, atque vt capti amore solent, donasse muneribus, & quod ridiculo proximum est, tanquam pellici Melendonium quendam custodem reliquisse. Extat Themistoclis Athenarum Principis de platano præclara, quæ circumfertur sententia: nam postquam amplissimè patriam suam promeritus esset, quum sæpius à ciuibus conuicio incesseretur, dixisse, Quid negotium facessitis iis, qui nobis fuere benefici? seque consimilem platano dicebat, ad quam decurrunt, quos imber insectatur, mox serenitate reddita, vellicetur ab eisdem. Ælianus de animalium naturis scribit noctuas mira quadam & ingente solertia à ciconiis submoueri à nido longius, platani foliis ingestis, quorum contactu stuporem contrahunt noctuæ, ita vt oblæsionis quidpiam inferre deinceps nequeant. Scribunt & hoc genus animalis à stabulis abigi, si in eis folia appendãtur. Vespertilionis tactu ciconiarum oua sterilia redduntur, verùm ad illatum maleficium hoc natura facere remedium

edo-

edocuerunt: platani folia suis nidis ingerunt, vt aduolantes vespertiliones natura torpore comprehensæ perniciem afferre nequeant. Iucunda eius vmbra, quamuis crassa. Licet gramini credere non soli, haud alia lætius operiente toros. Ex Plinio. Genialis dicta, vtpote ad delicias nata. Vnde Genius eius foliis coronatur. Socrates non aliam ob causam à Milesiis reprehensus, quàm quòd per platanum iuraret, ex Maximo Tirio. Tradit Plinius Laodiceæ Xerxis aduentu, platanum in oleam mutatam, & eiusmodi ostentis Aristandri apud Græcos volumen scatere. Peloponnesum platani folii figura esse Geographi prodiderunt, propter eius recessus, & prominentias.

Græcis πλάτανος, & πλατάνιστος dicitur, à πλάτυς, quod latum est. Vnde quidam Platoni diuino Philosopho nomen inditum fuisse scribunt, quòd is latis humeris præditus esset. Platanistos etiam Græci spatiosa loca vocant, longè lateq; patentia, à platani foliorum amplitudine. Hac tamen voce pro platano vsus est Homerus. Hippocrates saxum mari extans platamonem vocat. Vnde locus in suburbio Neapolitano vulgò platamone vocatur. Ingens saxum mari præceps. Latini platanus. Itali *platano*. *Nomen.*

Theophrastus ita describit. Folio amplo, pediculo longo, propendenti, tremulo, & deciduo. Sed in Creta insula ad Cortyniam platanum fuisse fertur apud fontem quendam, quæ folia hyeme non amitteret, sub qua à Ioue compressam Europam indigenæ fabulantur. Semen manifestum producit. Radice prælonga, & si sedem nacta sit expeditam, subire quantumuis, & euagari potest, modò ne aliquid obstet, & aquæ suppetant, qualis in Lycia Athenæ fuisse traditur; quæ iuxta aquæductũ nouella adhuc in dodrantes ferè centum progressa est. Auctu facilis, vt aquaticæ omnes. Cortex disrumpitur. Vitæ longitudo à fabularum authoribus tradita patet. Sunt qui Delphicam platanum, & alteram in Caphyis Arcadiæ stantem, satas Agamemnonis manu dicant. Dioscorides, & Nicander meminere pilularum platani scabrarum, lanuginosarumque. Varro à Theophrasto, Platani radices latius fundunt, vsq; eò vt Theophrastus scribat Athenis in Lyceo, quum etiamnum platanus nouella esset, radices trium, & triginta cubitorum egisse. Itemque Cretæ ad Cortyniam dicitur platanus esse, quæ folia hyeme non amittat. Itemque in Cypro, vt Theophrastus ait, vna. Plinius. Cortice rimoso. E radice sobolescit. Est amplitudo, & magnitudo ingens. Memoratur quæ in ambulatione Academiæ Athenis fuerat cubitorum XXXVI: & quæ in Lycia gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo caua, LXXX atque vnius pedum specu, numeroso vertice, & se vastis protegens ramis arborum instar, agros longis obtinens vmbris, ac ne quid desit speluncæ imagini saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, vt Licinius Mutianus ter cos. & nuper prouinciæ eius legatus prodendum etiã posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodeuicesimo comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securũ, optantẽ im- *Descriptio.*

brium per folia crepitus, lætiorem, quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem. Aliud exemplum Caii Principis, in Veliterno rure mirati vnius tabulata, laxisque ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, quum ipse pars esset vmbræ xv conuiuarum, ac ministerii capace triclinio, quam cœnam appellauit ille nidum. Viuax admodum est. longitudo vitæ fama à fabularum authoribus traditæ testimonio patet. Delphicam platanum, & alteram in Caphis Arcadiæ stantem Theophrasti adhuc ætate satas Agamemnonis manu prædicant. Cito germinat. Maxima ei radix à cedro est. Hæc Plinius. Iuxta Amymonæ fontem, & prope Lernam paludem, alia enata, Græcorum fabulis etiam memorabilis, quòd sub ea hydram serpentem educatam ferant, authore Pausania. Sed verè cortice crasso est platanus, & subalbicante, folio amplissimo, ricini modo diuiso, rubro pediculo, pilulis scabris, lanuginosisque, flosculo pallido, minuto. Fructus Dioscoridi σφαιρίον, Plinio pilula dicitur. De arboris altitudine Horatius in odis:

Cur non sub alta vel platano?

Et Ouidius:

Nobilior pomis, platano conspectior alta.

Genera. Plinius dum platani meminit, ait: Sunt & chamæplatani coactæ breuitatis, quoniam etiam arborum abortus inuenimus. Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit. Fit autem, & serendi genere, & recidendi. Primus Cn. Matius ex equestri ordine, Diui Augusti amicus, inuenit nemora tonsilia intra hos LXXX annos. Platanus nullo sexu distinguitur, sed quasi vidua degens, vt omnis vel mas, vel fœmina dici possit: nil enim de earum sexu constat. Vnde ab authoribus vidua vocatur. Martialis,

Viduaq; platano.

Locus. Platanum Theophrastus palustrem, & aquarum prææuidam dicit. In Nilo prouenire, at in Adria negant, præterquā circa Diomedis delubrum, inq; vniuersa Italia esse raram affirmant, quamquam multi, magnique fluuii vtrobiq; diluunt, sed locus sanè recusare videtur. Dionysius tyrannus maior ambitiosius contendens in Rhegio conseuit in hortis eas, quæ nunc in gymnasio stant, nec vllam magnitudinem capere possunt. Contrà alia loca platanum habent plurimam. Aquas amare Ouidius ostendit.

Quàm platanus riuo gaudet, quàm populus vnda,
Et quàm limosa canna palustris humo.

In sacris literis, Quasi platanus exaltata sum iuxta aquas.
Nobis in Sarni fluuio videre contigit, & Romæ locis aquosis.

Satio. Platanum seri semine demonstrat Theophrastus: nam & manifestum producit, eoque gignitur, quod tum aliis, tum illo præcipuè indicio constat, etenim in tripode æneo platanus aliquando prouenisse narratur. Quod ex aliquo

aliquo latitante primordio exoriri putandum eſt, putredine, vel aliqua mutatione facta, ſi ſemen delapſum excipiatur in arbore, comprehendaturq; putredine aliqua ſubiacente tenera. Sic aliud in alio naſci, & adoleſcere poteſt. In platano laurus aliquando orta, quod tanquã oſtentũ interpretantur. Quum enim in partem arboris conuerſam penè in terram putredine ſemẽ deciderit, pullulat, viuitque, ſubinde alimentum ex ſubiecta capiens arbore. Naſcitur etiam auulſione, quam etiam ſi quis prægrandem, eamque cum arbore ſe exæquantem tranſtulit, perdurare optimè poteſt. Didymus ſemine, & auulſione naſci tradidit. Plinius, Ex ea primum ſatæ in Creta (vt eſt natura hominum nouitatis auida) regenerauere vitium. Apud nos taleis ſeritur, & optimè comprehendit, & in amplam magnitudinem auctam vidimus. Mero radicibus affuſo maximè ali tradidit Plinius, compertumq; prodeſſe, docuimusq; etiam arbores vina potare.

Capaciſſima omnium inſitione platanus, authore Plinio, verùm ſaporem corrumpit. Virgilius malos recipere dixit. Inſitio.

Et ſteriles platani malos geſſere valentes.

Palladius ceraſos recipere.

Vmbrantes platanos, & iniquam robore prunum
Compellit gemmis pingere membra ſuis.

Diophanes recipere ficum & malum, à qua rubicunda eueniunt mala. Africanus rhodacenum recipere, à qua etiam rubicunda rhodacena fieri.

Platani materies lentore non caret, ſed maximè humida eſt. Indicium, quòd poſt cæſuram, erecta materies multum humoris emittit. Tornatus nauibus rotundis etiam ex platano, lentitiam enim firmitatemq; adeſſe oportet; ſed deterrimus, celeriter enim putreſcit. Dum comburitur fumoſa eſt, quia humida. Vna hæc ſecurim tolerat, & ſubuerſa flatu ab radicibus reponi ſolet, viuitque, quod in Antandro euenit. Quũ enim platanus procidiſſet, ramis amputatis, truncoque ſecuri luxato, ſurrexit noctu, leuata onere, atque reuixit, & cortex iterum circumtexit: erat duobus lateribus circumdolata, longitudine decem cubitis maiori, craſſitudine, vt quatuor viri non facilè amplecterentur. Cauſam hanc eſſe putarunt, quòd arbos proſtrata parte altera, plurimum terræ euulſerit, mox flatus noctu ingens aduerſuſq; ſecutus, eam promouerit, ramiſq; occurrens, ſeque inſinuans, erexerit. Non ſolum plagã tolerat, ſed etiam lignis detractis caudici indomita manet, probeque germinat, quum humida ſit, quod & facit pars magna earum arborum, quæ iuxta aquas aſſurgunt. Plinius quæ à Theophraſto accepit habet. Antandro etiam platanus circumdolatis lateribus, reſtibilis ſponte, tacta, vitæque reddita, longitudine x v cubitorum, craſſitudine quatuor vlnarum. Eſt lentitia platano, ſed madida, ſicut alno. Inopia cogit aliquando luminum cauſa oleum fieri è platani baccis, aqua & ſale maceratis.

Materies.

De populo. Cap. XXXV.

POPVLVS arbustis notissima, necessariaque. Inter infelices, damnatasq; religione recensetur à Plinio, quod neq; seratur vnquã, neq; fructum ferat. Apud aliquos feralis habita; nam Rhodij ludos funebres in honorem Tlepolemi à pueris impuberibus populo coronatis celebrari faciunt. Per eã quoq; antiquitus tẽpus indicabatur, tum quòd bicoloribus folijs prædita sit, præsertim alba, nam ex vna parte niuei, vel cerussati est, ex altera, porracei viridissimi coloris, ex quibus præcipuas temporis partes, quippe diem, ac noctem referre videtur, tum quod hoc quoq; habet commune cum tempore, quòd eius folia post solstitium circumaguntur, nec alio argumento certius intelligitur sydus confectum. Ideoque Probus Herculi dicatam dicit, quod Physici tempus per Herculem interpretantur. Virgilius. *Populus Alcidæ gratissima.*

Idem in iuuentute fronde populnea velatam dicit ἥβην, id est Heben Herculis vxorem, siue iuuẽtutem. Salij ad Herculis aram sacra facientes populnea fronde coronabantur.

——— Herculea bicolor quum populus vmbra
Velauitq; comas, folijsq; innexa pependit:
Tum Salij ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Alij ad fabulas referunt. Pausanias albam populum acheroidẽ vocat, (contrà Aristoteles nigrã) quod is nempe Hercules primùm Acheronte Thesprotidos amne genitam ad Græcos transtulerit. Homerus verò acheroidam appellauit, propter Acheronteın inferorum fluuium. Quum enim apud inferos Hercules descenderet, & labore defatigaretur, corona ex hac arbore contexta caput propter sudorem velasse dicitur. Vnde foliorum pars altera, quę temporibus adhęrebat, sudore abluta exalbuit, pars verò exterior, propter fuliginem tetri fumi obscura facta est, qui colores in ea permanserint, vt bicolor postea fuerit. Alij volunt eum ab inferis redeuntem primùm arborem istam cõtemplatum, atq; se inde coronasse, conueniente plantæ colore albo huic euentui, quum è tenebris in lucem commearet. Inde quũ ex inferis euasisset, & eos surculos in Acherontis ripam seuisset, seminium id latè propagatum.

Nomen. Alba populus Græcis λεύκη dicitur, nigra Homero αἴγειρος, & ἀχερωΐς, sic enim Aristoteli dicta, ob dictã causam. Libyca Theophrasto, & κερκίς. Latinis populus. Neapolitani albam *allano* vocant iuxta Capuam, nigram verò *pioppo*.

Descriptio. Theophrastus ita depingit. Arbor altissima, ingentiq; magnitudine exurgit. Caudice procero, erectoq;. Cortex constat carne, & neruo. Foliorum figura mutatur, nam in iuuenta sunt circinatæ rotunditatis, in senecta angulosæ. Habetque cum paucis hanc proprietatem, quod eius folium circumagatur æstiuo solstitio, hoc est supinas foliorum partes conuertat, eoque argumento rustici solstitium confectum intelligunt. Auctu quàm facilis, maturè germinat, & ante æquinoctium. Vtrum ferat fructum varia sententia est. Arcades sterilem

ſterilem putant. Ex radicibus facile germinant alba, nigraque populus: nam viuaces,& ſteriles ſunt, quod nulli ex reliquis datum eſt.

Theophraſtus tria genera recenſet. Populus alba corpore erecto, excelſior, Genera. læuiorq; nigra, figura foliorum ſimili. Lignum, quum cæditur, albedini ſimile eſt. Florem habere nõ exiſtimant. Et libro de cauſis: fronde latiore, cortice læuiore, atq; omnino ſucco lætiore, quàm nigra eſt, ſed eadem in ſenecta ob alimenti inopiã haud procul eſt à ratione, vt & frondem anguſtioré,& corticem ſcabriorem habeat,& quicquid euenire iis ſolet, quæ nõ æquè alimento abundant. Omnino fortaſſe mirũ non eſt, quod in hac euenit, quum in proximum, atq; ſimile quodãmodo tranſeat. Nam & in animalibus mutationes eiuſmodi pleraſq; videmus, alias in generatione, vt quum in cæteris, tum in iis, quos papiliones vocamus. Et oleagnum deſcribens dicit eſſe flore populi albæ, verùm minori. Hæc vetuſtate in nigram degenerat, tum fronde, tum tota ſpecie: totius arboris mutatio ſpontè exoriri videtur. Nigra cum alba vniformis, corpore erecto, ſed humiliori, ſcabriorique. Albæ figura foliorum ſimilis, ſed anguſtiorum ſcabriorumque. Cortice in totum ſtrigoſiori. Ligno vtiq; par candor, neq; florent. Arcades ſteriles putauere. At in Creta & populi nigræ complures fructificant, vna apud aditum ſpeluncæ Idçæ, qua munera deo dicata conſeruantur, altera parua ab ea proxima ſtat, & vlterius duodecim plurimũ ſtadia ad fonté quendam Sauri dictũ pleræq; ſunt,& in mõte proximo ab Ida, cui Cedrio nomen, nec nõ & circa Tireſiam. Alpina populo albæ nõ abſimilis eſt, tum magnitudine, tum verò quod ramis albicantibus ſpargitur, folio hederæ, ſed parte altera ſine angulo, altera oblongo, inq; angulũ exeunte acutũ. Colore parte reſupina, pronaq; ferè ſimili, pediculo prolixo, tenuiq; annexo. Quãobrem nõ erecto ſed inflexo, cortice aſperiori, quàm populus alba, ſcabriorique, vt pyrus ſylueſtris. Plinius ab eo. Populi tria genera, alba, nigra, & quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungiſq; enaſcétibus laudatiſſima. Alba folio bicolor, ſupernè candicans, inferiori parte viridi. Huic, nigræq;, vt crotoni, folia in iuuenta circinatæ rotunditatis ſunt: vetuſtiora in angulos exeũt. Populorum foliis grandiſſima lanugo. Euolat candidæ (tradita folio numeroſiore candida) vt iulus. Mirũ quod populo albæ euenit: circũaguntur enim folia eius poſt ſolſtitiũ, nec alio argumẽto certius intelligitur ſydus confectum. Alibi bryon vocat vuam populi albæ. Et alibi vuarum populi albæ meminit in vnguentis vſus, & ſeminis populi nigræ. Dioſcorides ſemen populũ proferre dixit. Sed nigra populus apud nos in arbuſtis frequentior. Folio rotundo, oblongo, ſupernè acuto, initio claro, mox atrouirente, pediculis oblongis. Vere in pediculis oblongis racematim naſcitur vua, acinuli rotundi, piperis ritu, intus lanuginem continet in pappos euaneſcentem. Radice vaga per ſumma ceſpitum. Alba fluuiorũ, riguorumq; aſſecla. Foliis ſupernè virentibus, ſubtus incanis, tuſſilaginis ritu. Iulos, ſiue foliorum exortum, ſalicis modo profert. Libyca minus frequens, minore, & breuiore folio, duriore, obtuſiore, circumcriſtato, ſinuatoque. Cortice craſſo, læui, primùm viridi, mox cineritio.

Cœlum. Populos in plana descendere Theophrastus inquit. Varro tepidiora amare scripsit. Plinius montes amare dixit. Diximus nos in senecta cortice scabro, crassoque esse, ob id quodcunque cœlum substinet, tepidum, frigidumque.

Solum. Populus rigua, & flumina sequitur. Ouidius.

Quam platanus riuo gaudet, quam populus vnda.

Et Virgilius.

Populus in fluuiis.

Sed iuxta Nilum nulla populus, etsi fluminum amantissima. Cortice læui, ob id aquosa arbor. Radice per summa cespitum vaga, ob id leue solum quærit. Horret siccum, arenosum, & præcipuè gypsosum, in eoque languida, breuique durans. Lætius in cauis, quam planis, & in iis melius, quàm collibus germinat. Vulturnus albas, Campania reliqua nigras, & Libycas alit.

Satio. Plinius semine seri dixit. Populis eadem ratio semine, qua vlmos serendi, transferendi quoque è seminariis easdem & syluis. Mutantur arbores & colore, fiuntque ex nigris candidæ, non semper prodigiosè, & maximè quæ ex semine nascuntur: vt populus alba in nigram transit. Recentiorum aliqui semine seri putant, quoniam populi semen perfectum est, colore subalbicâti, prius quàm frondes pullulent, seratur loco humido ac cœnoso, quumque enatum fuerit, transferatur. Sed hæc insana opinio videtur, quum populorum semen sit imperfectum, idque ex aspectu liquido videtur, alio modo natura eius satum demonstrante. Diximus radices summa telluris cute spargi: ob id facillimè radicibus seri, & pullulare posse videmus. Theophrastus celerrimè & pulcherrimè nasci ex auulsione dixit, si locum idoneum, cultumque congruum adipiscatur, quemadmodum quæ lucos, & aquas desideret: si quis enim eam prægrandem, & arbori se exæquantem transtulerit, perdurare optimè posse. Populos quia festinantius germinant, disponi quoque maturius cōuenit, hoc est ab idibus Februarij, plantis & ipsas nascentes. Plinius. Quintilij Octobri mense serunt. Nasci quoque ex trunco idem protulit, cuius pars defixa seri non recusat, tam alba, quàm nigra. Ex suis etiam ramulis nasci dixit, quia cortex nitidus, crassus, succosus. Sed modus ramo serendi Neapoli frequentissimus est, quum singulis annis in complendo arbusto, vento tempestatibusq; deturbatas restituimus. Ex nouella populo eligantur rami nitidissimi, læues, recti, non ramosi, ætate duorum vel trium annorum, prægnantes & germine turgentes, silente vel finiente Luna. Ramosos ideo reiicimus, ne quum emundétur ramuli ex crebris plagis, frigori & Soli sint obnoxij. Signetur pars, quæ Boreæ obiecta erat in arbore, vt in scrobibus seratur, vt in ipsa arbore steterant. Imum crus in vngulæ bouis formam resecemus, immuni cortice, ne sauciettur, repliceturque, ex ea enim parte radiculas speramus. & pars illa, quæ scrobibus immergetur, acuta cultri acie vulneretur pluribus locis vsque ad lignum, vt inde facilius radiculæ eliciantur. Dein scrobes trium, vel quatuor pedum altitudine excauentur in plano, quatuor, vel quinque in cliuo, in earum me-

rum medio bipalio trium vel quatuor pedum profunditate foramen excauetur, & eiusmodi hiatu populeus ramus mergi debet, obuertasq; partem illam Boreæ, quam signaueras. Sic iniecta paulatim terra querno palo, vel graui spissius calcetur: ne laxitas inter excipiens foramen & hospitem truncum intercipiatur, sic donec foramen expleatur, mox tota scobs repleatur, calceturque. Optimè feceris, si prius quàm seueris, denis vel quindenis diebus aquis immoretur truncus. Si tamen ventus validus, & vehemens fuerit, vt ex concussione foramen hiet, denuò calcetur, immuni semper cortice, ne obtundatur: post triennium, vel quadriennium decacuminentur, & rami in tabulata disponantur, vt dicemus. Sunt qui truncos sine cacumine serant, sic minus à ventis conuelli sperantes. Plinius. Eiusdem rei causa populus alba seritur, bipedaneo pastinatu, talea sesquipedali, biduo siccata, palmipede interuallo, terra superiniecta, duorum cubitorum crassitudine. Eiusmodi taleæ ramiq; verno tempore plantantur, priusquam pullulent. Sunt qui dicant tam viuaci natura populum constare, vt scobes, & ramenta corticum, ramorumque in terrã proiectorũ, cõcipiant, & radicentur, & in syluam excrescant. Sed Dioscorides memoriæ prodidit, corticẽ nigræ, & albę populi cõcisum in partes minimas, & sulcis stercoratis insparsum, edules, innoxiosq; toto anno restibiles creare fungos.

Theophrastus. Populi materies, dum cæditur, albicat. Lignum dum vritur, multum eructat fumum, vt humidum, & palustre. Vitruuius, Populus alba, nigraque, ignis & aëris satiatè, atq; humoris temperatè, parum terreni habentes, leniori temperatura comparatæ, egregiam habere videntur in vsu rigiditatem. Ergo quum non sint duræ terreni mistione propter raritatem sunt candidæ, & in sculpturis commodam præstant tractabilitatem. Plinius, Frigidissima quæcunque aquatica, vt populus: lentissima autem, & ideo scutis faciendis aptissima: quorum plaga contrahit se protinus, clauditq; suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum. Contra omnia inferiora pandatur. In laminas secatur, quarum operimento vestiatur alia materies. Palladius. Populus vtraque in sculpturis necessaria. *Materies.*

Dioscorides resinam effundere aut lachrimam populos commemorat, quę in Padum amnem defluat, dicunt coire in succinum, quod electrum vocant, alij chrysopho. Id attritu iucundum spirat odorem, & aurum colore imitatur. Plinius rusticas transpadanas ex electro monilia gestare affirmat. Phaetontis fulmine icti sorores fletu mutatas in arbores populos, lachrymis electrũ omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: & electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit Elector, plurimi Poëtæ dixêre, primiq;, vt arbitror, Æschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. quod esse falsum Italiæ testimonio patet. Ouidius fabulatur Phaetontem Solis, & Clymenes filium, quum ipsi obiiceretur ab Epapho illum nõ de Sole, sed adulterio procreatum, ad parentem venientẽ petiisse, vt vnius diei sui currus regimen haberet: patrẽ, tametsi ęgrè, tandem illi concessisse. itaq; conscenso curru, *Resina.*

solitam viam aberrauisse, cœpisseq; cœlum, & maximam orbis partem incendio conflagrari. quod videns Iuppiter, eum fulmine icit, qui in Eridanum lapsus est, quem sorores Heliades lugentes, deorum commiseratione, in populos versæ sunt, quarum lachrymis fit electrum.

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Sed Lucianus huius rei scrutandi gratia ad Padum se cõtulit, serioq; fatetur, neq; populos ibi esse, neq; succinum ibi defluere, nec deniq; reperiri. Scripsit Zoroaster, Electrum lapis, siue succinũ omnia paleosa & leuia ad se ipsum trahit, præter ocymum.

De vlmo. CAP. XXXVI.

SEQVITVR vlmus syluestris arbor, & aquarũ alumna. Plinius materie, vitiumq; amicitia vlmũ præstare dixit. Cato vlmos circũ vias seri debere præcipit, vti frondẽ ouibus & bubus habeas, & materia, si qua opus erit parata sit. Varro in septis prædij serit, ne familiæ rixẽtur cum vicinis, nã & substinet sepẽ, & colit aliquot corbulas vuarũ. Narrat Virgilius frondẽ bubus pbere iucundã.

Viminibus salices fœcundæ, & frondibus vlmi.

Nomen. Græcis πτελέα. Latinis vlmus. Italis *olma*.

Genera. Theophrastus duo vlmi genera constituit, alterum ὀρειπτελέαν vocat, quod Theodorus montiulmum interpretatur, quasi montanam vlmum dicas: alterum, vlmum. Virgilius plura vlmi genera esse dicit,

Præterea genus haud vnum nec fortibus vlmis,
Nec salici.

Columella duo vlmi genera facit, gallicũ, & vernaculũ: illud atinia, hoc nostras dicitur. Plinius quatuor genera facit, duo Græcorũ, quæ ex Theophrasto excepit. Græci duo eius genera fecere, montosam, & campestrẽ. Italia attineas vocat excelsissimas, alterum genus gallicas, tertiũ nostrates, quartũ syluestre.

Descriptio. Theophrastus ita sua genera describit. Vlmus fruticosior est, montiulmus auctior. Folium indiuiduum, leniter circumserratum, oblongius quàm pyro, scabrum non læue. Præstat hæc arbos & amplitudine, & altitudine, sterilis putatur. Gummi in petiolis gignit, & animalia quædam culicea, & amenta peculiaria gerit. Autumno multa minuta, nigra, cęteris verò temporibus quid ferat, minus animaduersum est. In vlmo cradę gignuntur, quę si asperis, aridis, ventosisque locis steterit, ita omnino fiat necesse est. Deniq; qui proximus terræ, & quasi iuxta caudicis caput conuenerit, hic senescens crassior redditur. Vuas affert, & folliculos quosdam. Folium insectum. Illud sanè peculiare, quod vlmo accidit: vertit enim partes supinas mox post solstitium ęstiuũ, eoq; argumento rustici solstitium confectum intelligunt. Et in causis. Folia circumaguntur æstiuo solstitio, quòd eo potissimum tempore folia decidant. quum igitur foliorum agatur profluuium, cuncta aliqualiter affici necesse est, & quæ infirma, & qua si-

quasi senio confecta, exarescunt, & decidunt, reliqua circūaguntur tantummodo. Semen habet, sed latitat. Prorsus absurdū simul, & mirandum apparet, siqua ex imperfectis valeant generare, præsertim arborū naturas steriles, ceu vlmi. Columella, Atiniam vlmū Tremellius Scropha nō ferre samarā (quod est semē eius) falso est opinatus. nam rariorē sine dubio creat, & icciro plerisque sterilis videtur, seminibus inter frondē, quam prima germinatione edit, latentibus. Est autē vlmus longè lætior, procerior, quàm nostras, frondemq; iucundiorē bubus præbet. Plinius. Montosa amplior, campestris fruticosa, Italia attineas vocat excellissimas, & ex iis siccanas præfert, quæ nō sint riguæ. Alterum genus, gallicas. Tertium genus nostrates densiore folio, & ab eodem pediculo numerosiore. Attineæ nō ferunt samara: omnesq; radicum plantis proueniunt, reliquæ semine. Ex eo fluit gūmi, & culices ibi nascuntur. Vlmus atinia semen nō fert, infelix existimatur, damnataq; religione, quæ neq; feratur vnquam, neque ferat fructum. Folia ramulosa. Inter primas germinat. Ab radice brachiata nascitur. Corticis humor saliuosus.

Lucos, aquasq; desiderat. Ex Theophrasto ὀρεινὴ πτελέα gaudet montibus, in Cælum.
plana etiam descendit. Apuleius vlmū humectis locis gaudere ait. Plinius. Abit & in montosa vlmus. In Ida Troadis raram vlmū Theophrastus dixit, et si aliis arborū generibus fertilissima sit. Col. in nebulosa. Columella pingui solo, & Solum.
modice humido, variisq; soli generibus prouenire dixit. Theophrastus semi- Satio.
ne prouenire scripsit: nam illud indiciū affertur, quum enim flatibus delatum semen in loca proxima fuerit, nasci arborē aiunt. Columella vlmarium ex semine faciendū docet, vt in arbusto emortuas, aut senio, & tempestate afflictas nouellā sobolem substituere possis: quod facilè eueniet, si vlmorū seminarium paratum habeas, quod & quale, & quomodo faciendū sit, ita præcipit. Igitur bipalio primò terrā pastinabimus, ac diligenter occatam, & resolutam verno tempore in areas cōponemus. Samarā deinde quæ iam rubicundi coloris erit, & compluribus insolata diebus iam erit, vt aliquē tamen succum, & lentorem habeat, iniiciemus areis, & eas totas seminibus spisse cōtegemus, atq; in cribro putrem terrā duos alte digitos incernemus, & modicè rigabimus, stramētisq; areas cooperiemus, ne prodeuntia cacumina seminū ab auibus prærodantur. Vbi deinde prorepserint plantæ, stramēta colligemus, & manibus herbas carpemus, idq; leuiter, & curiosè faciendū est, ne adhuc teneræ, breuesq; radiculę vlmorū conuellātur: atq; ipsas quidē areas ita anguste cōpositas habebimus, vt qui runcaturi sunt, medias partes earū facilè manu cōtingant: nā si latiores fuerint ipsis seminibus, quæ proculcata erunt, noxā capient. Æstate deinde prius quàm sol oriatur, aut ad vesperū, seminaria cōspergi potius, quàm rigari debēt, & quū ternum pedū plantæ fuerint, in aliud seminariū transferri. ac ne radices altius agant (quæ res postmodū in eximendo magnū laborem affert, quū plantas in aliud seminarium transferre volumus) oportebit nō maximos scrobiculos sesquipede inter se distantes fodere. Deinde radices in nodum si breues, vel

in orbem coronæ similem, si longiores erunt, inflecti, & oblitas fimo bubulo scrobiculis deponi, ac diligenter circumcalcari. Possunt etiā collectæ cum stirpibus plantæ eadem ratione disponi, quod in atinia vlmo fieri necesse est, quæ non seritur è samera. Sed hæc vlmus autumni tempore melius, quàm verè disponitur, paulatimq; ramuli eius manu detorquentur, quoniā primo biennio ferri reformidat ictum, tertio demum anno acuta falce abraditur, atque vbi translationi iam idonea est, ex eo tempore autumni, quo terra imbribus permaduerit, vsque in vernum tempus, antequam radix vlmi in eximēdo delibretur, rectè seritur. Igitur in resoluta terra ternū pedum quoquouersus faciendi scrobes; at in densa, sulci eiusdem altitudinis, qui arbores recipiant, præparandi, & deinde vlmi conserendæ, vt earum rami ad orientem, & in occidentem dirigantur, quo plus solis mediæ arbores, quibus vitis applicata, & religata innititur, accipiant. Sed Plinius breuius docet. Vlmorū, priusquam folio vestiantur, samara colligēda est circa kal. Martias, quū flauescere incipit, deinde biduo in vmbra siccata, serēda densa in refracto, terra super minutatim cribrata crassitudine, quæ in cupressis. Pluuiæ si non adiuuent, riganda. Deferendæ ex arearum venis post annū in vlmaria, interuallo pedali in vnamquamq; partē. Maritas vlmos autumno serere vtilius, quia carent semine, nam eę è plantis seruntur. In arbustū quinquennes sub vrbe transferunt, aut (vt quibusdam placet) quæ vicenum pedū esse cœperunt, sulco qui nouenarius dicitur, altitudine pedū trium, pari latitudine, & eo amplius circa positas pedes terni vndiq; è solido adaggerantur. Et alibi. Hoc genus similiter natura monstrauit, auulsiq; arboribus stolones vixēre. Quintilij docent Aprili mense semē vlmi colligi debere, & collectū statim serere. Apud nos Aprili mense vlmi samara oneratæ videntur, illicoq; decidit, satumq; non prouenit: nam dum contemplatur, videtur sine spe futurę prolis. Theophrastus, Quæ semē ferunt, tā ex radicibus, quàm ex ipsis prodire nimirum possunt: nam eas quæ steriles esse arbitrantur, generare affirmant, vt vlmū. argumētumq; capiunt, nō solum quod pleraq; procul suis radicibus erumpāt, verum etiā quòd in Phineo Arcadiæ quū aqua obstrusis faucibus extumuit, demū erupisse, & vbi in loco inundato vlmi steterant, anno secundo solo resiccato iterum vlmos surrexisse affirmant. Vlmus celerrimè & pulchertimè prouenit ex auulsione, quæ si quis prægrandem, eamq; cum arbore se exæquantem transtulit, perdurare optimè potest. Plinius. Quæ carent semine, plantis serere vtilius, vt vlmus. E radicibus est genuinus vlmorum satus, nam à radicibus suis longè repullulat. Virgilius.

Pullulat ab radice aliis densissima sylua,
Vt cerasis, vlmisq;.

Cato exactius plantas ponere docet. Vlmos quum seres, benè cum radicibus eximito, cum terra sua quāplurima, circumligato vti ferre possis, in alueo aut corbula ferri iubeto. Caueto autem ne quum ventus siet aut imber, effodias. In scrobe quum pones, summam terram subdito, postea operito terra, & calcato

calcato pedibus. Frigus non admittit, vt syluestris sterilisq́; nam densa & valida est, & si admiserit statim expellit, transmittitq́; nec vsquā retinet. Plagam non solum tolerat, sed lignis detractis caudici, indomita manet, vt quæ humida sit, & probè germinet.

Post vindemiam & arcturum cæditur. Rigorem quoq; fortissimè seruat vlmus: ob id vlmeos cardines valuis adiungunt, nam si ipsi firmi permaneant, valuæ quoq; stare intortæ possint, alioquin torqueantur necesse est. Faciunt eos ligna permutātes, quod radicem versus, quodq́; in cacumine fuit: sic enim inter se coarctata vtrumq; impletum alterius prohibet, quum suapte natura aduersetur: nam si alterum per naturam eodem tendat, quò momentum est, ruina vtiq; eodem sequi facilè possit. Valuas non statim apponunt, sed compactas statuunt. Nonnulli anno tertio confecere, lautioris operis desiderio: namq; æstatis calore exiccatæ dehiscunt, hyemis verò humore oppletæ cohęrent. Ratio, quòd rara, carnosaq́; facilè attrahant humorem. Tornatus nauibus rotundis ex vlmo, lentitiam enim, firmitatemq́; adesse oportet. Testudines, & auriculas ex vlmo etiam fabricant, valida enim hæc esse oportet. Vtilis etiam ad fores, præla, & torcularia, quin & ad carpentarium opus, sed mediocriter. Malleus & terebra ex vlmo optimè fiunt. Lentore non caret, sed natura humidior, indicium quòd post cæsuram erecta materies humorem emittit. Ad summum quæ in montibus nascuntur coloratæ valdè, candidæq́; assurgunt, quæ plano rariores corpore, pallidiores, deterioresque. Hæc Theophrastus. Cato, Vlmeā materiem omnem quum effodies, Luna decrescente eximito, post meridiem, sine vento Austro. Tum erit tempestiua, quū semen suum maturum erit. Vento Austro caueto ne quam materiem tractes, nisi necessario. Orbem in torculari ex vlmo facito, intrinsecus cuppam materia vlmea facito. Et vectes vlmeos. Plinius ab eo eadem, & à Theophrasto. Est lentitia vlmo, sed siccior. Rigorem fortissimè seruat vlmus, ob id cardinibus, assamentisq́; portarum vtilissima, quoniam minimè torquetur, permutanda tātum sic, vt cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. Vlmus in perflatu firma: Lenta, sed facile pandatur, flexilis tamen, stansq́; à circumcisura siccata, fidelior. Terebris vaginas ex vlmo vtilissimas fieri, & eadem malleos. Cato vectes vlmeos fieri iubet. Factum hoc populi Rom. quiritibus ostentum Cymbricis bellis Nuceriæ in luco Iunonis, vlmo postquā etiam cacumē amputatum erat, quoniam in aram ipsam procumbebat, restituta sponte, ita vt protinus floreret. A quo deinde tempore maiestas populi Ro. resurrexit, quæ antè vastata cladibus fuerat. Vitruuius eadem de vlmo habet, quæ de fraxino dicimus. Palladius. Vlmus si siccetur, rigescit, ante curuabilis, catenis vtilis habetur. Hesiodus temonem ex vlmo in aratro facit.

Temonem ex vlmo viridi, seu confice lauro.

Virgilius ab Hesiodo describens aratrum etiam vlmum ad temonem cędit.

Continuo in syluis magna vi flexa domatur

Materies.

In burim, & curui formam accipit vlmus aratri.

Insitio. Virgilius cerasum in vlmum inseri posse dicit, & quercum.

——— *Glandesq; sues fregere sub vlmis.*

De Alno. CAP. XXXVII.

SYLVESTRIS est arbor, & apud rigua nascens alnus. Sunt Poëtæ, qui fabulentur Phaëthontis sorores nõ in populos, sed alnos mutatas. Virgilius.

Tum Phaethontiadas musco circundat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Nomen. Græcis κλήθρα, Latinis alnus, quod amne alatur, Itali *alno, anno onizzo*. Neapolitani *altano*.

Descriptio. Theophrasti alnus sterilis, & vnigena est. Recto caudice, ligno medullaque molli, adeò vt graciles virgæ concauentur, folio pyri, sed ampliore, ac neruosiore, cortice squaroso, rufoue intus, qua de causa coria tingit. Radice summa, nec quàm laurus maiore, tenui, ac per summum cespitum. Folio auellanæ simillimo, sed arctiori. Quædam fructifera, quædam sterilis, vtraq; tamen florescit. Germinat post Fauonium. Autumno reddit semen. Auctu facillima. Plinius alnum nullum fructum ferre prodidit, scopis tantum nascentem, quare infelicem existimari, damnatamque religione. Folio crassissimo, cuius vmbra pinguis, sed pascens sata. In ea tuber nascitur vt in acere, tanto deterius, quanto ab acere distat, sectile, sicut cedro: nec aliarum tubera in pretio. Et nigræ quoq; meminit. Sed putat Matthiolus Theophrastum sibi contrarium, quum dixerit sterilem esse, & autumno fructum proferre, quũ non legerit caput quintum tertii libri historiarum, quandam esse fructiferam, & quandam sterilem, vt dicemus. Apud nos fructifera est. Flos paulum rubescit, semẽ exiguum in compactili callo, colore in nigrum flauo, qui nucis magnitudinẽ æquat, & mori figuram. Profert & iulum autumno, qui mox aperitur vere, vt in nostris villis obseruauimus. Cortex rufescit ex fusco, cuius potissimum vsus ad infectoria.

Cælum. Solum. Vdos locos, riguasq; crepidines sequitur vlmus. Theophrastus haud alibi, quàm in aquaticis nasci tradidit. In aquis occultatur radix, & aliquid caudicis, reliquum corpus extrà patescit. Sed si quis arctius inquirere velit, contrariam & quasi ancipitem vitam agere inueniet. Virgilius.

Fluminibus salices, crassisq; paludibus alni.

Vitruuius perpetuò in fluuiis generari. Plinius non nisi aquosis alnos prouenire dixit. Aristoteles inter miracula in Creta insula alnos non esse steriles dixit. Theophrastus etiam in plana descendere.

Satio. Depactis virgis, & truncis natam vidimus.

Materies. Vitruuius. Alnus quæ proxima fluminum ripis procreatur, & minime materies vtilis videtur, habet in se egregias rationes: etenim aëre est, & igni plurimo temperata, non multum terreno, humore paulo. Itaque quia non nimis

habet

habet in corpore humoris in palustribus locis infra fundamenta ædificiorum palationibus crebrò fixa recipiens in se, quod minus habet in corpore liquoris, permanet immortalis ad æternitatem, & substinet immania pondera structuræ, & sine vitiis conseruat. Ita quæ non potest extra terram paulum tempus durare, ea in humore obruta permanet ad diuturnitatem. Est autem maximè id considerare Rauennæ, quòd ibi omnia opera & publica, & priuata sub fundamentis eius generis habeant palos. Plinius. Licet alni sepibus muniant, contraque erumpentiam amnium, impetus riparum muro in tutela ruris excubent, in aqua satæ, cæsæ que densius innumero hærede prosint. Alni ad aquarum ductus in tubos cauantur, obrutæ terra, plurimis durant annis. Eædem si non integantur, cito senescũt, mirum in modum fortiores, si humor quoq; extra supersit. In palustribus æterna, onerisq; quantilibet patiens. Est & in ea lentitia, sed madida. Palladius. Alnus fabricæ inutilis, sed necessaria, si humidus locus ad accipienda fundamenta palandus est. Materies à Virgilio ad naualia commendatur:

Tunc alnos primum fluuij sensere cauatas.

De Salice. Cap. XXXVII.

EST & salix ex prædictarum genere syluestris, & aquarum alumna, & in villa non solum vtilis sed necessaria. Nullius quippe, inquit Plinius, tutior reditus, minorisve impendii, aut tempestatis securior. Tertiumque locum ei in æstimatione ruris Cato tribuit, prioremq; quàm oliuetis, quamq; frumento, aut pratis, non quia desint alia vincula, siquidem optima præbent genistæ, populi, vlmi, sanguinei frutices, betulæ, arundo fissa, vitis, recisisq; aculeis rubi. Alligat & intorta corylus, sed salici præcipua dos. Erat salix antiquitus sterilitatis, & castitatis symbolum, siue quod amerina salix lectis, accubitisq, imposita, castitatem inducat, siue quòd folia huius arboris contrita, & pota, intemperantiam libidinis efficaciter frenent, & sæpius sumpta vsum in totum auferant: ob id lasciuissimo quem fingunt hortorum deo salignam falcem in manu donauit antiquitas, scilicet vt Veneris pruritum, & impudicas cogitationes castitatis falce resecandas admoneremur. In sacris literis, vbi Dei populus iubetur tabernaculorum festa celebrare, quippe in tentoriis habitantes salicis frondes manibus prætendebant, nimirum per salicem continentiam imaginamur. Salix porro sterilis est, quippe Maro inter infelices plantas commemorat, vbi Seruius semen salicis esum infœcunditatem mulieribus gignere dicit, quippe apud Plinium prius legerat, semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse. Iudæi captiui tracti, vbi propter flumina Babylonis descendissent, captiuitatemq; suam deplorarent, in salicibus suspenderunt sua organa, vbi Euthymius per salices otia interpretatur, quòd ignauam vitam per captiuitatem traherent, tum ob eius sterilitatem inutilem, tum ob vmbram sub qua desides ociari soliti sunt.

Nomen. Græci ἰτέαν vocant, Latini salicem. Verrius ita dictam putat, quòd ea celeriter crescat, vt salire videatur, quam opinionem Festus Pompeius irridet, damnatq; nimis seuera & grammaticali censura, quòd eam arborem potius, quàm virgulti genus appellarit. Itali *salce*.

Genera. Virgilius plura salicis genera putat, ob id in Georgicis,

Præterea genus haud vnum nec fortibus vlmis,
Nec salici.

Columella tria genera facit, Græcæ, Gallicæ, & Sabinæ; quam plurimi vocant amerinam, Varro Græcam salicem nominat. Plinius plura genera dicit. Nam quædam & in proceritatem magnam emittunt iugis vinearum perticas, pariuntq; baltheo corticis vincula: & aliæ virgas sequacis ad vincturas lenticiæ. Aliæ prætenues viminibus texendis spectabili subtilitate. Rursus aliæ firmiores, corbibus ac plurimæ agricolarum supellectili, candidiores ablato cortice, leuiq; tractatu vilioribus vasis, quàm vt è corio fiant; atq; etiam supinarum in delicias cathedrarum aptissimę. In Asia tria genera obseruant. Nigram, vtiliorem viminibus: candidam agricolarum vsibus: tertiam, quæ breuissima est, helicem vocant. Apud nos quoq; multi totidem generibus nomina imponunt. Vimineam vocant, eandem purpuream. Alteram vitellinam à colore, quæ sit tenuior, tertiam Gallicam, quæ tenuissima.

Descriptio. Theophrastus ita describit. Salix breui, & contorto caudice consurgit, auctu perquam facili, breuisque vitæ est, quod apud aquas assurgat. Maturè germinat, quia sterilis, lucosaque sit. Celeriter fructum amittit, antequam in plenum crassetur percoquaturq;, dimittere asseuerant, quamobrem Homerum haud improbè frugiperdam hanc appellasse inquiunt. Et alibi de salice ambigitur vtrum semen habeat. Sicca leuis est. Plinius ab eo. Salix longis foliis pullulat. Circumaguntur enim post solstitium. Nec alio argumento certius intelligitur sydus confectum. Ocyssimè autem amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat: ob id dicta Homero frugiperda, secutaq; ætas scelere suo interpretata est hanc sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constet. Vna tantum proditur ad maturitatem perferre solita in Creta insula, ipso descensu Iouis speluncæ, toruum, ligneumque, magnitudine ciceris. Citò crescit, moriturq;. A Virgilio flexibilis describitur, & folio glauci coloris, vnde & oculi ab eiusmodi colore glauci dicuntur: Amaraque.

Lenta salix
——— *Et glauca canentia fronde salicta.*
Florentem cythisum, & salices carpetis amaras.

Porphyrius in his, quæ circa Homerica philosophatur, salicem ob id ὠλεσίκαρπον vocari tradit, quòd semen prius, quàm maturescat, in arenam abeat, vel hac potius de causa dictum putat, quòd semen illud ex vino propinatum sterilitatem faciat, seminali omni vi protinus labefactata. Apud nos tamen surgit

pit trunco, ab eius extremo, veluti à capite prodeuntibus ramis, lentis, flexibilibus, foliis subtus incauis, supernè virentibus, flore, seu nucamento squamatim compactili, lanuginoso propendente. Citissimè ramorum constipata densitate crescit vt mirè adultā in arborem præmaturo incremēto conspicias.

Cælum. Solum.

Præmadida ac palustris omnino spectatur salix, & si quis arctius inquirere velit, communem & quasi ancipitem vitam agere inueniet. Radix & aliquid corporis in aqua manet, reliquum verò extra patescit. In lacu Orchomenio frequens. Hæc Theophrastus: sed Columella, salicem, dicit, riguus ager, vel vliginosus optimè recipit, non incommodè alit planus, & pinguis. Varro salictum humido loco facit. Virgilius flumina sequi dixit.

Fluminibus salices, crassisq; paludibus alni.

Didymus cœnosa, & aquosa terra gaudere, aëre humido & frigido dixit.

Satio.

Salix ex auulsione celeriter nascitur, quæ etiam si quis prægrandem eamq; cum arbore se exæquantem transtulerit, perdurare optimè potest: argumentumque capiunt, quòd procul radicibus suis erumpat. Summis ramulis prouenire etiam potest, quod aquarum præauida sit. Sed Columella salictum cōstituere ita exactissimè docet. Debet bipalio conuerti (ita enim præcipiunt veteres) in duos pedes & semissem salicto destinatum solum: nec refert cuius generis vimen feras, dum sit lentissimum. Salices vel cacuminibus, vel taleis ponuntur. Perticæ cacuminum modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarii orbiculi crassitudinem non excedant, optimè panguntur, eo vsq; dum ad solidum demittantur: taleę sesquipedales terreno immersæ, paululum obruuntur. Riguus locus spatia laxiora desiderat, eaq; senum pedum per quincuncem rectè faciunt, siccaneus spissiora sic, vt sit facilis accessus colentibus ea: quinum pedum interordinia esse abunde est, vt tamen in ipsa linea consitionis, alterna vacuis intermissis bipedaneis spatiis consistant semina. Satio est eorum prius, quàm germinent, dum silent virgæ, quas arboribus detrahi siccas conueniet: nam roscidas si recideris, parum prosperè proueniunt, ideo pluuii dies in exputanda salice vitantur. Fodienda sunt primo triennio salicta crebrius, at nouella vineta, quum deinde conualuerint, tribus fossuris contenta sunt, aliter culta celeriter deficiunt: nam quāuis adhibeatur cura, plurimæ salices intereunt, quarum in loco ex propinquo mergis propagari debent, curuatis & defossis cacuminibus, quibus restituatur quicquid intercidit: Anniculus deinde mergus decidatur à stirpe, vt suis radicibus tanquam vitis ali possit. Albi id Februario mense fieri debere docet, vel facta deputare, runcare, & fodere. Plinius ab eo. Salicum satio fit loco madido, tamen refosso duos pedes & semipedē, talea sesquipedali, vel pertica, quæ vtilior, quo plenior. Interuallo esse debēt pedes seni, trimæ pedibus binis à terra putatione coercentur, vt sic se in latitudinem fundant, ac sine scalis tondeātur. Salix enim fœcūdior est, quo terræ proprior. Has quoq; omnibus annis cōfodi iubēt, mense Aprili. Hæc est viminalium cultura. Perticalis & virga & talea, seritur fossura eadē.

T

Perticas ex ea cædi iustum est quarto ferè anno. Eæ autem senescentium propagine sarciunt locum, pertica immersa, & post annum recisa. Ocyssimè salix amittit semen. Sed in hoc quoq; prouidens Natura, facilè nascenti. & depacto surculo, incuriosius semen dedit. Varro inter Fauonium, & æquinoctium vernum salicta serit, cædit verò inter æquinoctium vernum, & Vergiliarum exortum. Democritus eas plantat Februario mense ex claua, & taleis.

Insitio. Palladius in insitione malum recipere dixit, & càstaneam.

Stipitibus gaudet nomen mutare salignis,
Et gratum nymphis spargere flore nemus.
Flumineam salicem fœcundant ardua membra
Castanea, & multo pasta liquore vigent.

Infirmi. Quædam securim ita tolerant, tam stantes, quàm à flatu prostratæ, vt resurgant, viuant, germinentq;, vt salici in Philippis euenerat. Fuit quidem detruncata, sed non circumdolata. Aruspex tum quidem persuasit, vt sacrificarent, custodirentq; arborem, vtpote factam ostento fausto.

Materies. Humida, inquit Theophrastus, quæ palustria, viridia, fumosa sunt dum vruntur. Ad scuta, cistellas, canistra, & eiusmodi reliqua valet. Lenta salix, qua de causa scuta ex ea facere solent. Icta enim protinus plagam contrahit: sed salix leuior, rariorq;, ob id ea magis vtuntur. Plinius ab eo. Lentissima salix, & ideo scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum. Lentissima salix, ideoq; vtilissima ad cistellas, quæq; flexibili crate constat, habet & candorem, rigoremque, & in sculpturis facilitatem. Palladius. Salix in sculpturis necessaria. Vitruuius ea de salice dicit, quæ superius de populo alba diximus. Plinius. Nec in fruticum, nec in veprium, cauliúmve, nec in herbarum, aut alio vllo, quàm suo genere numerentur iure scirpi fragiles, palustrésve, ad tegulum, tegetesq;, è quibus detracto cortice, candelæ luminibus, & funeribus seruiunt. Firmior quibusdam in locis eatum rigor: namq; iis velificant non in Pado tantùm nautici, verùm & in mari piscator Africus, præpostero more vela intra malos suspendens. Et mapalia sua Mauri tegunt, proximeq; æstimanti hoc videantur esse, quo inferiore Nili parte papyri sunt vsu.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI VILLAE

LIBER TERTIVS SIVE SYLVA GLANDARIA.

PROOEMIVM.

DIXIMVS iam de cæduis arboribus: proximum est vt narrem glandiferas quoq;, quæ primæ victum mortalibus subministrarunt, nutrices inopis ac feræ sortis. Glandes opes esse nunc quoq; multarum gentium, etiam pace gaudentium constat. Nec non & inopia frugum ex arefactis molitur farina, spissaturq; in panis vsum. Quin & hodie, per Hispanias secundis mensis glãs inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta. Cautum est præterea lege XII tabularum, vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. Glandariam syluam nono, & vltimo loco in villæ censu vetus Cato locauit. Dicemusq; vnà de pomiferis syluestribus, quibus ferè & alites vescuntur, quod vbi absoluerimus, de syluestribus arboribus tractatu finem imponemus. Plinius Latinum sermonem glandiferas omnes arbores vnius generis vocabulo amplecti omnino posse negat, quòd nullum inuenit, quod illi Græcorum generi responderet, quod δρῦς dicitur. Sed Theodorus pro communi omnium genere robur capi satis aptè licere fassus est. A Macrobio inter felices arbores glandiferæ annumerantur, vt quercus, ilex, esculus, fagus. Nos de glandiferis primùm, iisq; æterna coma pubentibus, ilice, altera ilice aquifolia, subere, & phellodri: mox de caluescentibus, quercu, robore, Græcorum fago, cerro, esculo, haliphœo, farno, & Latinorum fago. Inde de pomiferis semper virentibus, siliqua, arbuto, secundò de frondem remittentibus, loto, calabrice, & reliquis syluestribus.

De Ilice. CAP. I.

EGLANDIFERIS igitur prima æterna virens cæsarie, quæ occurrit, ilex erit. Plinius scribit ciuicam coronam ilignam primò fuisse, postea magis ex esculo placuisse. Ioui sacra. Traditur ab Æliano, quòd leo ilicis foliis calca-

tis, illicò torpore teneatur: confirmatur id etiam à Zoroastre in geoponicis Græcis. Palladius ex minori ilice apes mel conficere scripsit. Arbor frequenti icitur fulmine. Persius id innuit.

——— At sese non clamat Iuppiter ipse?
Ignouisse putas: quia cum tonat, ocyus ilex
Sulphure discutitur sacro, quam tuq; domusq;?

In eos protulit, qui quum inhonestam vitam ducant, sibi ipsis ignotum putant, quoniam Iuppiter in ilicem, non in eos fulmen iaculatur. Arbor ipsa infausti ominis antiquitus semper habita. Virgilius.

Ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix.

Seneca in Thieste.

Nullaq; latos solet
Praebere ramos arbor, aut ferro coli,
Sed taxo, & cupressu, & nigra ilice
Obscura nutat sylua.

Imposuit & oppido ilex nomen Prænește Italię, non longè ab vrbe, ἀπὸ τῶν πρίνων, id est, ab ilicibus, vt Seruius notat. Ilex quum caua, id est, vitiosa est, vitium agrorum demonstrat. Est & futuræ vbertatis prænuncia anni. Si ilex multum fructum ferat, tradit Didymus, fructuosum annum futurum portendit. Cassianus ex Arato refert, ilices & quercus multum fructum ferentes, diuturniorem hyemem fore significare. Arati versus sunt,

Induit immodicis cum semet floribus ilex:
(Indiga nam succi ligno natura rigenti est)
Et cum flore nouo, cum brachia glande grauantur,
Vrentis cœli subnutrimenta latenter
Sponte operata docet.

Nomen. Græcis πρῖνος, fortasse quia propter duritiem serra secanda foret, vel à folio circumserrato. Latinis ilex, Italis *elce, elice.* Neapolitanis *licina.* Sunt qui hanc ἀρίαν Theophrasti dicant.

Genus. Est ilex Columellæ gemina, minor apibus quæsita, prolixa ab omnibus improbata mellificio. Estq; eadem aculeata, & aculeis vacans. Nam de fronde bobus ministrāda loquens, ait. Iligna melior est quernea, sed eius generis, quæ spinas non habet: nam id quoq;, vti iuniperus, respuitur à pecore, propter aculeos. Plinius. Ilicis duo genera. Ex iis in Italia folio non multum ab oleis distant, smilaces à quibusdam Græcis dictæ, in prouinciis aquifoliæ. Masculas ilices glandes ferre negant.

Descriptio. Describimus Italiæ notissimam, & fortasse Theophrasto ignotam. Arbor spectatæ proceritatis, & querneæ elegantiæ. Cortice in rufum nigricāte. Folia sunt lateribus sinuata, ac per ambitum denticulis aspera, perpetuò virescētia, externè candicantia, scabraq;, internè læuia, nigricantiaq; in virore. Ob id Poëtæ nigram appellant. Virgilius:

Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Et Horatius. *Duris vt ilex tonsa bipennibus,*
Nigræ feraci frondis in Algido.

Nidosa est, vt quoque Lucanus annuit:
——— *nodosa impellitur ilex.*

Glandes profert quernis minores, ex reliquis minus præstat. Plinius ilicis stillicidia ponderosissima dicit.

Columella conuenienter nemora ilicibus vestiri dixit, Plinius valles diligere, & in montosa subire. *Colum.*

Didymus ante Calendas Martias plantari præcipit. *Satio.*

Materies eius densa est, & robusta, in atrum rufescens. Diutius viuere Plinius protulit. Vetustior autem vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem iam tunc dignã fuisse significat. Tiburtes quoq; originem multo ante vrbem Romam habent, apud eos extant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Fuisse eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit, vna ætate, ante Iliacum bellum. Vicina luco est ilex, & ipsa nobilis x x x v pedum ambitu caudicis, x arbores mittens singulas magnitudinis visendæ, syluamq; sola facit. Pons Romæ olim supra Tyberim Sublicius dictus est, quòd ilicis materie structus esset: nam sine ferro, sine clauo, sine suturis, contignatione ita dispositus, vt trabes per bella eximerentur, ac postea reponerentur. Quod, vt sic fieret, religiosum fuit, posteaquam Horatio Coclite defendente, ægrè reuulsus sit, vt posteà ilicis materie confici solitus sit. Cato vectes iligneos, & aquifolios facit. Materies se frangit, & dissilit sponte sua; ob id Pericles Bœotios dixit ilicis similes, quòd ipsi se intestinis discordiis conficerent. Virgilius apum examina ex ilice fieri dixit. *Materies.*

——— *nec non & apes examina condunt,*
Corticibusq; cauis, vitiosaq; ilicis aluo.

De ilice aquifolia. Cap. II.

ALTERA est aquifolia ilex coccifera; quam nouisse videtur Theophrastus, quamq; à pecoribus respui Columella propter aculeos dicit.

Hæc Theophrasto σμῖλος dicitur. Plinius milacem à Græcis dici, & ab oleis folio non multum distare, in prouinciis aquifolias vocari scribit. Sed Plinius errare videtur: nam milax alia erit, vt in sequentibus videbimus. Latinis ilex aquifolia. *Nomen.*

Theophrastus alteram sterilem, alteram fructiferam, ambas tamen floriferas dicit. *Genera.*

Ilex arbor Theophrasto assurgit roboris magnitudine, si solum adipiscatur idoneũ, sed folio minori, aculeatoque, cortice etiã leuiori. Radice multiplici, vt syluestrium altissima. Glanduloso fructu, sed glans ipsa pusilla est: veterem fructum nouus præuenit, nam sero maturescit, quamobrem bifera à non- *Descriptio.*

nullis existimata est. Fert præter glandem granum quoddam puniceum, hyphear, & viscum: quapropter quaternos parit fructus, binos peculiares, binos alienos, à septentrione viscum, à Meridie hyphear. Fructum nonnulli acylon vocant. Perpetua frondet coma. Germinat vere, omniũ tardissimè suos perficit fructus. Arcades semen anno perficere dicunt, simul enim fructum antecedentem maturat, & nouum demonstrat: quamobrem ex his euenit, vt assiduè fructum habeat. Si corticem circumcideris, interit, sed hyeme tardius, vtpote robustissima. Plinius ab eo. Ilicis glans vtriusque breuior, & gracilior, quam Homerus acylon appellat, eoq; nomine à glande distinguit. Iligna suem angustam, nitidam, strigosam, & ponderosam facit. Tentantur ea sues, nisi paulatim detur. Et hanc nouissimam cadere. Nullo flore exhilaratur. Folio breui pediculo dependenti. Annifera est, nouusq; fructus in his cum annotino pendet. Si decorticetur interit, sed si hyeme acciderit, diutiùs durat. Sed omnes roborum dotes ilex solo prouocat cocco. Granum hoc, primoque ceu scapum fruticis paruæ aquifoliæ ilicis, cusculium vocant. Pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donat. Est autẽ genus ex eo in Attica ferè, & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideo scolecion vocant, improbantque. Color paludamento imperatorum dicatus. Dioscorides surculosum fruticem coccum afferre dixit, quo infectores vtuntur. Est apud nos ilex magna, folio aculeato, prægrandi, quam describit Theophrastus, sed coccum ferre non vidimus. In montosis verò Hispaniæ, & sterilibus locis paruas ilices conspeximus, exiguis, densis, crispisq; foliis, angulosis, rigidisque spinulis armatis, horridiore aspectu. Flore muscoso, herbaceo, quem Martio ostendit. Coccum ferunt, non semen, aut fructum, sed excrementum nobile, & visendum, intus sanguineo & miniato cruore scatens, admirandum solertis naturæ opus.

Cœlum. Montibus lætari, & in planis non nasci scripsit Theophrastus. Dioscorides optimum in Galatia, & Armenia, deinde Asia, & Cilicia, vltimum ex omnibus Hispanicum. Plinius ab eo. Coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Lusitaniæ in maxima laude est. Gignitur & in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia, pessimum in Sardinia.

Materies. Ilex medullam magnam, & perspicuam habet, corno duriorem, spissioremque, qua valuatum sumptuosarum cardines facere solent artifices, faciundosque architecti præcipiunt medulla, quam cor nonnulli vocitant. Honos ilici ad axes plaustrorum, & iuga lyrarum, psalteriorumque. In ignariis terebrum ex ilice fieri solet, quod pati pertinacius esse debet. A quo Plinius. Secatur in laminas prætenues ilex, colore quoque non ingrata, sed maximè fida iis, quæ teruntur, vt rotarum axibus, ad quos duritia vtilis. Terebris vaginas vtilissimas fieri tradunt, ex eadem malleos. Hyginius. Manubria rusticis iligna. Tota ossea est ilex, eadem & sine medulla.

De su-

De subere. CAP. III.

SVBER etiam glandifera arbor, & perpetuæ frondis, & si Theophrastus (textus lapsu vt spero) deciduæ dicat. Pausanias in Arcadicis, vnum ex tribus glandiferarum arborum generibus dixit.

Græcis φελλὸς est. Iones, reliquique & Hermesinax elogus Poëta φελλὸν & ipsum corticem nominant. Vocant & ἴφλον à cortice, quasi aquis immersabilis, & altipedus. Latinis suber. Italis *sovero*. *Nomen.*

Arbor suber, vt à Theophrasto describitur, est admodũ procera, auctu insignis, parum ramigera, ligno robusto, cortice præcrasso, & in senectute aspero, vt in picea disrumpi solito, verùm prægrandioribus segmentis, folio fraxini longiore, crassiorique, deciduo, glande aquifoliæ. Corticem detrahere oportet, ne deterior fiat arbor, qui triennio pòst subnascitur. Cortice in orbem detracto, omnis arbor interit, excepto subere, quæ sic etiam iuuatur, tam externo, quàm interno carni propinquo. Tardissimo ferè omnium germine. Plinius ab eo. Suberi minima arbos. Glans pessima & rara, cortex tantum in fructu præcrassus, atque renascens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus. Vsus eius anchoralibus maximè nauium, piscantiumque tragulis, & cadorum obturamentis: præterea in hyberno fœminarum calceatu. Quamobrem eas nõ infacetè Græci corticis arborem appellant. Cortice carnoso. Cortice in orbem detracto necantur arbores, excepto subere, quod sic etiam iuuatur: crassescens enim præstringit, & strangulat. Folio indeciduo. Tardissimo germine. Ex eius glande fungosam suum carnem fieri. *Descriptio.*

Arbor suber Pyrrheni familiaris ex Theophrasto. Pausanias in Arcadicis nasci ait syluis. Plinius nec in Italia, nec in Gallia nasci ait. Nos in Campania vidimus, & qua itur Romam via, in syluis copiosissimam. *Calum.*

Lignum, ex Theophrasto, rigidum est. Simulachra diis ex subere primùm factitata sunt, sed successit in eius locum palma. Columella. Si regio suberis ferax est, fabricanda apibus aluearia ex eius corticibus, quia nec hyeme rigent, nec candent æstate. Pausanias scribit in Arcadicis suberem tam exucco, & leui cortice esse, vt ex eo anchorarum in mari indices, & fundarum faciant. Plinius. In subere tempestiuè cæso euenit, vt neq; pandatur, neque vieatur, aliâs obnoxium, etiam vt torqueat sese, findatque. In aquis non fluitat lignum, si dematur cortex. Tardissimè vetustatem, cariemque sentit, aut saltem ex reliquis tardissimè. Sunt qui fœminam ilicem vocent, atque vbi non nascitur ilex, pro ea subere vtantur, in carpentariis præcipuè fabricis, vt circa Elin, & Lacedæmonem. Sed falsò hæc verba Plinius suberi tradit, quæ Theophrastus phellodri tribuerat, vt inferius videbimus. Vitruuius de eius materie. Suber pariter habet mixtionem humoris, & ignis, & terreni, aëris plurimum, peruia raritate humores penitus recipiendo, celeriter mucescit. Ex suberis natura, quòd in aqua non sidit, sed aliis alligatur, ne submergi possit, tractum est *Materies.*

vulgare adagium, vt apud Pindarum, ὡς φέλλος, id est tanquam suber, de his, qui dissimulare, aut mergi aduersis fortunæ procellis nesciunt.

De suberiquercu. CAP. IIII.

DIXIMVS de subere, dicturi de quercu, dicemus nunc de suberiquercu, quæ ex vtraque componitur arbore. nam vt nomen, sic ab vtroque parente imaginem refert.

Nomen. Theophrastus φελλόδρυν appellat, ex nomine φέλλος id est suber, & δρῦς quercus, quasi Latinè suberiquercum dicas. Arcadibus etiam smilax dicitur eodem authore. Itali etiam Græcos imitati, *Cerrosonaro* vocant.

Descriptio. Ita phellodris à Theophrasto describitur. Arbor ilici similis, folio nō aculeato, molli, profundo, differentiis pluribus distincto. Materie soluta, tenera, mediæ naturæ inter robur, & ilicem. Sunt qui aliud negent esse quàm ilicem fœminam, vt ilex vbi desit, vtantur hac in carpentariis præcipuè fabricis, quod Lacedæmone faciunt, & Elide. Dores agrestem eam appellant. Lignum eius quàm ilicis candidius, & fuluius, quàm roboris. Materie quoque durior, sed quàm ilicis solutior in opere. Foliū ambobus simile, sed iligno maius, & querno minus. Speciosior medulla, quàm ilicis. Fructus minimis glandibus æqualis, acylon vocant, quemadmodum & roboris. Plinius ab eo. Sunt qui fœminam ilicem vocent, atque vbi non nascitur ilex, pro ea subere vtantur in carpentariis præcipuè fabricis, & circa Elim, & Lacedæmonem.

De quercu. CAP. V.

SEQVVNTVR glandifera, quæ caluitium patiuntur. Plutarchus Cheroneus inter arbores syluestres quercum fructu bellissimā, & fertilissimam dicit. Arborum prima nata dicitur: vnde Arcades cum hac cognationē quandam habere dicti sunt, quoniam omnium primi ex terra homines fuisse perhibentur, immò ante lunam & astra. Statius.

Arcades hinc veteres astris, lunaq; priores,
Agmina fida datis: nemorum vos stirpe rigenti
Fama satos.

Pelasgus vir magnus ac sapiens, primus Arcadas glandium cibum docuit, à quo & ipsa regio Pelasgis dicta est: prius enim herbis ac stirpium frondibus vescebantur, ideoq; βαλανοφάγοι dicti. auctore Pausania in Arcadicis. Plinius, Ciuica corona iligna primo fuit, postea magis placuit ex esculo Ioui sacra. Variatumque & cum quercu est, ac data vbique qua fuerat, custodito tamen honore glandis. Plutarchus in Coriolano, Propterea Ioui sacram quercum dixerunt, quòd ex ea ciuica corona, quæ ei dabatur qui ciuem seruasset, contexeretur. Sed cur ciuicas coronas ex quercu fieri sit institutum à veteribus, plures imaginari possunt causæ. Alij honorem hunc Arcadibus attribuunt, quod eos oracula solita sint ob vetustatis honorem glandifagos appellare. Alij quod

quercus facilem & expeditum cibũ militibus afferat. Alij quòd Ioui sacra sit, in cuius tutela sunt ciuitates: vnde congruebat, vt qui ciuem seruasset, ea fronde coronaretur, quæ ciuitatum omnium tutelari deo dicata esset. Sunt qui tradant plantam omnium primam genitam, & populorum altricẽ fuisse. In nummis antiquorũ multipliciter inscripta apparet, ad has proprietates designandas, quas longũ esset recensere. Fortitudinis, & diuturnitatis, antiquitus symbolum fuit. Mos enim fuit veteribus fortitudinẽ, validasq; vires per quercum significare: viri enim viribus præstantes, robusti à robore nuncupantur. robur verò quercus dicebatur à robo, colore rufo, quòd ea materia plurimas rufas venas habeat. Quercus etiã ea quidem est vis, vt in seros vsq; annos suam diuturnitatem proroget, præcipuè si defossa, vel aquis macerata aliquantisper fuerit: eius enim materia incorrupta in ædificiis diu perennat. Significabant etiam quercus glande obscœnitatem, ob eam scilicet, quam cum pudendi virilis mucrone similitudinem habet, & ob id Arcades, qui βαλανοφάγοι dicebantur, obscœnitate incessebantur. Extat Cynici dictum de hac re, qui interrogatus de puero quodam lasciuo quisnam esset, respondit, Tegeates; ludens ex ambiguo: nam Tegea ciuitas est Arcadiæ, & tegos interdum pro lupanari ponitur. Socrates in deorum sui temporis contumeliam per quercum deierabat, hac ratione, quod deum vnum, qui mundum, cœlumque regeret, esse existimaret, qui ante foret, quàm quercus crearetur, & nasceretur. Fuit & iuxta Dodonam quernum nemus, in quo vocalis quercus responsa de dubiis dabat. Virgilius,

——— atq; habitæ Graiũm oracula quercus.

Palladius ex glandiferis roboribus etiam apes mel conficere scripsit. Plinius stillicidia ponderosa habere. Cassianus, Multum fructũ ferentes quercus longiorem hyemem prænunciant, dixit.

Græcis δρῦς est, sed Theophrasto ἡμερὶς, id est placita dicitur, vt ab Idæis acceperat, Macedones verò eam ἐτυμόδρυν, quasi veram quercum dixerunt. Sic & μώδιον. Nomen δρῦς videtur inditum à δρύω, quasi erumpo, & impello, quod dictum genus celsius & procerius in altum excurrat, vel quod excrementitia quædam adnataque proferat, vt fungos, muscum, vellera, agaricum, & similia. Antiquitus saronos dicebatur, à qua Saronicus sinus, querno nemore redimitus, & Saron in Arcadia nemus trans Ladonem fluuiũ, etsi Pausanias à Sarone, qui post Anthipum regnauit, dictam vult. Latinis quercus. Italis *quercia*. Nomen.

Theophrastus quercum ab hemeri non distinguit, inquiens. Quæ glandem dulcissimam fert alij quercum, alij hemerim vocant. Plinius aliter diuidit. In ipsis verò arboribus, quę maximam glandem fert, hemeris vocatur, breuior, & in orbem comosa, alasq; ramorum crebro cauata. Fortius lignum quercus habet, & incorruptius, ramosa & ipsa, procerior tamẽ, & crassior caudice. Et paulò superius in marem, & fœminã quercum distinxerat, sed in querna glãde: alia dulcior molliorque fœminę, maris spissior. Quæ ex Theophrasto prauè inter- Genera.

pretatus est: nam quam Theophrastus hemerim, nos quercũ quam ipse syluestrem quercum vocat, nos robur, de quo in sequenti. est quercus hemeris, sed nobilior hemeris fagus est, hanc nos mitiorem quercum, & dulcissimam dicimus. Nunc de hemeri quercu, mox syluestri, tandem de fago dicemus.

Descriptio. Ita suam hemerim Theophrastus describit. Neq; recta, neq; læuis, neq; procera est, comatur in orbem, contorqueturq; in alas, crebro ramorum sinu cauata, materies valida, sed infirmior, quàm fago (scilicet Græcorum.) Dulcissima ei glans post fagũ. Fert gallas ad coria vtiles. Fronde decidua, sed in agro Thurio, vbi Sybaris perspicua, quercũ fuisse traditur perpetua fronde, nec vnà cum aliis germinantem, sed post ortum Caniculæ. Radice in profundũ acta. Grandior ætate, fœcundior redditur. Causa est, quòd viribus detractis alimẽti quoque nimia vbertas detrahitur, atq; ita reliquum pabulũ percoqui, dispensariq; facilè potest. A quo Plinius. Maximam glandem fert hemeris, breuior, & in orbem comosa, alasq; ramorum crebrò cauata. Fortius lignum quercus habet, & incorruptius. Ramosa & ipsa, procerior tamen, & crassior caudice. In Thurino agro, vbi Sybaris fuit, ex ipsa vrbe prospiciebatur quercus vna, nunquam folia dimittens, nec ante mediam æstatem germinans. Idq; mirum est, Græcis authoribus proditũ, apud nos postea sileri. Inferiori sui parte fertilior. Radix carnosa, copiosaque, eamq; in profundũ agit. A Vergiliarũ occasu glandiferæ semen reddunt. Diuturnioris vitæ. Iuxta vrbẽ autem quercus in Ilii tumulo tunc satæ dicuntur, quũ cœpit Ilium vocari. In Ponto circa Heracleã aræ sunt Iouis Stratij cognomine, ibiq; quercus duæ ab Hercule satæ. Sed Varro à Theophrasto habet. Item Sybari, qui nunc Thurij dicũtur, quercus simili esse natura, quæ est in oppidi conspectu. Quercus deorsum (de vallibus loquitur) fertiliores, quod Plinius de infera arboris parte protulit. Ipse Italiam querno folio assimilauit: multo proceritate amplior, quàm latitudine in læua se flectens cacumine. Par fuerat vt terra omnium terrarum alumna, eadem & parens, numine deorum electa, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusq; molliret, & tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret, breuiterq; vna cunctarum gentiũ in toto orbe patria fieret, arboris frondem omnium pulcherrimam, & nobilissimam æmularetur.

Cultura. Apuleius humidis locis gaudere ait. Nasci quercus in rubro mari glandiferas tradunt, nasci quoque in alto propiores terræ. Theophrastus prodidit, super lapides atq; testas fictiles sine radicibus, sed patellarum modo adhęrescentes, folio carnoso, crasso, atq; oblongo, miricæ simili, accedentis ad purpuram coloris. Forma ei flexuosa, atq; in latitudinem diffusior, ramis breuibus, contortis, spissis, magnitudo arboris tota paulo sesquipede amplior. Hac mulieribus lanæ tinguntur. Ramis earum annexę pendent conchæ quædam, & cautibus parte ima, vbi millepedes, & aliæ generis eiusdem bestiolæ, quodq; polypi speciem gerit, populantur. Alteram quercũ in mari nascentem refert glandiferam,

feram, cuius fructus sit cõmodus. Item alias magnitudine insignes: sed ea naufragis & vrinantibus comperta sunt. Scribit Athenæus in Lusitania profundo mari quercus esse glandiferas, vnde thunni vescantur, ob id thunnos qui dicant marinos esse porcos, minimè discedunt à vero. Cauchis, circa duos præcipuè lacus, vt Plinius est author, littora ipsa obtinent quercus, maxima auiditate nascendi, suffossæque fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt, atq; ita libratæ stantes nauigant ingentium ramorum armamentis, sæpe territis Romanis classibus, quum velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopesq; remedij illæ, prælium nauale, aduersus arbores inirent.

Solum. Dumosos, glareososq; montes glandẽ postulare retulit Columella. Plinius in plana descendere dixit. Horatius querceta Gargani pluris facit, & sacra scriptura quercus Basan. Glandifera & Arcadia.

Satio. Seritur semine quercus, & deterior euadit. Itaq; quum pleriq; ex iis, quæ in Epyro nascũtur, seuissent, nullo pacto prouenire similis potuit. The. Cassianus Octobri mense omne semen spargi posse admonuit. Virgilius plantis serere docuit.

Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeaq; arbos vmbrosa corona,
Chaoniiq; patris glandes.

In consitione animaduertendum, quod ab aliis adnotatum est. Quercus & olea tam pertinaci odio dissident, vt altera in alterius scrobe depactæ moriatur. Quercus verò & iuxta nucem iuglandem. Ex Plinio. Quercus etiam excisa radices noxias oliueto relinquit, quarũ virus enecat oleam. Ex Columella. Hinc ortum symbolum, vt quum iracundiam, & inexorabilem animi asperitatem sese ad lenitatem dedisse significandum sit, quercus cum olea complicetur: nam quum quercus insignis sit asperitate, atque adeo inimica oleæ, vt iuxta se positam extinguat, & olea pacis, & lenitatis indicium, iis simul complicatis, feritatem mansuetudine delinitam ostendemus. Apud nos transplantata ægrius concipit.

Insitio. Quercus pyros ferre Plinius est author. Sed M. Varro quercum non recipere dixit. Inseritur & in vlmum. Virgilius.

——*glandemq; sues fregere sub vlmis.*

Materies. Carinas naualibus quernas subiici p̃cepit Theophrastus, maximè triremibus: abieti, aut pino ferruminari non potest quercus insociabili natura, quòd hæc spissa corpore sit, illa textu raro. Palladius durabilẽ ait, si terrenis operibus obruatur, & aliquatenus palis. Et de pauimẽtis loquens ait. Axes quernę cũ æsculeis non misceantur: nam quercus humore concepto, quũ se cœperit siccare, torquebitur, & rimas in pauimẽto faciet. Sed si quercu suppetẽte æsculus desit, subtiliter quercus secetur, & trãsuersus, atq; directus duplex ponatur ordo tabularum, clauis frequentibus fixus. Lucinę deæ simulachrũ è quercu factũ prodidit

Eusebius. Vitruuius. Quercus terrenis principiorum ſorietatibus abundans, parumq; habens humoris, & aëris, & ignis, quum in terrenis operibus obruitur, infinitam habet ęternitatem, ex eo, quod quum tangitur humore, non habens foraminum raritates, propter ſpiſsitatem non poteſt in corpore recipere liquorem, ſed fugiens ab humore reſiſtit, & torquetur, & efficit in quibus eſt operibus, ea rimoſa. Heſiodus de materia aratri.

——— dura dentalia quercu.

Nec prętereundum duco Alexandri Macedonis inuentum ſeruandæ niuis, in ſcrobes, vbi ea ſit, coniectis è quercu ramis.

De robore. CAP. VI.

DIXIMVS de quercu, nunc de robore, quaſi de miti ad ſylueſtrem. Sunt enim qui robur & quercum nil differre putent, nos tamen authorum teſtimonio, & experientia quercum domeſticam, robur ſylueſtrem arborem eſſe demonſtrabimus. Columella inter eas differentiam facit. Vacerra, genus clatrorum fabricatur ex robore, quercu, vel ſubere. Et de pedamentis vinearum loquens: Quercus, ſuber, ac ſi qua ſunt ſimilia robora. Plinius. Probatiſſimos fungos quercus producit, robur, cupreſſus, & pinus noxios. Glandē propriè fert robur, quercus, eſculus & ilex. Robur montes, & valles amat, quercus in plana deſcendit. In quercu glans optima, & grandiſſima, in robore parua, & ſuibus caro ex roboris glande fungoſa. Alibi. Vulgò robur, quercum que naſci videmus. Hæc demonſtrant quercū à robore differre. Refert Pamphilus quod ſerpens moritur quercinis foliis iniectis. Fimeta palo roboris adacto fieri iubet Plinius, ita forte ne innaſcantur his ſerpentes.

Nomen. Theophraſtus ἀγρίαν δρῦν vocat. Latini robur, antiqui authores, Feſto Pompeio authore, roboſenum pro robore dicebant, ratione, quod plures rufi coloris venas habeat. Alij à robore, ſeu à diuturnitate dictum malunt. Vulgò *rouece, quercia, ſeluaggia.*

Deſcriptio. Ita deſcribente Theophraſto. Cortice craſſo, carnoſo, & ſcabro, & maximè in ſenecta. Materie carnoſa. Ramos habet incōditos. Medullam nigram præſertim quod nigrum cognominant. Lignum durū, quamobrem flexum non recipit. Folio toto ambitu ſinuoſo. Radicibus multis longisque, quippe ſi locum habeant expeditum, ſubire quantumuis facilè poſſunt, carnoſis, & altis. Alij florere putant, alij negant, ſed muſcum floris loco edi autumant. Fructificant poſt Vergiliarum occaſum. Germinatione terna parturiunt corticemq; inter ſquamas ſpargunt, ac deinde rumpunt, ob id triſlepri, aut triſlipi vocatæ, hoc eſt intermiſſariæ, vel triſquamiæ. Germinationis tempore omnis galla quoque naſcitur tam nigra, quam candida, magna ex parte noctu vniuerſa. Inque diem aucta excepta reſinacea, ſi ab æſtu occupetur, inareſcit, augerique amplius nequit, aliàs amplitudine maiore grandeſceret, qua de cauſa eorum aliquæ non minores fabis euadunt: nigra ſi pluribus diebus vi-

rens,

ter, mali amplitudinem capessit. Robur omnium copiosissimè, præter fructum alia gignit: nempe gallam paruulam, atque alteram resinosam, & nigram, quin & aliud specie veluti morum, sed durum, & fractu admodum difficile. Id tamen rarum. Ad hæc aliud effigiem colis repræsentans. Quum verò perficitur, durum quid parte emicāte, & perforatum, & tauri caput quodammodo æmulans profert, quòd præruptum, nuclei oleæ speciem intus ostendit. Fert & quod quidem pilum appellant. Id pilula est comam gerens lanaceam, mollem, nucleo durior, qua in lucernam luminibus vtuntur. Flagrat enim probè, vt galla nigra. Fert & alteram comigeram pilulam, cæterum quidem inutilem, verno autem tempore succo melligeno inficientem, tum tactu, tum gustatu. Inq; ramorum alis pilulam aliam gignit sine pediculo, concauoq; sessilem, peculiarem certè, versicoloremque. Nam eminentes quosdam vmbilicos candicantes, vel passim variantes nigris maculis habent. Partem mediam grani tinctura infectam, splendidamq; ostendit, aperta, nigra, & putricans cernitur. Lapillum quoq; puniceum magna ex parte gignit, quamquam raro. Item aliam eo rariorem pilulam è foliis conuolutam, compressam atq; oblongam. Super foliis verò tergo adhętentem pilulam fert candidam, aquosam, dum tenera est. hæc enim muscas interdum intus continet, veniensq; ad incrementum iustum, in modum leuis paruulæ gallæ indurescit. Robur, tot præter fructum producit. Fungos omitto, qui è radicibus, & iuxta radices erumpunt, communes enim eos cum cæteris habent arboribus: quinetiam muscū taceo, quippe quum in aliis quoque proueniat, sed nihilominus ferax hæc arbos habetur rerum plurimarum. Sin autem, authore Hesiodo, mella apesq; ferat, magis quoq; illud confirmatur. Ergo nascitur hic melleus humor cœlo cadens, nec aliis magis insidens frondibus. A quo Plinius. Robur folia toto ambitu sinuata habet, emicantia etiam ex caudice ipso. Germinationem intermittit tripartito, ac terna germina edit, ideo & inter squamas corticum spargit, quòd omnibus arboribus in germinatione euenit, quoniam prægnantium rumpitur cortex. Est autem prima earum incipiente vere, circiter x v diebus. Iterū germinant, trāseunte Geminos sole. Sic fit vt prima cacumina impelli sequutis appareat, geniculato incremento. Tertia est earūdem ad solstitium breuissima, nec diutius septenis diebus: clareq; & tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio. Cortice crasso, scabroq;, radicibus carnosis, eisq; in profundum actis, maximis, spatiosisq;. Tota ossea. Galla deterrima ex robore: signum eius quòd cauernæ translucent. Robur præter fructum plurima & alia gignit: namq; fert & gallæ vtrumq; genus, & quædam veluti mora, ni distarent arida duritia, plerunq; tauri caput imitantia, quibus fructus inest nucleis oliuæ similis. Nascuntur in eo & pilulæ, nucibus non absimiles, intus habentes flocculos molles, lucernarum luminibus aptos: nam & sine oleo flagrant, sicuti galla nigra. Fert & aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore melligeni succi. Gignunt & alæ ramorum eius

pilulas corpori non pediculo adhærentes, candicantes vmbilicis. Cætera nigra varietate dispersa. Media cocci colorem habent. Apertis amara inanitas est. Aliquando & pumices gignit, nec non & è foliis conuolutas pilulas, & in folio rubente aquosos nucleos candicantes, & translucidos, quamdiu molles sint, in quibus & culices nascuntur, indurescunt in modú gallæ. Ferunt robora & cachryn, ita vocatur pilula in medicina vrēdi vim habens. Gignitur postquam decidere folia, hyeme durans. Continet nucleum pineis similem. Is crescit hyeme, aperitur vere pilula tota, cadit quum folia cœperint crescere. Tam multifera sunt, & tot res præter glandem pariunt robora. Sed & boletos, suillosq;, gulæ nouissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur. Robora ferunt & viscum, & mella, vt author est Hesiodus. Constantq; rores melleos è cœlo, vt diximus, cadentes, non aliis magis insidere frondibus. Galliarū glandiferæ maximè arbores agaricum ferunt. Est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens. Signum hoc eius, quo in tenebris decerpitur. Virgilius ad mel alludit in Pollione.

Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Sed nos quam robur vocamus, in syluis passim spectatur, folio latebrarum anfractibus sinuosissimo, paruo, duroq;, glande exigua, aspera, & ingustabili, materie durissima.

Solum. Solum profundum quærit, quia radice omnium altissima insidet; durum, & montanum, vel montano proximum, sed solutum, humectum, & sabulosum respuit.

Cœlum. Circæum, quod vocant excelsum, promontorium tradit frequentissimum roborum Theophrastus. Montes & valles diligere dixit Plinius. Locis frigidis, septentrioni obiectis, & apricis passim vbiq; vidimus.

Satio. De robore diuersam sententiam esse scribit Theophrastus: quidam enim ex semine tantum eam produci statuunt, alii ex radice quoq;, sed lentè, nonnulli etiam ipso caudice detruncato. Auulsione & radice, nihil ex his, quæ ab imis plantigera non sint, exoriri posse arbitrantur.

Insitio. Robur insitionum omnium capacissimam dixit Plinius, verùm corrumpit saporem. Nos castaneam recipere vidimus.

Materies. Robur durum simul, & ponderosum est. Antequam terebrent madefaciunt, quò scilicet mollius reddant. Natura perpetua, æternaq;, sed defossum, atq; in aquis demersum: putredine quippe immune hoc omnino videtur: ob id fluuiis, lacubusq; naues hac etiam materie condunt, sed mari putrescit, quáquam reliquæ magis durare valeant, quod quidem & ratio vult, vtpote quum sale maceratæ, conditæq; sint. In opere difficillima, quòd crispa sit, nodosa, circumuolutionibus perplexa. Medulla spissa eius, quod atrum cognominăt. Ponderi nil cedit, vt reliquæ terrenæ, sed renititur: argumentum quod nunquam rumpitur, sed prius quàm viribus carie, aliasve deficiunt. Tam nauibus, quàm domibus commodum, nec non & in terra obrutum durat. Carbones è robore

è robore nouello & annoso damnant, media ætas in pretio est. Carbones optimos spississimæ materies faciunt, vt aria, robur, arbutus: solidissimos enim ita, vt diuturniores, efficacioresq; sint, qua de causa in metallis argenteis hisce ad decoctionem primam vtuntur, sed deterrimi inter eos roboris, quòd terrestriores. Tardissimè cæditur, hyeme ineunte, ante quàm turget: tempestiuè cæsum, neque cariem sentit, sed prædurum ad cornus similitudinem spissatum edurat, totum enim cordis specimen præfert. Serissimè ergò cæditur, videlicet hyeme post autumnū: quòd si sub turgore cædatur, citissimè omniū fere cōputrescit, seu cū cortice, seu sine cortice capiatur, potissimùm, quæ primo turgore, proxima quæ secūdo, tertia quæ tertio. Quæ autē post fructuum maturitatē cæduntur, quāuis non turgida sint, incorrupta perdurant, præterquam quod sub cortice vermiculi quidam nascentes, caudicem per summa inscribunt, quibus signis pro sigillis nonnulli vtuntur. Non desunt, qui tempestiuū putant vere, quum amentum, id est, cachryn suam gerit. A quo Plinius. Robori tanta duritia est, vt terebrari nisi madefactum non queat, & ne sic quidem adactus auelli clauus. Robori exalburnato nigricans color. Robur sub pōdere incuruatur, ceditq; ponderi. Viride serris cedit, aridum enim pertinacius resistit, serrarūq; dētes replet æqualitate inerti, qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem. Glutinum abdicat, & inter se, & cum aliis insociabile glutino. Vere cæsum teredinem sentit, bruma autem neq; vieatur, neque pandatur, alias obnoxium, etiam vt torqueat sese, findatq;. Cariem vetustatemq; tardissimè sentit, defossum diuturnius, sed marina aqua corrumpitur. Apud nos robur quia neruosum, & densum est, pro columnis validissimè constituimus. Supra terram inconstans, contorquens sese, & rimosum fit, dulcibus aquis demersum nulla marcoris tabe cōficitur, sed mari maceratum, conditumque putret, quasi dulcibus gaudeat, & salsas horreat aquas: nisi sal humida, non sicca à corruptionis vitio vindicet.

De Fago. CAP. VII.

DVo sunt glandiferi fagi genera, vnum à Græcis, alterum à Latinis descriptum, quæ etsi glandiferis annumeretur, fructū nil glandibus similem habet, de qua posterius dicemus, nunc de Græcorum fago quercui simillima, nec aliud differt, nisi quòd rotundam, & dulcissimam glandem affert. Pausanias in Arcadicis inter diuersa quercuum genera fagum annumerat.

Græcis φηγὸς dicitur, vt M. Varro libro de gente Romana existimauit, Sosipatro referente. Seruius ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quod est comedere, dici voluit, loco enim φ Græci, prisci Latini f ponebant. Latinis fagus, Neapolitanis *quercia castagnara*, quod castanearum saporem æmuletur. Nomen.

Masculini & fœminini generis meminit Theophrastus. Peculiare fago, & haliphlæo, quòd ambabus in genere dicto virili glādes parte postrema vtrinq; lapidescunt. Est & syluestris, & vrbana, est & quæ glandem amaram ferat. Genera.

Vrbana fagus ligno læuiore constat. Peculiare, quòd in genere virili Descr

glandes postrema parte lapidescũt vtrinq;, aliis in putamine, aliis in carne ipsa, ideoq; detractis lapillis, concaua perinde atque in animalibus relinquuntur. Materie robustissima, putrediniq; nulli obnoxia, sed nec ipsa recta, quamquam minus torta, quàm quercus, caudice verò crassissimo constat, vt tota quoq; breuis specie reddatur. Nam eius etiam corpus in orbem comosum, minimeq; erectum est. Glande rotũda. Germinat paulò ante æquinoctium. Auctu facillima. Syluestris dulcissimum fert glandem, ligno plus scabro. Apud nos in triuiis, & syluis cuiq; obuia, nec ab aliis, nisi rotunda, & dulcissima glãde cognoscitur, cruda, tosta, elixaq; satis commodè editur, vt castaneæ videantur.

Calum. Vrbana in cultis prouenit, syluestris montibus nascens.

De Cerro. Cap. VIII.

IDÆI, & Macedones, vt Theophrastus refert, cerrum roboris speciem faciunt. Plinius è glandiferis propriè dixit.

Nomen. Græcis αἰγίλωψ, vt & Latinis ægilops, & cerrus Plinio. Italis *cerro*.

Descriptio. Cerrus ægilops rectissima, excelsissima, læuissimaq;, ligno per longitudinem robustissimo. Panum sola fert, longitudine cubitali, branchiarum similitudine, canum, muscosum, ceu villum lintei prolixum. Nascitur è cortice non surculo, vnde glans, nec ex gemma, sed à supernorum nodorum latere. Cerrus ἄσπρις, vt Macedones putant, aut sterilis, aut adeò improba glande, vt nullum animal, præter suillum genus ea vescatur, quòd ingustabilis sit, ac ne suibus quidem, si pabulum aliud nanciscantur, eaq; caput tentat mandentium. Hæc Theophrastus. A quo Plinius. Cerrus propriè fert glandem, sed tristem, & horridam, echinato calyce ceu castaneæ. Excelsissima ægilops, sola è glandiferis fert panos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modo, verùm & è ramis dependentes cubitali magnitudine, odoratos inter vnguenta. Cerream glandem proximam quernæ tradit Nigidius, nec ex alia solidiorem carnem, sed duram. Apud nos cerrus procera admodum exurgit, recta, minusq; ramosa. Calyce glandis echinato, carne intus amarissima, quæ à suibus gustata, respuitur, nec nisi in caritate annonæ caducam depascũtur. Abdicata quoque fabricis, vt quæ flexu, fractuq; inauspicata, in terris autem recipitur. Est altera species cuius glandes prægrandes habent calyces echinatos, ambitu spinis prædito sibi incumbentibus, magnitudinem ferè echini marini æmulatur.

Solum. Nunquam in cultis, aut raro nasci scripsit Theophrastus. Incultis amica. Plinius. Apud nos quibuscunq; locis obuia, & vulgaris.

Materies. Cerri materies elaborata ædibus construendis inauspicata, quòd facillimè rupta fatiscat, eaq; fultæ domus facilè ruinam sentiunt, casumq; citò minantur, ob id rudi & indolata ad intestinum opus, & vtensilia vtuntur. Damnata etiam in carbone, quoniam exiliat, & scintillas eiaculetur: ærariorum tantum officinis compendio, quia flatu desinente protinus emoritur, parumque absumptus, tardè recidit in fauillam. Ab eo Plinius. Minus vtilis ædificiis; at

quæ

quæ carbone dotata, vitiis obnoxia est. Quamobrem solido vtuntur carbone, ærariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu, protinus emoriens sæpius recoquitur. Cætero plurimis scintillis. Hyginius manubria rusticis cerrea. Celerrime marcescẽs. Vitruuius, Cerrus pariter habet mistionem humoris, & ignis, & terreni, aëris plurimum, peruia raritate humores penitus recipiendo celeriter marcescit.

De Esculo. Cap. IX.

Macrobius inter felices arbores esculum adducit. Ciuica corona iligna primò fuit, postea magis placuit ex esculo, Ioui sacra: dixit Plinius. Eius fructu primæ ætatis homines vescebantur, & ab esca nomen traxisse volunt, quòd ante cerealem frugem, & vsum frumenti, mortalibus arbos victum subministrabat. Et ob id Ioui sacram dicebant. Ouidius,

Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Theophrastus πλατύφυλλον vocat, Theodorus latifoliam vertit, quoniam inter glandiferas arbores folii latitudine præstet. Latini esculum vocant. Seruius ab esu dictam vult, etsi obtinuerit vsus, vt per æ diphthongum scriberetur. Neapoli vulgò *eschia.* **Nomen.**

Proximè ab ægilope latifolia rectissima, excelsissimaq; post haliphlæum, ædificiis verò deterrima. Carbone inutilis, quin & maximè post illam putrescit. In glandium censu tertia latifoliæ. Galla eius haud absimilis quernæ, nisi quòd leuior, sed ad rem nullam vtilis. Fert & alteram nigram, qua lanæ inficiuntur. Macedones esculum amaram glandem ferre inquiũt. Plinius ab Theophrasto. Glandem propriè fert, post quercum optimam. Fungosam carnem fieri ex esculo tradit Nigidius. Minus vtilis est ædificiis, at quæ carbone dotata, vitiis obnoxia est, quamobrem solido vtuntur carbone, ærariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu, protinus emoriens sæpius recoquitur, cætero plurimis scintillis. Galla similis quernæ sed leuior, multoq; minus probata. Fert & nigram: duo enim genera sunt, hæc tingendis vtilior. Radices in profundum agit. Si Virgilio quidem credimus, esculus quantũ corpore eminet, tantum radice descendit. Autumno reddit semen. Virgilius, **Descriptio.**

Esculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neq; imbres
Conuellunt: immota manet, multosq; per annos
Multa virum voluens durando sæcula vincit.

Gallam habet esculus cæteris longiorem, lineis quibusdam per longitudinem ductis. Cadit Octobris medietate. Suum carnem grauem facit. Omniũ maximè viuens putrescit, & concauatur.

Nullum terræ delectum habet, sed in quacunq; seri posse, dixit Plinius. **Solum.**
Incultis amica. **Cælum.**

Satio. Plinius nasci è balano dixit, sed non nisi esculi: scrobe dodrantali, interuallis duorum pedum seritur leuiter quater anno. Nimis morosa nasci. Virg.

Pars autem posito surgunt de semine, vt alta
Castanea, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Æsculus, atq; habitæ Graiis oracula quercus.

Materies. Esculus cæsura triennio serior, nimis morosa nasci. Hoc pedamentum minimè putrescit, lætumq; maximè fruticat. Humoris impatiens. Hæc Plinius. Sed Vitruuius. Esculus verò quod est omnibus principiis tẽperata, habet in ædificiis magnas vtilitates, sed ea quum in humore collocatur, recipiens penitus per foramina liquorem, eiecto aëre & igni, operatione humidæ potestatis vitiatur. Palladius in fundamentis sine vitio durare dixit.

De Haliphlœo. CAP. X.

INTER quina roboris genera haliphlœum annumerant Idæi, authore Theophrasto.

Nomen. Cui ἁλίφλοιος, & εὐθύφλοιος dicitur. ἁλίφλοιος ab ἅλις & φλοιός, quasi crassicorticem dicas. Theodorus salsicorticem vertit. & εὐθύφλοιος quasi recticorticem. Latinis, vt Plinio, haliphlœos dicitur.

Genera. Duo videtur habere genera ex Theophrasto, quum dicat, quòd ambo, id est, fagus, & salsicortex in genere virili glandes postrema parte vtrinq; lapidescunt, aliis in putamine, aliis in carne ipsa, ideoq; detractis lapillis, concaua perinde, atq; in animalibus relinquuntur.

Descriptio. Theophrastus ita describit. Crassissimus huic caudex, & plerunq; cauus, aut fistulosus magna ex parte cernitur. Ædificiis damnatur, breui putrefit, quod ex arboris natura euenit, concaua inanisq; redditur. Sunt qui corde hãc volunt carere. Fulmine frequenter icitur, quamuis altitudine non excellat, adeò neq; ad sacrificia vti fas erat apud Æoles. Panum etiam producit, sed nigricans, pusillumque, ideo in glandium censu quartum ei gradum tribuunt. In genere virili postrema parte lapidescit, vt diximus. Materies ædificiis inutilis, nec non carboni. Item ad axes, & ad eiusmodi similia vtilis est. A quo Plinius. Pessima & carboni, & materiæ haliphlœos, cui crassissimus cortex, atq; caudex, & plerunque cauus fungosusque, nec alia putrescit ex hoc genere, quum viuit. quin & fulmine sæpissime icitur, quamuis altitudine non excellat, ideo ligno eius nec ad sacrificia vti fas habetur. Eidem raro glans, & quum tulit amara, quam præter sues nullum attingat animal, ac ne eæ quidem, si aliud pabulum habeant. Sed postrema verba; Glans rara, & quum tulit amara, quam præter sues nullum animal attingat, & ne eæ quidem si aliud pabulum habeant, non rectè Plinius haliphlœo asscribit, quæ Theophrastus aspridi, id est, Macedonicæ cerro tribuerat.

Materies. Cæditur eo tempore, quo robur, id est, hyeme post autumnum, ex Theophrasto.

De Farno. Cap. XI.

EST & aliud glandiferæ arboris genus, farnum vocant, cuius Latini non meminere, quod ſciam.

Latini farnus, Itali *farno*, Neapolitani *fargna*. Nomen.

Arbor breuis, & in orbem comoſa, ramorum alis crebro caua, glandem maximam, & dulciſſimam affert, omnium glandiferarum præcociſſimam. Initio Octobris cadit. Suum carnem pinguem, & leuem reddit. quum ipſa cadere deſiit, aliæ incipiunt. Folio maiori, quàm quercus, ſed cacumine retuſiori, nec tam profundioribus crenis cauo. Trunco aſpero, & hiulco. Glandes multas, & ſimul congeſtas affert. Sciditur in laminas ad tectorum & tuguriorum operimenta. Altera eius ſpecies ſerior eſt, nam quum aliæ ceſſant, ipſa parere incipit. Vocant *verdeſca*. Glans mediocriter magna, & dulcis. Deſcriptio.

De Latinorum fago, ſiue Theophraſti oxy. Cap. XII.

INTER glandiferas arbores Latinorum fagus annumeratur, & ſi eius fructus parum, aut nil glandi ſimilis ſit, vt inter cognatas potius, quàm eiuſdē generis arbores connumeretur. Plinius. Syluarum certè diſtinguebatur inſignibus, Fagutali Ioui etiam nunc, vbi lucus fageus fuit. Plutarchus in Sympoſio ait. Vipera fagi ramulo tacta, confeſtim obſtupeſcit. Macrobius inter felices arbores fagum annumerat.

Theophraſto ὀξύνη, vel ὀξύη dicitur. Lydis χαύοι. Theodorus ſciſſimam vertit, quaſi in laminas ſectilem. Latini fagum vocant. Itali *fagio*.

Sciſſima nullas penitus differentias habet, ſed genere ſimplex. Plinius cādidam notauit, & rufam, & pro generum differentia folia longiora, breuioraq;. Genera.

Surgit arbos recta, læuis, & enodis, proceritate craſſitudineque ferè par abieti, & in cæteris non abſimilis. Materie colorata, robuſta, neruoſa, cortice læui. Folio craſſo bifido, longiore quàm pyro, per extrema aculeato. Fructus glandea effigie, læuis, includitur caliculo echinato quidem, ſed placido, & blando, nec vt caſtanea hiſpido, ſimilis tamen illi dulcedine & ſucco. Radices nec multas, nec altas agit, ſed ſummotenus ſparſas. Naſcitur in montibus candida materie, quæ ad multa perutilis eſt, quippe ad carpentaria, lectos, ſubſellia, menſas, & nauigia. Campeſtris nigra, ad hæc minus expetita. Fructus vtrique ſimilis. Macedones ſylueſtrem ſciſſimam non florere exiſtimant. Plinius de ſua fago hæc habet. Fagi glans nucleis ſimilis, triangula cute includitur. Folium tenue, ac leuiſſimum, populo ſimile, celerrime flaueſcens, & media parte plerunq; gignens ſupernè paruulam baccā viridem, cacumine aculeatam. Fagi glans muribus gratiſſima eſt, & ideo animalis eius vnà prouentus, glires quoq; ſaginat. Expetitur & turdis. Arborum fertilitas omnium ferè alternat, ſed maximè fagi. Glans fagea ſuem hilarem facit, carnem coquibilem ac leuem, & vtilem ſtomacho. Glans dulciſſima omnium fagi, vt qua Deſcriptio.

obſeſſos etiam homines duraſſe in oppido Chio, tradat Cornelius Alexander. Apud nos viſendæ magnitudinis exurgit arbor, fronde alni, glande triquetra, puſilla, acuminata, vnde ὀξύα Theophraſto nominata videtur. Flore ex pluribus foliolis conglobato, herbacei coloris, longiuſculo. Ligno quàm robur minus robuſto, compactoque, cuius nucleus pro eſca, & oleoſo condimento à pauperibus expetitur.

Locus. Lydi in ſuo monte Olympo copioſum habent, Strabone & Euſtathio authoribus. Prouenire in agro Latino ſolitam author eſt Theophraſtus, tanta longitudine, vt nauibus Hetruſcis pro carina ſatisfaceret. Plinius in plana deſcendere ait. Nos in frigidiſſimis montibus, & conuallibus in Surrentino tractu altiſſima fageta vidimus.

Materies. Humidiſſimam eſſe tradit Theophraſtus, quamobrem è duabus iis lectuli qui fierent, incuruātur cedentes ponderi. Minoribus nauibus cōmendatur ad carinas, itē ad teſtudinē plauſtrorum, vectabulorumq; vilem fabricā. Cædēda materies poſt meſſem, & exitū vindemiarū. In aquis durat incorrupta, madefactaq; firmior redditur. Plinius. Scādulæ è fago, & cortex in magno vſu agreſtiū, vaſa corbesq;, ac patentiora quędam meſſibus conuehendis, vindemiisq; faciunt, atq; prætexta tuguriorum. Scribit in recenti ad duces explorator, incidens literas à ſucco. Nec non in quodam vſu ſacrorū religioſus eſt fagi cortex. Pectines quoq; tranſuerſi in pulpa apud antiquos factitabantur, inde & vaſis honos. In pretio habita eſt ad ſacrificum guttum: Marcus Curius iurauit, ſe ex præda nihil attigiſſe præter guttum faginum, quo ſacrificaret. Lignum in longitudine fluctuatur, at quæ pars fuerit ab radice validius ſidit. Non improbatur & fagus in aqua, hæc quidem in his, quæ defodiuntur, principalis. Facilis & fagus quamquam fragilis, & tenera. Eadem ſectilibus laminis in tenui flexilis, capſisq; ac ſcriniis ſola vtilis. Vitruuius de fago eadem dicit, quæ de cerro, & ſubere ſupra retulimus. Fagus in ſicco vtilis, in humore corrumpitur ex Palladio. Claudianus de vſu in nauibus.

Sic qui vecturus longinqua per æquora merces
Obiectare parat, fagos metitur, & alnos.

Pocula etiam è fago antiquitus fiebant, vt & temporibus noſtris. Virgilius.

——— *Pocula ponam*
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

De Siliqua. CAP. XIII.

IAM ad alteram ſyluæ partem deuentum eſt, ſcilicet pomiferam. Nemora conuenientiſſimum eſſe, tradit Columella, veſtiantur quercu, fago, cerris, ilicibus, oleaſtris, tamaricibus, corylis, pomiferisq; ſylueſtribus, vt ſunt albæ ſpinæ, græcæ ſiliquæ, iuniperus, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus, paliurus, atq; achrades pyri. Vinum ex ea fieri docet Plinius. Nos ab iis incipiemus, quę æterna cęſarie decorantur.

Nomen. Græcis κερωνία eſt, κέρας enim cornu dicitur, κεράτιον cornicula, quod ſiliquæ

quæ ſeu vaginæ cornu formam incuruam arcus inſtar præſeferant. Galenus κερατωνίαν arborẽ, κεράτιον fructũ dicit, & poſt eũ Paulus. Hippocrates ὀπτικέρας, recẽtiores Græci ξυλοκέρατα. Theophraſtus hanc ſiliquam, vt Iones, κερωνίαν nominat, & συκῆν αἰγυπτίαν, ſed errãter, nulla enim in Ægypto, ſed in Syria naſcitur, & in Ionia circa Cnidum Rhodumque. Varro ſiliculam vocat. Columella ſiliquam græcam, & addidit græcam, vt à fœno græco diſtingueret, nam abſolutè ſiliqua dicitur. Plinius ſiliquam, & ſyriacam. Arabes caraba. Ob id Itali ex his nominibus deflectunt eorum vernacula nomina, alij enim *carobole*, Caietæ *ſeleccole*, à ſiliculis.

Theophraſtus ita ſuam Ægyptiam ficum deſcribit. Caudice maxima ex parte ſuum fructum producit, ramis enim paucum fert. Foliis ſemper comantibus, flore candido, & grauiſſimè olente, leniter radice ſublimi, atque omnino plantigera imis partibus, ſuperius tamen ſubareſcens. Fructum anniculum ſimul, & nouum habet, altero nanque detracto poſt Canis ortum, protinus alterum gigni pateſcit: gignitur enim vuæ modo indiſcretus, atque vniformis, auctus circa Arcturum & æquinoctium floret, dehinc hyeme exacta durat vſque ad Canis ortum. Ab eo Plinius. Similis his ſiliqua, quam Iones ceraunian vocant, trunco & ipſa fertilis, ſed pomo ſiliquæ. Ob id quidam Ægyptiam ficum dixere, errore manifeſto. Non enim in Ægypto naſcitur, ſed in Syria, Ioniaque, & circa Gnidum, atque in Rhodo, ſemper comantibus foliis, flore candido cum vehementia odoris, plantigera imis partibus, & ideo ſuperficie flaueſcens, ſuccum auferente ſobole. Pomo antecedentis anni circa Canis ortum detracto, ſtatim alterum parit, poſtea florem per Arcturum hyeme fœtus enutriente. Alibi verò de vulgari noſtra ſiliqua loquens, oblitus eorum quæ ſcripſerat: Alia ſiliquis gignuntur ipſis dulcibus, ſemenque cõplexis amarum, quum in pluribus ſemina placeant, in ſiliqua damnentur. In ſiliquis quod manditur, quid niſi lignum eſt? Non omittenda ſeminis earum proprietate: nam neque corpus, nec lignum, nec cartilago dici poteſt, neque aliud nomen inueniat. Haud procul à caſtaneis abeſſe videantur & prædulces ſiliquæ, niſi quod in iis cortex ipſe manditur. Digitorum hominis longitudo illis & interim falcata, pollicari latitudine. Strabo de arboribus Indiæ loquens ex Ariſtoboli authoritate, dicit arborem eſſe non magnam, neque magnas ſiliquas habentem, vt faba, denorum digitorum longitudine, mellis plenas, quas qui ederint, non facile euadant. Arbor apud nos procera exurgit, ramis in latitudinem potius, quàm in longitudinem diffuſis, corticis colore albo fuſco, folio fraxini duriore, rariore, ac magis circinato. Frondes enim pari interuallo exoriuntur, ternæ aut quaternæ, quæ in cacumine eſt, parem numerum conturbat, pediculo palmari longitudine, flore ſurculoſo, floret æſtate vſque ad hyemem, vel appetente vere: fructificat æſtate, vel autumno ex trunco à radicibus paulò diſtanti: truncus ſiliquis totus operitur, ſic & maiores rami, minores parum, aut nihil. Radice ſublimi, vt vento ſæpius deturbetur.

Deſcriptio.

Cœlum. Palladius loca maritima, calida, sicca, & cāpestria amare dixit, tamē, vt ipse expertus est, in locis calidis fœcundior fiet, si adiuuetur humore. Caietę maximè pubet, & in Surrētino tractu. In frigidissimis nō viuit, in frigidis vsq; ad florem.

Solum. Siccum solum amare nobis videtur, & callosum.

Satio. Columella ab idibus Februarij vsq; in æquinoctiū vernum rectè seri putat. Plinius: siliquas Græcas per autumnum ante brumam. Palladius, Februario & Nouembri semine, & plātis, & si adiuuetur humore, potest & taleis poni. Scrobem desiderat largiorem. Beritius vt oleæ plantat, humidis tamen locis à nona Calendarum Ianuarij die, vsque ad quartam Calendarum Februarij.

Insitio. Palladius inseri posse mense Februario credit in pruno, vel amygdalo, & omnes fructus recipere posse. In versibus.

Assuescunt siliquæ viridi mollescere succo,
Et gremio pascunt cætera poma suo.

Nos supra terebinthum inseruimus, & optimè apprehendit, & profecit.

Cōditura. Siliquæ seruantur diutissimè: si extendantur in cratibus, ex Palladio.

De Arbuto. CAP. XIIII.

PVBET etiam in syluis æterna fronde arbutus. Virgilius in syluis nasci testatur:

—— cum iam glandes, atque arbuta sacræ
Deficerent syluæ.

In Ecloga. *Dant arbuta syluæ.*

Est & arbor hœdis fronde expetita, vt idem.

Dulce satis humor, depulsis arbutus herbis.

Fructu etiam delectantur merulæ, turdi, aliæq; aues, vbi fructus hyeme maturi sunt, & alij desunt, vnde visco, retibus, aliisve decipulis capiuntur.

Nomen. A Theophrasto κόμαρος dicitur arbutus, & μηλεία, & fruct⁹ οἴναρος. Immò sunt, qui diuersum esse dicant apud Theophrastū vnedonem & arbutum. Inquit in primo. Defluo cortice sunt vnedo, & arbutus. Plinius id considerans ait. Duobus nominibus vocant Græci, comaron & memecylon, ex quo apparet totidem esse genera & apud nos: alio nomine arbutus vocatur. Et alibi. Arbutus, siue vnedo. Dioscoridi arbos κόμαρος, fructus verò μιμαίκυλος dicitur. Galenus verò & Paulus fructum epimelidis vnedonem vocant, non arbuti, quasi mespili, nam Dioscoridis ἐπιμηλὶς mespili genus dicitur. Is nanq; sexto simplicium plantarum, ἐπιμηλὶς, inquit, acerba planta est, vt dicere possis, syluestris malus: appellatur autem à multis in Italia οὐνεδὼν, cuius fructus acerbus. Vnde vnedo fructus epimelidis, memecylon arbuti. Inde secundo de alimentis, comaron vocat, cuius fructus memecylon. Plinius quatuor nominibus vocat, comaron, arbutum, vnedonem, & memecylon. Virgilius arbutū pro fructu neutro genere dicit, arborem fœminino. Horatius fructum fœminino. Virgilius.

—— dant arbuta syluæ,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus vmbra.

Hora-

Horatius. *Impunè tutum per nemus arbutos*
Quærunt latentes.

Pamphilus apomelida pyri genus arbitratur, quod amamelida quidam vocant, alij omomelida, frequentem in Ionia, & biferam, fructu pyri, sed sui generis, omnino prædulci, & sine nucleis, ac prælato pyris. Hipomelides, siue epimelides, vt Martialis asserit, poma fert sorbo similia, mediocri arbore nascẽtia, flore cãdidulo: sapor ex acri dulcis, ita vt fructui insit dulcedo cum acrimonia commista. Latini arbutum, & vnedonem vocant. Itali *corbezolo*, Neapolitani *sorbo peloso*.

Ita describit Theophrastus. Arbor magnitudine nõ nimium præstat, corticem tenuem tamarici similem habet, folium inter ilicem, & laurum. Floret mense Iulio. Flores singulari appendice parte postrema racematim cohærent, similes baccis longioribus myrti, non foliati, sed concaui, ceu ouum pertuso vertice, quũ deflorescit, parte, qua sunt annexi, perforantur, & quod defloruerit in pediculum relabendo, verticilli instar circa fusum tenue apparet. Fructus anno integro maturescit, vt simul hunc haberi, atque alterum flore sponderi contingat. Folia inferiora dimittit, cacumine perpetuò viret, ramisq; præpostero assiduè gignit. Quia fructus humidus, ideo frigoris excessu concoqui non potest. Dioscorides. Arbor cotoneæ malo non dissimilis, tenui folio, cuius fructus pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo. Maturus autem flauet, aut rubescit, in esu acetosus. Virgilius hyeme suos fructus maturare dixit. Descriptio.

Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
Glande sues læti redeunt, dant arbuta syluæ.

Plinius. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum vnedoni, quod solum pomũ simile fructui terræ gignitur. Arbor ipsa fruticesa. Fructus anno maturescit, pariterq; floret subnascens, & prior coquitur. Pomum inhonorum, vt cui nomẽ ex argumento sit vnum tantum edendi. Iuba author est, quinquagenûm cubitorum altitudine in Arabia esse. Cortex ei cadit. Ouidius fructus ruboris meminit.

——— *pomoq; onerata rubenti*
Arbutus.

Apud nos hyeme fructu superbit, coccineo aspectu micanti, numeroso, cæteris arboribus tunc suis priuatis, acetosis conflato partibus, ac guttur exasperantibus, alioquin alio tempore respueretur: flore luteolo.

Mas sit an fœmina sterilis inter authores non conuenit, inquit Plinius. Genera.

Frigori resistere posse dixit Theophrastus. In Arabia Plinius nasci dixit. Palladius amare loca tepida, aprica, maritima, & statum rigidum reformidare. Æschyllides in Ceo insula prouenire fructus, quos vocant amamalidas, sine nucleo, grati saporis. Sed terram qualemcunque non respuere. Cælum. Solum.

Palladius ex Martiale mẽse Decembri seri nucleis in vasculis positis. Mense autẽ Februario hypomelidis plãta, sed pollicis magnitudine robusta trãsfertur

breuissimo scrobe, soluta terra, plurimo stercore. Sed munienda est, quia cito arescit, si radices eius ventus afflauerit. Apud nos in syluis nascuntur, hominum artem & opera aspernantur, solo naturæ genio contentæ, quas si colueris deteriores euadunt, & interdum moriuntur. Arbutus, ex Propertio, laborem omnem veretur.

Aspice quos summittat humus formosa colores,
Et veniant hederæ sponte sua melius:
Surgat & in solis formosius arbutus antris.

Insitio. Inseri non posse dixit Palladius. Sed in versibus de nuce idem sic scribit.

Arbuteas frondes vasta nucis occupat vmbra,
Pomaq; sub duplici cortice tuta refert.
Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida.

Idem confirmauit Diophanes inquiens: Nux in arbutum solum inseritur.

Materies. Carbones optimos spississimæ materies faciunt, vt arbutus, ita vt diuturniores, efficacioresque sint. Qua de causa in metallis argenteis hisce ad decoctionem primam vtuntur.

Condimentum. Poma eius aut in picatis, & munitis vrceolis, aut scobe populi, aut in ollis inter vuas vinaceis obruta seruabuntur. Ex Palladio.

De Loto arbore. CAP. XV.

QVONIAM & in syluis lotus arbor, Columellæ authoritate pubet, nos & de ea inter syluestres bacciferas arbores conscribemus. A Macrobio inter felices arbores numerata est. Ferunt nympham sui nominis in hanc arborem conuersam, quam Priapus fugientem comprimere conquisisset, nomen dedisse. Ouidius.

Haud procul à stagno Tyrios imitata colores,
In spem baccarum florebat aquatica lotos,
Lotus in hanc nymphe fugiens obscœna Priapi,
Contulerat versos seruato nomine vultus.

Loti arboris fructus Homerus, princeps vatum, suis carminibus nobilitauit, quum missis exploratoribus, qui incolas eius terræ discerent, reditu illorũ destitueretur Vlysses. maluerunt enim apud Lotophagos remanere, vt mellitum arboris fructum comederent, quàm in patriam redire, vt penitus reditus obliuiscerentur.

Nomen. Græcis λωτὸς δένδρον, lotus arbor, nam & herbæ sunt hoc nomine complures. Græcorum vulgus anacacabeam arborem, & anacacabon fructum dicit, author est Aëtius. Latinis verò faba græca dicitur, & ob id ita dici putauerim, quod fructus tuberculo fabæ similis sit, & sui dulcedine in cibis placeat. Seruius fabam Syriacam dici autumat à nympha sui nominis in hanc arborẽ versa, vt diximus. Padi incolæ fabam græcam vocant. Afri celtim, Neapolitani *melo fiocco, Zafaracchio.*

Suam

Suam lotum ita depingit Theophrastus. Lotus pyri magnitudine surgit, aut paulò infra. Incisuræ in folio crebriores, alioquin ilicis viderentur. Amplitudo fabæ pomo, color croci, sed ante maturitatem alius, atq; alius sicut in vuis. Nascitur in ramis densum myrti modo, inter sese aduersum. Manditur inter Lotophagos innocua dulcedine suauitateque, nec ventris sentire morbos ferunt, qui eo subinde vescãtur: iucundius, meliusq; quod sine interiori nucleo est, qui in altero genere osseus videtur. Tanta verò fructus & arboris copia narratur, vt exercitum Ophelli Carthaginem petentis in commeatuum defectu pauerit. Non desunt qui fruticosam, ramosamq; arborem esse dicant, caudice firmo, ac fideli, fructu qui nuce obducitur, foris minimè carnoso, sed pelliculari, & cuticulaceo, nec cibo tam dulci, quàm gustu aliàs iucundo. Vinum quod ex eo conficitur, vltra binos, ternósve dies negant durare, à quo tempore statim acorem contrahit: suauiorem itaq; fructũ apud Lotophagos haberi. A quo Plinius. Eadem Africa, quæ vergit ad nos, insignem arborem loton gignit, quam vocant celtin. Magnitudo quæ pyro, quanquam Nepos Cornelius breuem tradat. Incisuræ folio crebriores, alioquin ilicis viderentur. Magnitudo fructui fabæ, color croci, sed ante maturitatem alius, atq; alius, sicut in vuis. Nascitur densus in ramis myrti modo, non vt in Italia cerasis: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræq; dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ. Ferunt ventris non sentire morbos, qui eum mandunt. Melior sine interiore nucleo, qui in altero genere osseus videtur. Vinum quod exprimitur illi, simile mulso, quod vltra denos dies negat durare idem Nepos, baccasque contusas cum alica ad cibos doliis condi. Quin & exercitus pastos eo accepimus, vltro citroq; commeantes per Africam. Alibi verò. Lotos siue faba Græca, quam Romæ à suauitate fructus syluestris quidem, sed cerasorum penè natura, loton appellant. Præcipuè domibus expetitur ramorum petulantia, breui caudice, latissima expatiantiũ vmbra, & in vicinas domos sæpè transilientium. Nulli opacitas breuior, nec aufert Solẽ hyeme, decidentibus foliis. Nulli cortex iucundior, aut oculos excipiẽs blandius. Nulli rami longiores, validioresq;, aut plures, vt dixisse totidem arbores liceat. Viuax arbor, & æquæua quibusdã vrbibus. Romæ verò lotos in Lucinæ area, anno qui fuit sine magistratibus CCCLXIX, vrbis æde condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, quum ab eo luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum CCCCL habet. Antiquior illa est, sed incerta eius ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de decumis, æquæua vrbi intelligitur, vt author est Massurius. Radices eius in forum vsque Cæsaris per stationes municipiorum penetrant. Durauit, vt fertur, ab vrbis æde condita (incertum quantum ipsa fuerit vetustior) longissimo arborum æuo, ad Neronis incendia, adhuc iuuenis viridisque, victura, nisi princeps ille arboris mortem accelerasset. Sunt, qui breuem tradant arborem, vt Poly-

bius, qui & vidiſſe ſe teſtatur, ſpinis aſperam, folio virenti, quale rhamno, tantum profundiore latioreq; fructu, candidæ myrti per initia, proceſſu puniceo, magnitudine oliuæ, ſed rotundo. Eum cibo familiæ tundi cum nucleo, qui perexiguus ei eſt, ſeruari conditũ, eundem nucleum herilibus menſis eximi. Saporẽ fici, & fænicobalani ineſſe pomo, ſed præſtantiori odore. Vinum & acetum inde fieri. Dioſcoridi lotus magnitudine iuſtæ arboris adoleſcit, fructu maiore, quàm piperis, dulci, graueolente, qui edendo ſit, & vtilis ſtomacho.

Genera. Genera eius plura, dicit Theophraſtus, fructibus inter ſe diſcreta produntur. Vnum eſt genus ſine interiori nucleo, & vinum eo exprimitur. Plinius. Differentiæ plures, eæq; maximè fructibus ſunt. Melior ſine interiori nucleo, qui in altero genere oſſeus videtur. Vinum quoq; exprimitur illi.

Cælum. In Africa celtis plurima, optimaq; gignitur. Eſt in inſula Lotophagia Pharide vocata larga copia, cæterum non minor in continenti, ſed longè largior eſt, plurima enim hæc omnino in Africa. Plinius à Theophraſto. Africa parte, qua vergit ad nos, loton gignit, & ipſam Italiæ familiarem. Præcipuè circa Syrtes, atq; Naſamonas.

Materies. Materia Cyrenaicæ præfertur, nam tractum Lotophagorum feruidiorem confirmãt. Radici nigritia maior, quàm ligno, ſed minus ſpiſſa, & ad pauciora cõmodior, quippe quum tantũ ad pugiones, & glutinamenta vſui ſit. Lignum tibiis, & aliis pleriſque expetitur. Spiſſitate & grauitate, & coloris nigredine, poſt buxũ & ebenum ei primatus indubie datur. Simulachra ex ea ſculpere ſolent, rimas enim non capit, & carnis æqualitate quodãmodo conſtare videtur. Natura perpetua. Medullã habere loton, quã multi carere putant, conſtat argumẽto, quòd ea valuarũ ſumptuoſarũ cardines factitare ſolẽt artifices. Propter nimiã ſpiſſitatẽ enodis eſt, aut pauciſſimis nodis. Ab eo Plinius. Ligno colos niger, ad tibiarũ cantus expetitur. E radice cultellis capulos, breuesq; alios vſus excogitãt. Poſt ebenũ, & buxũ duriſſima, & ſiccisſima. Cariẽ & vetuſtatẽ non ſentit. Cortice pelles tingũt, radice lanas. Tota oſſea eſt, & ſine medulla.

De azadarat Arabum. CAP. XVI.

SÆPE monachorum clauſtris, & templorum veſtibulo viſitur hæc arbor, ea Ciſalpinæ Galliæ nemora abundare vidimus, lenem & perpulchram vmbram parit, & flores odoratos.

Nomen. Auicenna eam appellat azadarat. Hiſpani ex florum, foliorumq; ſpecioſitate arborem paradiſi vocant. Apud nos innominata viuit. Sunt qui albam zizipham velint.

Deſcriptio. Arbor ſpacioſa ſurgit, folio fraxini, cortice ſubuiridi, albis pũctulis cõſperſo, rami fagiles, baccas profert oleæ, vel ceraſi magnitudine, vt ex eis globulos faciant, quibus mulieres & monachi ſuas numerent preces, fructus loti arboris inſtar, flore ſuaueolente racematim congeſto, ſtellato, purpureoq;.

Cælum. Cœlum calidum, vel temperatum diligit, rigidum horret.

Seritur ſemine, quatuor digitis in terra conditur; rigetur ſæpius, & naſci-

tur

rerinitio veris. A bimatu transplantetur. Seritur etiam sobole, ex iis, quæ radicibus pullulant. Seritur etiam trunco, dummodo omnis terra abscondatur, vt solum cacumen super sit, veris initio, etsi ægrè concipiat.

Poma multa recipit in insitione, odorataq; reddit, vt pyra, sed in oculatione non finditur lignum, quia fragile, & fissura vltra quàm velles descendit. *Insitio.*

De Caprifico. CAP. XVII.

DICEMVS de ficu in pomario, hic de caprifico, etsi in aliarum arborum historia, vbi de satiua, eodē capite & de syluestri dixerimus ob cognationem, & affinitatem quandā, quæ erat inter vtrāq;: at ficus, & caprificus longo distāt interuallo, euidentissimamq; & summā differentiā habent, vt satiua ficus vrbana dicatur, caprificus syluestris. Theophrastus dux erit. Et si multa ex syluestrib⁹ mansuescāt cultu, & alia ex vrbanis transeāt in syluestres neglectu, tamē neq; caprificus, neq; oleaster, & pyraster, ficus, olea, pyrus fieri possunt. Sed si vnq̄ ex caprifico ficus, aut ex ficu caprificus fieret, aruspices pro ostento haberēt, tanq̄ prodigia, & præter Naturæ normā accidere arbitrarentur. Plinius, Prodigio fiunt fici ex caprifico, & contra, graui ostento, quum in deteriora mutantur. Caprificus tauros quamlibet feroces collo eorū circundata in tantū mirabili natura compescit, vt immobiles præstet. Plutarchus de fico refert, & eius rei causam affert, vt videbimus. Vnde Ægyptii quum hominem à priori petulantia sibi modestius consulentem ostendere vellent, pro istiusmodi homine taurum caprifico collum, caput, & armos vestientem proponebant. Visitur sæpissimè caprifici ramus Iunonis simulacro suspēsus, cuius causam ex Varrone non reticebimus, quod nonæ apud Romanos erant Caprotinę nuncupatæ, quibus matronæ sub ficu Iunoni sacra faciebant, & ex caprifico virgā adhibebant ob memoriam seruatæ pudicitiæ. Philotis enim ancilla senatui persuasit, vt pro matronis, & virginibus, quas hostes dari sibi obsides petebāt, ipsa cum ancillis aliis habitu matronali cultis submitteretur, cuius laudata sententia, quum omnes hæ secum potiones meracas in lætitiæ signū attulissent, conuiuiumque simulassent, hostes lætabundi, comessatione & potu grauidi post iocos quieti se dederunt. Hic Philotis signum dedit ex caprifico, quæ de mœnibus propendebat. Romani exciti impetum in dormientes faciunt, eosque cædunt, potitiq; victoria sacrum instituere, vt ancillæ matronis æquatæ, Iunoni, quam à caprifico Caprotinam appellauēre, sacrificarēt. Ad id Ouidius.

Porrige & ancillæ, qua pœnas luce pependit
Lusa maritali gallica veste manus.

Bubulas etiā carnes additi caules caprifici magno lignorū compendio coquūt, ex Plinio. Contra aurē chamæleon cierca caprificos ferus, alioquin innoxius, ex eodē. Tanta est differens erga diuersa animalia vnius plantæ virtus.

Græci vocant ἐρινεὸν, vt Pausanias ait in Messeniis, quòd in Erino Thessaliæ, vel vt alii volunt Achaiæ, municipio primùm apparuerit, vt Phocioni placet. Alii, vt Phauorinus, fici speciem ab Erino vrbe Dorica. Tzezes Lyco- *Nomen.*

phronis interpres ficum fatuam vocat, nonnulli ὀλύνθους. Messenii τράγον, quòd Apollo Aristomeni, & Theocli nati de salute consultantibus significauit, ἴστ τράγος πίνησι νέδης ἑλικόρροον ὕδωρ, οὐκέτι μεσσήνην ῥύομαι. Est Neda fluuius, cuius fontes in monte Lyceo visuntur, in Arcadiam fluens; eo oraculo tragus arbor caprificus, non hircus intelligitur, quæ in Nedæ ripa enata, in fluuium deflexa excreuit, vt foliis humorem quodammodo haurire videretur: hanc autẽ Theocles conspiciens, caprificũ, capri nomine intelligere voluisse Apollinẽ, è Neda bibentẽ coniecit: quũ itaq; iam Messeniis impenderet fatale malũ, reliquos celauit, Aristomenẽ ad caprificũ perduxit, & rẽ omnem aperuit, & sic interpretatus est oraculũ: Ipse Nedes dum hircus bibat alta fluẽta, nec vltrà, Messenen seruo: Propè enim instant tristia fata. Hæc Pausanias in Messenis. Latini caprificum à carpendo dictam volunt, quòd muros, ac parietes carpat. Martialis,

Marmora Messalæ findit caprificus.

Plinius. Caprificus vocatur è syluestri genere ficus nunquam maturescens. Itali *fico sèluaggio.*

Genera. A colore, & fructificatione generum discrimen sumit caprificus, nempè alba, & nigra. Theophrastus tradit caprificos potissimũ laudari nigras, ob rationẽ, quòd permulta hæc grana contineant. Eadẽ Plinius. Caprificorũ laudantur maximè nigræ, & in petrosis, quum frumenta plurima habeant. Aliud discrimen quòd alia bifera, alia trifera est. Plinius, In Cea insula caprifici triferæ sunt, primo fœtu sequens euocatur, sequenti tertius: hoc fici caprificantur. Athenæus scribit Theophrastum secundo libro plantarum notare, caprificum esse biferam, alii triferam sicut in Ceo.

Descriptio. E Theophrasto decerpitur descriptio. Viuacior fico, longeq; validior, spissior, fructu fœcundior existit. Eadem etiã nodosior. Earũ lac minime coit, aut prauè. Etsi ex syluestribus, fœcunda tamen. Celerius germinare incipit, vt inculta. quia germinat ineunte vere. Neglecta nõ putatur, non pastinatur, non ablaqueatur: ideò non exhalat foras calor pastinatione & ablaqueatione, sed intus cohibetur, qui author est germinationis; & si putatione superioribus partibus allatæ fuerint plagæ, earum vulnere laborat arbor, friget contrahiturq;. Præterea in agrestibus remanent incolumes ramusculi pusilli, quos cultura auferre iubet, qui exiguitate eorum facile mutationem patiuntur, & ab ambiente aëre ad germinationum principia citantur. Accedit etiam siccitas: nam vbi humoris minus, operæ minus est. Plinius autem. Caprificus lactis minus habet, surculo quoq; eius lac coagulatur in caseum. Exceptum id, coctumq; in duritiam, suauitatem carnibus affert. Tristis est, quum non sentiat annorum gaudia, quia nullo flore exhilaratur.

Solum. Theophrastus nemoribus gaudere dixit, & laudari ex locis ortas saxosis, ob rationem, quòd permulta hæc grana contineant, & vbi plurimus sit puluis, ibi plurimæ, validissimæque caprificus exeunt.

Satio. E ficario grano sato prouenire tradidit Theophrastus.

Syluestris, seu fera ficus, vt testatum reliquit Africanus, mansuescet, si tusis & vino & oleo maceratis ramis, eo septem diebus irroraueris imbre. *Art.*

Caprificus nullis ferè vitiis obnoxia, vermiculationem nõ patitur, lac enim eius acerbius est omnino. Neque radicationem, syderationem, vel scabiem, neque radices vermiculantur, quædam nec suos grossos amittunt, etiam si fico inserantur. Plinius etiam tradit, eam omnibus morbis immunem esse, quos recensuit Theophrastus. *Infir. tem.*

De malo syluestri. CAP. XVIII.

NVNC syluestre malum attingemus, habet enim multa, quæ sine reliquorum confusione dici non poterant, ideo hîc digessimus.

Græcis ἀγριόμηλα generale nomen est malorum in syluis degentium, quæ citra sationem & cultum proueniunt. Theocritus ὀρειμαλίδας, id est montana mala vocauit. Cato syluatica mala. Latinis malũ syluestre. Italis *melo seluaggio*. *Nomen.*

Syluestria, vt plurimum nomine vacare Theophrastus dixit, quum perpauci sint, qui eorum naturam experiantur. Nos & si inter se magnitudine, odore, colore, & facie differant, inutile existimamus per genera recensere, nomen tamen vnum syluestribus omnibus accommodabimus. *Genera.*

Theophrastus syluestria mala sui generis mitioribus odoratiora esse scripsit, ipsorumq; malorum tam agrestium, quàm satiuorum, quæ sunt acerbissima, suauissimè olere. Cuius rei suo de causis libro rationẽ affert. Atqui quum odor coctura quadam cõtrahatur, quæ maximè cocta fuerint, ea melius olere putandum est. Verùm odoris ratio in coctione minus absoluta, quàm saporis versatur, argumento, quod mala, pyraque plus reddunt odoris, si in plenum cocta non sint: plus tamen sapiunt, quum perfectam assequantur concoctionem, quod in primis succorum mutationibus deprehendi non fuerit difficile: nam quum flatilis quædam sit odoris conditio, excoctus iam succus pauciorem halitum ac auram potest expirare, tum ergo minus odoris eiectabitur, quum concoctu crassior exultat, dulcedinem verò sensui gratam vsurpabit. Syluestre genus itaque priori concoctione contentum, vehementem concipit odorem. Vrbanum quod perfectiorem adipiscatur cocturam, alimentoque saturetur, succos in dulcedinem vertit, sed odoris ignauiam ac hebetudinem colligit. Porrò non parum refert in odoribus, si siccitas, si alimenti parsimonia, difflatio commoda præcesserit, quandoquidem quæ siccaneis erumpunt, pauciore contenta nutrimento; item quæ placido perflantur spiritu, proculdubio nascuntur odoratiora: etenim humor sese largius immiscens, odorem obtundit, & eius hebetat acrimoniam, ideo quæ dilutis & opacis tractibus degunt, inodora percipiuntur. Cæterum genus syluestrium aridius cernitur, ieiuniore donatum habitu, nec silens à flatu, sed magis, atque magis auræ patens, hinc feruẽtior natura, quæ prospirat, tenuiorq; succus, halitui facile cedens, quum nec succum vrbani modo carni permistum gerat: quæ qui- *Descriptio.*

dem omnia iuuant ad odorem efficiendum. Præterea syluestria mala maturius germinant mitibus, cuius spe in libro de causis affert rationem, quòd foris calor non exhalatur, sed intus cohibetur, non enim pastinantur, neque ablaqueantur, calor enim est germinationis author. Adde quòd vulneribus non laborant, non enim deputantur rami, aut decerpuntur fructus: demum quòd incultis arboribus, & agrestibus ramusculi sint incolumes, in quibus propter exiguitatem, & facilè cientur principia genitalia ab aëre ambiente, & facilè submouent materiam suam. Dioscorides hæc adstringentis esse succi dixit. Plinius, Sunt & mala parua, grati saporis, at enim acutiora odore syluestria. Id peculiare improbitatis & acerbitatis conuitium, & vis tanta, vt acië gladij perstringat. Præterea ipse Plinius syluestres malos etiam biferas esse dixit. Nos ita describemus. Poma affert multò vrbanis minora, improba, & acerba, colore quum maturuerint luteo, succo aspero. A pharmacopœis expetuntur ad succos eliciendos.

De sorbo torminali. CAP. XIX.

PVBET etiam in syluis sorbi genus syluestre torminale dictum, fructusq; affert feris, admodum à satiuo nostro diuersum.

Nomen. Plinius torminale vocat, remedio tantum probabile, quòd torminibus medeatur, ob id ad vsum medicum magis, quàm ad escam hominum natum. Neapolitani *ardicagna* vocant.

Descriptio. Plinius ita describit. Minimo pomo, assiduo prouentu, arbore à sorbo dissimili, foliis penè platani. Nos ita describimus. Surgit arbor non differens à nostrate sorbo magnitudine, & asperitate, cortice læui, materie valida, folio vitigineo siue platani, læui & neruoso, baccis oblõgis, exiguis, sorbis similibus, in vmbellã coeuntibus, ex longis pediculis dependentibus, colore in nigro rufescẽtibus, sapore acido, & austero. Floret cũ cæteris sorbis. Fruct⁹ maturat Nouẽbri.

Locus. Nascitur frigidis in locis, nemoribus, syluisque, prope Capuam vidimus.

Satio. Seritur sobole, & semine.

Insitio. Tubera optime recipit, inter alia & fructificat.

De Calabrice. CAP. XX.

NVNC æquum est nostræ calabricis meminisse, à Columella inter bacciferas connumeratæ, tum quod nostro pomario, ob varios, quos recipit diuersorum arborum surculos, multiplicem præstat vtilitatem, tum quod suorum nominum varietate non minimam inter doctos parit ambiguitatẽ, quum à diuersis, & ab eisdem diuersè etiam nominetur.

Nomen. Græcis ὀξυάκανθος, & ὀξυάκανθον dicitur, ab ὀξὺ id est acuta, & ἄκανθα id est spina, quasi acutam spinam dicas. Columella albam spinam vocat. Nemora conuenienter vestiuntur pomiferis syluestribus, vt spina alba. Plinius spinam vocauit, siue syluestrem spinam, & calabricem: quũ dixit, Tuberes inseri possunt in calabricem, ea est spina syluestris. sed ignorat esse Dioscoridis ὀξυάκανθον: nam

quæ

quæ huic Dioſcorides tribuit, ipſe paliuro refert. Dicitur ab eo & ſpina appendix. Spina eſt appendix appellata, quoniã baccæ puniceo colore in ea appendices vocantur. Hæ crudæ per ſe, & aridæ in vino decoctæ aluum citam, ac tormina compeſcunt. Et ſpina nuptialis, vt coniicio. In eoſdem ſitus (id eſt montoſos, & frigidos) comitatur & ſpina nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniam inde fecerint paſtores, qui rapuerunt Sabinas, vt auctor eſt Maſſurius. Ouidius in Faſtis: quòd maleficiorum eſſet amuletum.

Ius pro concubitu noſtro, tibi cardinis eſto,
Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus ſpinam, qua triſtes pellere poſſet
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.
Virgaq; Ianalis de ſpina ſumitur alba,
Qua lumen thalamis parua feneſtra dabat.

Palladius ſpinam vocauit, quũ myxa in ſpinis inſeri poſſe dixit, & quũ ſpinam ſorbum recipere poſſe ſcripſit. Vocauit & calabricem, quũ tubera ab ea recipi iuſſerit. Hermolaus creſpinum, Ruellius berberim, nos *calabrice* vocamus.

Theophraſtus eius meminit. Arbor medica aculeos habet qualis acuta ſpina. Fructificat poſt Vergiliarum occaſum. Dioſcorides. Arbor eſt pyraſtro ſimilis, ſpinoſa valdè & minor, baccas profert myrti, plenas, rubras, fragiles, & intus nucleum, radicem multifidam, altè deſcendentem. Crebris diuiſuris diſciſſa folia (vt capite de meſpilo habet, quam nos arouiã, ſiue *azaroli* vocamus) quæ apij effigiem imitatur. Nos autem dicimus *azacolo* vocato tam ſimilis folio, & fructu, vt idem exiſtimemus, non niſi feritate ab ea diſtans. Baccis racemo pendulis, ſine ſucco, flore albo, odorato. Ab occaſu Vergiliarum fructifera. Fructus tota hyeme durans, myrto ſimilis, ſed cum nucleo intus, pendens longiſſimis pediculis. Ruſtici noſtri ad ſepimenta ruris ea vtuntur, ad quæ nulla alia diuturnitate, ſpinarum hirſutie, firmitateq; magis valeat. *Deſcriptio.*

Solum arenoſum, & ſolutum quærit. Ex montibus in plana deſcendere dicit Theophraſtus. *Solum.*

Seritur ſobole ex his, quæ ſponte in ſyluis naſcuntur, & ſeminibus ex arbore deciduis, & poſt biennium tranſplantatis. *Satio.*

Plinius. Neq; omnia inſita miſceri fas eſt, ſicut nec ſpinas inſeri, quando fulgura expiari non queunt facilè, quotq; genera inſita fuerunt, tot fulgura vno ictu pronunciantur. Alibi. Tuberes melius inſeruntur in pruno ſylueſtri, & malo cotoneo, & in calabrice, ea eſt ſpina ſylueſtris. Quæcunq; optimè & myxas recipit, vtiliter & ſorbos. Palladius recipere ait ſorbũ, & pyrum. De ſorbo. *Inſitio.*

Hæc arbos ſpina duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.

De pomo, *Et ſteriles ſpinos, & inertem fœtibus ornum*
Dotat, & ignotum cogit amare decus.

Sic etiã myxa docet recipere Aprili mẽſe, tuberes Septẽbri, malũ Februario.

nos cotoneum, mespilum, malum, & cerasum nõ infelici successu inseruimus. Immò si sæpius suo surculo inseratur, vberes proferre.

De Persea. Cap. XXI.

De persea dicemus, & si peregrina arbor, & peregrinari nescia; ob nomen quod cum persico commune habet, de quo in pomario dicturi, multam doctis peperit ambiguitatem: vt quæ dicenda sunt, distincta videantur, de ea hic aliquid tractabimus. Plutarchus libro de Iside, & Osiride habet perseam Isidi fuisse sacram, quòd pomum eius cordis figuram, folium verò linguæ præ se ferret. Vnde Ægyptij quum pomũ pingebant vno tantùm folio adhærescente, significabant linguam cordi coniunctam. Arborem & Harpocrati dicarunt, quasi sermonem, qui fructus est intelligentiæ, sedem in corde, non in lingua habere deceat. Scribit Diodorus Siculus perseam in Æthiopia primùm natam, mox à Persis deuicta Æthiopia, ad se delatam, apud quos erat venenata, & cum cruciatu primum genita. Postea verò pœnarum causa à regibus in Ægyptum translata, terra hospitali mitigata. Ferunt autẽ Persas hanc arborem apud se læthalem habentes, in Ægyptum transmisisse, plurimos ab eo perituros credentes, quæ contrario euentu ab his in cibos recepta.

Nomen. Theophrasto περσέα, & πέρσιον dicitur, nomen est à vernaculo solo, nõ quòd à Perseo Memphi sata sit, vt Plinius refert. Latinis persea, Italis incognita.

Descriptio. Arbor persea dicta, ex Theophrasto, magna, aspectu grato, folio, flore, & ramo, totaq; figura potissimum pyro vicina: nisi quòd huic caluescit coma, illi verò perpetua. Fructum semper parit, quippe nouus anniculum occupat. Maturitas Etesiarum afflatu: alio tempore crudiuscula decerpitur & reponitur. Magnitudo longioris pyri, amygdalæ putamine clauditur, & corio coloris herbidi. Nucem intus habet, vt prunum, sed minorem multo molliorem que. Suauitas carnis prædulcis, & innocua etiam largiorem mandentibus, concoctu & deiectu facilem, radice prægrandi, longitudine, latitudine, & copia. Alibi. Quædam igitur ne germinare quidem possunt locis quibusdam, quædam germinare quidem, sed fructum nullum parere queunt, ceu persea Ægyptia in Rhodo: & si per loca ita procedas, fructificare quidem eam comperies, sed parcissimè, nec alibi, quàm in Ægypto largè, suauiterque fructum progenerat. Alibi. Persica in Ægypto, & locis proximis fructificat, quamquam in Rhodo vsque ad florem duntaxat perueniat. Plinius ab eo. Ægyptus & persicam arborem sui generis habet, similem pyro folia retinentem. Fertilitas assidua ei, subnascente crastino fructu. Maturitas Etesiarum afflatu. Pomum longius pyro, inclusum amygdalæ putamine, & corio, colore herbido, sed vbi nux illi, huic pomum, differens breuitate, ac mollitie, & quamuis blandiatur prædulcis suauitas, innocuum. Sed Columella hallucinatus putat nostrum vulgare persicum è Persia aduectum, & primò venenosum, nunc deinde mutata regione innocuum:

Stipan-

Stipantur calathi & pomis, quæ barbara Persis
Miserat (vt fama est) patriis armata venenis.
At nunc expositi paruo discrimine leti,
Ambrosios præbent succos, oblita nocendi.

Plinius eum redarguens ait. Persicæ arbores serò, & cũ difficultate transiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium. Falsum est, venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Ægyptum, & terra mitigata. Id enim de persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, myxis rubentibus similis, nec extra orientem nasci voluit. Eam quoque eruditiores negauerunt ex Perside propter supplicia translatam, sed à Perseo Memphi satam. Et ob id Alexandrum illa coronari victores ibi instituisse in honorem ataui sui. Semper autem folia habet, & poma subnascentibus aliis. Galenus in Alexandria perseam se vidisse testatur, magnis arboribus cõparandam, cuius, vt tradunt, pomum in Perside tam præsentis est veneni, vt vescentes interimat. In Ægyptum verò translatam, & peregrinatam, poma ferre cibis idonea, turbinata pyri facie. Strabo, Persicus in Æthiopia, & Ægypto solum nascitur, arbor magna, fructu dulci, & grandi. Dioscorides. Persea arbor est in Ægypto, fructum ferens cibo idoneum, stomacho vtilem. Arborem hanc prodiderunt aliqui in Perside exitiosam esse, translatamq; in Ægyptum, mutata natura in cibum receptam.

Theophrastus de eius materie. Materies bonitate, firmitudine, nigritia Materies.
quoque nil differens à loto. Simulacra ex ea factitauere, mensas, & reliqua eiusmodi. Plinius. Materies bonitate, firmitudine, nigritia quoque nil differens à loto. Simulacra ex ea factitauere, non eadem gratia quàm fideli materie, vt ex arbore, quam balanum appellauimus, magna ex parte contorta.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER QVARTVS
SIVE
INSITIO ET CVLTVS.

PROOEMIVM.

HACTENVS de syluis, vbi quicquid, natura duce, generabatur, affatim prosequuti sumus, nunc autem quæ sationis, cultus mangonio, humanáve gignantur ope, operæpretium est enarrare. Sed mirari vos nollem, quum in superioribus libris nostrum pomarium ingredi persæpe spoponderim, nunc in eius limine ianuam (vt ita dicam) ob oculos clauserim. Decentius nobis visum est ante pomarij vestibulum fructiferas & nouas arbores percupida videndi ingenia aliquantisper molestè morari, dum in vniuersum aliqua paucis perstringendo loqueremur, quàm in singulorum priuatim capitibus importuna inuasione eadem sæpius iterata præceptione legentium animos vexare, nusquam alioquin opportuniorem locum nacturi in vniuersa agricolationis historia. Nec sunt quæ hoc libro clausimus contemnenda, sed sanè digna, admirabilia, & agriculturæ partium nobilissima, scilicet de insitione, vt arbores syluestri habitu exutæ à sua natura desciscere, earumque domita feritate in hortis nobiscum mansuescere cogantur, vt non solùm meliores fructus, nobilioresque, sed nouos, ac prioribus seculis non visos producant. Sed iam negotium ipsum auspicemur.

Quot sint plantarum generationes. CAP. I.

DVO sunt in vniuersum agriculturæ munera, serere, & colere, sed quum non habeat quis, quod colat, nisi prius seuerit, ideo prius sationē, demum cultum edocebimus. Plantarum sationes multifariæ sunt, quas demonstrare tentabimus: nam non omnes omnibus competunt, sed vnicuiq; natura suam instituit peculiarem generationem. Aliæ enim tam miti humanoque ingenio sunt, vt omnibus modis satæ nascantur, aliæ tam fero, agrestique, vt paucis, vel vix vno contentæ. Hæc planta, illa trunco, alia vtraque natura fruitur, ita

vt si quæ vni conuenit, alteri tribues, & degeneres fructus habeas, & in crescendo remoreris: idemque esset ac cum natura luctari, & tandem cum maxima temporis, laboris, & impensarum iactura voti compos nunquam fies. Circa hoc opus, & labor, huic insistendum, huic animaduersio & cura est adhibenda. Optimi enim est agricolæ non solum plantas procreare, sed properantiùs nobiliores fructus producere, præsertim qui huic studio vtilitatis gratia nauant operam. Sed quid Græci, Latinique maiores nostri de variis plantarum generationibus, & modis senserint, indicemus. Theophrastus in historiis plantas exoriri spōte, semine, radice, auulsione, ramo, surculo, trunco, aut ligno minutatim conciso tradit. Et in Causis etiam lachrymis herbas nasci posse ait. Didymus semine, auulsione, talea, & ramo dixit. Virgilius in Georgicis sponte, semine, radice, auulsione, surculo, trunco, & propagine. Plinius ex iam dictis Theophrasti excipiens, semine, plantæ radice, aut propagine, aut auulsione, aut surculo. Omnium diuisio manca est, nos ex omnibus vnam conflabimus, addentes ea, quæ recens ætas adinuenerit, ita vt apertè suus cuique arbori reddatur sationis modus. Plantarum generationes aliæ naturæ, aliæ artis, vel electus sunt. Arbores, quas naturæ debemus, tribus modis nascuntur, sponte, semine, & radice, reliquas hominum artificiosæ industriæ debemus. Sed quas ars serit, vel integra est planta, vel à matrice plantæ recisæ pars. Integra parte serimus auulsione, & propagine. Quæ plantarum partibus prorogantur primis, sunt radice, trunco, ramo, & surculo, secūdariis verò folio, & lachryma. Serimus enim partium partes, & caulium incisiones, & truncorum cortices. Surculos verò vel in terram, vel in consectum arboris truncum inserimus. De quibus omnibus suis capitibus singulatim cōscribemus, & primo de iis, quæ spontè nascuntur.

Sponte nascentium generationes. CAP. II.

PLANTARVM spontaneas generationes aggrediemur, quæ naturæ beneficio attributæ sunt: sine enim origine seminis pleræque plantæ tum minutæ, tum maiores spontè concrescunt. Virgilius in Georgicis.

Namque aliæ nullis hominum cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, camposq́; & flumina latè
Curua tenent, vt molle siler, lentæq́; genistæ,
Populus, & glauca canentia fronde salicta.

Theophrastus ea facilè exire existimauit, quæ minora sunt, & maximè quæ annua, herbaceaq; natura consistunt, & sterilia potius spontè creari, quæ neque planta, neque semine gigni existimantur. Virgilius etiam ab eo.

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt,
Quippe solo natura subest.

Quorum rationes, quum nobis occultissimæ sint, nō parum admirationis,

ac disquirendæ occasionis ingerunt. Quis enim non miretur, quum terra, quæ in antiquorum ædificiorum eruitur fundamentis, non centenûm modo, sed millenûm annorum, aëri exponitur, illico herbas producere? Præterea steriles herbas, semine carentes omnino, soli faciem & parietũ continuo vestientes, quis seuit vnquam, vt variis in locis nascantur? Varias è naturæ interpretibus rationes Theophrastus refert, quas & nos referre nõ pigebit. Semina, quę spontè nascuntur, vel sensum nostrum latent, vel aperta sunt: quod ad ea, quæ nostrum sensum latent, Anaxagoras aërem seminij principia habere dixit, quibus vnà cum imbre delatis gigni omnia asseuerauit. Diogenes ex aqua putrescente, misturamq́; cum terra capessente plantas nasci existimauit. Cleodemus ex iisdem non solum plantas, sed animalia constare putâuit. Semina verò quorundam aperta sunt, vt quum amnis exundauerit, aut alueo egressus fuerit: vt in Abderensi agro tum fit, vt pars, quæ vacua remansit, syluescat. Imbres hoc idem faciunt, quum semina secum pleraq; deferant: & peculiarẽ syluam exortam prodiderunt, piceo imbre compluto: agrum Libycum quoq; causa quadam eiusmodi edidisse laserpitium ferunt. Amnium ergo colluuiones, aquarumq́ue eruptiones, tum arborum, tum minorum stirpium semina inuehunt, sed has herbas non esse inter spontaneas connumerandas censemus, sed furtiuo seminio suam ab aliis plantis originem habere. Imbres enim putredinem quandam aquæ, terræq́ue committunt, nam & ipsa terræ Ægyptiæ mistura materiam quandam gignere videtur. Nonnusquam, modo subegeris moueris q́; solũ, familiaria protinus illius terræ emergunt, vt in Creta insula cupressi. In semimadefactis segetibus, si submouentur, tribulum emergere aiunt. Igitur hæ quidem mutationem consequuntur telluris, siue seminibus præiacentibus, siue ipsa terra modo quodam affecta, præparataq́; ad gignendũ, humoribus simul interclusis, quorum vis magna est, siue proprietate aliqua in cœlo, terráve consistente. Itaque quantũ in vniuersum exprimi liceat generationes eiusmodi fieri necesse est, terra sufferuefacta, coactoq́; humore admisto, commutatoq́; ex solis ardore, quemadmodũ & animalia generari videmus. Plinius quæ ab eo excepit habet. Nec terræ tantùm natura circa has refert, aut perpetua cœli, verùm & quædam temporaria vis. Imbres aliqua plerunq; semina afferunt, & certó fluunt genere, aliquando etiam incognito, quod accidit Cyrenaicæ regioni, quum primum ibi laserpitium natum est. A Theophrasto Varro. Semen, quod est principium oriendi, duplex est, vnum quod latet nostrum sensum, alterũ, quod apertũ. Latet si sunt semina in aëre, vt ait Physicus Anaxagoras, & si aqua, qua influit in agrum inferre solet, vt scribit Theophrastus.

Quod omnia semine generentur. CAP. III.

GENERATIO, quæ semine fit omnium plantarum semẽ producentium communis est, illudq́; à natura eis tributũ est, vt sui cuiusq; ingenij semina ferat ad earum speciem propagandam, perpetuandamq́ue, nam id & sensu

experimur, & rationi quoq; est congruum. Natura enim, inquit Theophrastus, nil vnquam frustra facere solita est, & maximè in iis, quæ prima, & potissima sunt, finem inspectat, semen autem primum est, & potissimum; si igitur non regeneraret, frustra sit necesse est; idq; propterea prouidens rerum natura, tanta cura, diligentiaque cauit, vt ea in pomorum abstrusiore parte, tanq̃ tutiore gremio abderet, & præcipuè arborum: nam non solùm callo, & membrana, putamine, crusta, osse, sed etiam trigemina natura, carne, deinde ligno, & intus ligno semen muniuit, vt quod pluribus erat obnoxium, pluribus propugnaculis sit custoditum, non solum aduersus cœli molestias, sed etiam animalium iniurias sit defensum. Ex semine primum arborum ortum fuisse, nemo est, qui dicere vereatur. totius arboris potentiam Demetrius Phalereus in semine ponebat, sine quo & arbores interirent, & animalia. Fingunt Poëtæ Saturnum suos filios deuorasse, ea ratione, interpretatur Varro, quòd semina iterum in terram reciderent, ex qua orta sunt. Natura primum semine seri debere docuit, ostenditq; quum semẽ ex arboribus decidens, terra exceptum repullulasceret. Vnde Lucretius,

At specimen sationis, & insitionis origo,
Ipsa fuit rerum primùm Natura creatrix.
Arboribus, quoniam baccæ, glandesq; caducæ,
Tempestiua dabant pullorum examina subter.

Demonstrarunt id etiam animalia, ab auibus enim & plerisq; animalibus semen sub terra, tanquam in horreis ad annonam repositum pullulauit, & in arborem frugémve excreuit. Quæ semine nascuntur Virgilius expressit.

Pars autem posito surgunt de semine; vt altæ
Castaneæ, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Esculus, atq; habitæ Graiis oracula quercus.

Sed aliqua est in satione seminum diligentia, nam aliquorum simul plura semina seri debent, vt lætius, & felicius assurgat planta, aliqua nouo, aliqua ex veteri semine: nam plerunq; accidit ex veteri semine sata in aliam stirpem degenerare, quorum exempla suis locis dabuntur.

Contra Theophrastum, non omnia semine nata degenerare.
CAPVT IIII.

SED vetus est agricolarum opinio, omnia ex semine orta degenerare & malos fructus producere, eaq; sic inualuit, vt etiam à recentioribus agricolis creditum sit. Sed non possum satis mirari maximum Theophrastum, cuius doctrinam sequimur, & admiramur, nec possumus tam admirari, quin etiã maiori admiratione non indigeat, id tam pertinaciter affirmare, omnino semine sata degenerare, deterioraq; fieri. quod etsi in aliquibus verum sit, in omnibus omnino affirmare tanti philosophi indignum videtur, quum permulti fructus extiterint semine orti, & optimi. non tamen inficior insitione me-

liores fieri posse. Nec puto aliam rationem induxisse tam excellentem virum hæc asserere, nisi quod sterili Græciæ solo sic nascerentur. Virgilius,

Nam quæ seminibus iactis se sustulit arbos
Tarda venit, seris factura nepotibus vmbram.
Pomaq; degenerant, succos oblita priores,
Et turpes auibus prædam fert vua racemos.

Palladius dicit, Quæ seruntur, nasci quidem necesse est suam originem refouēre natura, cuius æternitati nulla tarditas potest afferre fastidium, sed homini longa ab his expectatio superest, & à generis nobilitate decedunt. Pyri semina sata, & serò venire, & seminis nobilitate degenerare. Florẽtinus, Plantæ à semine omnibus plantis sunt deteriores. Sed stirpes semine satas diuersas in species mutari ex mille repetitis Theophrasti locis colligimus. Sed vt ea, quæ scribimus clarius intelligãtur, primùm meo more omnia, quasi in tabella depicta oculis spectanda proponam. Stirpium semina terræ commissa quum nascuntur, vel omnia mutantur, vel partim mutantur, partim non mutantur. Mutantur omnia semine sata cœli, regionisq; mutatione, scilicet cœlo inuidente, solo repugnante. Quod si à solo nonnunquam impetratur, vt alienas aduenasque alat plantas, cœlum nullo modo quit flecti: si verò cœli clementia fauet, solo reluctante, quæ nascentur, aut inuita parient, aut fructuum, arborumque mutatio eueniet. Et aliquando aut ex deteriori in melius mutatur, aut ex syluestri in vrbanum, vt punica in Ægypto acida tum semine, tum planta, in Cilicia in dulcem quodammodo, & vinolentam conuertitur. Et circa Solos iuxta amnem Pinarum omnes sine nucleo surgunt. Aliquando verò ex meliori in deterius, vt fructiferæ in steriles mutantur. Palma ex Babylone, & Syria translata in Græciam sterilescit, ac prorsus germinis infœcunda redditur. Sic persica in Ægypto largè, suauiterq; fructum progenerat, in Rhodo, aliisq; locis procedens fructificare paucissimè comperitur. Sic etiam fici in Ægypto, & omnibus eius tractibus bonæ frugis non sunt. Et Cypriæ brassicę semen ad nos aduectum si seratur, solùm primo anno cauliculos teneros profert, postmodum degenerat in nostrates, clareq; hæc mutatio omnibus manifesta est. Diximus de trãslatis seminibus, nunc verò de iis, quæ loco in quo orta sunt, sata, in arbores exeunt, quæ sui similem ferant, & hæc partim mutantur, partim non mutantur. Arbores quæ non mutantur, sed sui generis amantissimæ sunt, illæ sunt, quas robustissimas vocamus, diutiusque naturæ contumacia permanent, vt palma, pinus, picea, abies, & reliquæ, quum in deterius mutatio accidere non possit: ferocitas enim vltimum est. Nec probè putatur eas posse degenerare, quæ solo semine nasci possunt. Ex quo Plinius. Ex his quibusdam natura non degenerandi quoquomodo serantur, vt cupressis, lauris, & palmis. Possunt etiam & regiones aliquæ arboris naturam susceptam seruare, aliæ stato tempore, aliæ semper. Omnes fructus quum loca idonea nacti sunt, melius seruare sua genera possunt,

ſunt, præcipuè ſi arbores vigent, fructúmque laudatum præſtare ſuapte natura poſſunt. Ob id apud nos multas arbores eodem ſeminio natas, eadem ſemina ſemper reddidiſſe vidimus, nec aliam ob cauſam, quia ſolum tam fœcundum, colles tam aprici, cœlum ita clemens, vt merito maiores noſtri & felicē, & beatam Campaniā vocitarint. Perſica ſuo oſſe ſerimus, eademq; proueniunt, nam & ſerotina, & præcocia, duracina & nuciperſica, vti depoſuimus, ſic & ſuis radicibus nata ſurgunt, vt è proximis cāpis videre licet, qui ad explenda Neapolitana pomaria quotannis innumeras myriadas mittunt. Arantia ſuo ſemine ſata eoſdem fructus reddidiſſe vidimus, dulces, acidos, & eiuſdem formæ, & magnitudinis, vt continuò in Stabiarum plantariis videre licet. Nec laurus, & myrtus apud nos ſatæ degenerant, vt ex iis, quæ virent in noſtra villa vidimus: natæ ſunt ex ſeminibus, quæ ex eiſdemmet arboribus ceciderant, quanquam & Plinius in Campania eiuſmodi genera baccis ſeri confirmet. Pini, & cupreſſi ſemina, quæ ex fatiſcentibus conis cadunt, eiuſdem generis creant arbores. Sic & nos quæ fictilibus vaſculis ſerimus, & duros fructus, & tarentinos producunt, vt eorum ſata ſemina. Quercus ex decidentibus glandibus ſemetipſa ſerit. Idemque de ficario grano dicimus, quod non caprificum, ſed ficum tantùm producit. Et M. Varro tranſmarinas ficus, Chias, Chalcidicas, & Lydias, & Aphricanas, cæteraſq; in Italiā ſemine perlatas tradit. Palladius ſe expertū refert, ſorbos ſuomet ſemine natos optimos fructus præbuiſſe, multaſq; arbores ex pomis ſpōte progenitas, & in creſcendo, & in ferendo extitiſſe felices. Pamphilus Græcus teſtatur omne genus ſuo ſemine ſatum ſuum genus producere, præter oleam, quæ oleaſtrum producit. Columella feraciores arbores ex ſemine ſatas eſſe, quàm quæ plantis, vtpote ramo producuntur. Vnde nō poſſum non mirari ſummum philoſophum, eiuſq; alumnum Theophraſtum, cuius doctrinam admiror, hæc tam pertinaciter defendere. Quæ verò mutantur, vel naturæ, vel artis opera mutantur. Dicemus primò, quæ naturæ opera mutantur, vt arbores, & herbæ, & hæ vel in congeneres, vel longè diuerſas. Arbores quæ in congeneres, & deteriores mutātur, numeroſa eſt earū vbiq; gentium multitudo, omnibuſq; perſpicua. Immò Theophraſtus omnia ſemine ſata deteriora naſci ſcripſit. Is namque in hiſtoriis. Ex grano ficario nullum penitus genus, ſed caprificum tantum erumpi, ac colore diſcrepans, & ex nigra ficu candidam, & ex candida nigram gigni. Ex vite nobili ignobilē, & ſæpè diuerſam exire: nonnunq̄ inurbanum quoddā, nec fructum quippe perficiens, vt ex oleæ nucleo oleaſtrum naſci, & ex acinis glaucis mali punici vilia exire, & ex enucleatis dura, & plerūq; acida, & ex pyro pyraſtrum, & ex malo dulci tum deterius, tum acidū, ex ſtrutheis coronea, amygdalā tum ſapore, tum mollitie degenerare, quercū deteriorem exire. Itaq; cū pleriq; ex ea, quæ in Epyro naſceretur, ſeuiſſent, ſimilē prouenire non potuiſſe. In Antandro colore laurum, & myrtum degenerare, ex fructu nigro rubrū fieri, & ex fœmina cupreſſo marē ꝓuenire affirmāt. Palmam,

pinum coniferam, tineoſam maximè naſci. Euenit quoq; fructuum mutatio, non ſolum in congenerem, ſed in ſpeciem longè diuerſam, quod admirabile eſt profectò: nam multo maius eſt ſpeciem amittere, quàm in ſpecie ſimilitudinem. Tuberum ſemina ſi ſerantur, in calabricem degenerant, & armeniacæ, & præcocii fructus, qui nobis *almarges* dicuntur, ſi ſerantur in prunum degenerant, ſic nuciperſica in perſica, & ſimilia paſſim euenire videntur ab omnibus, qui ſeminariis curam impendunt, ſed id non ſemper, ſed quum pluuiæ inceſſerint, cuius cauſam veteres omnes tum Græcos, tum Latinos, ne dicam Theophraſtum latuiſſe video, idq; ex inſitione euenit. Apud nos tubera in calabricem, ſiue oxyacantham dixeris, inſeruntur, quum raro, vel nunquã apud nos ſemine ſata videantur, ſic armeniaca, præcocia in prunum, & dulces amygdalæ, in amaras inſeruntur. Semina fructus ſata ſubditi trunci aliquando naturam referunt. Mutantur non ſolùm arbores, ſed herbæ, & ſi frequentius arbores, cuius ratio eſt, quòd vegetiorum arborum ſemina imbecilliora ſunt, quòd antequam hient, multa eſt eis opus mora, interpollationeq; in naſcẽdo, ob id duro contumaciq; tegumento natura ſepſit, largioremq; alimenti copiã attrahunt, ob id facilius mutantur. Contrà annigenarum ſemina cito prodeunt, ob id nuda, aut non multum amicta, amictumq; illud prætenue, paruumque alimentum attrahunt, ſic non primo ſatu ſed tertio anno degenerant. Affectus is mutationis plantis, & animalibus eſt communis, ſed tertio anno mutantur, omnia enim ex momento alterantur, & ſua natura migrant. Contrarium in plantis, quia quum plantantur, eò imbecilliores ſunt, quo magis ſemine ſeruntur. Herbæ etiam altera in alteram mutantur, primò quæ mutuas inter ſe acceſſiones, & viciſſitudines habent, formarumque affinitatem, poſtremò quæ in longè diuerſas. Siſymbrium in mentam mutatur. Nos è ſemine mentę ſato, forma mentam, odore nepitam æmulantem habuimus, vt omnibus mirum videretur. Tranſeunt etiam herbæ ſemine ſatæ in longè diuerſas ſpecies, nam videmus triticum, & linum loliaſcere. Semen vetus tantùm valet in quibuſdam rebus, vt naturam commutet: nam ex ſemine braſſicæ vetere ſato naſci aiunt rapam, & contrà ex raporum, braſſicam: ex M. Varrone. Mutãtur etiam aliqua ſpontè, & de ſpecie in ſpeciem tranſmigrant, vt candida populus in nigram commeat, tum fronde, tum tota ſpecie. Quæ verò ſemina arte mutantur, non ad hanc pertinent ſpeculationem, fit enim agriculturæ opere, plãtas corroborando, aut debilitando. Debilitamus ablatione, & deprauatione: ablatione, quum putamus, aut abſcindimus radicis partes: deprauatione, quum affigimus trunco clauum, aut ficum ſcarificamus. Corroboramus quũ adaquamus, aut ſtercoramus, aut ridicas apponimus. Triticum fit ex tipha paratu quodam, & arte, ſicut etiam ea, quæ præmacerata fructus dulciores afferunt. Sed de his latius in ſingulorum hiſtoriis loquemur.

Generationis modus ex radice. CAP. V.

Gene-

GENERATIONIS modus à radice duplex, vel ſponte naturæ, vel artis opere. Quæ radice natura ſeruntur, vel integra planta radix ſeritur, vel ſola radix ſine ſtipite, quod idem in herbis demonſtrabimus. Eſt autem per radicem generatio maximè naturalis, & ob id ſylueſtrium generi accommodata. Eſt autem radice ſerere, quum viuiradix planta ſeritur: diciturq; viuiradix, quaſi viuam radicem habens, ad differentiam ramorum, paxillorumq;, qui ſine radicibus ſeruntur. Viuiradices plantæ non ex omnibus, ſed ex prolificis tantum arboribus ſumuntur. ſunt autem plantigeræ arbores, quæ non ſolùm iuxta truncum, ſed è longinquo prolificant. Theophraſtus enumerat pyrum, punicam, prunum, & vlmum. Pyrus verò, & punica non ſolùm è proximo, ſed è longinquo ſoboleſcunt, vtpote, quæ prolixa radice ſubeant. Contra verò abieti, pino, larici, palmæ, cedro, & cupreſſo negata eſt nepotum procreatio. Virgilius alias arbores pullulantes nominat.

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylua,
Vt ceraſis, vlmiſq;, etiam Parnaſſia laurus
Parua ſub ingenti matris ſe ſubiicit vmbra.
Hos Natura modos primum dedit, his genus omne
Syluarum, fruticumq; viret, nemorumq; ſacrorum.

Has omnes è radicibus extirpandas eſſe iubent agricolæ, quum matres lædant, quod idem quoq; præcipit Poëta.

Nec non & ſterilis, quæ ſtirpibus exit ab imis,
Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros:
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Creſcentiq; adimunt fœtus, vruntq; ferentem.

A quo Plinius. Natura & plantaria demonſtrauit, multarum radicibus pullulante ſobole denſa, & pariente matre, quas enecet. Eius quippe vmbra turba indigeſta premitur, vt in lauris, punicis, platanis, ceraſis, prunis. At radices, quæ ſine ſtipitibus panguntur, in multas partes diuidemus, vt ex vna plures fiant, quod in olea optime prouenit. Theophraſtus oleam radice optime prouenire ſcripſit, quod Columella nos docuit. Quidam melius exiſtimant ex radicibus ſylueſtrium olearum hortulos excolere, ſed poſt vernum æquinoctium ſeri debent. Ex eo Palladius. Scio pleroſq;, quod facilius atq; vtilius, radices olearum, quæ in ſyluis plerunq; ſunt, aut in locis deſertis, in cubitalem menſuram reciſas ſolere diſponere, & admiſtione ſtercoris adiuuare. In fruticibus quoque Theophraſtus tradidit, & herbis. Quæ radice geniculata proueniunt, è ſingulis geniculis germen ſurſum, & radix ſubtus erumpit, vt gramen, & arundinum quoddam genus, ſi quis in obliquum colos præciſas fimo, terræq; abſcondat. Columella etiam arundines bulbis optimè ſeri tradit: quos alii bulbos, alii colos vocant: vnde arundinibus radicem conſectam diſponunt. Nos in Sicilia & Brutiis præciſas arundinum colos ſaccariferarũ ſerimus, & ſic earum ſegetes inſtituimus. Roſa enim ex ocellis radicis ſeritur.

In herbis verò, quæ tenui & diluto cortice integuntur, quemadmodum rapæ, raphani, betæ, ari, integram radicem serimus: partes verò bulborum, qui radices suo latere promunt, non solum hortensium, sed syluestrium, vt cepæ, gethyi, allii, scillæ, aliorumq;. Dioscorides heleni agnatas propagines, aut liliorum, aut ari modo seri scripsit: asparagi radices, mentæ, armoraciæ, napunculi, cæterorumq; Diximus generationes, quæ naturæ sunt, nunc quæ artis, vel electus: & primò dicemus eas, quæ naturales sunt, postmodum quæ arte impetrantur in propagatione. Auulsio ocyssima generatio est, auctuq; facilis, similesq; fructus affert, vt mater vnde auellitur. Auulsio est plantarum ablatio cum radicis parte, vt sationi sit idonea. Plinius ait, Et aliud genus simile natura monstrauit, auulsiq; arboribus stolones vixêre. Quo in genere, & cum parui sunt auelluntur, partemq; aliquam è matris quoq; corpore auferunt secum, fimbriato corpore. Plantæ, quæ auelluntur, stolones dicuntur, Græcis μόσχοι quasi vituli plantarum; Latinis stolo, quasi stolida fruticatio ex arborum radicibus. nomenq; à Stolone viro traxit, qui, M. Varrone referente, propter diligentiam culturæ, Stolonũ confirmauit agnomen, quod nullus in eius fundo reperiri poterat stolo, quod effodiebat circum arbores, è radicibus, quę nascerentur è solo, quos stolones appellabant. Plinius item, Stolonum cognomen Licinię genti; ita enim appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis, vnde & pampinatio inuenta primo Stoloni dedit nomen. Didymus ab his, Stolones appellari ait, qui arboribus vniti, & agnati sunt, ex ipsisq; auelluntur vnà cum conspicua radicis parte. Differt à stolone verò viuiradix: stolo enim est qui nascitur circa stipites & auellitur cum radice, & corporis parte, & sic seritur. Viuiradix verò est, quæ integra ex arboribus longinquo extrahitur. vnde auulsionem non admittunt, ait Theophrastus, nisi quæ fruticosæ sunt: nam arbores, quæ vnistipites sunt, carent eo, quod auellere possis. Est & auulsio duplex, plantarum & herbarũ. Laurum auulsione nasci difficile putat Theophrastus: sed si auellitur, radicis, & stipitis aliquid habere oportet, fieri tamen potest, vt absq; eo tam punica, quàm malus verna exoriatur. Plinius, Hoc modo plantantur punicæ, coryli, mali, sorbi, mespili, fraxini, fici, inprimísq; vites. Cotoneum ita satum degenerat. Sabina auulsione etiam seritur. Didymus. Malum, cerasus, ziziphon, nux parua, chamedaphne, myrtus, & mespilum. Virgilius in Georgicis.

Hinc plantas tenero abscindens de corpore matrum
Deposuit sulcis.

Herbæ autem quoq; auulsione nascuntur, vt ruta, & brassica, vt Theophrastus tradit. Semper enim aliquid radicis accipitur.

Plantatio ex radice per propagationem. CAP. VI.

SEQVITVR propagatio auulsionem, altera per integram plantam satio: nam vbi natura in minime fruticosis arboribus viuiradicem fieri negat,

ars, quò ramus radicem submittat, propagationem adinuenit, quò aliò transferri possit. Propago Festo Pompeio authore à propagando dicta. Rustici enim vetulam vitem per inflexos arcus supprimunt, vt ex vna plures emergant. Dicta est propagatio, quòd porrò pangatur, id est, longè figatur. Huiusmodi arborum generationis modi Græci scriptores non meminerunt. Plinius naturam propagines docuisse scribit. Rubi nanq; curuati gracilitate, & simul proceritate nimia defigunt rursus in terram capita, iterumq́ue nascuntur ex sese, repleturi omnia, ni resistat cultura, prorsus vt possint videri homines terræ causa geniti. Ita pessima, atq; execranda res propaginem docuit, atque radicem acquiri viridem. Eadem autem natura est ederis. Propagatio duplex, arborum, & herbarum. Arborum duo sunt modi, alter ramo ab arbore in scrobem depresso, alter ramo in arboris cacumen manente, sed vel per vasa fictilia, vel qualos traiecto, terraq; compacto. Arborum propagatio, qua ramus deprimitur, quadruplex est: hanc Columella in vitibus docet, in aliquibus nos vti possumus. Prima quum virga à matre edita sulco committitur, altera quum ipsa mater prosternitur, atque in plures palos per suas virgas diuiditur, tertia quum mater in duas vel tres partes scinditur, si diuersis locis diducenda est, quarta quum breuis virga depressa obruitur, ac post triennium amputatur. Propagationis modos Cato docuit, Propagatio pomorum, cæterarumq; arborum. Arboribus abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito, extollitoq́ue priorem partem, vti radicem capiant, inde biennio post effodito, seritoq;. Ficum, oleam, malum punicum, cotoneum, aliaq; mala omnia, laurum, myrtum, nuces prænestinas, platanum. Mala struthea, laurum cypriam, delphicam, prunum, myrtum coniugulum, & myrtum album, & nigrum, & nuces auellanas. De ramis, quæ diligentius propagari voles, in aullas, aut in qualos pertusos propagari oportet, & cum his in scrobem deferri oportet. In arboribus, vbi radices capiant, calicem, aut qualum pertundito per fundum, ramum, quem radicem capere voles, scarificato, traiicitoq; Eũ qualum, aut calicem terra impleto, calcatoq; bene, in arborem relinquito: vbi ita fuerit, & radices egerit, ramum sub qualo præcidito; qualum incidito ex vna parte perpetuum: si verò calix erit, conquassato, cum eo qualo, aut calice in scrobẽ ponito. Eodem modo vitem facito, eam anno post recidito, seritoq; cum qualo. Hoc modo quodq; genus volueris propagabis. Plinius è Catone transcribens sic ornatè loquitur. Propagationum duo genera. Ramo ab arbore depresso in scrobem quatuor pedum quoquò, & post bienniũ amputato flexu, plantaq; translata post trimatum: quas si longius ferre libeat, *in qualis* statim, aut vasis fictilibus defodere propagines aptissimum, vt in iis transferantur. Alterum genus luxuriosiùs, radices in ipsa arbore sollicitando, traiectis per vasa fictilia vel qualos ramis, terraque circumpactis, atque hoc blandimento impetratis radicibus inter poma ipsa & cacumina (in summa enim cacumina hoc modo petuntur audaci ingenio) arborem aliam

longè à tellure faciendi, eodem, quo supra biennii spatio, abscissa propagine, & cum qualis illis sata. Sabina herba propagine seritur, & rhododendron. Sic salices & castaneæ. In herbarum propaginibus Theophrastus caulem rosæ, & lilii prosterni iubet, & sic rosa & lilium nascuntur. Palladius confirmat. Virgilius de propagine ita canit:

Syluarumq́; alia pressos propaginis arcus
Expectant, & viua sua plantaria terra.
Sed truncis olea, melius propagine vites.

Arborum satio per truncos. CAP. VII.

DIXIMVS integras arbores serendi modos, & per radicem, nunc ad alteram generationis partem traducamus stylum, scilicet quomodo trunco, ramo, & surculo nascantur: nam arboris partes maximæ, & primæ quatuor sunt, radix, truncus, ramus, & surculus; & primùm videamus, quæ arbores trunco nasci possunt. Truncus, ex Theophrasto, est in quẽ defertur alimẽtum, simplexq́; supra terrã assurgit. in arboribus caudicẽ appellare solemus, in herbis caulem. Sed seruntur arbores trunco, itẽ herbæ caule, vel integro, vel in partes consecto. Integro trunco Theophrastus oleam nasci scripsit. ratióque huius generationis est, quòd prægrandes rami oleæ, oleastri, & myrti, succolenti sunt, scilicet pinguedine & densitate, proinde exiccatu difficiles: suorum enim corporum spissitas, & præsentis vitæ sedes est & futuræ auspicia, non tamen sine naturali calore, nil enim densitas illa facit, si comes est siccitatis, & inepta ad nepotum procreationem. Virgilius in olea talem serendi modum sic expressit.

Sed truncis olea, melius propagine vites
Respondent, solido Paphiæ de robore myrtus.

Theophrastus etiam palmę huiusmodi satum vitalem esse ait, quippe qui si eius truncus inuersus pangatur vdo solo, & germina supernè cieri, & infernè copiosas radices comparari, quod nos in populis, salicibus, sambucis, aliisq́; quotidie videmus. Nec solùm integro trunco oleam nasci Theophrastus scripsit, sed etiam ligno. Quid verò per lignum intellexit, nisi truncum per longitudinem scissum, & in partes consectum? Talem serendi modum per lignum mirè etiam Virgilius expressit.

Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Truditur è sicco radix oleagina ligno.

Sed quum lignum seritur, monet Theophrastus subtus scindendum, ac infecto lapide ferendũ. Sic oleæ, fici, reliquorũq́; satio fieri debet. Sed non solum trũci partes, sed partiũ partes serẽdas docẽt Grę ci, scilicet cortices. Dioscorides namq́; corticẽ albæ populi & nigræ cõcisum, & stercoratis sulcis inditũ, edules fungos dare. Quod etiã Tarentinus Græcus affirmauit. In herbis verò caulis est trunci loco. Ideo herbam conciso caule nasci operæ pretium est dicamus.

Theo-

Theophrastus liliorum, & rosarum caules concisos, & germen citare, & radicari posse scribit. Sic arundines præfissa stirpe enasci, germinarique. De rosa, M. Varro, Plinius, aliique referunt.

De satione per truncos, & de talea, & claua. CAP. VIII.

SEQVITVR vt per ramos serendi modos doceamus. Rami dicuntur, qui in caudice fissi multiplices sparguntur, & vt caudex radice, sic rami caudice fulciuntur. Multis modis ramos serere maioribus nostris mos fuit. Nam aut integrum ramum, aut eius partes, sic & diuersa nomina indiderunt, nam recisum in plures partes ramum nunc clauam, nunc taleam vocitarunt. Τάλεα vox Græca est, sed Latini in suum vsum conuerterunt, vt taleare pro incidere rustica vsurpet simplicitas. Nonius scissiones lignorum, vel præsegmina taleas vocat. M. Varro, Intertaleare, rusticorum voce, diuidere est, vel ex vtraque parte æquabiliter præcidere, & excidere. Alibi verò ramum ex vtraque parte æquabiliter præcisum, claueolam & taleam appellat, facitq; circiter pedalem. Sed inter authores rami, taleæ, & clauæ nomina confunduntur. Varro clauam & taleam idem esse putauit, vt diximus. Palladius videtur inter ramũ & clauam, & taleam differentiam fecisse: nam de citriis loquens ait. Ramus non amplius sesquipede debet immergi, ne putrescat: claua sit manubrij crassitudine, longitudine cubitali, omnisq; obruatur: sed talea gracilior & breuior esse potest, quæ etiam mergetur, sed palmis duobus supersit. Didymus ramum & taleam maximè differre putat. Hanc sationis inuentionem Plinius casui ascribit. Inquit enim, Casus ingenio suo excogitauit, ac defractos serere ramos docuit, quum pali defixi radices cepissent. Taleæ nobis non paruam commoditatem præstant, nam vbi arbores semine careant, natura nos docet, vt iis vtamur, vel si cupiditas nos stimulet citiùs arborum nascendarum. Varro, quia ex semine fici, aut oleæ ad crescendum tardæ sunt, surculos, & taleas in seminariis expedit obruere, ait. Præterea quæ taleis seruntur, sapidiores fructus afferunt, & ex vilibus optimos, sed cito pereunt, cõtra verò in arboribus, quæ ex semine prodeunt. Nos serẽdi modum à Catone, seminum verò qualitatem à Theophrasto desumemus. Ramos ab arboribus vegetæ ætatis non prouectioris petendos censet. Quæ verò iuuenili ætate sunt, & pleno corpore constant, & melius germinant. Sint nitidi læuissimique: quod enim læue & nitidum, incolume inoffensumq; constat, contrà scabrum, obsitumq; nodis præsertim cæcis, euanidisque, incolumitate orbatũ est. Ad hæc læuitas, & rectitudo ad succi sorbitionem facilem meatum expeditumq; præstat, vt incrementa celeriter sequantur. Rectè etiam animaduersum, vt ex simili solo, vel saltem non deteriori semina petenda: nam imbecilli cuiq; mutatio molestiam affert, imbecille enim amissis natalibus suis. Preterea cum loci mutatione, ne situm mutẽt, sed quam cœli partem respexere apud parentes, in eam iterum vergant, vt nil naturæ, morisq; immutetur. Taleam à ramis abscindunt, ne vires ad excitan-

dum germen euanescant. Partem ab inferiori arboris parte petendam, vtpote robustiorem, exceptis vite, & fico, & quicquid humidum est. Quum ponũtur, erectæ ponendæ sunt, nec multum terra extent, lenta enim incrementa capit planta, quum pars, quæ supra terram, maior subterranea fuerit. Cęsura sit prope terram: nam celerius redeunt, quàm quę altius fuerint obtruncatæ. Postremo plagas obteges, ne sol, néve imber eò se induat, ob id alij oblinunt luto, alij imponunt scillam plagæ, ac scillæ fictile. Scilla seruat pristinum arboris vigorem, seruatur ea à luto, à fictili lutum. Triplex in satione differentia, siue scrobibus, siue seminariis, siue sulcis seras. Cato hoc modo docet. Taleas quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito, diligenterque tractato, ne liber laboret, quum dolabis, aut secabis, quas in seminario saturus eris, pedales facito, easque sic inserito. Locus bipalio subactus sit, beneque glutus sit. Quum taleam demittes, pede tantum opprimito, si parum descendit, malleo, aut mateola adigito, cauetoque ne librum scindas, quum adiges. Palo prius locum si feceris, quo taleam demittas, & si ita seueris, vtilis fiet talea, meliusq; viuet. Taleæ vbi trimæ sunt, tum deniq; tibi curæ sint, vbi liber sese vertet. Si in scrobibus, aut in sulcis seres, ternas taleas ponito, easq; diuaricato supra terrã, ne plus quatuor digitis transuersis emineant, gemma, vel oculo seruato. Plinius de taleis hæc habet. Seruandum in eo ante omnia, vt taleæ ex feracibus fiant arboribus, ne curuæ, ne scabræ, aut bifurcæ, néve tenuiores quàm vt manum impleant, ne minores pedalibus, vt illibato cortice, atque vt sectura inferior ponatur semper, & quod erit ab radice; accumuleturque germinatio terra, donec robur planta capiat. Sed animaduertendum erectam taleam dici, cuius pars ima terram spectat, summa cœlum, inuersam verò, quæ cacumine infosso deorsum spectat, cœlum cæsura. Columella oleæ rectam taleam deponere iubet, nam inuersa sterilitatem minatur. Plinius, vt secura semper inferior ponatur, & quod erit ab radice. Theophrastus de ficu, olea, & myrto loquens, Ficus à ramo seritur vastiore, qui debet exacutus percuti malleo, quoad supra terram exiguum relinquatur, ac deinde arena superiniecta operiatur, easque plantas meliores effici volunt, quandiu nouellæ extant. Oleam verò & myrtum quæ trunco, præcisaq; seruntur, deorsum versus sectura inuersa serere oportet, nec palmo minora præcidere, corticemq; minimè detrahere. Seruntur autem ex his rami, quibus germinantibus terram semper assiduè accumulandam, quoad satis corroborentur. Quod contrarium sentit Theophrastus de inuersa talea, puto ex Theodori interpretatione errorem contigisse, quòd inuersam taleam non rectè interpretatus fuerit, quum rectam dicere deberet: repugnat enim experientiæ, & tantorum virorum authoritatibus. Sed apud nos citria inuersa talea seruntur. Multa taleis seruntur, ait Plinius, inprimisq; ficus, omnibusque aliis modis nascens, præterquam talea, optimè quidem si vastiore ramo, pali modo exacuto adigatur altè, exiguo super terram relicto capite, eoque ipso arena cooperto. Ramo seruntur & punica palis laxato prius

meatu. Item myrtus. Omnium horum longitudine trium pedum, crassitudine minus brachiali, cortice diligenter seruato, trunco exacuto. Myrtus & taleis seritur. Morus & talea tantum. Mespilus & taleis. Didymus talea, & ramis plantari ait amygdalam, pyrum, morum, citrium, malum, oleam, cotinea, populum albam, & nigram, hederam, zizyphum, myrtum, castaneam, & transplantata meliora reddi. A ramis & talea tãtum plantari vitem, salicem, buxum, & cistum, quum auulsione nasci prohibeantur: propterea quod à radicibus nepotum exortia sunt. Virgilius de taleis hæc cecinit.

——hic stirpes obruit arno
Quadrifidasq; sudes, & acuto robore vallos.

Theophrastus ait. Si quis in Græcia palmæ ramos supernè recisos serat, radix dimittitur, & germen non solùm crebro nasci, verùm etiam subtus radicari largiùs asserunt. Itemq; è ramis malum & pyrum rarò nasci.

Quomodo surculo plantentur, sine cacumine, & de virga. CAP. IX.

IAM ad surculi sationem ventum est, qui à matre detractus terræ gremio ad alias iterum arbores procreandas figitur. Hic in terram, & in truncum figitur. vt inferius demonstrabimus, quum de insitione agemus. Græcis κλάδος, ab inflectendi facilitate, vel ἀκρέμων à fastigio, & mansione dicitur. Latinis surculus, & est quod ex ramis simplex, & indiuiduum oritur, quale est germen annotinum, frondesq; gerit. Plinius de eius inuentione, Ex eodem inuentum est surculos abscissos serere. Hoc primùm sepis causa factum, sambucis, cotoneo, & rubis depactis, mox & culturæ, vt populis, alnis, salici, quę vel inuerso surculo seritur. Hic generationis modus & plantis, & herbis communis est: nam vtræque cacumine scisso facilè germinant. Dicamus nunc de plantis, dicturi postmodum de suffruticibus, & herbis. Theophrastus ait. Non omnes surculi ex omnibus arboribus dempti, & defixi germinare possunt, sed ij tãtummodo, qui non solum moderatum humidum, caloremque habent, sed vtrunque retinere valent & seruare, vt ficus, vitis, & inter steriles & aquarũ præauidas salix sambucus, & vtraq; populus: sed natura siccis penitus negatum est. Nam ex arbore dempti quamprimum difflantur, euaporãturque, innatumq; calorem amittunt. Ficus enim & vitis quum summa habeant tenera, humectaq; facilè germinare possunt, sic & salix: at contra oleæ extrema, quia sicca ex tenuitate, ad edurandum inualida sunt, sic de pyro, & amygdala, lauroque asserere licet. Contra tamen sentit in historiis, nam ficum omnibus modis exurgere posse inquit, præterquam ramo & surculo, quod vel textus Græci corruptione, vel mala Theodori interpretatione contingere potest, aliter & sibi ipsi, & experientiæ contradiceret. Exoritur item paxillo tam punica, quàm malus verna. Virgilius surculum cacumen appellat.

Nil radicis egent aliæ, summumq; putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

Nos in Surrentino tractu quum in vineis vites propagamus, simul cum vitibus, ficus, mori, mali vernæ surculos apponimus, optimeque proueniunt. Virgis oleam exoriri posse etiam tradit Theophrastus: nam si extrema ramorum ob insitam siccitatem sata nequeunt germinare, contra id nobis natura negatum remedium, est adinuentum ab agricolis. Surgit etiã punica ex virga. Cæterum inter sicca, simplicia & nepotum exortia sola palma præter ex semine ortum alios proueniendi modos sortitur. Inter cæteros ex tenerrimis virgis Babylonij viuiradices efficiunt, adultasq; transferunt, quod ex soli vbertate, & nascendi facilitate prouenit: tenerrimæ enim virgæ petuntur, quia tales humidissimæ sunt. Columella cacumina ficorum, pyrorúmve, & malorum depangere monet. Palladius cerasum virgula nasci scripsit: nam pro adminiculis per vineam positam, in arborem prosiluisse confirmat: sic & punicam: curandumque ne inuersa ponatur. Sed diximus de arboribus, nunc verò ad suffrutices, & herbas transeamus. Theophrastus docuit idem fieri in suffruticibus, vt in ruta, viola (leucoium intelligo) serpillo, helenio, & in coronariis, vt abrotano: hæ enim radices è germinibus suis emittunt, non secus ac hedera. Proximum inter olera ocimum est: hoc enim seri pro parte superiore optimè potest, quanquam lignosum sit. Abrotanum lignosum est, verùm spissitate acoreque suo seruari aliquantulum temporis potest, modo hederæ: nam hæc defixa quoque nimirum erumpere valet. Plinius mentam inuerso ramo seri scripsit. Nos & mentam, & marum cacuminibus continuò serimus.

Quòd folij etiam satio fieri possit. CAP. X.

QVIA sequuntur folia surculos, (nam surculos folia ferre diximus) declarabimus nunc an foliis satio fieri possit. Admirabile est naturæ opus arbores etiam posse natales suos foliis exercere. Plinius demiratur Trogum scripsisse palmarum folia apud Babylonios seri, atq; in arborem prouenire. Theophrastus admirabile quodammodo videri posse inquit, si quid è foliis radicem dimittat, qualem circa Opuntem herbam quandam enarrarunt. A quo excipiens Plinius. Item circa Opuntem opuntia est herba, etiam homini dulcis. Mirumque è folio eius radicem fieri, ac sic etiam nasci. Item Theophrastus laserpitij ortum describens, ait. Radix cubitalis, aut paulo maior, in medio extuberat in caput supra terram, vnde lac erumpit, dein caulis assurgit, ex quo magydaris, & quod folium dicitur, exeunt; folium id semen est, quod quum Auster ingenuè post Caniculam flauerit, discutitur, atq; ita laserpitium nascitur, eodemque anno radix consummatur, & caulis. Ab eo Plinius. Alij tradunt laserpitij radicem fuisse maiorem cubitali, tuberq; in ea super terram, hoc inciso profluere solitum succum ceu lactis, supernato caule, quem magydarim vocarunt: folia aurei coloris pro semine fuisse, cadentia à Canis ortu, Austro flante. Et ex his laserpitium nasci solitum annuo spatio, & radice, & caule consummantibus sese. Sed huiusmodi admiratio cessare debet, quum apud nos ficus

ex oc-

ex occidentali India allata hoc modo nascatur, cuius folium si pangatur, illicò radicatur, atq; in magnam arborem excrescit, vt nō solum si terræ figatur germinet, sed si in solum ceciderit, illicò radiculas emittat. Sed nequeo non mirari Matthiolum, quū apud Theophrastum, & Plinium legisset de opuntia herba, lapsum, credidisse hanc vulgarem Indicam ficum esse opuntem, quum paulò supra nostra tempora ex occidentalibus Indiis allata esset, eiusque apud antiquos nullam prius memoriam extitisse.

De satione per lachrymam. CAP. XI.

SED quid mirabilius? ex gummi fieri posse generationem, ac in eo genitale seminium vigere posse? Theophrastus in historiis inquit, Peculiaris maxima generatio, quæ ex lachryma fit, quippe lilium ita exortum videtur, quum id quod defluxerit sole exaruerit. Lachrymā quoq; equapij, vim eandem sortiri volunt, etenim lachrymam id quoq; emittit, cuius rationem libro de causis assignat. Sed peculiaris maximè generatio, quam lachrymæ præbent, vt equapij, liliorum, & aliorum quorundam, nec ratio abest, nam caulibus gummi planè respondent: nil etenim aliud, quàm quod illorum fœcundum principium coactum esse oportet: non enim sine calore, humoreq; generatio talis consequitur. Cur autem non omnes succi, lachrymæque generandi vim obtineant, causam ad superiores, prioresque rationes reduci par est, id est quod neque caules, neq; radices vim eiusmodi sortiuntur. Equapij lachryma myrrhę similis constat, quamobrem quum quidam hic nasci myrrham audiuissent, equapium apud se prouenire putarunt. Seritur equapium etiam lachryma sua, vt lilium & alia quædam. Lachryma ex eo myrrhæ similis effluit, quidam in totum myrrham id esse affirmarunt. Facit & lachryma lilij cæcū quoddam confluuium, quod etiam serunt. Dioscorides, Smyrnion vocant semine tam myrrham æmulante proximè, vt myrrha sata, alterum quoque nascatur. Ab eo Plinius. Sed præcipuè olusatrum miræ naturæ est, hipposelinon Græci vocant (Theophrastum intelligit) alij smyrneum (Dioscoridem) è lachryma caudicis sui nascitur, aitque Theophrastus myrrha sata natum.

De interuallis plantarum. CAP. XII.

POSTQVAM plantarum generationes affatim demonstrauimus, instat nunc ratio quonam modo seri debeant, quum de ea re nō pauca antiquorum præcepta extent, ac priusquā loca arboribus repleamus, quincunciali ordine metari docebimus, & eo prius quomodo mediæ cuiusque arboris intercapedines destinandæ sint doceamus oportet, quod in re arboraria necessarium iudicamus, quum variabilis, & diuersissima sit: facit enim diuersitas plantarum, vt ad iustam magnitudinem adolescere non possint, & altera alterius vmbra prematur, & semper mutua alimenti rapina necentur, nec ramos, nec fructus spatij carentia proferre possint. Nil fœdius est agricolis, inquit Plinius, quàm gestæ rei pœnitentia, multò iam vt præstet laxitate delinquere, quàm

adultas interlucare iusto plus, & in senectam præcipitare, aut (plerunque ipsis qui posuere coarguentibus imperitiam suam) totas excidere. Has intercapedines arborũ Pompeius antras vocat. Columella id iam monuit, Arbores paribus interuallis serito, vt quũ creuerint, spatium habeant, quo ramos extẽdant, nam si spissè posueris, neq; infra quicquã serere poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt, nisi eas interraseris. Sed exequamur doctrinam. Theophrastus, cuiusque arboris in quacunq; terra vicinia docet plantarũ interualla, tum plantarũ, tum loci natura distribuenda. Nos prius secundum stirpium naturam, postmodum locorum exequemur: nam in interuallis non tam locorum naturam quærere oportet, quàm ipsarum arborum mutuum respectum, arborumque naturas, quæ scilicet vmbras ament, vel fugiant, vel quæ longo, vel breui sint radicatu, quæ vmbrosæ opacæq; sint, & vmbris carentes, quæ mutuo coniugio deuinciantur, vel simultate dissideant, quæ eodem, vel diuerso tempore concipiant, & pariant, & tandem quæ stillicidio infestent. Primò considerandũ quæ vmbras ament, quæve solem requirant, alteræ enim breui interuallo serẽdæ sunt, alteræ amplo, vt quæ solẽ requirunt, apertiores sint, quæ vmbris gaudent, mutua opacitate consequantur illas. Quorum fructus nucleosi, & sicciores sunt, opacitatis amatrices sunt, vt punicæ, & myrti, quarum fructus si plusculũ Solis excipiant, asperi fiunt. Item cui texturæ laxitas, & radicum breuitas, vt laurus, vnde propter suam imbecillitatem præsidio opus habet aduersum æstum & gelu. Præterea quibus radices longiores, quia plus capiunt loci, maioribus interuallis disponantur, quibus verò breuiores, modicis limitibus separentur: radicum enim propinquitas, mutuis offensis infesta erit. Pinus omnibus innoxia esse putatur, idque manifesta causa, quum radice singulari altaque sit, patitur enim myrtos, & lauros propè satas bene se habere: vnde apparet plus incommodare radices, quàm vmbras, pinus exemplo, quũ ei vmbra tanta sit, vt nocere queat, nec noceat. Amygdalũ in vineis aliqui serunt, tãquam innocentissimã, quia modico eget nutrimento, nec serotina est, nec multum opacans. Sed falsa est eorũ opinio, quippe valida est, comitemq; habet radicum multitudinẽ, & prolixitatem, nec quia serò parit, radicum noxam aufert. Sed punica & malus veras habent innocentiæ conditiones, quum numerosis radicibus non nitantur, nec hauriant viciniæ succum, & quum cito senescant, non diu infestant. Vnde punicas, myrtos, & lauros crebras serere, nõ plusquam nouenis pedibus distãtes præcipit, malos distantes paulo plus, pyros amplius, & prunos, amygdalas, & ficos multò amplius. Accedit vmbrarũ consideratio, ampla enim vmbra, ampla quærit interualla, vt ficus, & olea, vnde molestæ sunt tam viti, quàm cæteris. Plinius ait. Interualla diiudicabunt ramorũ amplitudinis ratio, locorumque, & vmbræ cuiusque arboris, quoniam has quoq; obseruari oportet. Breues sunt, quamuis magnarũ arborum, quod in orbẽ ramos circinent, vt in malis, pyrisque. Eædem enormes cerasis, lauris. Cupressi vmbra minima, & in se conuoluta, ficorum leuis, quamuis sparsa: ideoq; inter vineas

feri

feri non vetantur: vlmorum leuis. Attico hæc quoque videtur è grauissimis, nec dubito si emittantur in ramos: constrictæ quidem vlmi noxiam esse non arbitror. Iucunda & platani, quamquã crassa: licet gramini credere, non soli, haud alia leuius operiente toros. Populo nulla ludentibus foliis. Pinguis alno. Vitis sibi sufficit mobili folio, iactatuq; crebro, solem vmbra temperans, eodem graui protegens in imbre. Omnium ferè leuis vmbra, quorum pediculi longi. Non fastidienda hæc quoq; scientia, atq; nõ in vltimis ponenda, quando quibusq; satis vmbra aut nutrix, aut nouerca est. Iuglandium quidem, pinorumque, & picearum, & abietis quæcunq; attigere nõ dubie venenum est. Iuglãdium grauis & noxia, etiã capiti humano, omnibusq; iuxta satis. Necat germina & pinus, sed ventis vtraq; resistit, quoniã & protecta vinearum ratione egent. Vlmorum nutriens quæcunq; opacat, alni pascens sata. Est & stillicidij incõmodum. Stillicidij breuis diffinitio est. Omnium quæ proiectu frondis ita diffunduntur, vt per ipsas nõ defluant imbres, stilla sæua est. Stillicidia pinus, quercus, ilicis põderosissima, nulla cupressi. Palladius cydonia largiùs ponẽda suadet, ne alteram quatiente vento stillicidium tangat alterius. Nec spernenda est consideratio plantarum, scilicet quæ vicinia lædunt, quæ se mutuo amicitiæ cõiunctu associant, vt oleæ, & myrti. Androtione authore tanquã coniugium radicum fieri, & mutuas amplexationes, ac myrteas virgas inter oleæ ramos subire, quibus à Solis violentia caueatur opacatione, neq, tentetur ventis, vnde oliua tenerior fit: exucta nanq; à vẽto & sole fit durior. Sic oleę à cuiusq; arboris vicinia abstinendum. Præterea quæ non eodem tempore germinant, fructumq; inchoant, faciliùs associantur, alternantibus enim per vicẽ temporibus, ac mutuo cedentibus nil penitus sibi auferunt. Consideranda sunt demum loca, vt aptè spatia designentur, in montanis enim propinquiores, quàm planis conserantur, montibus enim radices, comæq; minus augescunt. Plinius plurimũ interesse dicit in hac quęstione, terra, in qua seremus, in quantũ arbores quasq; alat: ventosis locis etiã crebriores seri conducit, nam crebritate sese aduersus ventos facilè tuentur: quæ solæ sunt aduersus ventos desertæ, & infirmæ sunt, turba enim valebunt, vt si nõ magnitudine, atq; robore, saltẽ multitudine, ac cohorte se defendant. Nulla enim re magis arbores infestantur, quàm ventis. Quod & Virgilius in Bucolicis demonstrauit,

Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.

E locorum etiam natura largiùs, vel breuius interualla metiri debent, quod ex diuersis scriptoribus in olea fiet manifestum. M. Cato genus quoddam oleæ in vigintiquinque, aut triginta pedes conserit. In Africa Mago septuagintaquinque pedes interuallo dedit vndique etiam in macro solo, ac duro, atque ventoso, quum minimum quadragintaquinque. Non alia maior in Bœtica arbor, nec cui maiora interualla largiri debeant. Palladius considerat si solum macrum, vel frumentarium fuerit: nam si ager, quem oliueto conserimus, frumentarius fuerit, quadragenis inter se pedibus distent: si

verò macer, vicenis quinis. Sic salices in riguis spatia largiora desiderant, siccaneis arctiora.

De ordine quincunciali. Cap. XIII.

IAm superius plantis interualla destinauimus, sequitur vt vulgatã, & à paucis intellectam quincuncialem rationem tradamus, circa quam non segnis optimi agricolæ cura, & studiũ esse debet, tum propter delectationem, quam ipsa metata & ordinata arborũ dispositio pariet, tum etiã vtilitatem, ne dicam necessitatem. Plotinus pulchritudinẽ esse ait sitam in partium cõmensuratione adinuicem ad totũ omnium. Nam quid profectò aspectu gratius isto, nempe quocunq; modo intueare in ordinẽ se porrigente versu? Quintilianus de orationis ornatu disserit ab arboribus similitudine capta. Quid, inquit, illo quincunce speciosius, qui in quãcunq; partẽ spectaueris, rectus est? Cicero in Catone maiore scribit, Quũ Lisander Lacedæmonius ad Cyrũ venisset, & ei Cyrus conseptũ quendam agrum diligenter consitum ostendisset, fertur Lisandrũ admiratũ proceritates arborũ, & directos in quincuncẽ ordines, dixisse, mirari se nõ modo diligentiã, sed etiam solertiã eius, à quo illa essent dimensa, & descripta. Si de vtilitate nos loqui velimus, est & in ipso multiplex, siue ad plãtatũ incrementum, siue diuturnitatem, & multitudinem prospexerimus. Varro, Pleraq; non solùm fructuosiorẽ agrum faciunt, vt quum in ordinem fuerint consita arbusta, atq; oliueta, sed etiam vendibiliorẽ, vt quæ adiiciant ad fundi pretium. Nemo enim eadem vtilitate nõ quod est formosius, emere mauult pluris, quàm si est fructuosius turpe. De formæ cultura hoc dico, quæ specie fiant, venustiora sequi, vt maiore quoq; cum fructu sint, vt qui habent arbusta, si sata sint in quincuncem propter ordines atq; interualla modica, plus fructus inde auferant. Itaq; maiores nostri ex aruo æquè magno male cõsito, & minus multum, & minus bonũ faciebant vinũ, quod quæ suo quoq; loco sunt posita, & minus loci occupant, & minus officit aliud alij ab Sole, ac Luna, & vento. Hoc licet cõiectura videre ex aliquot rebus, vt nuces integras, quas vno medio cõprehenderis, quòd putamina suo loco quæq; habet natura composita, easdem si fregeris, sesquimodio concipere possis. Præterea quæ arbores in ordine satæ sunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus Sol ac Luna coquũt, quo fit, vt vuæ, & oleæ plures nascantur, & celerius coquantur, quas res duas sequuntur altera illa duo, vt plus reddant musti, & olei, & pretij pluris. Columella ait. Arbores disponere vtile est, ne imbecilla à valentiore prematur, quia nec viribus, nec magnitudine par est, impariq; spatio temporis adolescit. Plinius, In disponendis arboribus, arbustisque, ac vineis quincuncialis ordinum ratio vulgata, & necessaria, non per flatu modo vtilis, verum & aspectu grata, quocunque modo intueare in ordine se porrigente versu. Virgilius mira carminum elegantia depinxit in Georgicis.

——— Nec secius omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.

Vt sæpe

Vt sæpe ingenti bello, cum longa coborteis
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto,
Directaq; acies, ac late fluctuat omnis
Ære renidenti tellus, nec dum horrida miscent
Prœlia, sed dubius mediis Mars errat in armis;
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum,
Non animum modo uti pascat prospectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus aequas
Terra, nec in vacuum poterunt se extendere rami.

Sed antiquis cur dictus sit quincuncialis ordo, declaretur. Litera X apud eos decussis dicebatur. Antiqui enim, vt nos quoq;, huiuscemodi figura denarium numerum significabant. Erat decussis decem asses vnciæ, quod si X literã per medium seces, relinquitur V, quæ figura denarii dimidium, id est, quinariũ numerum demonstrat, vnde etiam Latini eam figuram quincuncem vocauerunt. Constat autem decussis ex duabus quincũcibus appositè collatis. Quincunx enim ex quinque & vncia nomen compositum, vnde arbores in ordine quincunciali digestę putantur, quando secundi ordinis arbores paribus interuallis sic disponuntur, vt quincuncialem figurã seruare adinuicem videantur. *a* distet à *b* decem pedibus, sic *b c*, & *d e*, primus hic erit ordo. Secundus verò *f g h i*, quæ itidem decem pedibus distent, & sit *f* in medio *a* & *b*, *g* in medio *b c* collocetur, sic *h*, & *i*. Sit tertius ordo *l m n o p*, qui primo directè opponitur, & *l* ęquidistet ab *f*, & *m* ab *f g*. Sic *n o p*, ita vt *g* in centri exagono videatur, ęquidistans ab *b c h n m f*: cuius subiecta hæc erit figura.



Hic erit verus quincuncialis ordo. Videmus hunc à natura in omnibus suis rebus obseruari ob creatarum rerum cõmoditatem. Sic frondes in pinu, myrto, erica, cæterisq; dispositæ sunt, & rami in multis arboribus, vt lumine Solis, ventis, aëreq; fruerentur, ne altera alteri subdita hac cõmoditate defraudare-

tur, æqualeq; à ſtipite rami, & frondes alimentum abſq; viciniç noxa haurirẽt. Sed ex his, quæ adhuc videre contigit arbuſta, & viridaria, nunquam me hoc ordine vidiſſe memini, ob magnam, quam affert ſecum hic ordo difficultatẽ. Apud nos ordo vſitatus eſt in quadratum diſpoſitus. Sed videamus nunc modum diſponendi à Columella edoctum. Hæc in quincuncem vinearum metatio expeditiſſima ratione conficitur, quippe linea per totidem pedes, quot deſtinaueris interordiniorum ſpatiis purpura vel quolibet aliquo conſpicuo colore viſitur, eaq; ſic denotata per repaſtinatum intenditur, & iuxta purpurã calamus defigitur, atq; ita paribus ſpatiis ordines diriguntur, quod deinde, quũ eſt factum, foſſor inſequitur, ſcrobemq; alternis omiſſis per ordinem ſpatiis, à calamo ad proximum calamum fodit. Sed neq; à Columella planè ratio data eſt: nam vſitatiſſimum apud nos docet. Ego verò ſic inſtituere ordines ſoleo. Sit primus ordo ſpatiorum dimenſus *a b c d e*. Capiatur deinde linea & à puncto *a*, ſpatio verò *a b*, ſignetur ſemicirculus. Inde appoſita in puncto *b*, ſpatio *b a*, alius ſignetur, vbi ſe ſecabunt erit *f*. eodem modo ex *d e* ſignabis *i*, ac inter *i* & *f*, protracta linea, ſignabis *g h* æqualibus ſpatiis. Eodemque modo alii inferiores ordines deſcribuntur. Sed ordines diſponendi ſunt, vel ſecundum ſolis rationem vel ventorum, quod in vniuſcuiuſq; particulari hiſtoria deſcribetur.

De ſcrobibus faciendis. Cap. XIIII.

VBI interualla conſtitueris, ac ordines duxeris, inſequitur foſſor, vt ſcrobes aperiat, qui priuſquam ſeras longo tempore ante effodiẽdi ſunt. De quibus antiquorũ præcepta audiamus. Theophraſtus. Quia tellus vda & peruia eſſe debet, tum vt erumpẽtibus radicibus cedat, tum vt admittat madorẽ, & aërem, effodiuntur ſcrobes anno ante, quàm eo arbores adigantur, vt ſoles & hyemes patiantur, incipiendumq; ab æſtiuo ſolſtitio ad Arcturũ, tunc enim terra ab omni officio vacat. Idem ſentit Columella. Ante annum, quàm diſponere voles ſcrobes fodito, ita ſole pluuiaq; macerabuntur, & quod poſueris cito cõprehendet. Sed ſi quo anno ſcrobes feceris, etiam ſemina ponere voles, minimum ante duos menſes fodito ſcrobes, poſtea ſtramentis eos cõplero, & incendito. Plinius. Præfodere ſcrobes ante (ſi fieri poſſit) tanto donec ceſpite pingui obducãtur. Mago ante annum iubet, vt ſolem, pluuiasq; combibant, aut ſi id conditio largita non ſit, ignes in medio fieri ante menſes duos, nec niſi poſt imbres in his ſeri. Didymus. Quędam tamen maximè ante plantationem ſcrobes ſibi effodi poſtulant, quò à ſole, & ventis, & imbribus terra friabilior reddatur, & plantę radicem agere faciliùs queãt. Si verò plantare feſtinemus, duobus menſibus antea, aut minimũ vno ſarmenta, & arundinem, & quę facilè cõburuntur in ſcrobibus ad multos dies cõburemus. Theophraſtus ſcrobes non pari altitudine faciendas cenſet, quũ aliæ plantæ in profundum radices agant, aliæ verò ſuperficiariæ ſerpant. Oleis ergo & ficubus quibus radices minus profundę, minus item profundi ſcrobes. Lapides inde ſupponunt, quibus

hyema-

hyemales aquę receptæ ſiccis temporibus refundi queant, vel ſarmenta ſubiiciunt, eademq́; ratione fictilia, neq; ſine aqua, aut paxillum adigunt, quẽ deinde eximunt, vt cauerna facta ſit futurę aquę lacuna. Exigitur enim exhalatio, vnde tellus excipiat humiditatẽ, ita vt imbres ſeſe applicare queant, ſol ſubire, & ſeſe aër induere, ex quibus alimẽta, incrementaq́; ꝓficiſcuntur. Scrobes altius ſemper defodiendi ſunt iis, quę telluri ſummæ adhærent: radicem autem nullam altius deſcendere ternis ſemipedibus quidam volunt: nanq; illorum conſilium improbant, qui altius ſerunt. Sed haud rectè id affirmaſſe in pleriſq; videtur: nam ſi ſolum altum, aut regionem cõmodam, aut etiam terrã facilem nanciſcantur, multò longiorem radicem impellunt, quę ſcilicet apta ſit ſtirpe alta adhærere. Columella. Quò latiores, patentioresq́; ſcrobes feceris, eò lætiores erunt, vberioresq́; fructus. Scrobs clibano ſimilis eſſe debet, imus quàm ſummus patentior, vt laxius radices euagentur, ac minus frigoris hyeme, minusq́; æſtatis vapores per anguſtum os terræ admittant. Tum etiam cliuoſis locis terra quæ in eum congeſta eſt, pluuiis non abluitur. Virgilius,

Quod ſupereſt, quacunq; premes virgulta per agros,
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra.
Aut lapidem bibulum, aut ſqualentes infode conchas,
Inter enim labentur aquæ, tenuisq́; ſubibit
Halitus, atq; animos tollent ſata: iamq́; reperti
Qui ſaxo ſuper, atq; ingentis pondere teſtæ
Vrgerent, hoc effuſos munimen ad imbres.
Hôc, vbi hiulca ſiti findit canis æſtifer arua.

Plinius ſcrobium altitudinem ita terminat. In argilloſo, aut duro ſolo trium cubitorum in quanq; partem. In prunis palmo amplius, & vbiq; caminata foſſura, ore compreſſiore ſint. Nigra verò terra duo cubita & palmum quadratis angulis. Eadem menſura Græci authores conſentiunt, non altiores quino ſemipede debere eſſe, nec latiores duobus pedibus, nuſquã verò ſeſquipede minus altos, quoniam in humido ſolo ad vicina aquę perueniat. Cato, Si locus aquoſus ſit, inquit, latos pedes ternos in faucibus, imosq́; palmum & pedem, altitudine quatuor pedum, eos lapide conſterni, aut ſi non ſit, perticis ſalignis viridibus. Si neq; eæ ſint, ſarmentis, ita vt in altitudinem ſemipedem trahantur. Nobis adiiciendum videtur ex prædicta arborum natura, vt altius demittantur eæ, quæ ſumma tellure gaudent, tanquam fraxinus, & olea. Hæc & ſimilia quaternos pedes oportet dimitti. Cæteris ſat eſt, ſi altitudinis pedes ternos effecerint. Virgilius ſcrobium profunditatem ita terminat,

Forſitan & ſcrobibus, quæ ſint faſtigia quæras.
Auſim vel tenui vitem committere ſulco.
Altius & penitus terræ defigitur arbor.
Æſculus in primis, quæ quantum vertice ad auras
Æthereas: tantum radices ad tartara tendit.

Plinius, Aliqui lapides rotundos subiici malunt, qui & cõtineant humorem, & transmittant; non item planos facere, & à terreno arcere radicē existimantes. Glarea substrata inter vtranq; sententiā fuerit. Xenophon in suo OEconomico: scrobē neq; altiorē quatuor pedibus & semipede, neq; breuiorē duobus, & semipede fodi oportet, sed in arida altius fodies, quippe in vliginosa si altius aliquanto penetraueris, aqua manabit, quæ serere prohibet. Sequitur Theophrastus. Solo effosso oportet impleri aqua triduo antequam pangantur, & quum scrobs aqua satura fuerit, indere, vt facilior sit terra ad accipiendū radices subeūtes. Si salsum verò & arenosum solū fuerit, lapidē circūponi ad stipitē depositi rami, tū terram aggerere, vt ipsa discutiat salsuginē. Iuuat & arenam affundere, & calculos ab amne, vel faucibus torrētis petitos, nā & salsuginē discludūt, & ex se ipsis dulces adiungūt qualitates. Aquoso verò, & scatebroso duplici fossa experiri, altera trāsuersa, vt in eā accipiantur aquæ, altera directa, quā lapidibus terræ admistis cōpleas tam ꝓfundè, vt quū circa arborē foditur, non offendant matrā: fossa nanq; obliqua excipit, altera deducit, sabulum & terrā exiccant. Quod si fors obtulerit, vt lapides ibi insint, non erunt eximendi, nam si lapides quęruntur ob vtilitatem, cur abiiciendi? Ergo quamcunq; lapidis nactus fueris speciem, siue grandiores lapides, siue minores, sabulū, vel inutilem terrā non auferre oportet, sed simul omnia cōfundere. Profundiores scrobes effodiendos, in quibus glareā, aut arenā illam substernas: nā si lapis continua planitie fuerit, nocet plātis, si rotundus, minutusq;, refrigeratione permulcet radices, aquam excipit, & radicibus locum sibi appetētibus expeditā viam facit. Omnino & tenui solo lapides non eximendi, quippe æstiuos calores temperāt simul, & hyberna frigora: Tandē quid cuiq; terræ cōueniat, consulendū.

De tempore sationis plantarum. CAP. XV.

STATVM tempus, quo arbores seri debeant, nemo vnquā pręscribere poterit, quū rerum series vbiq; varia sit. Ob id maiores nostri, qui de Agricultura nobis pręcepta tradidere, varii admodum & dissidētes inter se sunt, quod regionibus tantū, quas incolebant, tradidisse videantur. Differunt enim loca vel aëris qualitate, vel frigore, & calore, vel situ, quę omnia in plantarū sationibus summopere sunt animaduertenda ob ipsam germinationē, quæ in his citius, illis verò serius contingere solet. Est enim lex vbiq; terrarū plantis omnibus ferè communis, vt earum satio fiat, dum adhuc silent, & hac ratione festinantius præcoces arbores, serius verò serotinas seramus. Nos tempori sationis lunarem rationē addemus. Sed primum Theophrasti in Agricultura principis audiamus decreta. Ipse nanq; vernam probat sationē dum agitur æquinoctiū, quo tēpore turgent arbores ad germinationem. Tunc enim consitiones peragendę, quum terra citatur ad motum parturitionis ob animalium similitudinem: frustra enim est coitus, nisi in matricem immittatur semen, tempore, quo turget. Tunc turget solum, quum madet & calet: idque fit duabus cœli tempestatibus; vere & autumno. sed melius vere seritur: Tunc enim solum

est

est madens, ac calens à sole, & aer temperatus, & roscidus, vt non solum gignantur, sed viuant. Sunt tamen qui autumnum vere præstantiorem esse asserant, quod tunc plus calet tellus, & plantas melius radicari. Valida enim oportet esse principia, vnde ducantur generatio, & vita. Etsi vere germinatio felix, quia terra prægnans est, tamen verna satio intempestiua: nam terram ex hyberni frigoris reliquiis etiamnum rigere aiunt, atq; aptas ad germinationis officium radices frigere, praueque germinare: & ideirco autumno potius arbores seri, modo natura arboris ferat. Quædam enim ferre nequeunt, vt pyrus, & malus, & cæteræ arbores, quarum natura lignosa, & tenuis sit, quæ supereminēti frigori sunt obnoxiæ. Iam autumnali tempestate, omnia prægnātia sunt interno succo, & vere parere possunt. At vere statim possunt concipere, & præmaturè fœtus, sed cæcos edere. Vtriq; ergo non est idem pristinum pariendi tempus. In autumnalibus fieri potest apparatus ad perfectionē propter temporis tractum, in vernis verò breue temporis interuallū suis excludit angustiis plenioré fœturā. Veris autem conditiones autumni anteponendæ sunt: nam etsi autūno sata presto sint vere, vt quod tunc cōceperint, vere edāt, idē nihilosecius accidit in iis, quæ vere pangūtur: nam idē impetus æquè intus est, & aëris tum genitalis conditio, & dies calidi, & longi ad germē eliciendum promptiores sunt, & vere nihilo segnius radicari possunt propter plantarum propensioné naturalē, & humi turgorē, tum aërē ad educandū iuuantem: Solis enim vis sub terra opus facit, & radices vegetiores reddit, quę nō plus demittuntur, quàm quantum subire eius radii queant, aut minus bonæ sunt, si sint porrectiores. Quæ verò seruntur arbores autumno, iis hyemis superuētu plurimum incōmodari solet, vt oleis vsu venit, quæ frigore deglubuntur, & ficui succus crassior fit. Sed fortasse quispiam eximat arbores, quæ hybernam sationem tolerare valeant. Sed potiorem esse vernam arborū sationem ex legibus naturæ patet, tum quòd tempus est proprium ad arborum robur, tum quòd à cunctis pro cōfesso habetur, & longè magis cōmune. Quorundā locorum est satio, quæ sub Cane fit, quòd tunc arbores rectè valeant; & vbi frequentiores imbres æstiui, vt in Æthiopia, aut aliusmodi aqua, vt in Ægypto Nilus, ibi conditiones aëris sequendæ sunt, vnde ante aquas illas, aut post, sementes faciendæ, quia aëris temperies eo viget anni tempore, & id tempus præfertur verno. Fortasse meliore consilio fiet, si secundum naturam locorum sationes accommodentur, vt vbi aëris mediocris habitudo, vere serantur ibi: vbi verò sint riguæ rigationes, aut aquæ pluuiæ, aut palustres, æstate sub canicula id opus fiat, vt in agro Laconico: in æstuosa verò regione ponantur autūno. Consulendum est autem bonæ radicū valetudini. Sed quia Aquilonibus flantibus terrā compingi, aut exugi videtur, sub Austro verò laxius mader, calerque, ob id plantam sicciorem, humidiorem fieri: ob id Austro flante melius pangitur, & non solùm radices celerius comprehendunt, verùm etiam germinatio maturius expeditur, fauentibus cœlo, & terra. A Borea verò vtriq; fit iniuria, &

arbori, quia riget, & terræ, quia compingitur, ergo neq; arbor diffundi ad radicũ emissionem, neq; terra laxari ad earũ admissionem potest. Florẽtinus verò, Australe tempus sationi accommodatius destinatur, præcipuè siccis, vt per totam hyemem rigentur plantæ, vnde illicò post Pleiadũ occasum obeundum id munus vsq; ad hyemale solstitium. Id tempus cuncti, qui de agricultura scripserunt, vnanimiter prædicant. At Quintilii. Vere plantanda sunt, quæ autũno neglexisti. Ego experientia didici in maritima regione vineas autumno plantandas, sic etiam autumnales fructus, tum duri, tum mollis corticis eodẽ tempore plantaui felici successu, ex quo reliqui agricolæ nostrã doctrinã sequuti, non vere, vt prius soliti fuerant, sed autũno serunt. Vnde rationem afferre operę pretium duxi. Natura simul duo contraria operari non potest, sed circum vnum occupatam, alterum negligere necesse est: nã aliquando infernas arborum partes, id est, radices, aliquando verò supernas alit. conspicuum est vere alere arborum partes summas, quum florem, & germina promunt, contra autem autumno eas relinquit, vnde arbores folia abiiciunt, tunc radices aluntur, vnde id tempus ad plantationem accommodatum, in quo natura circa radices occupata est. Cato autem, Caueto ne cum ventus fiet, aut imber, effodias, aut seras: nam id maximè cauendum est. Columella tradit arbores, aut radicata semina autumno deponi debere circa idus Octobris: taleas, & ramos vere, antequam arbores germinare incipiant. Plinius. Non à septentrionibus, aut ab ea parte cœli vsq; ad exortum brumalem, vento flante, effodiantur arbores, aut certè non aduersæ iis ventis radices præbeantur. Virgilius,

Nec tibi iam prudens quisquam persuadeat author,
Tellurem Borea rigidam spirante mouere.
Rura gelu tum claudit hyems, nec semine iacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis satio, quum vere rubenti
Candida venit auis, longis inuisa colubris:
Prima vel autumni sub frigora: quum rapidus Sol
Nondum hyemem contingit equis: iam præterit æstas.
Ver adeo frondi nemorum, ver vtile syluis,
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.

Postremò addendã esse lunarẽ rationem duximus, & esse plãtationis veluti decretoriã quandam, quæ vbicunq; & quomodocũq; seueris eadem semper erit. Hesiodus octauã diem à Luna felicẽ esse ad plantarum positionem dicit. Diophanes, Luna crescente serendũ esse semper, nihil omnino illa decrescẽte. Alii à quarta ipsius die vsq; ad octauã decimã serere commodũ esse arbitrãtur. Cæteri solis tribus diebus à natiuitate ipsius plãtare permittũt. Alii à decima vsq; ad vigesimã serere summopere deuitãt, ne ipsius lumẽ cum plantis defodiatur. Exacta igitur prędictarũ obseruationũ doctrina erit, vt Luna super terrã existente satio fiat. Plinius humidis locis interlunio serit, vel circa interlunium quatriduo.

Variæ

Varia de satione præcepta, Cap. XVI.

Theophrastvs in translatione spectare iubet, vt ex simili loco plantam petas, aut saltem deteriore: nam si æquè bona sit, nulla fiet mutatio, quamobrem pristinum vitæ tenorem seruabit: læditur enim planta mutatione, quia amissis natalibus debilis efficitur. Didymus consulit plantas vt transferamus ex deterioribus in meliores, aut similes, aut certè nō multò peiores: consternit, & perturbat commutatio in deteriora: idque non solùm in plantis, sed in hominibus esse obseruatum. Plinius. Ante omnia igitur in similem transferri terram, aut meliorem oportet, nec è tepidis, aut præcocibus in frigidos, aut serotinos situs, & neq; ex his in illos. Virgilius.

Antè locum similem exquirunt, vbi prima paretur
Arboribus seges, ex quo mox digesta ferantur,
Mutata ignorent subito ne semina matrem.

Columella monet curam adhibendam, vt ab superiore, & sicciore, & exiliore in planiorem, humidiorem, & pinguiorem agrum transferatur. Theophrastus positum quoq; obseruandum ex æquo censet, quem arbores nonnullæ haberent, aut in Aquilonem versæ, aut in occidentem, aut in Meridiē. Sed quam cœli inspexere partem, in eam item vergant, vt minus sentiantur mutationes naturæ, vel consuetudinis. Virgilius idem memorat,

Quin etiam cœli regionem in cortice signant,
Vt quo quæq; modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obuerterit axi,
Restituant. Adeò in teneris consuescere multum est.

Columella. Priusq̄ transferas, rubrica, vel alia qualibet re signato, vt iisdē ventis, quibus ante steterunt, constituas eas. Plinius id floccifacit, inquiēs, Cato non omisisset, si attineret meridianam cœli partē signare in cortice, vt trāslata in iisdem & assuetis statuerentur horis, ne aquiloniæ meridianis oppositę solibus finderetur, & algerent meridianæ aquilonibus. Transferendarum arborum tempus alii ab ætate, alii verò à crassitudine demonstrauerunt. Arbores crassiores digitis quinq; Cato quærit. Columella semina legit non minus crassa, quàm manubrium est bidentis, recta, læuia, procera, sine vlceribus, integro libro, ea bene & celeriter comprehendent. Plinius ab ætate. Arborem nō minorem bima nec maiorem trima quidem transferri præcipiunt. Alii quum annum impleat. Theophrastus. Seritur planta recta, meliori successu, quàm flexa, nulla radicularū parte detracta, stultum est enim amittere radices, quas habemus, vt acquiramus nouas. Contra autem Xenophon. Semen iacens vt gēma supinū locabis in scrobe, sanè modo isto plus oculi, ac radices in terrę viscera penetrabūt, ex quo plāta firmius radicabitur, & tandē germina super terrā pullulabunt. Plinius. Radices inflexas poni melius Arborē ipsam ita locari, vt media sit totius scrobis, necessariū. Theophrastus. Plantas si fieri possit corpore fibrato capi oportet, & fibratas in recto dimittendū, & quidā etiā fibra-

tas ipsas sternendas præcipiunt. Plinius. Et hoc proderit, quamplurimum terræ, in qua vixerint, radicibus cohærere, ac totas cespite circũligari. Quum ob id Cato in corbibus transferri iubeat. Radicũ magnã adhibendam curam, vt exemptæ appareant, non auulsæ. Theophrastus. Si verò planta fibrata nõ fuerit, ex parte potius inferiore, quàm superiore assumes, & ad palmi magnitudinẽ, aut plus paulò sternendũ, lignum subtus scindendũ, & lapide iniecto serẽdum, vt oleæ, fici, & reliquarum. Rectè fit si planta sata non multum extet, propterea quòd lenta capit incrementa, quòd si plus est illud, quod supra terrã, quàm quum subter, malè cum planta agitur: quippe quũ minus sit id, quod succum ministrat, maius cui ministratur, facilè laborabit inedia, & peius eueniet, vt ficus, & aliæ, quæ raræ sunt habitudinis. Sic plãta vno eodemq; impetu vberius germinat, vt iis arboribus euenit, quæ cæduntur, si prope terrã sit cæsura, quod est in vitibus, oleis, & aliis manifestum, quæ sunt insigni magnitudine. Alii plagas obtegunt, ne sol, néve imber eò se induat. Oblinunt alii luto, alii imposita scilla plagæ, scillæ luto, luto autem fictili. Seruat enim scilla pristinum arboris vigorem, seruatur ea à luto, à fictili lutum. Plinius. Pleriq; id demum cauent, vt plaga deputati cacuminis Meridiem spectet, ignari fissuris nimii vaporis opponi. Id quidẽ in horã dierquintam, vel octauã spectare maluerim. Cato, Arbores crassiores digitis quinq; quæ erunt, eas præcisas serito, oblinitoq; fimo summas & foliis alligato. Theophrastus, Post sationẽ ne repleantur illico scrobes, ne in superiora loca citentur fibræ, atq; ab imo destituantur, nam si compleantur, succus ab ima radice ad stipitem, qui supra est, euocatur beneficio solis, & aëris. Cato, In scrobe quum pones summã terram subdito, postea operito terram radicibus fimi, deinde calcato pedibus benè, deinde fistucis, vectibusq; calcato quamoptimè poteris. Xenophon. Vbi in scrobem arborem deposueris, superinicias demum terram benè calcatam, alioquin periculum imminet, ne aqua vsq; ad imum penetrando patefaciat, & sol per æstus exiccãdo radices adurat. Plinius. Procul dubio vtilissimè quidem summam terram contentus est subdi. Terram circa radices fistucato spissandam, quod Cato primum in ea re esse censet. Plagam quoq; à trunco oblini fimo, & foliis præligari præcipiens. Theophrastus. Si iuxta scillam seratur planta ocyus crescit & à vermibus non infestatur, simul omne scillis appositum facilè germinat, & celerius augescit, causa sui odoris, feruorisq;.

De insitionis necessitate, vtilitate, voluptate, & laudibus.

CAPVT XVII.

IAM ad alteram sationis partem deuentum est, scilicet insitionem. Nam etsi ibi surculus terra vtebatur, eique ipsa alimentum suppeditabat, hîc vtitur trunco ab eoque alimentum ministratur: & ex vtrisq; naturæ concordia vnum conflatur. Theophrastus esse mistionem quandam, ac alio modo generationem dicit, & non sationem, sed appositionem quandam dici iure

optimo posse. Saturno surculorum insitionem, pomorumq; educationem, & omnem huiuscemodi fertilium tribuunt disciplinam, ex Macrobio. Nos insitionem edocebimus, rem sanè admirabilem, ac totius agriculturæ nobilissimam partem, voluptuosam, vtilem, & necessariam. Cicero in libro de senectute nil solertius insitione in agricultura inuenire potuit. Ouidius dicit tam magnum oblectamentum de insitione capi, vt contra amorem sit remedium,

Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetq; peregrinis arbor operta comis.
Cultus & in primis succos emendat acerbos,
Fissaq; adoptiuas accipit arbor opes.

Videmus tam mirabili inuentione arbores variis, diuersisque fructibus oneratas, vt memoret Plinius iuxta Tiburtes tot modis insitam arborem tiliam, omni genere pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis malorumq; generibus vidisse. Hinc nata sunt arborũ adulteria, connubia, & adoptiones, vt noua fructuũ genera prioribus seculis haud visa monstrificis hominum ingeniis excogitata videantur. Hinc antiquis miluiana, epimelides, hippomelides, hamamelides, & omomelides, vt non aliud genus notare videantur, nisi in quo facta sit insitio. Sic melimela, myrapia, citromela, melocotonea, nucipruna, malina pruna, & amygdalina, & apud nos nucipersica, amygdolopersica, soboles mediam inter vtrunq; progenitorem naturam referens, medio inter iuglandem, & persicum malum sapore, sic & amygdala, & persico vtriusque parentis ingenium referente, & effigiem simul adoptante. Sed quid mirabilius, si eodem ramo diuersi generis poma videantur, immo eodem in pomo duo dimidiati fructus videantur, vt pars vna persicum, altera nucipersicum æmuletur? Sic alba & nigra vua, ficus, & mala continuò præ oculis habentur. Et si ex animalibus genere diuersis nascatur proles, hæc in totum sterilis erit, vt ex equo & asina. in plantarum verò commistione longè aliter euenit, nam si ex diuersis genere plantis nouum genus exoriatur, illud possumus insitione in infinitum propagare. Sed videamus necessitatem. Natura effecerat vt omnis arbor se ipsam serens ex deciduo semine (vt diximus, sua natura desciscerer, syluesceret, vt in aliud quodammodo genus defecisse videretur: ars autem insitionis mangonio nõ solum in suam naturam redire, sed longè præstantissimam produci effecit, & contra hunc naturæ defectum, ars id remedium excogitauit. Videmus syluestres arbores sua ruditate contentas insitionis cõnubio genuina feritate domita, ac pristino habitu exuto in hortis mansuescere, & humanius viuere, edoceriq; mitioribus succis, blãdoq; sapore in cibis voluptatem hominibus afferre. Papinius.

Hinc fauit natura locis, hinc victa colenti
Cessit, & ignotos dulcis mansuescit in vsus.

Vidimus steriles arbores sua vmbra terrã opacantes adoptione tali alienos fœtus fouere, enutrire, ac diligentis nutricis officio fungi. Columella,

—— aut aliena stirpe grauata,
Mitis adoptatis curuetur frugibus arbos.

Idemq; notat, quod arbos insita fructuosior est, quàm quæ insita non est, id est quàm quæ cum ramis, aut plantis ponitur. O mira insitionis potestas! Arborem nõ solum alieno germine proficisci, sed suomet surculo in semetipsam comprehensam, multo nobiliorem, vberioremque fieri. Exemplum est apud Plinium, doctrina verò apud Florentinum. Corellius eques, Aceste genitus inseruit castaneam suomet ipsam surculo in Neapolitano agro, sic facta est castanea, quæ ab eo nomen accepit inter laudatas. Pòst hæres eiusdem libertus, corellianam iterum inseruit. hæc est inter eas differentia, illa copiosior, hæc corelliana melior. Et si syluestris arbor fœcunda euadit insitione, vrbana in nobilius genus commeat vt delicatiore succo, speciosiori forma, colore, & magnitudine fructus producat. Præterea quod magni refert, omnis seminis quod seritur, vel ramis, vel alio quouis modo, lõga est expectatio ad fructuum productionem, insitio verò eodem in aliquibus quo inseritur anno producit. Florentinus ait, Arbores quæ inseruntur meliores sunt, non solùm ad fructuum pulchritudinem, & bonitatem, sed & vbertatem, & celerem ipsorum fructuum prouentum. Virgilius,

Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamq; insita mala
Ferre pyrum, & prunus lapidosa rubescere corna, &c,
Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida,
Et steriles platani malos gessere valentes,
Castaneæ fagos, ornusq; incanuit alba
Flore pyri, glandemq; sues fregere sub vlmis.

Plinius. Pars hæc vitæ iam pridem prouenit ad culmen, expertis cuncta hominibus. Quippe quum Virgilius insitam nucibus arbutũ, malis platanum, cerasis vlmum dicat, nec quicquam amplius excogitari potest: nullum certè pomum nouum diu iam inuenitur. Sed quam dicunt insitam cerasis vlmum Virgilius non habet, sed vlmis quercum: locus corrigendus venit. Est & alia vtilitas insitionis, vt si fructus laboret vitio saporis, odoris, formæ, vel magnitudinis, breui tempore emendari potest defectus.

Quid insitio, & contra Theophrastum surculum à subiecto trunco aliquid haurire. CAP. XVIII.

SED videamus quid sit insitio. Insitio nil aliud est, quàm surculũ ex arbore accipere, & in aliã reponere, vt simul vniantur, & cogamus inuito trunco surculum quem imponimus generare. Propertius id videtur innuere,

Insitor hic soluit pomosa vota corona,
Cum pyrus inuiso stipite mala tulit.

Et Virgilius. *Miraturq; nouas frondes, & non sua poma,*

Insitio-

Insitionem autem, Plinius inquit, casus magister alius, quàm natura docuit, & penè numerosior ad hunc modum. Agricola sedulus casam sepis munimento cingens, quo minus putrescerent sudes, limen subdidit ex edera. At illæ viuaci morsu apprehensæ, suam ex alieno fecere vitam, adparuitque truncum esse pro terra. Theophrastus de insitione loquens ait. Quæ inseruntur, perinde vt terra subdito trunco vtuntur. Et surculus qui inseritur, vel inoculatur, truncum subditum loco telluris vsurpat. Videtur magnus magister velle innuere, quòd quemadmodum planta à terra non nisi alimentum sugit, ita surculus à subiecto trunco alimentum subripit. Et quia tum ipsius, tum aliorum quorundam vera hæc & indubitata opinio est, & videtur aliquomodo esse vera, nos ad hanc falsitatem demonstrandam aliquantum longius cogimur euagari, præcipuè quum ex hac speculatione quomodo rara, noua, & inuisa in hac arte fieri possint, ex naturæ officina principia nanciscemur. Dicimus ergo surculum à subiecto trunco subripere colorem, saporem, odorem, magnitudinem, ac germinandi vim, & si non illicò, aut satis euidenter, temporis tamen processu clarè visitur. Præterea vitia, ac defectus quorundam fructuum hoc pacto emendari, quod authoritate, ratione, & experientia demonstrabimus. Et primo, quòd colorem à subiecto trunco mutuetur. Florentinus citri poma moro insita rubra fieri scripsit, idque etiam à Diophane comprobatum. Tarentinus, & Diophanes; pyra moro etiam insita rubra euadere. Plinius de malis rubore infectis loquens, ait esse mala, quibus sanguineus color origine, ex mori insitu tracta. Diophanes mala in platanum insita rubra quoque fieri. In Vesuuio monte amineę vites in hellanicas dictas insitæ, vinum ad nigrum vergens, ac reliquis coloratius producunt. Beritius verò & Diophanes scripserunt, morum à quo omnia mala rubra fiunt, in albam populum insitam, albos fructus efficere. Concipit etiam à subiecto trunco odorem. Diophanes memorat; mala in coroneum insita fieri pulcherrima, & melimela dici. Plinius ab Appio id factum, ac odore esse coroneorum. Nobis experientia compertum est, vuas in apianas vites insitas, esu moschum olere, sic & eius vinum. Itemque pyra in coroneum insita odoratiora fieri, & coloratiora. Sic etiam pyra myrapia, vulgò nobis *moscatelle* dicta in coroneum insita, odoratiora & nobiliora euadere. Haurit etiam & saporē à subiecto trunco surculus. Plinius cerasia quæ vocantur laurea à subiecto trunco, cui innitebantur, nō ingratam amaritudinē hausisse scribit, & capacissimā esse insitorum omniū platanum, & robur, verū vtramq; sapores corrumpere. Et M. Varro innuens esse ad fructus saporē necessariam trunci qualitatē, ait. Si in pyrū syluaticam inserueris pyrū, quamuis bonam, non fore pyrum tam iucundū, quàm si in eam, quæ syluestris non sit. Vites, quæ vulgò hellanicæ dicuntur, Vesuuio in monte in amineas, quas vulgò Græcas dicimus, insitæ vinū producunt, sapore multum Græcum vinum æmulantes. Apud nos persicus in amaram amygdalam insita, poma producit, cuius sapor amarescit. Quòd etiam trunci ratione

magnitudo variet, quotidie experientia videtur. Præcocia vulgò nobis, *almarges* dicta, quia eius fructus est paruus, vt maiorem adipiscatur magnitudinem, in genus pruni illud inserimus, omnium maximum, nobis *coglio pecoro* dictum, Plinio asininum à vilitate. Mespilum super cydoniam inseruimus, & fructus natus est cæteris maior. Contra verò persica, quia breuissimæ vitæ sunt, citoque senescunt, nos vt huic malo remedium afferamus, iuxta Florentini præceptum in prunum inserimus, sic erimus voti compotes: nam arbor diutius viuit, sed fructus magnitudine degenerat, quippe minor euadit. Mali medices genus illud vulgò *limoncello picciolo* dictum, exiguo est corpore inter acruminum genera: vt maiorem ergo adipiscatur magnitudinẽ in citrum inserimus, vel limonem, & maius euadit, eoque magis augescit, quo insitio reiterabitur, quod & germinationis tempus etiam à subiecta arbore adipiscatur. Didymus malum in citriũ inserit, vt continuæ fœcunditatis sit. Tarentinus vt vitis vuas vere producat, nigram vitem in cerasum inseri iubet, nam eo tempore vuas producit, quo cerasus suum fructum. Eadem ratione Florentinus rosam in mali corticem inserit, vt rosas serius malorum tempore producat. Et nos persicum in amygdalam inserimus, vt tempestiuos producat fructus. Quod etiam aliquid à subiecta matrice impartiatur, monstrat Tarentinus vitẽ in myrtum insitam vuam producere, quæ imum fundum myrti baccas habebit. Florentinus oleam in vitem insitam, & vuarum botros, & oliuas producere, fructumque gustando, & vuæ acinum, & oleæ baccam simul gustabit. Palladius persici palmam per foramen salicis inductam poma sine ossibus producere. Quod idem de ceraso proditur. Plinius in Bætica pruna malina & amygdalina nasci, quibus intus in ligno nucleus amygdalæ est, nec esse aliud pomum ingeniosius geminatum. Substinet enim truncus in insitione nutricis vicem, & sicut infans lactis qualitate nutritur, sic surculus impositus, & sicut cùm infans Æthiopis nutricis lacte alitur, eius sudor pessimè æthiopis viroso odore olet, sic surculus semper subiectæ nutricis succum sapit.

De inoculatione. CAP. XIX.

NVNC ad inserendi modos deueniamus. Erant apud maiores nostros varij multiplicesque modi, nec nostra ætas in nouis peruestigandis minus solers visa est. Insitio fit vel in cortice, vel in trunco. ab ea, quæ in cortice fit, incipiemus, & primùm ab inoculatione, quippe quum & antiquior, & simplicior sit. Dicitur Græcis ἐνοφθαλμισμὸς ab oculis vt videbimus. Latinis inoculatio, nobis verò hic modus, quia vsus aboleuit, penitus incognitus. Eius inuentionem Plinius naturæ tribuit, semine raptim auium fame deuorato, solidoque & alui tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine abiecto in mollibus arborum lecticis, & ventis sæpe translato in aliquas corticum rimas. Vnde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, laurum in ceraso, & baccas simul discolores. Tradunt & monedulam condentem semina in thesauros cauernarum, eiusdem

eiuſdẽ rei præbere cauſas. Hinc nata inoculatio ſutoriæ ſimili fiſtula, aperiendi in arbore oculum cortice exciſo, ſemenq́; includendi eadem fiſtula ſublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. Vergiliana quærit ſinum in nodo gemmę expulſi corticis, gemmamq́; ex alia arbore includit. Inoculationẽ non recipiunt ſiccæ, aut humoris exigui arbores. Omnium fertiliſſima inoculatio, poſtea emplaſtratio, ſed vtraq; infirmiſſima, & quę cortice nituntur tantum, vel leui aura ocyſſimè deplantantur. Virgilij doctrinam quoque apponemus.

Nam quæ ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus, huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdoq́; docent inoleſcere libro.

Hic eſt ſecundus Theophraſti modus, Didymi verò tertius, docetq́; hoc modo. Quæ inoculatur arbor, nodis, & agnaſcenti ſobole, comaq́; debet liberari, relictis vberioribus, nitidiſſimiſq́; ramis, qui huic inſitioni deſtinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine nitidum oculum, ceu gemmam aſciſcere conuenit, circumraſo acie ſcalpri diligenter cortice, & caudici in alterius veſtigium imprimere. Purum corticem erugatum, nec vlla ſui parte cicatricoſum ligare exactè docet, & lignum integrum, & inuiolatum ſeruari, hoc enim perquam neceſſarium fuerit. Feliciter cedit, ſi recepta hoc hoſpitio gemma in alterius ſedem incidat, nam ita dubio procul comprehendit. Cæterum cortices craſſitudine pares eſſe debent, & vbi coaluerunt, amputandũ quod ſupra compagem prominet, ne eò loci feratur alimentum, & à coalitu ſuccus auocetur. Quum ſurculi tria monſtrabunt foliola, vincula ſunt ſoluenda. Theophraſtus arboris partes ad inoculationem eligit. Rami nouelli, tenerrimiq́; inoculandi: nam teneritudo, & ætas fauerit ad coaleſcendum. nouellæ enim arbores præditæ ſunt principiis maximè viuendi, germinãdique, & præcipuè inoculationi aptæ, quibus lentus ineſt humor, præterea & quæ cortice ſimili, teneroq́; ſunt, facile mutuum obſequium præſtant. Quamobrem quæ natura ſimilia ſunt, & ætate facilè coeunt, optimeq́; inoculantur: viſcida enim humiditas tenax eſt, & mollis cortex obſequioſus opus non refragatur. Inoculatio nõ ſolum aptatio, ſed etiam ſatio iure dici poteſt, & tam id quod germinat, quàm illud quod generat, fœcundus humor eſt, quem oculus habens oculo aptè ſe coniungit, alimentiq; obtinens facultatem, germinationem propriã reddit. Omnia enim facilè augeſcunt, quæ præparatã alimenti copiam ſecum afferunt, ſed omnium maximè inoculationes, hæ nanq; puriſſimo alimento fulciuntur. Præterea ſimile ſimili facilè coit, oculus enim oculo generis ſocietate coniungitur.

De emplaſtratione. CAP. XX.

EMPLASTRATIO inoculationi filia, & ferè eadẽ videri poteſt. Plinius, Emplaſtratio & ipſa ex inoculatione nata videri poteſt. Hoc genus nõ pri-

dem repertum volunt, qui nouis moribus fauent. Sed id etiam apud veteres Græcos inuenitur, & apud Catonem. Emplastrationis nomen videtur inditū, quia quum cortex inditur, & gemma immittitur, labia luto muniunt, ac emplastrant. Nobis vulgò à *scudetto* dicitur, ab exempta scutula, inserēdo surculo scuti formā referente. Cato ita docet, Quod genus aut ficū, aut oleam esse voles, inde librū scalpro eximito, alterum librū cum gemma de ea fico, quod genus esse voles, eximito, apponitoq; in eum locū vnde excaueris in alterū genus, facitoq; vti cōueniat. Librum longum facito digitos tres semis, latū digitos tres, ad eundem modū oblinito, integito, vti cætera. Plinius ab eodem eadē recitat. Didymus vltra quæ dixerat in inoculatione, hæc habet de emplastratione. Citra quoq; gemmā, vel oculum in pullulatione altera caudicis parte insitionem hanc moliri nil vetat, & sæpe nō detracta ab anniculo surculo gēma, per se relicto in surculo insigni oculo inseritur, à tergo gemmæ corticē delibrans, & lignū instar scriptorij calami scalpens cum ligno, quod remansit, in vestigiū imprimitur, & sic generosiores arbores cōparabuntur. Sinistra surculorū latera, quæ inoculationis beneficio coaluerint, suos partus liberaliter fœnerātur. Sed elegātissimè & aptissimè à Columella designatur, Hoc genus insitionis quū sit subtilissimū, non omni generi arborū idoneum est. Sed ferè recipiunt talē insitionē, quæ humidum, succosumq; & validū librum habent, sicut ficus: nam & lactis plurimū mittit, & corticē robustum habet, optimè igitur inseritur caprifici ramus. Ex arbore, de qua inserere voles, nouellos & nitidos ramos eligito. In iisdem obseruato gemmā, quæ bene apparebit, certamq; spem germinis habebit. Eam duobus digitis quadratis circumsignato, vt gemma media sit, & ita acuto scalpello circūcidito, delibratoq; diligēter, ne gemmā lędas. Postea item alterius arboris, quā emplastraturus es, nitidissimū ramum eligito, & eiusdem spatij corticē circumcidito, & materiā delibrato, deinde in eam partem, quam nudaueris, præparatū emplastrum aptato, ita vt alteri delibratæ parti cōueniat. Vbi ita hæc feceris, circa gemmā benè alligato, cauetoq; ne lædas ipsum germen. Deinde cōmissuras, & vincula luto oblinito, spatio relicto, vt gemma libera vinculo nō vrgeatur. Arboris autē insitæ sobolē, & ramos superiores pręcidito, ne quid sit, quo possit succus euocari, aut ne cui magis, quàm insito seruiat. Post XXI diem soluito emplastrū. & hoc genere etiā inseritur olea. Palladius hæc omnia à Columella excepit, & quū noui nil sit in eo, rescribere recusauimus. Sed eiusmodi emplastrādi modū cum sua vetustate nostra ætas aboleuit, faciliorem, cōmodioremq; nacta. Ibi enim exemptā scutulam delibratę inserendæ arboris parti æquabiliter vndiq; cohęrere oportebat, quod sine maxima diligentia fieri nequit, nostro hoc emplastrandi modo huiusmodi labore leuabimur. Ibi coma, & arboris soboles præcidebatur, & quū id æstu maximè fieri accideret, aut arborē exarescere, aut pluribus annis infirmari necesse erat, & si insita scutula non comprehendebat, vt sæpissimè accidere solet, fructibus & arbore ipsa priuabantur: nos æstate celebramus, quū arbores oneratas fru-

ctibus

ctibus videmus, vbi fructuum electioné considerare possumus, quũ ab omnibus decipiamur in dandis, recipiẽdisq; surculis. Æstate quum arbores onustas fructibus videmus, quum succo turgent, facilè deglubitur cortex: mane, vel vesperi, sicco die vel temperato surculum ex arbore eligimus illius anni, scilicet è proximo vere natũ, detruncatis vngue frondibus, supra gemmam per trãsuersum cultro corticem incidimus digiti latitudine, & hinc inde è lateribus acuta cultri acie circumcidimus oculum duum digitorum lõgitudine, vt cuspidatim descendat cæsura in modũ scuti: gemma sit in medio, inde pollice è latere presso è ligno leuamus: inde arboris ramo, in quem inserere velimus, per transuersum cultro cædatur cortex, vnius digiti latitudine, è cuius medio alia aperiatur linea descendens per longum duorum digitorum longitudine, instar lineæ T. sed lignũ ne signes. vtraq; ex parte corticẽ deglubes, & gemmam inter excisos cortices abscondes, coaptabis deniq; superiorẽ transuersam lineã scutuli cum illa arboris, & corticibus illis cooperies, inde cannabinis fasciis supra gemmam ligabis, & circumcirca, vt ea libera in medio remaneat. Eidemq; arbori tres, vel quatuor gemmas coaptabis, vt si vna non comprehendit, altera non deficiat. Infra viginti dies visere ne parcas: si iam comprehendit, vincula soluito, ne crescens tener truncus, vel cortex ab illis secetur. Sequenti vere supra emplastrationis locum abscindas.

De nouo anularis insitionis modo. CAP. XXI.

EST & peculiaris apud nos inserẽdi modus, diciturq; vulgò *ad digitale*, vel anularis, veteribus incognitus, nec pridem nostra ætate repertus. Dicitur ad digitale, quia quemadmodũ matronarum digitis imponuntur digitalia, & anuli, ita & cortex suo ligno exutus, in delibratũ ramum infigitur. Præsens hic erit modus. Martio mense, quũ germinatione turgẽt arbores, labatq; humore nimio cortex, ex arbore, à qua fructus exoptas, nouellũ germen, pollicari crassitudine, duorũ pedum longitudine, lęue & nitidum, acuta falce præcidito, & à capite vsq; ad imũ crus corticẽ sensim, ac diligenter manibus intorquebis, vt à ligno illæsis gẽmis delibretur. quũ videbis facilè à ligno, vt serpẽs, senecta exui, graciliori parte circumcidito anulũ trium digitorum longitudine, vt in medio constituatur gẽma. Deinde ex ea arbore, cui hęc insitio destinabitur, eliges virgã, cui par cum tua virga sit magnitudo, & loco lęui, & enodi, vbi maximè digitalis hic cõgruere videbitur, detrũcabis, & si virga crassa erit, in quatuor partes findas, si tenuis, in tres, ac vnguibus à cæsura paulatim cortice denudabis eã, & illico, ne diuturniore mora humor ille desiccetur, anulũ à tua virga tolles, & in surculũ iam cortice spoliatũ indes, leui manus libramẽto deprimendo, quousq; ligno illũ excipienti vndequaq; cohæreat, & anuli corticis fracturæ periculum immineat, & virgæ cortici figatur. Sed ne laxitas, vel humor inter excipiens lignũ, & aduenã corticẽ intersit, sed optimè in suo lare se recipiat, ibi aër subiens nunq̃ in vnitatẽ coire pateretur, cortices subt⁹ depressi manus subleuamẽto ac leui filo circa caput religẽtur. Hoc modo castaneæ, oleæ, pyra, mala, medica, in-

glandes optimè inſeruntur. Sed ficus menſe Maio. Sunt qui Iunio, & Iulio menſibus ex noua virga inſerant non infelici ſucceſſu. Optat poſt inſitionem illuſtrari Sole: nam pluuiis coalitus relaxatur, & putreſcit.

De inſitionis modo, quo reſecta arbor inter librum & materiam ſurculum admittit. CAP. XXII.

NVNC de inſitione agemus, quæ reſecta arbore fit. Sed ratio duplex eſt, ſecto per mediũ trunco, vel integro. Primùm de ea, quæ integro trunco intra corticem, & lignum ſurculos recipit, quia prior fuit. Timebant, inquit Plinius, priſci truncum findere, mox inforare auſi medio, ipſiq; medullæ calamum imprimebãt, vnum inſerentes, neq; enim plures capiebat medulla. Subtilior poſtea ratio vel ſenos adiicit, mortalitati eorum ex numero ſuccurrere perſuaſa. Ex iis, quæ Cato cõmentatus eſt, facile apparet illa ætate inter lignũ & corticem, nec alio modo inſerere ſolitos. Hæc vera dicitur inſitio. Theophraſtus ἐμφυτείαν vocat, videturq; ſignificare immiſſionem ſurculi in præciſum ramum. Latini peculiari voce inſitionem vocant, Itali *incalmare* dicunt, quaſi incalamare, quoniam ſurculum, quem adigunt, calamum antiqui appellabant. Vel ſi mauis, quia ſurculus cuſpidatur ad modum calami. Alij graphium vocant, quum graphium & calamum ad idem vſu veniant, & Didymus ad graphij ſcriptorij modum effórmandum ſurculum iubet. Id de genere inſitionis. Hæc verò inſitio duas habet ſpecies, ἐμφυλλισμὸν & ἐγκεντρισμὸν, quarum eadem ratio, ſed differunt trunci ſciſſione. Nos hanc ἐμφυλλισμὸν, quaſi infoliationẽ dicimus, quia quum inſerimus cortices ſolum aperimus, ac foliorum, vt exiſtimo, tenuitatem imitamur. Noſtrates vulgò *tra corzo & pelle* dicunt, eodemque modo, quo antiqui, vtimur. Ideo eorum verbis vtemur, quum preciſe & eleganter demonſtrent. Huiuſmodi neque Theophraſtus neque Virgilius meminerunt. Sed videamus primò ecquid doceat Cato antiquitate venerandus. Oleas, ficus, pyra, mala, hoc modo inſerito. Quem ramum inſiturus eris, præcidito, inclinato aliquantũ, vt aqua defluat. Quum præcides caueto ne librum conuellas. Sumito tibi ſurculum durum, eum præacuito, ſalicem Græcam diſcindito, argillam, vel cretam coaddito, arenæ paululum, & fimum bubulum. Hæc vnà bene condenſato, quammaximè vti lutum fiat: dein capito tibi ſciſſam ſalicem, eaque præciſam ſtirpem circumligato, ne liber frangatur, vbi id feceris, ſurculum aridum præacutum inter librum, & ſtipitem arcito primores digitos duos. Poſtea capio tibi ſurculũ, quod genus inſerere voles, eum primorẽ præacuito obliquũ primores digitos duos, ſurculũ aridum, quem arcíueras eximito, eoq; arcito, ſurculũ, quem inſerere voles, librum ad librũ verſus facito, arcito vſq; adeo, quo preacueris. Idem alterũ ſurculũ, tertiũ, quartum facito. Quot genera voles tot indito. Salicem græcã amplius circumligato, luto denſato, ſtirpẽ oblinito digitos craſſos tres. Inſuper lingua bubula obtegito, ſi pluat, ne aqua in librũ permeet, eam linguã inſuper librum alligato, ne cadat. poſtea

postea stramentis circũdato, alligatóve ne gelu noceat. Columella diligentius docet, additq; plurima. Arborem, quam inserere voles, serra diligenter exsecato ea parte, qua nitida maximè, & sine cicatrice est, dabisq; operam, ne librum lædas, quum deinde truncũ recideris, acuto ferramento plagam leuato, deinde cuneum tenuẽ ferreum, vel osseum inter corticẽ, & materiam ne minus digitos tres, sed considerate demittito, ne lædas aut rumpas corticem. Postea surculos, quos inserere voles falce acuta ex vna parte deradito tantum, quantum cuneus dimissus spatii dabit, atq; ita ne medullas, néve alterius partis corticem lædas. Vbi surculos paratos habueris, cuneum vellito, statimq; surculos in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corticem, & materiam feceris, demittito, ea autem fine, qua adraseris, surculos sic inserito, vt semipede, nec amplius de arbore extent. Supra deinde muscum imponito, & ita ligato, ne pluuia dilabatur. Palladius eadem habet, Florentinus, & Plinius. Nos id addimus, quod ipsi paruifaciunt, & necessarium tamen videtur, vt inter lignum & surculum inanitas non relinquatur, sed vinculis extremum marginem præcingimus, inter vincula & corticẽ hinc inde à surculo cuneolos adigimus, vt omni ex parte trunci cortex surculo adhæreat, & hoc modo facilè in omnibus acruminum generibus vtimur. Plinius. Si crassior truncus inseratur, inter corticem, & lignum inseri melius, cuneo optimè osseo, ne cortice rumpatur laxato.

De insitione, qua truncus per medium finditur.

CAPVT XXIII.

ALTER modus insurculationis erit, quum truncus per medium finditur. Primus est hic inserendi modus Theophrasto. Florentinus hunc modum verè insitionem appellat, vocatq; ἐγκεντρισμὸν, fortasse quia vi scalpellum in stipitem adigant. Nostrates vulgo à *spacco* dicunt, à trunci scilicet scissura. Theophrastus de huiusmodi insitione hæc habet. Iuuat oculum, corticémve sine vlla scissura seruare, & surculum ita radendum, ne quid medullæ incommodetur, rupto enim oculo, corticéve, aut medulla nudata, futurum vt arefiat & emoriatur. Quamobrem foliis & corticibus insuper obtegunt, & alligant, & oblinunt luto pilis misto, vt succus persistere possit, ne sol, aut imber, aut frigus officiant. Quumq; trunco leniter fisso inserendum sit, surculum cuspidatim decisum malleo adigunt, vt quam maximè deprimatur, lecticæq; committatur. Ad hæc humidi, tenelliq; surculi petendi sunt, ipsumq; locum per totam æstatem humescere conuenit: sic etiam potissimum fit, vt germen prosiliat. Quamobrem nonnulli quatuor, & quinq; menses insitiones rigari iubent. Aqua insurculationi perutilis est, nisi arbor humida natura sit. atq; alii argillam obducunt, alii ollam aquæ plenam apponunt, quæ paulatim instillet: fit enim præ magnitudine vulneris, vt citissimè resiccetur, nisi humorem extrinsecus habeant illibare. Huius insitionis modo Cato solùm in vitibus vtitur. Columella ita docet. Si pusillam arborem inserere voles, imam abscindito, ita vt sesquipede à terra extet, & quum deinde præcideris, plagam

diligenter leuato, & medium truncum acuto scalpello permodicè findito, ita vt fissura digitorum trium sit in ea. Deinde cuneũ, quo diducatur, inserito, & surculos ex vtraq; parte derasos demittito, sic vt librum seminis libro arboris æqualem facias. Quum surculos diligenter aptaueris, cuneum eximito, & arborem, vt supra dixi, alligato. Deinde circa arborem terram adaggerato vsq; ad ipsum insitũ, ea res à vento, & calore maximè tuebitur. Florentinus verò. Quæ tenui sunt cortice, pauciori humore cõtentæ, & foris exuccæ, tanquam humor relicto cortice in interiorem medullam se recipiat, quales citrea malus, vitis, & aliæ complures intelliguntur, fisso ligni medio, surculi infiguntur. Palladius transcribit ab his. Virgilius hanc insitionem versibus ita celebrat.

Aut rursum enodes trunci resecantur: & altè
Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.

Plinius vtilia pręcepta addit, quæ pręter mittẽda non duximus. Ante omnia gemmantes nitere conueniet, nihil vsquã vlcerosum esse, aut retorridũ. Spei fauet medulla calami commissuræ, si in matre ligni, corticisq; iũgatur. Id enim satius, quàm foris cortici æquari. Calami exacutio medullam ne nudet, tenui tamẽ fistula deregat, vt fastigatio leui descendat cuneo, tribus non amplior digitis, quod facillimè contingit tinctum aqua radentibus. Ne exacuatur in vento, nec cortex à ligno decedat alterutri. Calamus ad corticem vsq; suum deprimatur, ne luxetur, dũ deprimitur, nẻve cortex replicetur in rugas, ideò lachrymantes calamos inseri nõ oportet, non hercule magis, quàm aridos, quia illo modo laborat humore nimio cortex, hoc vitali defectu nõ humescit, neq; concorporatur. Id etiã religionis seruant, vt luna crescente calamus vtraq; deprimatur manu. Et alioquin in hoc opere duæ simul man⁹ minus nituntur necessario temperamento. Validius enim demissi, tardius ferunt, fortius durant. contrarium ex diuerso. Ne hiscat nimiũ rima, laxeq; capiat, aut ne parum: & exprimat, aut compressum necet. Hoc maximè præcauendum, vt præualidè accipientis trunco in media fissura relinquatur. Quidam vestigio fissuræ falce in truncis facto, salice præligant marginem ipsum, postea cuneos figunt, continente vinculo libertatem dehiscendi. Cerasi dempto libro finduntur. Dempto libro habent veluti lanuginem, quæ si comprehendit, insitum putrefacit.

Ad insitionem maximè vtiles, & necessariæ præceptiones.

CAPVT XXIIII.

NE docendi ordinem interturbarem, vtiles & necessarias quasdam maiorum nostrorum, & recentiorum præceptiones prætereundas duximus, huc enarrandas. Surculi qualitates monstrat Columella. Surculos ad insitionẽ sumpturus videto, vt sit arbor tenera & ferax, nodisq; crebris, & quũ primum germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito, crassitudine digiti minimi. Surculi sint bifurci, vel trifurci,

ti. Eadem Palladius à Columella habet. Plinius aliqua addit. Virgilius ex cacumine inseri vetat. Certumq; est ab humeris arborum orientem æstiuum spectantibus surculos petendos, & è feracibus, & è germine nouello, nisi vetustę arbori inserantur. Ii enim robustiores esse debẽt. Præterea vt prægnantes, hoc est, germinatione turgẽtes, & qui parere illo sperauerint anno. Bimi vtiq;, nec tenuiores digito minimo. Variè quoq; & nõ iisdem in partibus subest omnibus succus. Viribus, ficisq; media sicciora, & è summa parte conceptus, ideo illinc surculi petuntur. Oleis circa medias succus, inde & surculi, cacumina sitiunt. Florentinus. Surculi, qui inseruntur, sint nitidi, fertiles, nodosi, ex arboris parte, quæ ad Aquilonẽ spectat, acutis falcibus decisi, de nouo nati, læues, frequentibus gẽmis prægnantes, bifurci, vel trifurci, ab imo crure simplices, crassitudine digiti minoris, bimi. Anniculi enim promptè excurrunt, sed sunt infœcundi. Theophrastus narrat vrbanam arborem multũ fructificare, si feris arboribus inserueris, nã plus alimoniæ subditus truncus suppeditat, vnde satis prius oleastris inserunt oleas: coeũt enim validius, ac radix plus trahens alimẽti, fœcundiorem arborem reddit: contra autem si syluestrẽ miti inserueris, et si differentia quædã erit, bonę frugis arbor nunquã erit. Contra hęc M. Varro, Si in pyrum syluaticã inserueris pyrum quãuis bonam, non fore pyrum tam iucundum, quàm si in eam, quæ syluestris non sit; et si videtur Theophrasti sententiæ repugnare, tamen omnes optimè quidem dixerunt: nã alter de germinatione, & fœcunditate arboris dixit, quæ subditum syluestrẽ truncum habebit, alter verò de succi fructus iucunditate. nam quæ vrbanã arborem subiectã habet, ob dulcem succum, quo alitur, iucũdiores fructus præbebit. Plinius. Facillimè coalescunt, quibus eadem corticis natura, quæq; pariter florentia eiusdem horę germinationẽ, succorũq; societatẽ habent. Lenta enim res est, quoties humidis repugnant sicca, mollibus corticum duri. Reliqua obseruatio, ne fissura in nodo fiat, repudiat quippe aduenã in hospitalis duritia, vt in parte nitidissima, ne longior multo tribus digitis, ne obliqua, ne translucens. Inseruntur autem & inuersi, quum id agitur, vt minor altitudo in latitudinem se fundat. Inserere aptissimum quamproximum terræ, si patiatur nodorum, trũciq; ratio. Eminere calami sex digitorum longitudine non amplius debent. Quòd si longius afferantur pomorum calami, rapo infixos, optimè custodire succum, arbitrantur; seruarique inter duos imbrices iuxta riuos, vel piscinas, vtrinque terra obstructos. Florentinus. Si surculi longinquis tractibus deferantur, infixi luto, in vase diligenter oblito ne ventum sentiant, asportantur. Sed modum inuersum surculum serendi à Plinio appositum, ne arbor in altũ excrescat, nos falsum reperimus, quippe in vite, & pruno experti, ad reliquarum altitudinem peruenerunt. Tutior mihi videtur hic modus, vt bimos, vel trimos surculos, & annosos detractos supra inseramus: tunc enim in latitudinem se diffundunt, & hoc modo cerasa, & ficus pumilas fecimus. Refert Palladius à quodam diligenti agricola audiuisse: Omne insitum sine

dubio comprehendere, ſi depoſitis ſurculis viſcum non temperatum in ipſa plaga pariter mergamus, quaſi glutino quodam ſuccos materiæ vtriuſq; miſturum. Plantas ἐλαιώδεις, hoc eſt, oleoſæ naturæ inſitiones nullo modo admittere poſſe, neq; enim conum aut cupreſſum, vel pinum, & omnino piceas peregrini quippiam vel pati, vel alere, referunt agricolæ. Cuius rei argumento eſt, ſi plantam quamlibet oleo inunxeris, demoritur protinus. Commemoratas verò arbores præpingues eſſe, ac oleoſas, indicio eſſe poteſt, quòd ſubinde deſudatur pix, reſinaq;, proinde aliis permiſceri nequeunt, ſicut nec oleũ ipſum. Apud rei agriculturæ ſtudioſos ſæpe agitatur quæſtio, vtrum ſit melius plãtas in ſeminariis ſerere, poſtmodum inſerere, ac inde in pomariũ transferre, quum apud maiores legatur transplantatam arborem mitiorem reddi; an in ſyluis inſerere ac poſtea in pomarium tranſplantare: ſanè rationes probabiles vtrinq; adducuntur, nobis autem experientia demonſtrauit, melius in pomario ſylueſtres plantas ſerere, ac vbi optimè comprehenderint, inſerere, quàm inſitas transferre: nam quum has transferimus, in coalitus loca ſæpè infirmari videmus, & multoties exareſcere. Præterea ſi velimus inſitas arbores eo anno quo inſerimus fructus afferre, hic erit modus. Veterem ſurculum inſeras, præſertim qui floribus & gemmis tumeat, & qui ſequenti anno fructus laturus ſit, vt in ſua arbore concipiat fœtus, hìc verò pariat, quos in ſua arbore laturus erat.

Ratio temporum in inſitione. CAP. XXV.

PRÆCEPIT M. Varro tempus potiſſimum eſſe obſeruandum in inſitione, ob id maiorum decreta huc afferemus: fuit enim non pauca eorum ſedulitas in illius obſeruatione. Arborum ergo aliæ vno, eodemq; tempore inſeruntur, aliæ peculiari natura contentæ contra cæterarum morem ſtatum ſibi tempus vſurpant. Dicamus primo de communioribus. In his enim obſeruari debet anni tempus, & ſyderum. In anni cõſideratione, non ſolùm annus conſiderari debet, ſed arborum natura, & locorum, ac inſitionum genera, ſcilicet inoculatio, & inſitio: nam vnum tempus vni, alteri alterum conſtituemus. Loquemur primo de inoculationis tempore, ac Theophraſti placita omnium principis primum apponemus. Eadem ſationis, & inſitionũ tempora: nam quum ferre non niſi turgida valeant, ergo germinationum temporibus inſitiones fieri debent. Germinatio fit per ver, per ortum Caniculæ, & per autumnum: his ergo temporibus inoculari poteſt. Sunt qui vernum tempus probent, dum æquinoctium agitur, arboribus adhuc fœtu grauidis: nam vnà cum partu, germinationeq; cortex quoq; adnaſcitur, & obregit. Alii præferunt quæ ex oriente Arcturo, tunc enim inoculata potius radicari, maioréq; in modum coire poſſe affirmant. Vere vniuerſum erumpere, vtpote ex robuſtiori principio, ſed quia aqua inoculationi officit: putrefacit enim, & admiſſa facilè deſtruit, ratione infirmitatis ex hoc ſub Caniculæ ortum tutiſſimè agi videtur.

videtur. Prętereà oportet eligere tempora, tum pro locorum conditione, tum pro arborum natura: nam quum altera vdo ſolo, altera ſicco melius degat, vtri tandem commodius ſit ver, vel autumnus, conſiderandum. Ver ergo ſiccescentibus melius accommodatur, quum minus ſucci habeant, ſed quæ pinguia, limoſaq; ſunt, autumnum deſiderant, humor enim verno tempore largior eſt, quàm qui ad conſeruandum ſufficiat. Quandiu lachrimatio duret, tempus id tricenis diebus à quibuſdam ſtatuitur. M. Varro quæ ex Theophraſto ſationis, & inſitionis tempora deſumpſerat, ſcripſit. Tempus idoneum, quod ſcribit Theophraſtus vere, & autumno, & Caniculæ exortu, neque omnibus locis, ac generibus idem: in ſicco, & macro loco, & argilloſo, quò minus habeat humoris, vernum tempus eſt idoneum: in terra bona ac pingui, autumno, quòd vere multus humor. quam ſationem quidam metiuntur, ferè diebus triginta. Cato per ver inſitiones fieri debere pyrorum, & malorum, etiam per ſolſtitium dies quinquaginta, & per vindemiam, ſed olearum, & ficorum per ver. Plinius Catonis verba interpretatur, Cato inſeri iubet mala & pyra per ver, & poſt ſolſtitium diebus quinquaginta poſt vindemiam, oleas autem & ficus per ver tantum. Ver tempus inſitionis, incitantibus ſe gemmis. Didymus inoculationem ante æſtatis ſolſtitium tempeſtiuè celebrari prodidit, quamuis ipſe circiter vernum æquinoctium, quum germinatione turgent arbores, & gemmis grauidæ geſtiunt, à die tranquillo, etiam quum cœlum ſilebat, inoculationem etiam ſpei fauentem auſpicatus ſit. Florentinus tradit inſurculationem ad æquinoctium autumni vſque celebrari optimè poſſe, in cortice vſq; ad brumam, & poſt Fauonii flatus, qui ſeptima Februarii die ſpirare incipit vſq; ad ſolſtitium. Sunt qui optimã in trunco prædicent poſt Canis ortum, rurſumq; æſtate poſt reſtinctos caniculę feruores. Surculi aquilonio flatu ruente non ſunt inſerendi, Auſtro ſpirante potius. Columella dicit vtraq; genera inſitionis verni temporis eſſe, tertium quo ipſas gẽmas cum exiguo cortice in partẽ ſui delibratam recipit, quam vocant agricolæ inoculationẽ, æſtiuo tempore vſurpari. Palladius. Calidis & apricis locis Februario menſe optimè celebrãtur inſitiones duæ, inoculatio reſeruatur æſtati. Sed ad ſyderũ obſeruationes veniamus. Cato Luna ſitiente, ficos, oleas, mala, pyra, vites inſeri debere poſt meridiem ſine vento Auſtro. Plinius hæc intepretatur, Luna ſitiente, hoc eſt ſicca, poſt meridiem, ac ſine vento Auſtro. Sed creſcente Luna inſeri debere. Alibi verò. In Lunæ coitu inſeruntur arbores, quam diem alii interlunium, alii ſilentis Lunæ appellant. Sic Columella. Omnes arbores ſimul atq; gemmas agere cœperint, Luna creſcente inſerito, oliuam autem circa æquinoctium vernum, vſq; ad Idus Aprilis. Sic enim Palladius. Sed hi omnes creſcente Luna inſerendas arbores iubent, nos verò contrariũ obſeruauimus in regionibus noſtris: quippe ſi creſcente Luna arbores inſeramus, lignũ non fructus affert, ſi verò deficiẽte, fructus vberes affert, arbor verò ſemperparua. Quapropter qui dant operã venalibus plantis, creſcente Luna inſe-

rum, vt breui tempore conſpicuam arboris intercapedinē efficiant. Ob id puto Florentinum ſurculos adhuc occluſos finiente Luna, vel ſilente vellendos, decem, aut paulò plures dies ante inſitionem iubere, operto ſic in vaſe, ne qua expiret aura. Sed edocenda ratio cur ſtatim eruti non ſint inſerendi, quippe ſi feruens adhuc, turgensq́; ſurculus in capacem rimā immittatur, neceſſum eſt quippiā eius emarceſcere, antequā in vnum coaleſcat corpus, fungoſam laxitatem inter excipiens lignum, & hoſpitem ſurculum intercedere, in cuius rimas hiantes ſubiens aer, prorſus in vnitatē coire non patitur. Quod ſi dies aliquot vaſe prius claudantur, faceſſet omnis iniuriæ ſuſpicio, neq; vinculorum laxans mollities infeſtabit, neq; inſpirans aer officiet, ſed breui tempore comprehendent. Zoroaſtres verò Ioue exiſtente in Leone annum eſſe commodum vult inoculationi, quum æſtas veri ſimilis eueniat. Reliquæ ſiderum obſeruationes, quum Luna Saturnum intueatur, ſed ipſa in Tauro, Saturnumq́; aſpiciat ſextili, vel trino, ac in bono aſpectu fuerit Iouis & Veneris. Saturnum enim ſationi dicant, quum Lunæ vis terrea ſit. Arborum verò peculiaris natura peculiare ſibi vendicat tempus. Plinius. Punica & ficus quamquam ſicca ſint, procraſtinare minimè vtile. Pyrum vel florentem inſerere licet, & in Maiū quoq; menſem protendere inſitionem. Ceraſus ſola poſt brumam inſeritur. Cato inſeri iubet mala ac pyra per ver, & poſt ſolſtitium diebus L poſt vindemiam. Columella oleam circa æquinoctium vernum vſq; ad Idus Aprilis, & reliqua quæ ſuis in hiſtoriis recenſentur.

De inſitione per terebrationem. CAP. XXVI.

NVNC terebratione quomodo inſeri poſſit edocebimus. Modum appoſuit primus Cato in vitibus, à quo cæteri agriculturæ ſcriptores exceperunt, aliqua addendo. Nos modum ad alias arbores traducemus. Inquit Cato. Vitem quam inſeres, terebra pertundito, eò duos ſurculos vitigineos quod genus eſſe voles, inſertos obliquos arcito ad medullam, facitoq́; vt medullæ medullam contingant, arcitoq́; ea, qua terebraueris, alterum ex altera parte. Eos ſurculos facito ſint longi pedes binos, eos in terram demittito, replicatoq́; ad vitis caput, vitiq́; vinclis alligato, medios in terram defigito, terraq́; operito. Hæc omnia luto depſto oblinito, alligato, integitoque ad eundem modum tanquam oleas. Columella modum corrigit, & commodiorem reddit. Detractum viti quam recentiſſimum ſarmentum eligitur, & leniter circumraſum, vt cortex tantum detrahatur, aptatur foramini, atque ita luto circūlinitur reſecta vitis, vt totus truncus alieni generis viti ſeruiat. Sed aliud eſt ferramentum, quo priores vitem perforabant, aliud quod ipſe vſus nunc magis aptum comperit: nam antiqua terebra, quam ſolum veteres agricolæ nouerant, ſcobes faciebat, perurebatque eam partem quam perforauerat, deuſta autem perrarò reuireſcebat, vel cum priore coaleſcebat, in eaq; nec inſitos ſurculos comprehendebat, tum etiam ſcobs nunquam ſic eximebatur, vt non inhære-

ret foramini, ea porrò interuentu suo prohibebat corpus surculi corpori vitis applicari. Nos terebram, quam gallicam dicimus, ad hanc insitionem commenti, longè habiliorem, vtilioremq; comperimus: nam ea excauat truncũ, nec foramen inurit, quippe non scobem, sed ramenta facit, quibus exemptis, plaga leuis relinquitur, quæ facilius omni tempore sedentem surculum contingat, nulla interueniente lanugine, quam excitabat antiqua terebra. Plinius vtriusq; verba refert. Palladius Columellæ. Alia est Columellæ tutior, & & certior insitio, quoniam etsi proximo vere non comprehendit, sequente certè coniungi cogitur. Primum ex vicino fructuosissimam oportet considerare vitem, ex qua (velut traducem inhærentem matri) palmitem attrahas, & per foramen transmittas, quum increuerit, coniungi cogitur, & mox à matre reciditur, atq; ita superficies insitæ vitis vsq; ad receptum surculum obtrũcatur. Neq; vitis in qua fit insitio interim ociosa manet, sed similiter fert fructum, & sarmentum coalitum simul augescit, vite nihil offensa ex terebratione, neq; compressa ex coarctatione. Quod etiam à Didymo transcribitur.

Quomodo omnis arbor omni arbori inseri possit.

CAP. XXVII.

NVNC modum demonstrabimus, quo insociabiles quomodocunque arbores natura copulentur. A Catone primum edoctum in vitibus. Ait enim. Si vitis vitem contingat, vitis vtriusq; latus alterum præradito obliquè, & inter sese medullam cum medulla libro colligato. Ab eo edoctus M. Varro etiam suis commentariis apposuit: Est altera species ex arbore in arborem inserendi nuper animaduersa in arboribus propinquis. Ex arbore à quaquis vult habere surculum, in eam, quam inserere vult, ramulum traducit, & in eius ramo præciso, ac diffisso implicat: tam ramuli locus, qui contingit ex vtraque parte, qua fissuram intrat, falce extenuatur, ita vt ex vna parte, qua cœlum visurus est, corticem cum cortice exæquatum habeat. eius autem ramuli, quem inseret, cacumen vt directum sit ad cœlũ currat, postero anno quũ comprehendit, vnde prognatũ est, ab altera arbore præciditur. Sed diligentior, & vtilior ad omnes arbores, & cum omni verborũ copia traditur à Columella. Sed quum antiqui negauerint posse omne genus surculorũ in omnem arborẽ inseri, & illam quasi finitionem, qua nos paulò ante vsi sumus, veluti quandam legem sanxerint, eos tantum surculos posse coalescere, qui sint cortice, & libro, & fructu consimiles iis arboribus, quibus inseruntur; existimauimus errorem huius opinionis discutiendũ, tradendamq; posteris rationem, qua possit omne genus surculi omni generi arboris inseri. Sed ne longiori exordio legẽtes fatigemus, vnum quasi exemplum subiiciemus, qua similitudine quisq; quod genus volet, omni arbori poterit inserere. Scrobem quoquouersus pedum quatuor ab arbore oliuę tam longè fodito, vt extremi rami oleæ possint eam contingere, in scrobẽ deinde fici arbusculam deponito, diligentiáq; adhi-

beto, vt robusta, & nitida fiat. Post triennium, aut quinquennium, quum iam satis amplum incrementum ceperit, ramum oliuæ, qui videbitur nitidissimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneæ religa, atq; ita amputatis cæteris ramulis, ea tantùm cacumina, quæ inserere voles, relinquito, tum arborem fici detruncato, plagamq; leuato, & mediam cuneo findito. Cacumina deinde oliuæ, sicuti matri inhærent, vtraque parte abradito, & ita fissuræ fici aptato, cuneumque eximito, & diligenter ramulos colligato, ne qua vi reuellantur. Sic interposito triennio coalescet ficus cum olea, & tum demum quarto anno, quum bene coierint, veluti propagines, ramulos oliuæ à matre resecabis. Hoc modo omne genus in omnem arborem inseritur. Sed Columella mira verborum iactantia, à se modum adinuentum tradit, quum iam pridem Cato, & post eum M. Varro edocuerit, vt non modus sed tantum verba sint diuersa. Admiror Plinium multæ lectionis virum, qui non se apud Græcos, neq; Latinos legisse scribit hunc inserendi modũ, sed à Columella excogitatũ affirmat, haud sibi certè satis compertum. Est hæc ratio apud nos vsitatissima, & maximè vtilis, vulgò *a porgere*, vel *passa innanzi* dicta, et si ea inter cõgeneres abores vtamur, scilicet in prunis persicis, malisq;, & castaneis adeò validũ intra duos menses incrementum capiunt, vt fructificet surculus, & longè subiecti trunci magnitudinem superet, si nouella fuerit planta, vt vix sustineri queat. Ideo animaduertendum est, vt quum iam rectè cepisse cognosces, quod erit, quãdo pars, quæ supra truncũ eminet, superat matris ramulũ, tunc à matre abscindas. Inter verò diuersi generis arbores, diutius coalescere patiaris. Quod si vicinæ inserendę arboris non datur opportunitas, & habebimus fictilia vascula iis arbusculis plantata, ex quibus fructus exposcimus, tunc præciso arboris trunco, vel fisso, prædicto modo surculum inseremus, vel adraso cortice, atq; itidem adraso surculo, vinculis strictè alligabimus, ne possint dimoueri, inde bimestri, vel trimestri spatio elapso, à matre recidatur, & vas vltra in aliam arborem transferas, sic vasculo nobili aliqua arbore plantato, totum pomarium, ne dicam villam optimè poteris inserere.

De alio insitionis modo, quo & fructus simul misceri possint.

CAPVT XXVIII.

INSITIONIS, seu mistionis modos trademus, longè cęteris faciliores, admirabilioresq;, quibus nulla certiore via adoptati fructus ex adoptãte formã, colorem, saporem, ac deniq; vniuersam eius naturã recipient. Hinc noua adulterii ingenia, hinc nouos fructus hominibus visendos prioribꝰ seculis inuisos prębebimus. Hinc qui nouis fructibus inueniendis, aut simul miscendis, vitiis corrigendis, emẽdandisq; nauant operã, principia colligere poterunt, vt voti cõpotes fiant. Cato, vt præcedenti capite diximus, quũ vites inserere doceret, vtriusq; vitis adrasa flagella vniebat, vt quũ coaluissent, à matre abscinderet, vt adoptati generis vites generaret. Didymus. Accipienda sunt duo diuersi generis sarmenta, eaq; findenda per mediũ, atq; ita alterũ alteri adiunge-

re

re oportet, vt oculi coincidant, & sese mutuo coniungant, vt duo oculi quasi vnus fiat, inde validè constringere sarmenta cum papyro oportet, & scilla integere, aut glutinosissima terra, atq; ita plantare, interiectis diebus tribus, aut quinq; irrigare, quousq; germen producat. Palladius ab vtroq, excepit, atq; in vnum diuersa dictorum scriptorum experimenta redegit hoc modo. Vt vitis botryones & albos afferre possit & nigros, vt Græci produnt. Si vicinę sunt vites alba & nigra quum putantur, sarmenta vtriusq; inter se diuisa sic iunges, vt medios vtriusque generis oculos æquãdo reddere possis vnitati: tunc papyro ligabis stricto, & molli, atq; humida terra curabis adlinire, & interiectis ternis diebus adaquare, donec germen nouæ frondis erumpat. Nos verò duo sarmẽta iuxta se vicina à parentibus non decisa, vsq; ad medullam erasa quinum digitorum lõgitudine simul adiunximus, vt duo dimidiati oculi vnus videretur: inde vlmea teniola ita alligauimus, vt è duobus oculis germen vnum exire cogeretur, qui vuas eo modo, quem diximus, præbuit. Fructus hic veluti hermaphroditus ex duabus naturis coniunctus nascitur. Quod sensisse videtur Ouidius in Metamorphoseos quarto.

——— nam mixta duorum
Corpora iunguntur, faciesq; inducitur illis
Vna, velut si quis conducat cortice ramos,
Crescendo iungi, pariterq; adolescere cernat:
Sic vbi complexu coierunt membra tenaci,
Nec duo sunt, nec forma duplex, nec fœmina dici
Nec puer vt possit, neutrumq; & vtrumq; videtur.

Ficus vt fructum producat vna parte album, altera rubrum. Duorum surculorum, albæ videlicet & nigræ ficus, oculos accipito, eos per medium secato, atq; simul componito, vt medietas oculi vnius ita medietati alterius æqualiter conueniat, vt vnitas ex his facta videatur, hunc oculum ex vtroq; cõpositum delibratæ ficus cortici accommodetur, vt diximus in emplastratione, & aptè deligetur, & comprehendet. Sed multas arbores sic emplastrare ne tædeat, vt earum aliqua comprehendat, & fructus hoc modo, quem diximus, afferet. Et huiuscemodi inserendi ratione in malis, pyris, reliquisq; similibus vti poteris. Sic Neapoli mala, quæ ex vna parte persicum ex alia nucipersicum ostendunt, producta fuisse non dubito, vt nunc pomum in diuersas partes diuisum videatur, vt vnaquæque suum saporem, odorem, colorem, læuitatem, & formam referat, nunc vno, eodemq; ramo persicum vel nucipersicum demonstret. Nec dissimili modo flores etiam dimidiatos producemus, vt pars alba, altera rubra, vel alterius coloris sit, vt dicemus in horto coronario. Palladius nouum insitionis genus à quodam Hispano se edoctum prædicat, monstratq; vt persica poma sine ossibus nascantur, id quod in aliis experiri posse nil vetat. Salicis ramum brachij crassitudine, solidum longum cubitis duobus, aut amplius terebrari iussit in medio, & plantam persici in eodem loco, in quo consistit, spolia-

tam ramis omnibus solo capite relicto per ipsum saligni manubrij foramẽ induci, tunc eundem salicis ramum terræ capite vtroque demerso in arcus similitudinem debere curuari, foramen luto, musco, vinculis stringi, anno deinde exempto, vbi infra medullam salicis caput plantæ sic cohæserit, vt vnitas sit ex duobus mista corporibus, plantam subterincidi, atque transferri, & aggerari terram, quæ arcum salicis cum persici cacumine possit operire: hinc persici poma sine ossibus nasci. Sed hoc locis humidis conuenire, vel riguis, & salices aquationibus adiuuandas, vt & natura ligni vigeat, quæ delectatur humore, & superfluentem copiam succi germinibus ministret alienis. Nec diuersa via nucipersicum productum fuisse existimo, quod ab vtroq; parente nomen vsurpauit, vt suum, parentisque ingenium referat. Malum est, quod foris æmula facie persicum pomum mentitur, sed succum, lęuitatem & colorem iuglandis refert, saporemq; medium inter iuglandem, & persicum, nomenq; ab vtroq; parente contraxit nucipersicum, prioribus seculis inuisum, iucundo sapore, innocentiq; gustu. Sic etiam amygdalopersicum, quod ab amygdalo & persico nomen assumpsit: foris persicum mentitur, intus dulcem amygdalam & forma & gustu repræsentat, nostris pomariis frequens. Nec diuersa via Plinio inuenta nucipruna: Peculiaris, inquit, impudentia nucibus insitorum, quæ faciem parentis, succum verò adoptionis exhibeant, ab vtroque nucipruna dicta. Et in Betica etiam malina, malis insita, & amygdalina, amygdalis insita, quibus in ligno intus nucleus amygdalę erat, nec vsquam pomum ingeniosius fuit geminatum. Tarentinus nigram vitem in cerasum inseri iubet, vt vuas vere habeamus: nam eo tempore vuas habebimus, quo cerasus proprium fert fructum. Sic Pamphilus, & Florentinus. Est & noua inserendi ratio, nobis cognita in senectute, oculum oculo imponendo, qua prægnantes afferent fructus, scilicet vt in aluo alterum gestent. Sic citrium in citrio, cucumeres in melonibus conspeximus.

An herbis, & suffruticibus insitio possit reperiri.

CAP. XXIX.

VIDEAMVS num & in herbis insitio possit inueniri, vt si quando necesse fuerit, odorem, saporem, colorẽ, vel germinãdi tempus è subiecto trunco haurire possimus. Nos antiquorum dictis, aliqua à nobis explorata addemus, vt ingeniosis noua semper inueniendi ansam præbeamus. Columella vt hyberno tempore cucumeres habeamus, hoc modo fieri posse docet. Idq; apud Dulum Mendesium Ægyptiæ gentis fieri posse legit. Hic enim præcipit aprico & stercoroso loco alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis cõsitas habere, deinde eas confecto æquinoctio paulum infra terram secare, & ligneo stylo laxatis vel rubi vel ferulæ medullis stercus immittere, atq; ita semina cucumeris inserere, quæ scilicet suo incremento coeant rubis, & ferulis: nam ita non sua, sed quasi materna radice aluntur, & sic insitam stirpem frigoribus

ribus quoq; cucumeris præbere fructũ. A quo Plinius, sed obscurè admodum. Est inter herbas genus inserendi, præcisis germinibus caulis, & in medullam semine ex aliis addito. Hoc & in cucumere syluestri. Similem huic modũ Palladius commentus est, vt lactuca seminibus multis condita nascatur. Auulsæ lactucæ folia carpunt, quæ radicibus iuncta sunt, & in eisdem gradibus surculo punctis semina deponunt nasturtij, ocimi, erucæ, ac fimo adlinunt: sic obruta iterũ lactuca prædictorum seminũ caulibus ambietur. Sed verior insitio videri posset, si per mediũ fissis radicibus syluestris intubi, radices florũ caryophyllorum odore indas, & implices, ita vt vniantur: & cœruleo flore nascentur.

De cultu, & primum de putatione. CAP. XXX.

HACTENVS seruimus, nunc colimus. Est enim altera pars libri, quam ab initio diuiseramus. Terræ cultus vtilis, & necessarius, contrà negligentia perniciosa. Cultus magis refert, quàm fertilitas agri. Solum enim vtcunq; fœcundũ natura, incuria sterilescit, ac in sentes, & dumos degenerat: nõ enim possumus citra aratioñe, & fossionem, cęterasq; artis sedulitates, tot, tantisq; agriculturæ muniis frui. Placuit enim Deo opt. max. vt non sine sudore sui vultus homo vesceretur pane suo. At infœcundũ cultu vber, nitidumq; euadit. Cicero in Catone maiore, Quid ergo irrigationes? quid agri fossiones? repastinationesq; proferã, quibus fit multò terra fœcundior? Quid de vtilitate loquar stercorandi? M. Varro ait, nullam terram adeo immitem esse, quæ non possit cultu, & industria domari: nõ aliter ac leones inter animalia ferocissimi mansuescunt. Quod Græci Poetæ innuere volentes, Cybeles terræ deæ currũ per aëra duos leones ab ea mansuefactos trahere fingunt. Vnde Lucretius:

Hanc veteres Graium docti cecinere Poetæ
Sedibus in curru biiugos agitare leones.

Sed terra quæ natura facilis existit, cultura longè fertilior, fœcundiorque euadit, & per culturam multum acquirit, vt alimenti copiam, & pinguedinem; præterea rerum impedimenta exterminantur, noxias herbas expurgando, vitiaque ipsius perdomando, vnde generosiores, & vberiores fructus producuntur. Lucretius,

Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusq; feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeq; colendo.

Et Virgilius ab eo in Georgicis.

——— *fructusq; feros mollire colendo.*

Sed culturæ exemplum à Plinio afferamus. C. Furius quum in paruo admodum agello largiores fructus, quàm ex amplissimis vicinitas colligeret, inuidia accusatus, quod fruges alienas pelliceret veneficiis, die dicta, instrumentum rusticum omne in forum attulit, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderosos, dixitque: Quirites, veneficia mea hæc sunt,

lucubrationes meas, vigiliasq; & ſudores non poſſum in forum adducere, & vobis oſtendere: fuit omnium ſententiis abſolutus. Nos cultum alium communem, alium ſingularem dicimus. Dicemus iam communem, dicturi particularem in vniuſcuiuſq; plantæ hiſtoria. Theophraſtus neceſſarias vocat amputationes, purgationes, decacuminationes, ſtercorationes, foſſiones, aliasq; curas, quæ arboribus adhibentur. Plinius remedia vocat. Ex his quædam ſunt communia omnium, quædam propria quorundam. Communia, ablaqueatio, accumulatio, afflari radices, aut cooperiri, riguis dare potum, vel auferre, fimi ſucco reficere, putatione leuare onere, & cætera. Sunt & aliquæ arbores, quæ cultum aſpernantur, vt aquam, fimum, & circumfoſſurã, amputationemque, & omnia remedia odio habent, quin etiam iis necãtur, ſed ipſa amputatio eſt, quæ omnes præcedere debet. Quippe quum primũ arboribus poſt fructuum decerptionem adhibeatur, & Theophraſtus de hac primùm diſſerendum iubeat, quàm de reliquis agriculturæ officiis, hæc enim conſequi, velut deinceps videbitur. Putatione arbores lætiores, & vberiores fiunt, & facie decora, & vitæ diuturnitate præſtant: nam quæ onere languidæ premuntur, circumciſis iis, quæ pondere premebant, non iniucundo remedio leuantur, & quæ aliena vmbra laborabant, cœlum aperiendo reſpirant. Præterea ſuperflua, & nimis improbè proſilientia amputando, ad ea, quæ relicta ſunt, pabulum confluit, vt ad fructificandum natura libere impetum ſuum faciat. Tanti arborum putationem antiqui fecerunt, vt deam, quæ putationi præeſſet finxerint, quam Putam vocarunt, Arnobio authore. Sed videamus quid ſit putatio. Putatio eſt infructifera à fertilibus reſecare: auferuntur enim ab arboribus non neceſſaria, obſtantia, fructum ſobolemq; impedientia, & quod vtile, & abſque vitio eſt, relinquitur. M. Varro, & F. Pompeius putum pro puro dicebant. Hinc Callicranides malos, & nil frugi homines è republica amputandos dicebant, vt improbis hominibus careat, cõducit enim publicæ vtilitati facinoroſorum hominum purgatio. Sed putationem ipſam Theophraſtus in duas ſpecies diuidit. alia eruditio, alia verò putatio. Putationem in alias ſpecies ab agricolis diſtingui prohibet, ſed alia ferro, alia manu, alia aduncis quibuſdã detrahenda, ne propter ſiccitatem, & tenuitatem ramulorum laborent vlceribus. Hic enim præarida, & tenella detrahi tantummodo iuuat. Nouellæ arbores, quoad conualeſcant radices, ferro tentandæ non ſunt, nam ſi priuſquam radix firmitatem adepta ſit, ferro laceſſitur, lædetur ſtipes, vtpote imbecillis: vbi verò ſuæ conſtitutionis ſpecimen iam dederint, putationis curam adhibendam, vt in vitibus flagella adimantur ſuperflua, pulchriora, & maximè idonea relinquantur, ſic nulla offenſa ſequetur, & plus alimenti ad ea, quæ relinquuntur traducetur. Sed plantarum eruditio, ſiue inſtitutio eſt tanquam arborum figuratio, & formatio ad altitudinem, latitudinem, & humilitatem. Arbores enim, quæ in enormem excelſitatem excreſcunt, agricolarum cura coercendæ ſunt, propterea quod de facultate fructificandi remittunt, fatigato alimento itine-

tis pro-

ris prolixitate, & interea intercepto ab aliis partibus. Sed conſulendum germinum & ramorum frequentiæ. ſic vberius fœtificant, & commodius coluntur. excipiendo eas quæ natura ſua in proceritatem exultant, vt palma, cupreſſus, pinus. Adultis arboribus putatio adhibetur, & quum omnium arborum putatio interſit, potiſſimum ea vitis opus habet, ad hoc natura vrgente, quippe quum exuberat in fructu, & germinatione, vt adimendum ſit ei, quod videtur manifeſto ſuperfluum, quod latius in eius tractatione exequendum erit. Aridæ arborum partes perpetuò demetendæ ſunt, quia iis ablatis rami vulneribus non læduntur, & hærentia nutritionem impediunt. Purgantur arborum rami, qui fructum afferre nequeunt, quique importuno ſitu ſeſe immiſcuerunt legitimæ germinationi; oportet enim germina foras erumpere, vnde loca inutilibus occupata euertere operæ pretium eſt, etiam quæ conferta ſunt, quæque mediis erumpunt, quum legitimo loco non prodeant: omnem enim tum ſolem, tum ſpiritum auferunt. Nec ſolem arboribus adimendū, nec ventilationem prohibendam cenſemus. Sed poſt attonſionis præcepta, tempora eiuſmodi cultus edoceamus ab eodem præceptore. Id poſt Pleiades factitandum eſſe iubet, nam quum moleſta ſit putatio propter plagas, conuenit tunc temporis fieri, quum arbores validiſſimæ ſunt, tunc enim ſuis operibus defunctæ, & cura illa fructificandi, germinandique, ſe ipſa fruitur tota, ſibi ſoli cauens. Quæ tardiores ſunt, lectis fructibus tondentur. ſola ficus poſt germinationem putatur. Nec eadem quantitas omnibus reciſæ partis, habitioribus enim plus demetendum: vt myrti, oleæ, punicæ luxuria ferro compeſcenda, ideo quòd quanto pauciora relinquentur illis, tanto plura dabunt, quia natura ſua ſtipata germinatione frequentantur. Sed malo, & pyro, minus recidi debet, & aut ferro leuiſſimè, aut manu ſuperflua detrahenda ratione ſiccitatis, & corticis tenuitatis, eo enim læſo, facile patiuntur. Arborem annoſam totam decidunt: germinare nanque denuò incipit, ſed truncum deinde colere, tanquam denuò ſatum oportet. Leontius Græcus, Poſt collectos fructus ſtatim magnas, & paruas arbores purgare conuenit. Omne vitioſum, & ſuperfluum acutiſſimis falcibus amputandum, & nouellis non amplius vno ramulo relinquendum. Auferendæ enim truncorū propagines, vt rectus & læuis ſurgat. In vertice tres, aut quatuor nouellos ramos habeat illæſos inter ſe diſtantes. ſic formanda eſt planta, dum tenera exiſtit. Plinius. Interlucatio arboribus prodeſt, ſed omnium annorum trucidatio inutiliſſima. Vitis tantum tonſuram annuam quærit, alternam verò myrtus, punicę, oleæ, quia celerrimè fruticeſcunt. Cæteræ rarius frondentur, nulla autumno. Ac ne raduntur quidem, niſi vere putatione. Plagæ ad vitalia ſunt omnia quæcunque non ſuperuacua. Plurimæ amputari ſibi volunt oneroſa ac ſuperflua, ſicut nos vngues, & capillum. Reciduntur veteres totæ, ac rurſus à ſtolone aliquo reſurgent, ſed non omnes, nec niſi quarum naturam pati diximus. Sublucatio propinqua putationi eſt. F. Pompeius, Sublucare eſt arborum ramos ſupputare, & in denſi-

tate superfluos per interualla deputare, quasi sub lucem immittere. Eo enim significatu est interlucatio. Collucare dicitur, quum rami sacræ syluæ lumini officientes, vel arbores ipsæ succiduntur, vt lucus luce impleatur. Virgilius doctè monet,

At dum prima nouis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris, & dum se lætus ad auras
Palmes aget laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acies falcis nondum tentanda, sed vncis
Carpendæ manibus frondes, interq́; legendæ.
Inde vbi iam validis amplexæ stirpibus vlmos
Exierint, tunc stringe comas, tunc brachia tonde:
(Ante reformidant ferrum) tunc denique dura
Exerce imperia, & ramos compesce fluentes.

Nos autem in putatione his vtimur. Quum seritur plantula, ramuli omnes abscinduntur, relicto eo, qui in medio est. Si arbor perfecta fuerit, abscinditur iuxta ramos truncus. Si insita fuerit, cęditur vnus, alter relinquitur, qui rectior, ac vigore præstantior fuerit, nisi punica, vel auellana, vel huiusmodi fuerit, quæ multiplici trunco diffissa relinquitur, suæ exilitatis causa. Tertio deinde anno quum rectè apprehenderit, putatio adhibeatur. Interim tamen si in crure ramuli aliqui creuerint, decidantur, solum ij, qui circa caput sunt, relinquantur. Primo à crure incipiendum, & si ibi stolones adhæserint, præcidantur, nam si relinques, matrem necabunt. Si verò truncus annosus fuerit, hunc recide, illos foue: nam rectè germinabunt, & lætius consurgent. Ramus si tener fuerit, cultro vno ictu resecetur, si vetus, serra, leueturq́; plaga sectura inuersa, ne aquam, quæ truncum putrefacere posset, contineat. Quæ nascuntur per truncum, aut ramos, abradantur, vt crescens cortex vulnus integat, ne cicatrix appareat. Truncus solus à terra erectus formandus ad altitudinem, ad quam desideratur, læto solo altior, sicco breuior, atq; secundum arboris naturam: nam sunt quę in altum excrescant, & quę humiliter subrepant. In capite relinquendi sunt tres, vel quatuor rami, vt crescentes dilatentur debitis locis, & inter se distantes. Sed si truncus nouæ plantæ, vel nitens trunci ramus non rectè abeat, pali figendi sunt circa crus, & vinculis alligandi, vt illud quod sponte facere nequit vi faciat. Sic tandem truncus in ramos, rami in virgas, & virgæ in surculos diuidantur, & vbi vento aut casu, naturave perit ramus, facito vt crescens locum repleat. Rami soli relinquendi, qui ad trunci substantiam, & soli sufficiunt, reliqui, qui importunis nascuntur locis, recidendi.

De fossione. CAP. XXXI.

POST putationem fodimus. Cicero in Catone, Quid agri fossiones, repastinationesq́; proferam, quibus fit multo terra fœcundior? Fossio est terræ inuersio, atq; comminutio. Sed fossio duplex, vna, quæ adultis, altera, quæ

nouellis

nouellis arboribus exhibeatur. Monet nos Theophrastus, post amputationem stercus adiiciendum, vel alium cultum continuò adhibendum, vt languescentibus vulnere arboribus, alimenti instauratione medicentur, & aliquid reponatur eius loco, quod ablatum est, maleficiumq; resarciatur. Fossionemque omnibus arboribus prodesse scribit: nam tollit quæ impediunt, & auferunt alimentum. Præterea terra vt madescat, efficit, terræ enim agitatione subit aër, eiq; permistus humorem, & alimentum facit, quapropter strigosum, siticulosumq; solum crebro subigendum tenetur, vt aëre perfletur. sic etiam palustre, & vliginosum, quoniam aqua diducitur, absumiturq; à sole. quod mirum videri non debet, si contrarium effectum faciat, nam desiccat quod vdum est, siccum humectat. Alia accedunt quoq; iuuamenta, arboris robur, & fructus bonitas. Nam coria & testæ, quæ sunt extima fructus munimenta, vt amygdali, & castaneæ, mitiora tenuioraque fiunt, & fructus interdum augescunt, quia quod lignis demitur, additur pulpæ: corno excepta, quæ fossione ægrescit, atq; degenerat, quum plus alimenti acquirat, quàm ei opus sit. Sed eis, quæ humiliori statu contentæ, vt sunt suffrutices & herbæ, sarculatio adhibenda est: nam melius conualescunt. Tempus autem fossionis non idem vbique. Aliis Martio mense, vt vberem & venustũ pariant fructum. Aliis hyeme, vt sitientibus arboribus cibum & potum præbeant. Æstate nunquam, ne solis ardor radices perurat, sed pingue solum sese tueri possit.

De ablaqueatione. Cap. XXXII.

FOSSIONEM sequitur ablaqueatio, tanquã species genus. Est enim ablaqueatio fossionis species. Ablaqueatio, Palladio authore, est circa arboris radicẽ dolabra terrã diligenter aperire, & purgatis omnibus, velut lacus efficere, vt solis teporibus, & imbribus prouocentur. Itali excaudicare appellant, nos *discalzare*. Hinc satis apparet, nõ à laqueis vt pleriq; putant, sed à lacubus, hoc est fossis, quæ circa arboris radicem aperiuntur, hoc nomẽ esse deductum. Theophrastus nouellis, & adultis arboribus conuenire dicit. Dum nouellæ sunt arbores omnes ablaqueantur, resecanturq; radices post cõsitionem, vt profundiores fiant, & plus capiant incrementi, præcipuè illæ, quę suapte natura superficiariæ sunt, vt inuitæ cohibeantur. Quod studiũ vitibus, & oleis potissimum impenditur. Depactis verò & stabilitis, quotannis auferendæ sunt, quæ temere effunduntur, quo fiant plures, & fortiores, quæ inferiores sunt. Hæ nanq; & minutæ superiores illas interimunt, nec ipsæ quidem sibi satis cõsulunt, quum quauis intemperie frigoris æstûsve lædantur. Si quæ fibræ siccæ sunt, auferendæ, ne agnatæ offi ciant, & vermiculos creent: nec radices recidendæ, vt infructuarij rami, & quæ bonæ frugis significationem non dabant, quum non sit eadem cum radicibus ratio. Quippe præstat intactas relinquere: vndequaq; enim prodeat radix, modo valida sit, pabulũ suggerere poterit. Plinius, Feruentibus locis accumulant æstate radices, operiuntq; ne solis ardor exurat. Alibi ablaqueant, perflatusq; admittunt. Iidẽ hyeme cumulis à gelu vindicant: con-

tra illi hyeme aperiunt, humoremq; sitientibus quęrunt. Vbicunq; circumfodiendi arbores ratio, in circuitu pedes in orbē ternos, neq; id in pratis, quando amore solis humorisq; in summa tellure oberrant. Ablaqueandi tempus Columella autumnale præfinit in vitibus, & ante idus Decembris lacusculos illos æquādos, quod nos in aliis arboribus obseruare poterimus. Sunt arbores, quæ minus, vel plus hanc curam desiderant, quam nos in singularum historiis describemus.

De stercoratione. Cap. XXXIII.

POST ablaqueationis leges stercorationis ineamus rationē, rem sanè immundissimam, sed vtilissimam agriculturæ, aruis, pratis & arboribus. Et si nostra tempestate quamplurimi vilissimi agricolæ pertractare vereātur, olim tamen ea regias manus fœdauit. Iam apud Homerum, inquit Plinius, regius senex agrum ita suis manibus lætificans reperitur. Augeas in Græcia Rex excogitasse dicitur. In Italia verò Hercules diuulgasse, quæ Regi suo Stercutio Fauni filio ob hoc inuentum immortalitatem tribuit. Ex Augustino in libro de ciuitate Dei: alij Stercen, & Stercutium Pici patrem vocarunt, deumq; agriculturæ dixerunt. Macrobius verò Saturnum Stercutiū Romanos vocasse, quod primus stercore agros fœcundandi rationē inuenerit. Seruius verò Pilumnū, Pilumni fratrem stercorationē inuenisse scribit. Sed vtilitatem stercorationis describamus. Hippocrates rerum naturæ cōsultissimus inquit, Terra fimo satiata, calorē satis subministrat, & frigus, geluq; propellit, quod alioquin arboribus nocens futurū erat, languescentibusq; illis subuenitur. Duplicem narrat Theophrastus vtilitatē, nempe ad faciendum solutam terram, & ad excalefaciendū, ex quibus manifestè fertilitas exoritur. Præterea quum fructus emollire, vel adimere acinorum lignum, vel dulcem ex amaro efficere volumus, vtimur eo. Quintilij, Bonam terram stercus meliorem facit, vitiosam verò emendat. Sed fimorum differentias prosequamur, vt potissimum ille fimus eligatur, qui cuiq; plantæ conueniat. Theophrastus stercoris qualitates ita determinat. Hominis stercus vt Chartodras ait, omnium optimum est, secundum suillum, tertium caprarum, quartum ouium, quintū boum, sextum iumentorum. Stipularius fimus diuersus, diuersoq; modo additur. Quidā enim illo debilior, quidam efficacior est, sed id omnibus in confesso est, fimū haud mordaci calore præditum esse oportere, sed tenui, facilique, ob id ruminantium præcipuè capi. Ex Quintiliis habetur, Optimum stercus est auium, præter aquaticarum, & anserum propter humiditatem, etsi aliis immistum nō aspernendum. Præstat omnibus columbinum, quia calidum. Secundo loco à columbario est humanum, illi simile, sed perdit herbas. Tertia laus asinino, natura feruentissimo, & plantis conuenienti. Quarto loco caprinum, acerrimum existens. Ei consequens ouillum, quod pinguius sit. Post hæc bubulum. Suillum præstantius est his, sed ineptum propter nimiam caliditatem, nam perurit sata. Vilissimum omnium equorum mulorumque, sed acrioribus vtiliter admiscetur.

M. Var-

M. Varro è Cassii opinione, volucrum esse optimum ait, præter palustrium, ac nantium. De hisce præstare columbinum, quod sit calidissimum, ac fermentare possit terram. Ex sua autem opinione præstare ex auiariis turdorum ac merularum, quod sit non solum ad agrum vtile, sed etiam ad cibum ita bubus, & suibus, vt fiant pingues. Sic secundum columbinum, Cassius scribit esse hominis. Tertium caprinum, & ouillum, & asininum, minimè bonum equinum. Columella, Tria stercorum genera præcipua, quod ex auibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit. Auium primum habetur, quod ex columbariis egeritur. Deinde quod gallinæ, cæteræq; volucres, edunt, exceptis tamen palustribus, aut nantibus, vt anatis & anseris: nam id noxium quoque est. Maximè tamen columbinum probamus. Secundum quod homines faciunt, si & aliis villæ purgamentis immisceatur, quoniam per se naturæ est feruentioris, & iccirco terram perurit. Tertium locum pecudum stercus obtineat, atq; in eo quoq; discrimen est. Nam optimum existimatur, quod asinus facit, quoniam id animal lentissimè mandit, ideoque facilius concoquit. Post hæc, ouillum, & ab hoc caprinum, & mox cæterorum iumentorum, armentorumq;. Deterrimum ex omnibus suillum habetur. Plinius nil noui, nisi quod ex M. Varrone, & Columella excipit. Idem quoque Palladius. Nunc stercus quod cuiq; conueniat differendum. Theophrastus, Fimi ratio ineunda est ex cuiusq; arboris natura, non enim vt eadem aqua omnibus confert, ità & stercus idem, sed disponendum, vt de solo supra diximus; variaturq; etiam per ætatum differentias, vnde nouellis plantis leuissimum fimum apponunt, quare à ruminantibus petendum, est enim eorum leuissimus, debilis enim planta leuissimum fimum poscit. Vites quarto quoq; anno stercorantur, aut seriùs, læduntur enim si frequentius, nec vllum erit in aquis præsidium, vt in genere arborum, sed nihilosecius vruntur, ob id dictum est stercorationem magis facere pro humidis locis, sicci enim agri simili periculo obnoxii sunt, nisi leuentur æstus imbrium beneficio. Nec tamen continuanda est stercoratio arboribus, vreret enim eas: etsi continua stercoratio minimè noceat aruis: quippe quum in aruo latè spargitur fimus, facile absumitur: in agro verò arboribus consito subit ad radices, atq; ibi vis aliquandiu perstat, ac calore aucto exuruntur. Segetes verò fimo affatim saturatæ, nisi pluuiarum copia diluantur, pereunt, quare tempestatibus pluuiosis crebrior stercoratio vtilior, & eandem ob causam in tenuibus terris, & æstuosis locis parcius agendum. Absurdum fortasse videbitur hac ratione: valentissimum quodq; plurimum cõfert validissimo, plantarum genus validissimum est, ergo validum stercus ei aptum. Sed stercus sicciora vrit: arborum natura sicca est: quocirca ne oleribus quidem adhibetur absq; humore, atq; etiam quia multum appetunt humidi, quum natura humida sint, ideo quotidiana egent rigatione. Varro columbinum stercus fermentare posse terram scribit: equinum minimè bonũ, sed in segetes; in prata enim vel optimum, vt cæterarum veterinarum, quæ or-

deo paſcuntur, quod multam facit herbam. Columella columbinum terram fermentare reperit. Aptior ſurculis hominum vrina, quam ſex mẽſibus paſſus fueris veteraſcere, ſi vitibus, aut pomorum arboribus adhibeas: nullo alio magis fructus exuberat, nec ſolum ea res maiorem facit prouentum, ſed etiam ſaporem, & odorem vini, pomorũq; reddit meliorem. Poteſt & vetus amurca, quæ ſalem non habet, permiſta huic commodè frugiferas arbores, & præcipuè oleas rigare: nam per ſe quoq; adhibita multũ iuuat. Sed vſus vtriuſq; maximè per hyemem eſt, & adhuc vere ante æſtiuos vapores, dum etiam vites, & arbores ablaqueatæ ſunt. Palladius, Stercus aſinorum maximè hortis conuenire, ſtercus quod anno requieuit, ſegetibus vtile eſſe, nec herbas creare, ſi vetuſtius ſit, minus prodeſſe. Pratis recentia ſtercora proficere ad vber herbarũ. Plinius ſequitur Varronem. Nunc ſtercorationis modum, & quantitatem indicemus. Theophraſtus de vtendi ratione ambigit, nec eandem eſſe: nam aliĩ arboribus apponunt admiſta terra. Alii extollant terram inter eandem, & inferiorem in medio fimum indunt, ſuper quem etiam reponunt exemptã terram, eoq; conſilio faciunt, vt neq; à ſole diſſipentur genitales partes fimi raptæ in vapores, ſi ſupra terram eſſet, neq; diluatur imbribus, neq; abeat. In ſuperficie verò ſparſum à ſole dilui, ab aqua elui. Id tamen omnes affirmant, ſtercore non vehementi, ſed miti vtendum, vt eorum, quæ ruminant. Plinius, Gaudent fimo plantæ. Sed cauendum ne in feruore ſolis admoueatur, ne immaturum, ne validius, quàm opus ſit. Vrit vineas ſuillum, niſi quinquennio interpoſito, præterquam ſi riguis diluatur, & è coriariorum ſordibus, niſi admiſta aqua. Item largius. Iuſtum exiſtimant in denos pedes quadratos tres modios. Id quidem ſola natura decernet. Columbino ac ſuillo plagis quoq; arborum medetur. Quintilii verò, Non aceruatim, ſed denſius ſtercorandum. Terra non ſtercorata riget, nimium ſtercorata comburitur. Oportet eum, qui plantas ſtercorat, non ſtatim ad radices ſtercus inÿcere, ſed puram terram immittere ſufficientem, & tenuẽ, dein ſtercus, poſtea rurſus idipſum terra occulere, ita non comburentur plantæ. Stercus columbinum non præparatur, ſed quale eſt ſinentes, vnà cum ſemine in aruum iacitur rarius. Humanum ſtercus in Arabia hoc modo præparant: primo exiccant, poſtea aqua macerant, ruſuſq; ſiccant, & id aptiſſimum vitibus exiſtimant. Sed præſtat ob abominationem aliorum ſtercorum miſtura eius odorem mitigare. Illud præ omnibus obſeruari oportet, ne annuo ſtercore vtantur agricolæ, quia nullius vtilitatis eſt, immò etiam affert detrimenta: nam plurimas beſtiolas & ſerpentes gignit. Triennale, & quatuor annorum valdè bonum eſt: nam longiori tempore quicquid fœtidum erat, euaporat, & quod durum erat, emollitum eſt. M. Varro columbinum vt ſemen aſpergi in agro oportere, non vt de pecore aceruatim poni docet. Virgilius,

Quod ſupereſt: quæcunq; premes virgulta, per agros
Sparge fimo pingui, & multa memor occule terra.

Columella

Columella humanum stercus aliis villæ purgamentis immisceatur monet, quia per se naturæ est feruentioris, & iccirco terrã perurit. Nec ignorare colonos oportet, sicuti refrigescere agrum, qui non stercoratur: ita peruri, si nimiũ stercoretur, magisq; conducere agricolæ frequenter id potius, quàm immodice facere. Nec dubium quin aquosus ager maiorẽ eius copiam, siccus minorẽ desideret, alter quòd assiduis humoribus rigens, hoc adhibito regelatur, alter quòd per se tepens siccitatibus, hoc assumpto largiore torretur. Plinius eadem habet. Sed stercorationis tẽpus doceamus. Post purgationẽ stercorandũ omnino censet Theophrastus, vt se recreari pabulo possint arbores. Columella pratis debere iniici mense Februario, Luna crescente, lupinis exili loco circa Idus Septembris. Plinius. Fimũ miscere terrę plurimũ refert, Fauonio flante, ac Luna sitiente. Id pleriq; prauè intelligunt à Fauonii ortu faciẽdum, ac Februario mense tantùm, quum id pleraq; sata aliis postulent mensibus: quocunq; tempore facere libeat, curandum, vt ab occasu ęquinoctiali flante vento fiat, Lunaq; decrescente, ac sicca. Mirũ in modum augetur vbertas, effectusq; eius obseruatione tali. Nunc res annumerabimus, quæ etiam vires stercori præbẽt. Columella; Potest & vetus amurca, quæ salem non habet, permista huic commodè frugiferas arbores, & pręcipuè oleas rigare. Nam per se quoq; adhibita multum iuuat. Sed vsus vtriusq; maximè per hyemẽ est, & adhuc vere ante æstiuos vapores, dum etiam vites, & arbores ablaqueatæ sunt. Quin etiam satis profuit cineris vsus & fauillę. Frutex verò lupini succisus optimi stercoris vim præbet, & si hæc omnia defuerint, licet quamlibet frondem, licet è vepribus, compitisq; congesta colligere, licet filicẽ sine iniuria vicini etiam cum officio decidere, & permiscere cum purgamentis cortis. M. Columella eius patruus sæpenumero sabulosis locis cretã ingerebat, cretosis, ac nimiũ densis sabulum, atq; ita nõ solùm segetes lętas excitabat, verùm etiam pulcherrimas vineas efficiebat. Iam si deficiatur omnibus rebus agricola, lupini certè pręsidium expeditissimum non deest, quod quũ exili loco, circa Idus Septembris sparserit, & inarauerit, idq; tempestiuè vomere, vel ligone succiderit, vim optimę stercorationis exhibebit. Succidi autẽ lupinum sabulosis locis oportet, quũ secũdum florẽ. rubricosis quum tertiũ egerit. Illic dum tenerum est cõuertitur, vt celeriter ipsum putrescat, permisceaturq; gracili solo: hic iam robustius, quòd solidiores glebas diutius substineat, & suspendat, vt eę solibus ęstiuis vaporatę resoluantur. Palladius, Maris purgamẽta si aquis dulcibus eluãtur, mista reliquis vicem stercoris exhibebunt, & limus, quẽ scaturiens aqua, vel fluuii incrementa respuerint. Quintilii, Quidam magnam, & altã fossam efficiunt, eoq; omne stercus, tum pręstantius tum deterrimũ defundunt, ac putrefaciunt, sed & cinerem furnorũ, & cœnũ, & omnium animalium stercora, prę omnibus humanũ, quod est magis vtile, & omnes plãtas, & pręcipuè vites, & humanã vrinam affundũt, immò etiã coriariorũ recrementa, ac sordes superiiciunt. Multi etiã stipulã post messem euulsam pecori substernũt, quo cõculcata, & per vrinam

computrefacta stercus fiat, & cum prædictis omnibus in fossam demergunt. Et si cœnosa aliqua immundicies, siue etiam ex paleis, spinis, aut lignis, aut sarmentis fuerit, etiam his adiiciunt, sed & algam è mari, etiam cum adhærentibus sordibus eiectam, aqua dulci diligenter elotam immiscent, & post omniũ prædictorum in fossam misturam, aquam dulcem superingerunt, qua vna omnia putrescant. Postea verò sarculis eo vsq; mouent, donec totum commistum, & vnitum stercus succulentum fiat, valdè enim prodest imbres, riuos ex viis ad sterquilinium deriuare: hæc enim aqua limosa existens stercus iam mistũ augebit, & vltrà putrefactione addita, melius reddet. Varro, Si in sterquilinium robusta aliqua materia sit depacta, negant serpentem nasci. Columella, Omnia in prædictum locum concauum congerenda, & assiduo humore satianda sunt, vt herbarum semina culmis, cæterisq; rebus immista putrescant. Æstiuis deinde mensibus non aliter, ac si repastines totum sterquilinium rastris permisceri oportet, quò facilius putrescat, & sit aruis idoneum. Hæc eadem Plinius, & Palladius.

De irrigatione. CAP. XXXIIII.

DIXIMVS de cibo, nunc de potu plantarum, quia post stercorationem irrigatio administratur. Inter ea, quæ cultui maximè necessaria sunt, aquã esse nemo est, qui ignoret. M. Varro in sui de Agricultura operis limine lympham precatur, quoniã sine aqua omnis arida, & misera agricultura est. Hanc necessitatem veteres Poëtæ suis figmentis ostendere, Herculem cum Acheloo sub tauri forma decertasse fingentes, & huius alterum cornu effregisse, quod postea vuarum, & omnium malorum, ac fructuum refertum Ætolis dederit. Cuius veritatem Diodorus Siculus ita detegit. Hercules in gratiã Chalidoniorum Acheloum amnem in alium cursum direxit, vt longè plures agros ex fluuii irrigatione feraces reddiderit. Veteres etiam Acheloum primitus aquam vocabant, Seruio referente. Ambrosius in Hexamero. Aqua nutrix oomnium virgultorum, & diuersos singulis vsus ministrat, vel è terra scaturiens, vel nubibus effusa descendat. Quippe radices alit, dat omnibus vires, radicem impinguat, caudicem prouehit, ramos diffundit, folia virescere facit, fructum alit, semina pomum augere facit. Lucretius,

Et nisi tempestas indulget tempore fausto
Imbribus, & tabes nimborum arbusta focillant,
Crescere non possint fruges, arbusta, animantes.

Sed aquarum vtilitates, & diuersitates tractemus. Est irrigatio naturalis vna, ab arte altera. Naturalis est, quæ ex cœlestibus, & terrestribus aquis fit, sunt enim cœlestes aquæ pluuiæ, & harum imitabundi rores, terrestres verò fluenta, riuuli, & priuatim Ægypto stagnantes aquæ. Quæ ab arte fiunt, irrigationes sunt, quæ ductiles, & aspersiles sunt, quum videlicet pluuiæ desunt, supplentur arte irrigationis. In cœlestibus aquis considerandæ sunt quantitas, quali-

qualitas, austrina, vel borealis, tempus, vel anni, vt hyemis, & æstatis, & eius partium diei, & noctis, vel plantarum respectu, si ante vel post, vel in ipsa germinatione contigerit. In terrestribus considerandus est sapor, siue salsus, siue dulcis, aut mixtus, puritas, vel impuritas, caliditas Solis, ignis, vel Austri, vel frigiditas. Sed quæ ab arte, secundum tempus, & modum. Sed hæc ex Theophrasti doctrinæ placitis eliciemus, ipsumq; audiamus à quantitate exordientem. Imbrium vbertatem arboribus prodesse, vel hinc etiam cõsiderari oportet, quod vbi affluentes fuerint, arbores hilariores, & meliores se habent. Sed aquiloniæ pluuiæ austrinis commodiores sunt plãtis, quia frigidiores; faciunt enim vt plantæ amplius oblato sibi humore potiantur, cum fructus & plantæ ipsæ melius constent ac valeant omnes. Item superuacuum detrahunt atq; assiccãt, neq; diu id insidens humefacere patiuntur, neq; æstu solis concoctũ afficere sinunt. Austrinis verò humescunt plantæ, & imbecilliores redduntur. Imbres maximè tempestiui sunt hyberni ob causas iã antè expositas. Nocturnæ pluuiæ diurnis præstant, quia humore diutius frui permittuntur, quum à sole illico non absumantur. Proxima verò bonitate eæ sunt aquæ, quæ ante germinationem eueniunt, his enim germinatio lætius agitur. Tertius pluuiarum ordo postq̃ flores lapsi sunt, quia fructuũ consummationi iam pabulum accedit, sed non illicò, sed vbi fructus paulò robustiores facti sunt: nam si non consummato fructu incesserint, aut cadunt nimio humore obruti, aut si non cadunt, marcore corripiuntur. Intempestiuæ eæ sunt pluuiæ, & pessimæ, quæ florescentibus ingruũt: pereunt enim, aut labuntur, vel rubigine marcescunt, & quæ non cadunt, degenerant, præter pauca. Sed seris fructibus seræ pluuiæ conueniunt, quum plus alimenti concoctionis desiderent, & quum nõ omnibus idem tempus perfectionis. Non igitur omnibus plantis eadem pluuiarum ratio tempestiua est. Terrestres aquæ haud exiguam sibi partem vendicant ad plantarum alimenta & incrementa, quarum differentię multæ. Nitrosæ autẽ, & aluminosæ, neq; plantas alere, neq; gignere possunt, exceptis quibusdã priuatæ naturæ plantis, quibus quoq; priuata deberi alimenta par est, sicut mare. Ei enim est sua genialis facultas, vt suas sibi plantas peculiares gignat, quæ in terra nasci nequeant. Et locis iis quibus reciprocat mare fructuosissimas arbores quoq; videre licet, nisi quispiam dixerit, ex interiori terræ sinu dulces aquas extrahere mare ipsum, quum circumfunditur, nihil nocere. Sunt & quæ mari vicinæ nascuntur, salsugine quodammodo vtentes, tum ad alimentum, tum ad robur, videturq; hoc quasi medium genus inter terrestres plantas, & marinas. Salsugo etiam plantis alimentum præbere potest, quæ in mari non viuunt, sed terrenis ipsis, minus tamen, ac minus bonum, quàm aqua dulcis, exiccat enim, atq; incrementum prohibet. Confert autem tum arboribus, tum oleribus, sed his minus, quia minus arboribus robustæ sunt, vt palmæ, & brassicæ. Sed Androsthenes in Thilo Erythrei maris insula scriptum reliquit: salsas rigationes plus conferre, quàm pluuiales aquas arboribus, her-

bisq;, & agricolas post pluuias inducere riuos eiusmodi in sata. Sed id consuetudini tribuendum iudico, quæ naturam superat. Solæ supersunt potabiles aquæ, & inter eas frigidæ optimæ sunt, frigus enim concoctionis est author, quia introrsum ad radices calorem soluit, & obsidet, & excalefactas exuctasq; radices refrigerat: argumento, olera, radices, & fructus frigidarum aquarum irrigatione dulcescere. Et si supra commendabantur boreales aquæ & nocturnæ, & frigidi flatus probabantur, par ratio & in irrigationibus. Eadem ratione aquæ flatúsve calidi diffundunt, humefaciunt, & insitum calorem debilitant. Sed quæ potui idoneæ sunt, si salsis admisceantur, vel si peregrinis aliis qualitatibus huiusmodi vitientur, non alunt, sed lædunt. Sed aquarum mistio tunc vtilis est, quum alia cruda, & contumax existit, & alteri molli placidæ, & quæ iniecto limo turbida, & limosa est, miscetur: sic tenues crassioribus congruent, vt putealis tenuitas admisceatur lutulentis scatebris, & fluuialis crassities pluuiali. Sed id admirabile quoque est, si qua potabilis aqua ad plantarum alimentum inutilis sit aut non perfectò hoc fungatur officio, vt in aquis, quæ ad Pyræam sunt, perspicitur: quod ex duabus causis euenire potest: aut enim à raritate, quòd inuerisimile non videtur, aër quippe rarissimus, alere tamen posse putatur: aut quòd saporem aliquem noxium habeant, qui gustatu hominem latet, quod deprehenditur experimento in prædicta aqua, qui nanque homines ea lauantur, fiunt scabiosi, & plantæ quoq; proximum quendam accipiunt habitum. Nec rectè putabit aliquis ab ea nimium confieri nutrimentum, adeò vt concoctrix virtus plantarum superetur, atq; virtute obtusa consequatur tabes. Æstate verò fluentibus aquis vtendum non absque ratione, siccis enim temporibus plantæ humore opus habēt, ad fructuum educationem. Sunt verò qui penitus tunc rigationem abdicent. Sed consuetudinis habenda ratio, quia illa est iam altera natura, proinde nec intermittenda si plantæ rigari solitæ sunt, nec rigare si non sint solitæ: vtrouis modo, vtrobiq; minus rectè fieri potest. Arbores siccis locis degentes, quia succo egent, nil aliud quærūt, quàm quod opus necessario habent, sed irrigatione fructus deteriores redduntur, quemadmodum quæ non consueuerunt rigari, si rigentur. Sed si occeperis, perseuerandum: nam & alimentum substituitur. Aliæ magis fimum, quàm aquam diligunt, aliæ minus, vt cupressus, quæ nullo pacto fimum, neq; aquam concupiscit, sed etiā emori dicitur, si copiosè nouella adaquetur. Punica & vitis aquam diligunt. Ficus quum rigatur, magis germine viget, sed fructum deteriorem parit. Omnis cultura pro natura cuiusq; propria imponēda. Plinius ex Theophrasto hæc traduxit. Circa Vergilias quidem pluere, inimicissimū viti & oleæ: quoniam tunc coitus est earum. *Hyeme* imbres expetēdi euidens causa est: quoniam arbores fœtu exinanitas, & foliorum quoque amissione languidas, naturale est auide esurire. Cibus autem earum imber. Nec per solstitia imbres vitibus conducunt. Tempestiuę aquę hybernis primùm imbribus, deinde germinationem antecedentibus.

tibus. Tertium tempus est, quum educant poma, nec protinus, sed iam valido fœtu. Quæ fructus suos diutius continent, longioresq; desiderant cibos, his & serotinæ aquæ vtiles, vt viti, oleæ, punicis. Hæ iam pluuiæ generis cuiusq; arboribus diuerso modo desiderantur, aliis alio tempore maturantibus. Quapropter iisdem imbribus quædam lædi videas, alia iuuari, vt in eodem genere, sicut in pyris. Alio die hyberna quęrunt pluuias, alio verò præcocia, vt pariter quidē omnia desiderent. Hybernum tempus est ante germinationem, quę Aquilonē Austro vtiliorem facit. Ratio eadem mediterranea maritimis pręfert (sunt enim plerunq; frigidiora) & montuosa planis, & nocturnos imbres diurnis. Magis fruuntur aquis sata non statim auferente eas sole. Peculiaris medicina raphano, betæ, rutę, cunilæ in salsis aquis, quæ & alioqui plurimum suauitati, & fertilitati conferunt. Cæteris dulcium aquarum rigua prosunt. Vtilissimæ ex iis, quæ frigidissimæ, & quæ potu suauissimæ. Minus vtiles è stagno, & quas elices inducunt, quoniam herbarum semina inuehunt, præcipuè tamen imbres alunt. Horæ rigandi, matutina atq; vespera, ne inferuescat aqua sole. Pluuias coruscante fulgetro demissas frugum altrices agricolæ prędicant, & stultum prorsus dicunt quemquam harum rerum admiratione teneri, præsertim videntes in his affectionibus aquam rem mollem aspero crepitu sparsum ignem eiaculari. Sed Plutarchus ex intimo Philosophiæ pœnu causas repetens inquit, Irrumpentes in tonitru aquas feraces esse fœcundasque, nihil inpræsentiarum adduci potest euidentius, cuius causam ignis permistioni refert acceptam. Quippe purus ignis ac pernix ruit in fulgetrum illucens, sæuiunt procellæ, inibiq; ventus obuersans frigus domat & humorem exhaurit, ita vt germinantibus suauitatem quandam adferat, qua maturius crassescant, quandoquidem & temperaturam, proprietatem, & succorum differentiam emergentibus satis talia conciliant, non aliter, quàm rores dulcius pabulum pecori subministrant.

De morbis & corruptionibus plantarum, & primo de iis, qui secundum naturam, & sponte eueniunt. CAP. XXXV.

IAM libro finem imponeremus, nisi cultus pars altera, & præcipua, maximaque superesset, scilicet quæ morbos, & corruptiones demonstrat, & remedia docet. Affliguntur enim plantæ omnes veluti animalia, non vno, sed diuersis morbis, & communibus, & peculiaribus: vnde expedit agricolam, ne suæ prolis enector habeatur, erga plantas quas seuit, inseuit, & coluit, veluti misericors paterfamilias erga suos liberos, medici officio fungi, & ab ægritudinibus eas liberare. Nihil enim procreasse, & coluisse profuerit, nisi adultis, & morbo languentibus subueniat: nec indiligentem esse conuenit, vt eis tardè opem ferat, ne quum morbi inualuerint, longa tabe de vita periclitentur, seroq; eis medicina paretur. Sed ad morbos transeamus, ex quibus, vt semper nobis moris fuit, tabellā proponemus, quo magis quicquid dicturi

ſumus, eluceſcat. Morbi vel ſylueſtrium vel mitium arborum ſunt. Dicamus primò de ſylueſtribus, quia pauci vel nulli ſunt. Theophraſtus ait eſſe qui ſylueſtribus morbos accidere negent, ſed malè affici dicant, quum antequam germinent, vel ſub ipſa germinatione, grando, aut flatus prægelidus, aut feruidus inuaſit: vincuntur enim ab intemperie. Contra hyems tempeſtiua tam agreſtibus, quàm ſatiuis prodeſt: nam conſtipando, & condenſando interna fouet principia, vnde proba germinatio prouenit. Plinius ab eo, Infeſtantur nanq; arbores & morbis. quid enim quod genitur caret his malis? Et ſylueſtrium quidem pernicioſos eſſe negant, vexatiq; tantum grandine in germinatione, aut flore. Aduri quoq; feruore, aut flatu frigidiore præpoſtero die, quoniam ſua frigora etiam proſunt. Nobis quoq; quod arboribus idem hominibus accidere videre licet. Ruſtici enim nõ ita frequenter, nec leuiori quauis de cauſa, velut vrbani langueſcunt. Sed vrbanarum morbi, & interitus plures ſunt, eosq; diuidendo dicimus: Morborũ principia partim intus eſſe, partim extrinſecus. Nos primùm de intrinſecis loquemur morbis, proximè de reliquis. Interni morbi principium eſt, ſi alimenti copia, vel inopia; aut qualitatis plus, minúsve acceſſerit. Eſt genus arborum, cui interitus ſpontè, & ſecundũ naturam euenit, non vllo pacto afflictato, & nimia bona babitudine, quum piceæ radices ſucci copia in tedam abeunt, quæ vt quædam animalia pinguedine ſuffocantur: quum enim tranſpiratione vti non poſſint, nec alimentum tranſmittere, quum ſint venarum oſcula pinguedine anguſtata, & obducta, moriuntur. Eſt & præter prædictam alia corruptio, quæ euenit propter nimiam fœturam. Fœcundum omne dicimus naturæ legibus breuis æui, quum enim omnis humor largius fructificando abſumitur, inanitione exareſcit: vt oleæ nouellæ nimia pereunt fertilitate, quum ſuccus, qui matribus debetur, exhauritur in ſobolẽ. Sed corruptio hæc videtur, nec naturalis, nec extrinſeca, violentaq;: ſed arboribus accidere quòd nimia fœcunditate exſuctæ moriantur. Adiungitur & alia cauſa, quòd aëris, cœliq; blanditiis plus quàm modicum ſit ad generationem citentur. Sed nil referre arbitramur, dicamus naturalem eſſe, aut præter naturam, aut mediam inter naturalem, & non naturalem. Plinius ab eo. Aliquæ verò & obeſitate, vt omnia, quæ reſinam ferunt, nimia pinguedine in tedam mutantur, & quum radices quoque pingueſcere cœpere intereunt, vt animalia nimio adipe.

Extrinſeci morbi qui fuerint naturales, & de publicis morbis, ſyderatione, mortificatione, & vermiculatione. CAP. XXXVI.

DIXIMVS de intrinſecis, nunc de extrinſecis. Morbi igitur extrinſecus aduenientes ſunt, aut ſecundum naturam, aut præter naturam, & violenti: nam qui algore, ardore, aut aëris ratione, etſi extrinſecus, eueniant, non præter naturam cenſendi ſunt. Morbus enim partim præter naturam eſt, & eſt diſceſſus quidam, atq; perturbatio rei, quæ ſecundum naturã fit: partim

quòd

quòd ſolitus eſt,& ſæpe accidit,ſecundum naturam eſſe dicimus. Morbi igitur extrinſecus euenientes,alij ſunt violenti maximè, & præter naturam, ceu vulnera,de quibus poſterius dicturi ſumus:alij minus violenti, & extrinſeci,vt aëris exceſſus:minime verò omnium corruptiones ſunt, quas morbus attulerit. Sunt enim iſtæ maximè diuturnæ,quamobrem nec præter naturam eſſe apparent,æquè vt in animalibus. Quorum morborum,alij ſunt publici,& omnibus communes, vel pluribus, alij ſunt peculiares per genera. Dicemus primo de communibus,vt ſunt ſyderatio,mortificatio, & vermiculatio: & primo de ſyderatione Theophraſti diuini doctrinam ſequendo, tum quod diſtinctiùs, & lucidiùs,tum quod omnibus melius de iis ſcripſerit. Syderantur nouellæ plantæ magis, quàm vetulæ,& ſurculi præcipuè ſuæ plantæ imbecillitate, quod accidit, quum ſiccata tellure, humorem attrahere nequeant, propterea ſub Cane multa ſyderantur, vetulæ validius reſiſtunt, vtpote robuſtiores,& quia plus è longinquo trahunt. Præterea vetulæ ſuopte ſucco ſunt pinguiores,& nouellarum præueniunt fœturam,ipſaq; tempora ſquallida,proinde non fallit ſpes, ſed quantum ſpondent in flore,tantum fructu præſtant. Tandem quia imbecillæ ſunt,mutationes ſufferre nequeunt. Præterea humeſcunt ſub Cane arbores, & eo tempore germinatio germinum accedit. Eſt & alia cauſa ſyderationis, quæ fit vulnere, quum ea quoq; ratione infirmiora reddantur. Plinius. Syderatio tota cœlo conſtat. Proprium ſyderationis eſt ab ortu Canis ſiccitatum vapor, quum inſitæ, ac nouellæ arbores moriuntur, præcipuè vites, & ficus. Eſt & morbus σφακελισμὸς ſyderatio dictus, tranſlatum nomen ab effectu ſimili, quia reperitur in animalibus, eſt verò quum in radicibus ex vulnere, & vlcere propter putrefactionem calor extinguitur,quaſi mortificatio. Sed non in omnibus verum eſt: nam cicer hoc morbo perit, nec propter vulnus: elota enim ſalſedine interit. Iccirco in aliis etiam ſine vulnere videtur. Alij ſunt, qui mortificationem,& ſyderationem idem eſſe dicant. Poſſunt aliæ cauſæ eſſe,ſcilicet alimenti exceſſus,& defectus,vel ſucci cruditas,vel ab aëre. Quippe frigore ſuperueniente poſt æditos fructus ex imbecillitate tenui humoris arbores intereunt: nam quum craſſior pars in fructum abierit,reliqua ſeroſa tenuis petitur à frigore, vnde ex imbecillitate perit. Sequitur etiam interdum ob alimenti defectum, quotiens radices minus commodè teguntur, ita altæ, vt extantes videantur, vritur enim ſuccus, aut incraſſatur. Combuſtus non alit. Craſſus ſi aleret,ad alēdas partes non adit,vnde morbus,& interitus. Huic proximum quum ſquallent ſiccitate, humoreque carent, quem tranſmittant. Erunt ſuppetię ſolum ſemper mouere. Sic enim recenter reponitur,vnde ſubinde aliquid afferatur ſucci, id, quod æſtate potiſſimum iuuat, propter ſiccitatem,eritque munimentum aduerſus hyemem, ne calor exhalet, qui exceſſum humoris ex hyemalibus imbribus digerat per arboris partes, alioquin exalbeſcunt arbores, ſicut & ſata, & intereunt, quum vegetari nequeant; niſi enim calor adſit, humoris copiam coquere nequit, nec alitur planta. Vnde ieiunio

laborare neceſſe eſt. Interdum non perit, ſed tantũ ægrotat, vt fructificare nequeat. Quod enim pabulum non excoquit, neq; euincit, fructificare non poteſt. Sed exitialis arborũ lues, vermiculatio eſt: cuius cauſa duplex. Inflictuum vulnus, & ſitis; ex vulnere enim fit ſanies, ex ſanie vermes progignũtur. Sic & in reliquis rebus euenit. Ex ſiti prouenit idem: nam quũ debiti humoris defectus euenit, fit dimotio quædã ex natura, dimotionẽ mutatio & alteratio ſequitur, ex mutatione verò gigni vermiculos videmus. In arefactis idẽ accidit, vbi calor redditur efficacior. Mali huic vitio maximè obnoxiæ ſunt, in locis feruidis, breui enim fit radicũ exiccatio. Iſq; morbus omnibus penè euenit. Sed malos pluribus infeſtari vermibus videmus, atq; iccirco citius intereũt, ſic ficũ & pyrum. Minus vermiculationẽ patiuntur, quæ acerbo & acri ſucco prædita ſunt, tum quia minus putrẽt, tum quia acerbitas animaliũ partum prohibet, ſicut in lauro, quæ cito putreſcit, at propter acrimoniæ veſtigia non æquè vermiculatur. Caprificus nõ ſicut ficus putreſcit, quia eius lac acerbius eſt: acidæ punicæ minus, quàm dulces putreſcunt, quia dulcis ſuccus imbecillior eſt, ob id mutationem facilius recipit, putreſcitque, & omniũ maximè mali vernę, ſucci & totius naturæ imbecillitate. Omnia quæ lentiſco inſerta mandãtur terræ, minus vermiculos ſentiunt, odoris, calorisve cauſa. Plinius. Arborũ communis morbus vermiculatio eſt, ſed vermiculantur magis, minúsve quædã, omnes tamẽ ferè. Idq; aues caui corticis ſono experiuntur. Maximè autẽ arborum hoc ſentiunt pyri, mali, fici. Minusq; quæ amaræ, & odoratæ ſunt. Contra hunc pernicioſiſſimum morbũ, qui ſi in arboribus diutiùs immoratus fuerit, mortẽ infert, rei agreſtis ſcriptores nõ ſegnes fuerunt: nam plura remedia ab eis deſcripta ſunt. Alij radices ante plantationẽ felle taurino oblinunt, quod poſt etiã frequẽtius faciunt, idq, maximè in punica & pyro. Nonnulli ſuillũ ſtercus vel caninũ vrina hominis, vel aſini diluunt, & ablaqueatis radicibus affundunt. Democritus lemniam rubricã cum aqua terebat, & eo poſtea radices illinebat. Alij lupino cum oleo trito radices etiã oblinebant. Alij hominis vrinã deſumunt, & ex tertia aceti parte miſcent, & vbi ſunt vermes infundunt. Multi ſcillæ bulbũ cum lupinis in aqua per multos dies macerant, & cum ſpongia vermium plagas abundanter inſpergunt, qua ſi per aliquot annos arboris truncũ inunxeris, à vermibus nõ corrumpetur. Plures cinerem amurcæ cõmiſcent, vel bouis vrinam cum tertia aceti parte infundunt, vel viuam calcem in aqua decocti lupini. Alij bitumen, vel oleum vermiũ latebris indunt. Alij amurcã, vel veterem vrinam. Aliud eſt quoq; remedium. Clauo ęreo fodiendus, atq; vellicandus cortex, donec mucrone beſtiola deprehendatur: plagam poſtea fimo bubulo oblinunt.

De peculiaribus arborum morbis. CAP. XXXVII.

IAM diximus de vniuerſalibus morbis, nunc de quarundam ſpecierum morbis peculiaribus. Ficus glabrationem patitur. Si enim imbres nimij fuere, radix deglubitur, quod vitium ollam appellant. Morbus hic radicibus paulò ſupe-

superius accidit, isq; ex humoris nimietate accidere solet. Plinius. Cæterum si rores cadunt, siue imbres nimij fuere, alio modo ficus laborat radicibus madidis. Viti hirculatio, vel articulatio accidit ex eadem causa, & quæcunq; nimia germinum luxuria fructificare nequeunt eodem pertinent: hæc pabulum excoquere nequeunt, sed vis tota ad germina conuertitur. Fitq; morbus ille, aut mulctatis germinibus iniuria ventorũ, aut imperitia culturæ concisis aut in supinum excisis: vniuersi enim succi impetus ad germinandum excurrit, ac fructus expectandus non est. Vnde pampinatione vtendum præcipiunt per totam æstaté, sarmenta etiam, & propagines summittunt, item radiculas tollunt, quæ trunco hærent superiore. Adde ablaqueationes, & suffossiones, vt radices nudentur, & noui cœli haustu castigentur, præcauendo ne quid pedamentum offendat. Hæc omnia alimentum diminuunt, & vires augent. Plinius. Vitibus morbus peculiaris articulatio tribus de causis. Vna, vi tempestatum germinibus ablatis. Altera, vt notauit Theophrastus, in supinũ excisis. Tertia, culturæ imperitia læsis: omnes enim earum iniuriæ in articulis sentiuntur. Ficus quoq; scabiescit humore nimio. Remedium erit quum germinare incipit, putetur, ne sua opacitate succum percrassescat. Alia ratione fieri posse scabiem dicunt, ac Vergiliarum ortu initium capere ex minutioribus pluuiis, quæ vbi insederint, hærent, & feruent, (nam si imber largior fuerit, sordes eluit) atque etiam fortasse subeunt, vnumq; fiunt intus cum naturali succo. Et accidit vt grossi, & caprificus decidant, nec tamen eis scabies vbique accidit, sed hi morbi ratione locorum euenire videntur, quemadmodum & animalibus. Nam apud aliquos scabies nullo modo infestat, vt nec circa Æneam. Plinius. Scabies communis omnium, est impetigo, & quæ adnasci solent cochleæ, peculiaria ficorum vitia, nec vbique. Sunt enim quædam ægritudines & locorum. Scabies gignitur roribus lentis post Vergilias: nam si rariores fuere, perfundunt arborem, nó scalpunt scabiem. Olea lichenas patitur, vitis rorationem, siue acinorum defluxioné, Chelidemo authore. Fructus enim prætenuis, fluxusq; creatur. Remedium erit, quũ nimia alimenti vbertas detrahitur, vt amygdalas & punica castigare solemus: vel quũ arbor firmior, & robustior redditur. Rorationis gemina causa est, aut quod flores rorem excipiunt, aut quòd exuperátia fuerit. Quod si ita fit, aëré dixerim in profluuio floris humidioré veluti æruginé procreare, vbi verò plus æquo inualet, alimentũ auertit. Hac vtraq; de causa acini partim labuntur, partim ita manent, vt non attingant à natura debitam magnitudinem. Vites quum alsere, ægrotant: oculi nanq; primò putatis hebetantur. Rursusq; ex nimio calore idem euenit, etenim eorum quoq; temperamentum poscunt, sicut etiam aliméti omnino. Cuius causam affert. Accidit oculorum hebetatio, quum acriter frigent, proximum illi est, quod agrestibus euenit, si quum germina sua festinantius inchoant, gelatio consequuta est hac quoq; ratione flos perit intempestiuus. Flatus enim gelidus adhuc imbecilli occursans perfundit. Plinius. Vites ægrotant etiam quum alsere. læsis vredine

attonſarum oculis ex calore hoc euenit intempeſtiuo, quoniam omnia modo conſtant, certoq; temperamento fiunt. Olea clauum patitur, quidam fungum appellant, alij ollam, hoc eſt Solis exuſtio. Plinius ad verbum. Olea etiam clauum patitur, ſiue fungum placet dici, vel patellam, hæc eſt Solis exuſtio. Nocere tradit Cato & muſcum rubrum. Ficus cradationem patitur, quum rami inareſcunt, marceſcuntq;, crados enim ramos ficulnos quidam appellant, vnde & morbo nomen.

De peculiaribus fructuum morbis. CAP. XXXVIII.

HACTENVS de morbis arborum, nunc de iis, quibus infeſtātur fructus. Fructibus, vt vuis, erambus euenit. Animal eſt ærugini ſimile, naſcitur quum tempore humido reſidente humore ſol acrior conſequetur. Idem foliis etiam contingit. Sunt ex eadem cauſa naſcētes & erucæ, dirum animal, erodunt que frondem, aliæ florem, oliuarum quoque, vt in Mileto, ac depaſtam arborem turpi facie relinquunt. Naſcitur hoc animal tempore humido, & lento. Malo, fico, oleæ accidit vermiculatio fructuum, ſed duarum priorum fructus vermiculis ſemper vaſtantur, pereuntque. Oleæ non ſemper, ſed ſolùm quum ſub cute fuerint: nam ſi nucleum ſubierint, iuuat, quia alimentum quod fuerat oſſi diſtribuendum abit in pulpam. Prohibent illos flatus & pluuiæ, quæ fiunt ſub Arcturo: faciũt enim vt frigore fugentur hoſtes. Ægrotant ficus, & reliqui fructus. cauſa duplex, aut arbor ipſa, eiusque diſpoſitio. quod amygdalo frequens eſt, quoties in gummi ſpiſſeſcit ſuccus. aut ab aëris qualitatibus. Plinius. Nam vermiculationem poma ipſa per ſe quibuſdā annis ſentiunt mala, pyra, meſpila, punica. In oliua ancipiti euentu quando ſubeunt nati fructum adimunt, augent ſi in ipſo nucleo fuere, erodentes eum. Gigni illos probibent plouiæ, quæ fiunt poſt Arcturum. Eædem ſi auſtrinæ fuere generant, in drupis quoque, quæ matureſcentes, tunc ſunt præcipuè caducæ. Id riguis magis euenit, etiam ſi non deciderint, faſtidiendis. Oleæ quoque peculiare malum arachnium. cauſa, humiditas ex aëre, qua corrumpitur fructus. Germinatur anniculis ramis, quum imbres ſequuti ſunt, qua germinatione amittitur fructus, quia pabulum eò fluit, quandoquidem fructus imbecilli ſunt: humore nanque aggregato proſilit germen. Peſſimum eſt oleis, vitibus, aliisque fructibus, ſi dum florent impluerit, defluunt flores & fructus, cauſa imbecillitatis. Plinius. Peſſimum eſt inter omnia quum defloreſcentem vitem, & oleam percuſſit imber, quoniam ſimul defluit fructus. Vermes nec ſpecie omnes eadem conſtant, differentia tamen præcipua in eis eſt in ſua quenque naſci arbore, in alias tranſlatos non viuere, nec ab re, alitur enim vnumquodque iis, quibus conſtat. Sed vermis eſt nomine ceraſtes, qui peculiarem habet naturam, quod in duabus & naſcitur & alitur arboribus, naſci enim in olea, in fico parere aiunt. Vnde habet ficus ſuos vermiculos, & illos quos enutrit alienos, omnes tamē in ceraſtem abeunt, ſonumq; edunt, quaſi ſtridoris. Plinius,

Vermium,

Vermium, qui in ficis existunt, alij nascũtur ex ipsis, alios parit qui vocatur cerastes: omnes tamen in cerastem figurantur; sonumq; edunt paruuli stridoris.

Extrinseci morbi minus violenti, & interitus ab aeris excessu frigido, & calido. CAP. XXXIX.

MORBI verò & corruptiones extrinsecus euenientes, qui sunt minus violenti, vt aeris excessus, iam subeunt, vt nostra ab initio indicauit partitio. Causæ duæ sunt, frigoris & caloris excessus, sed calor parcius corruptiones affert, cæterisq; potius, quàm arboribus, nisi squallor accesserit, & æstus longo temporis tractu, & etiam sub Cane: & non nisi nouellæ syderatæ pereunt, quia imbecillę sunt, sed frigore multę pereunt, multifariisq; modis. Aliàs enim frigoris vehementia gelat, alias prægelidus flatus adurit. Nonnunquam siue silente vento, siue spirante paruo, impuro tamen aëre, ac turbulento, sequitur arborũ gelatio, siue serenum, siue turbatum fuerit cœlum. Circa Arcadiam, Eubœamq; sereno cœlo à ventis gelantur. In Thessalia, caliginoso cœlo & immoto spiritu. Creati verò huiusmodi flatus solent quum montes niuibus occupati fuerint, ab iis enim frigus vrens fluit, interdũ aër penetrans idem facit. Vniuersalis causa ea fuerit potissima, exigi vi frigoris naturalem calorem: quare simul humor educitur, atq; expirat. Sed quæ terra teguntur, eius obicis beneficio frigoris iniuriam non sentiunt, seruanturque. Quæ verò supra terram sunt, quasi prę sidio nudata intereunt. Interdum pars trunci, quum sit terræ propior, obnoxia est etiam maleficio. & sępe tanta est frigoris vastitas, vt ne radices quidem à vi illibatæ sint, quin intereant. Omnino tamen ab summo incipit gelatio, & mox ad ima defluit. Quamobrem coloni apud quos id euenit, vites operiunt, & ficorum incrementa attonsione reprimunt, vt in Ponto, & Media, aditumq; ita frigori negant: nam quum à vertice noxa incipiat, eo operto seruabuntur. acerrima enim est vstio illa, nec minor quàm quæ à Solis prouenit vehementia, immo qui diuturna mora discoxerit. Frigus enim humorẽ, caloremq; educit. Cauis locis, fluminibus appositis, & à vento silentibus, frequentius euenit, nec abre, quum ea loca nebulas foueant, frigidus aër diutius hæret, quocirca multa fit impressio: ac vbi nõ regnat flatus, plurimum hac iniuria laborant, vt in Macedonia, Thessalia, & ad Philippos. Quippe in eos sinus receptus aër non habet, qua se illa liberet obsessione, quamobrẽ gelu vitiatur, ægrumq; totum congelascere facit. Ad cliuos verò neq; aquæ, neque aëris illa concretio fieri potest propter motum. Sed admiratione dignum cur arbores validiores à gelu patiantur, debiliores minus. Olea & ficus vruntur gelu, quia debiles sunt, radices oleæ non admodũ profundas habent, fici raras. Sed mirandum profectò cotinum plus accipere detrimenti, quàm oleam, punicam verò, quæ sit imbecilla contra frigora, gelu non laborare. Nam & si gelationes frigidi flatus inter se differunt, imbecillioribus magis incumbere gelationis nocumentum deberet, nisi sit, quòd densioribus pertinacius nocumenta in-

hæreant, raræ transmittant. Mali, & si imbecilles, non cõgelascunt, vt in Thessalia extitit: arboris enim raritas, vt frigus aliqua parte nõ arceatur, sed transeat, facit. Quod quũ diu nõ manet, nec totũ contendit, efficax esse nõ potest. Porrò alterutrũ opus est, aut vt nõ admittãt vim frigoris vt quæ dẽsa sunt & solida, aut si admiserint, amittant extra se. Solida sunt pyrus, & adhuc magis agrestes, sterilesq; arbores, vt vlmus, & ostrya. Causa hinc cognoscenda. Ventorũ impetus, ritu fluminis delatus, eã vrit partẽ, in quam incubuerit, quemadmodũ & in lue: quare sæpe loca ꝓxima euadunt sine vlla impressione, & aliquãdo adeo vis illa rapidè fertur, vt in eodem interdũ pampino quasdã gelet gẽmas, quasdam nõ item: sæpe autẽ niue contecta vite tota (quod locis frigidis fit) si summa extiterint capita palmitũ, exuruntur, nec ibi sistitur pernicies, sed ad radices vsq; peruadit. In Ponto flatus cõgelant, quũ cœlo sereno, ac sudo in squamarũ modũ perferuntur, quæ maiuscula sunt, dumq; ferũtur, patent, delapsa nõ durant. Quare cõstat, quod aliqua in aëre gelatio more pruinæ cõsistit. Quũ aer igitur cõcrescens flatu percitus occursat, squamasq; illas deducit, gelatus ratione cõsequitur. In locis natura frigidis flatus quidã indigenę sunt, vt in Põto & Thracia. Tepidioribus verò, vt in Eubœa aduenę sunt. Sed terrę gelicidiũ damnosum est, ꝑsertim si nudatis terra trũcis ad radices peruenerit. Sed maximè si aqua sit restagnãs, obsidet enim plus aqua, quippe ad radices subiens iam imbecilliores factas diuturna oppugnatione nocumentũ infert, & si solum agitatum fuerit, vehementius officit. Soli enim laxatio, vt liberius penetret, facit: prohibetur autẽ stercoratione. Stercus enim calidũ est, & iuuat. Quod si contingat, vt vix demissa sit, atq; tum frigus, tum pruina superuenerit, atq; gelauerit, soluitur gelu, quia terra niuibus præfermentata est. Sed maius nocumentũ arboribus adfert gelu à terra quàm ab aqua, nam gelu terra circumstans, radices magis tangit; damnosius verò vtrumq; tum à terra, tum ab aqua, cùm remittit & rursus cõgelatur. nam ex tot mutationibus arbores malè se habent, earumq; vires resoluuntur, quod perpetuo gelu nõ euenit: calor enim introrsum incubans tuetur, atq; seruat, modo ne multũ excedat. Omnibus damnosior glacies illa est, quæ terram inuadit suapte natura tenuẽ, solutam, siticulosamque, quæ ad eas incõmoditates aptior est: nõ potest enim calor prohibere, quin ad radices irrepat. Euenit aliquando summos ramulos gelascere, aliquando radicibus illæsis. Ratio est, quia terrã cum munimẽto habet, calorq; aufugiens hostẽ se abdit in ima. Nec semper superiora aduruntur. Sed tentantur tantũ, sed intus nõ laborant, nõ igitur auferendæ partes illæ: nã sæpe superueniente germinandi tempore, germẽ effundũt: nam quę arida videbãtur, quũ postea humefacta sunt, ad pristinas redeunt functiones: ob id olea aliquando arefacta visa est, dein restituta est. Idem aliis euenisse tradunt, sed maximè arboribus euenit, quorũ folia crassiuscula sunt, gracilia verò facilè abolentur, seu myrti, cuius rami graciles. Laurus quãuis rara resistit sui caloris potentia: punica & ficus raræ, humidæq; minus calidæ sunt. Sed arborum, quæ gelauerint, germinatio valida, citaq; est. Radix enim roborata collectione anniculi alimẽti, quod adhuc retinet, alimẽ-

numq;

tumq; primū, quod distributū non fuerat, ad germinationē, & fructificationē celeriter veniunt. Sed cur nix nō congelat, & pruina quæ minor est quantitate cōgelat, ratio est. Nix nō diutius insidet, quippe liquescēs delabitur, pruina verò sessilis est, & exurit. Deinde nix ante germinationē cadit, pruina ꝓximè natis germinibus, vel quū turgent, quo tempore germē humescit, rarescitq;. Est etiā pruina niue tenuior, vimq; incidendi maiorē continet, ꝓinde noualia pruina meliorescere existimāt, quia glebæ diffunduntur, ea subeunte mordenteque, quia cōstantior est. Tenuior niue est, nā nix è nube constat, & velut spuma est, spiritū in se continens, pruina verò ex tenuiore aëre constat, humoreq;. Nunc aër crassus, an tenuis ad gelu paratior sit, quęrendum, an vterque. Primò si aër nunquā gelatur, nisi quū serenus est, sanè gelatio non erit affectus crassi aëris, nam serenus aër tenuior est: nec fit gelatio, nisi subeat, quod incidat. Pręterea facilius refrigescit tenuis, ob id aqua prius calefacta refrigeratur & gelatur citius, quia ex calore tenuior facta est: cōprobat idem historia locorū, nam quæ serena & subdiualia sunt, plus & sæpius gelascunt, vt ad Craniū in Corintho, & ad Olympū, quamuis vicina sint, tamē circa Craniū rigidæ serenitates fiunt, ita vt à plantis, & hominibus percipi possit. Alibi longiori interuallo idē animaduertimus. Et loca, quæ sub aëre crassiore nō rigescebant, postea mutata conditione, scilicet aere attenuato gelascūt, vt in campis Larisseis, vbi stagna fuerant olim, ac ꝓpterea crassior aer, atq; inde tepor. Ea stagna vbi emissa, frigidior facta regio, frequentius infestata est gelationibus. tunc enim læta erunt olíueta, post nulla extitere. Et de vitibus idem contigit. His rationibus tenuis aër gelationibus magis obnoxius videbitur. Aliis crassus videtur: nā crassus aër immobilior est, immobilitas occasio est gelandi. Item Styges in palustribus locis gignuntur, corporaq; molestant, etiā si cōtecta fuerint. Præterea montana loca, minus gelant, quia ibi mobilior aer est. Ad Cithrum Thessaliæ, quia caua loca sunt, & rigua, maximè gelantur. Apud Philippos reficcatis nunc paludibus, & reducto agro ad arui speciem nō gelatur, antea verò quū esset lacunosus, gelabatur. Sic apud Crenides fuisse dicitur. Thraces locū cum habitabāt: ager enim primùm arboribus scatebat, aquisq; permadebat, & nunc magis quàm antea locus hic congelatur, aquarū copia reficcata. Ex vtraq; causa igitur ꝓuenire visum, & forsan ex vtraq; ꝓuenit. Sed differt locus à loco quod plus crassetur, aut attenuetur. Aquosus igitur, crassusq;, vel prætenuis nō æque efficax est, prætenuis enim minimè stabilis est, gelatio autem non fit repente. Adhæc qualitatem quandam illis, quæ sequuntur, totiq; statui cœli, & quicquid extrinsecus veniat, inesse oportet. Nam si mutationes, remissionesq; crebris inter se vicibus alternantur, nulla fiet gelatio, sed qui tenuior, celerius afficitur, qui verò crassior frigefactus frigidior redditur, sicut & calidior: caliditas enim & frigiditas diutius continentur in solidioribus. Quamobrem sicubi non dilutus, sed crassus, & siccus fuerit, facilius congelascit non absq; ratione. Plinius. Nec infirmissimæ arbores solū gelu periclitantur, sed maximæ, vexatisq; ita cacumina prima inarescunt, quoniā præstrictus gelu non potuit eò peruenire humor.

Pruinæ perniciosior natura, quoniam lapsa persidet gelatque, ac ne aura quidem vlla deperditur, quia non fit nisi immoto aëre, & sereno. Quædam temporum causæ, aut locorum, non propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necant, sicut tabes quum inuasit arborem, aut vredo, aut flatus aliquis regionis proprius, vt est in Apulia Atabolus, in Eubœa Olympias. Hic enim si flauerit circa Brumá, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus recreari possint. Hoc genere conualles, & apposita fluminibus laborant, præcipueq; vitis, olea, ficus. Flora apud Ouidium in Fastis de his loquitur,

Florebant oleæ, venti nocuêre proterui;
Florebant segetes, grandine læsa seges.
In spe vitis erat, cœlum nigrescit ab Austris,
Et subita frondes decutiuntur aqua.

Sed contra cœli iniurias nil audet humana potestas, quum nulla vi, nulla arte, etiam si præsciamus, auertere possimus. Auerti carmine grandines Cato credidit, eius verba non adduximus, quum vana & ridicula semper putauerimus. Contra vredines palearum aceruos, & euulsas herbas fruticesque, ac sarmenta, quum imminere pertimescebant, per campos vrebant, & fumo medebantur. Diximus quæ frigido cœli excessu veniunt, nunc quæ calido. Pereunt minus æstu plantæ, quàm frigore, sed tamen pereunt nimio æstu, idque ratione imbecillitatis: Et quæ nouellæ sunt, faciliùs sentiunt, præcipuè, quæ non plus anno viuunt. Veteres autem eo non æque moriuntur, nempe ob radicum robur, ac magnitudinem, à quibus denuò vitæ queunt renouare principia, sed iacturam tantummodo fructuum, aut ad summum germinum facere possunt. Omnino calor excedens minus noxius, quàm gelu. Quæcunque igitur vitam tuentur, eadem suis excessibus interimunt.

Quæ extrinsecus apposita necant, stercus, aqua, oleum.
CAP. XL.

DE violentis affectionibus dicendum, quæ extrinsecus eueniunt, ab opere vel fortuito per additionem, vel ablationem, & primùm ea cómoda narremus, quæ fiunt incommoda. Nam ager ex nimia pinguedine sterilescit, & alter macie immodica, etiam aër, qui maximè necessarius, si excedat, nocet, & aquæ copia, vel inopia officit. Aqua non fluens necat, si excesserit arboris magnitudinem, quum imbres percrebuerint, aut loca inundationibus concreuerint. Quod circa Pheneum euenit. At si excursum habeat aqua, etiam si multa sit, modo abeat, non interimit: nam iuuat motus, vt præterfluat. Quædam apponuntur extrinsecus, quæ interimunt, vt fabarum cortices, non solum radicibus, sed germinibus appositę, & quicquid eiusmodi. Enimuero fabarũ putamina, nõ omnibus, sed nouellis imbecillioribus apposita, diutina siccitate alimentũ partim trahendo, partim arcendo auferunt. Arbores alimento destitutę intereunt. Etiá sunt quædam ex eorũ numero quæ conueniunt, quæ etiã nocere

possunt.

possunt, si immodica fuerint, aut vehementiora, aut minus tempestiua. Vt si stercus plus æquo aggesseris, vel si aërem, ceu fæcẽ pellium: hæc si minus temperata, vel domita fuerint, interimunt, vel si minus conuenientia. Diximus enim supra eandem fimi naturam non omnibus communiter commodam, sicut aquam; immò nec aqua omnibus commoda est, vel si nimia, vel non opportuna: nam radices inebrians putrefacit, & præsertim nouellas, & eas plantas quæ minimè aquarum auidę sunt, vt cupressus. Interimit etiã putatio, fossió ve, si intempestiuè adhibitæ fuerint. Sic etiam in rebus conuenientibus, & vtilibus latet pernicies. Oleum, pix, seuum apposita necant; præsertim nouellas. Causa est caliditas, & tenuitas: tenuitate subeunt, caliditate vrunt. Argumento quod cortex durescit, ac deglubitur. Is enim laborans, alimenti prohibet commeatum. Aliud indicium etiam, quod qui ferum agrum ad culturam edomant, vbi excisis arboribus radicum reliquiæ peruicaciores sunt, pice oblinunt, aut oleo, aut adipe: ita penitus exiccantur. Pix autem plus potest. Plinius. Pix, oleum, adeps, inimica præcipuè nouellis.

Quæ iuxta sata perniciem, vel mortem afferunt. CAP. XLI.

ALIA sunt, quæ vel agnascuntur, vel miscentur. Quæ agnascuntur, vel stipiti, vel radici. Præterea sunt vel communes, vel propriæ pestes. Omnes plantæ agnatæ quæ nocent, alimenti rapina sunt exitiales, aut maximè perniciosæ, eoq; magis quò validiores, & magis numerosæ: tales sunt syluestres, nam & radices suas in alias immittunt, ac multi alimenti cupidæ sunt, sic proscindunt socias, amplexuq; strangulant. Edera irrepit, amplectitur, strangulat: sic halimus salsugine, & pabuli desiderio necat. Sed edera halimo perniciosior est, quòd plus salsuginis habeat. Viscum innascẽdo perimere potest, & omnia, quæ aliam plantam pro sede capiant. Amplexu strangulat orobancha eruum, & limodorum fœnumgræcum, statim radici adnascens. Alia sunt, quæ congenerantur cum seminibus quibusdam, vt cum tritico, & ordeo lolium, & auena, & cum lentibus aparine. Omnia hæc iccirco interimunt, quia alimenti materiam exhauriunt duplicem, internam euocãdo, & externam ab aëre intercipiendo. Plinius. Necant inuicem inter sese vmbra, vel densitate, atq; alimenti rapina. Necat & hedera vinciens, nec viscum prodest, & cytisus, nec auro, quod alimon vocant Græci. Quorundam natura non necat quidem, sed lædit odore, aut succi mistura, vt raphanus & laurus vitem. Odit & vitis caulem & olus omne, odit & corylum, ni procul absint, tristis atq; ægra.

De violentissimis corruptionibus extrinsecis, quæ partium ablatione eueniunt. CAP. XLII.

PARTIVM ablationes violentæ etiam arboribus mortem inferunt. Eæq; fiunt, vel vulnere, vel partium ablatione, vel detruncatione, & primùm de vulneribus. Arbores sunt, quæ si vulnus accipiant altius, intereunt, suæ imbecillitatis, & siccitatis causa. Palma vulnerata quoq; in cerebro interit, vis enim

vitalis, & germinatrix in eo sita est. Vnde quum id siccum, & vulneratum est, aëris intrusu, alieniq; caloris corrumpitur, eoq; corrupto pernicies ad ima descendit. Sunt & arbores, quæ non solùm inflictum vulnus, sed caudicis partiũ exemptionem tolerant, vt quæ humidæ sunt, & probè germinant, vt vlmus, platanus, & quæ iuxta aquas viuunt. Pinus etiam tedam amittit sine vitæ dispendio, quum sit in pingui viuaticas. Sed hæc tolerare non possunt, nisi arbores, quæ insigni præditæ sunt magnitudine, vt in locum excisarum partium tãtundem sufficere valeant. Pinus quum iuuencula est, non habet tedam, nam ea per ætaté accedit, & adultæ sine vitæ maleficio adimitur. Sunt arbores, quę non solùm plagam ferre possunt, sed vulneratæ meliores, fertilioresq; fiunt, vt vitis, ficus, punica, olea, amygdala, & malus, quæ etiam caudicis fissionem tolerant. Cæteræ stipitis fissuram non substinent. Nam quarum partes dissitæ facilè coire possunt, & in hiatum aliæ succedere, conualescere possunt, alimentũ enim quantum abundè sit, capiunt, nec à calore resiccantur, vel frigore lęduntur. Hinc illud sine damno in mitibus euenit, ficu, olea, & amygdalo, quia celeriter coeunt labia in vulnere, vnde haud facile finduntur, quia tenaci compage cõstant. Talis est ficorum succus & oleæ pinguis, aptus ad vnionem, glutinat enim lentore suo. Vitis eiusdem generis est: nam etsi hiat insigni raritate, ablataq; medulla, obducere tamen cicatricem potest; & celeriùs hirundo, quæ etiam sponte coit. De pyro idem alii referunt. Plinius. Intereunt pleraq; & fissa stirpe, exceptis vite, malo fico, punica. Quædam vel ab vlcere tantũ. Ficus hanc iniuriam spernit, & omnia quæ resinam gignunt. Quin si depascantur arbores magnum accipiunt quoq; detrimentum, nempe vulnus affert discerptionem, & adustionem. Peculiare quiddam in palma, & picea est. Nam mutilatio non exitium, sed sterilitatem affert: ratio est, ex offensione principii finem lædi. Nouella vitis dimutilatione perit, etsi quid tenellum, & imbecillũ relictum sit. Amygdala etiam ex hoc amara efficitur, & punica durior, & alia quę iã mutantur. Plinius. Similem & depastio animalium. Oleam quidem, etiam si lambat capra, sterilescere, author est Varro. Quædã hac iniuria moriuntur. Aliqua deteriora tantum fiunt, vt amygdalæ: ex dulcibus enim transfigurantur in amaras. Aliqua etiã vtiliora, vt apud Chios pyrus, quam phocida appellant. Caprarum morsus nouellis omnibus satis exitialis est, hinc & nomen sortitę. Quippe F. Pompeio dictę quòd virgultũ carpant. A M. Varrone omnicarpę caprę, non solùm vulnere, sed dẽtium veneno plantis pestiferæ. Ob quã iniuriam pręsertim circa vites, & oleas antiquitus institutum, vt Libero patri vitis repertori hircus immolaretur, vt damni lueret pœnas. Ouidius in Fastis,

Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacita dicta dolore dedit.
Rode caper vitem, tamen hinc, cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua possit, erit.
Verba fides sequitur, noxæ tibi deditus hostis
Spargitur affuso cornua Bacche mero.

Contra antiquitus Mineruæ ex caprino genere non ſacrificabatur, propter oleam, quam reperit, quare Athenis in arcem non ducebatur, prçterquam ſemel ad neceſſarium ſacrificium, ne olea ibi primùm nata ab hoc animali tangi poſſit. Plinius huic deę capram immolari ſcribit. Dryope in loton arborem conuerſa Andremonem maritum, & ſororem apud Ouidium deprecatur,

Et ſiqua eſt pietas, ab acuta vulnere falcis,
A pecoris morſu frondes defendite noſtras.

Corticis circumablatio communis omnium, aut plurimarum eſt interitus. Primò quia principalis maximè pars eſt. Secundo quia cortice nocumenta arbor omnia extrinſecus excipit, eoq; amiſſo amittit vitę principia & tutamentũ ad arcẽdum ea, quæ ſunt arbori non naturalia. Item medullę parte ablata non interit arbor, ſed ſi dematur tota, omnino intereundũ Arcades inquiũt. Experimentum in pinu, & abiete. Ratio eſt, quia medulla pars eſt humidiſſima, & vitalis maximè. Argumento quia ligna, quę medullã continent, torquentur, idq; fieri, quia medulla exiccatur. iccirco haud integras ſtatuunt abietes operi faciundo, ſed ſciſſas per longũ, & medullas auferunt. Itaq; ſi medulla & cortex aliquatenus detrahatur, nil abſurdum arbores poſſe durare, ſed ſi penitus detrahatur, exareſcat arbos neceſſe eſt, ceu deſtituta vitali principio, natiuoq; humore. Excepta adrachne, ſeu verius ſubere: hãc iuuari cortice detracto, tam extero, quàm interno dicunt. Ceraſo, viti, & tiliæ detrahitur, ex quo funes, & ex minoribus maluę; ſed ſi intereũt, id fit celerius, tardiúsve, magis, minúsve. Aliquę enim plus tẽporis permanent, ſicut ficus, tilia, robur. His itaq; mederi conantur luto fouentes, & harundinibus, & id genus ſtramentis illigantes, ne frigeant vel ſubareſcant. Apud Heracliam trachiana ficus reſtituta eſt, & regerminauit. Frigoribus & caloribus nimiis conſecutis intereunt. Refert etiam anni tempus. Quippe in germinatione pini, & abietis, quum etiam cortice turgido ſunt menſe Februario & Martio, ſi quis detraxerit moriũtur. Hyeme diutius tolerant, & magis quæ robuſtiſſimæ ſunt, vt ilex, robur. Latitudinẽ quoq; aliquam decorticatio habeat oportet: nam ſi anguſtã feceris, non mirũ ſi non intereunt, robuſtiſſimę quanquam ſint, qui etiã ſi quantũ libet auferatur, necari penitus dicant. Quod de infirmioribus intelligi poteſt. Plinius Cortice in orbẽ detracto necantur, excepto ſubere, quod ſic etiã iuuatur, craſſeſcẽs enim prçſtringit, & ſtrãgulat. Nec adrachne offenditur, ſi nõ ſimul incidatur & corpus. Alioquin & ceraſus, & tilia, & vitis corticẽ mittunt, ſed nõ vitalẽ, nec proximũ corpori, verùm eũ, qui ſubnaſcente alio expellitur. Quarundã natura rimoſus cortex, vt platanis. Tiliç renaſcitur paulo minus quàm totus. Ergo his, quarũ cicatricẽ trahit, medẽtur luto, fimoq;, & aliquãdo proſunt, ſi non vehemẽtior frigorũ vel calorũ vis ſequuta eſt. Quędã tardius ita moriũtur, vt robora & quercus. Refert & tẽpus anni. Abieti enim & pino ſi quis detraxerit, ſole taurũ vel geminos trãſeunte cũ germinãt, ſtatim moriũtur, eandẽ iniuriã hyeme paſſę diutius tolerãt. Similiter ilex, robur, & querc⁹. Quod ſi anguſta decor-

ticatio fuerit, nil nocet supradictis. Infirmiores quidem, & in solo gracili, vel ab vna tantum parte detractus interimit. Nos ad corticis circumablationem remedium admodum vtile adinuenimus: contuso vlmi cortice, atq; obducto, inde fasciis & stramentis alligato, ne pluuiis dilabatur, & à caloribus tueatur. Decacuminatione pinus, picea, abies, & palma intereunt, quidam cedrum & cupressum adnumerant. Hæc, detracta coma, scissoque cacumine intereunt, nec quicquam germinant: sicut neque si adusta, aut tota, aut in parte aliqua fuerint: reliqua omnia & præcisa germinant, & nonnulla meliora reddun-tur. (Decacuminatio autem est summitatis ablatio.) Illud autem non sine ratione euenit, scilicet naturæ siccitate, caudicis rectitudine & radicis simplicitate: nam vulnus illud aditum præbet caloribus, & frigoribus: & quia recisio circularis vndiq; infertur, desuper incumbens pestis, facilè ad ima vsq; succedit, propter facilem transmissionem. Neque etiam hæ à caudice pullulant, quia siccę natura sunt, & alimentum non submittunt, sed sursum mittunt, singulariq; radice constant alteq; descendenti, vnde alimentum in proceritatem absumitur, ob meatuum insignem rectitudinem, nec quicquam superfluit, nec aliorsum se vertit, proinde non prodigunt in stolones. Plinius. Similem & decacuminationem habent cupressi, piceæ, cedri. Eæ enim detracto cacumine, aut ignibus adusto intereunt.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER QVINTVS
SIVE
POMARIVM.

PROOEMIVM.

IAm è syluis egressi, earum post tergum horrido aspectu relicto, proximum est, vt pomarium ingrediamur, cuius læta facies tristitiam, quæ animo inhæserat, amouebit. Pomorum enim, quæ magnitudine, colore, odore, sapore & pulchritudine inter se de principatu certant, admiratione & voluptate non parum animus noster capitur. Itaque decet, quandoquidem in syluis satis superque, neque extra rem prioribus libris exspatiati

tiati ſumus, vt ad hortos nunc conuertamur, in quibus ars & humanum ingenium præualet. Vt decens ordo ac ſeries ſeruaretur, atque arborum materiæ extrema manus imponeretur, alterum noſtræ diuiſionis faſtigiũ, vt à principio arborum naturam diſtribueramus. Illæ ſuos caducos fructus, feris, pendentes verò alitibus largiebantur, hæ verò mitioribus ſuccis voluptatem cibis afferunt & neceſſario alimento delicias immiſcere docent: ibi fructus nullo humano cultu aut labore gignuntur, ſed ex ſuo cuiuſq; arboris ſemine vltro proueniunt, hic quæ blandos ſapores odoreſque adoptione, & connubio hominibus didicerunt afferre, enaſcuntur: ibi materies vel cæſa ad ſecurim, ad dolabram, vel ſenio proſtrata ad ignem naſcebatur, hic arbores fructu, vel vmbrarum officio, vel alia dote humanius viuunt: ibi poſtremo quæ naturæ muniis procreantur, hic quæ ars & ſolers induſtria parat conſpiciuntur. Eſt inter naturam, & artem bellum aſſiduum, & irreuocabile: arma, quibus prœliantur, ſunt deſidia, & labor. Natura rerum parens res rudes, ac ſua ruſticitate contentas producit, ars etiam arborum adulteria excogitauit, & cultus mangonio perfecit, vt illæ in nobiliorem formam tranſeant; ac naturam cogit ſibi obtemperare: quantum ars ingenio & diligentia, vt res à ſua natura deſciſcant, & in aliud perfectius genus tranſmigrent, laborat, tantum natura, quæ inſtituta diligentia deſtituitur, ad priſtinam ſortem deficere contendit: vtraque alteram ſuperare nititur, ac nunc vincere, nunc vinci continue videtur. Nos poma omnia, quæ vſus, aut voluptas cicurauit, in hoc Pomario includemus. Primum de arboribus mala ferentibus, deinde de nucibus dicturi. Malorum autem prius eas, quæ comantur æterna fronde, nempe medicas, poſtmodum eas, quæ deciduam frondem habent perſequemur, illas autem iuxta pomorum diſtinctas ſpecies diuidemus, eorum enim alia ſemina claudunt, vt ſunt çydonia, mala, pyra, ſorba: alia grana, vt ficus, mora: alia ſingula oſſa, vt perſica, pruna; palmæ, ceraſa, ziziphæ; alia plura, vt meſpila, tuberes, myrti baccę & vua ſpina. Poſt hæc nuces commemorabimus, punicam, & nuces Iuglandem, Heracleoticam, Thaſiam, & Euboicam, & Piſtacia.

Quid ſit Pomarium, quid pomum, & de Pomona dea.

CAP. I.

NON à ratione alienum videtur, vt de Pomario in hoc libro ſcripturi, quid Pomarium quidve pomum ſit oſtendamus. Vocant Latini pomarium locum pomiferis arboribus conſitum. Cicero ait in libro de ſenectute: Nec verò ſegetibus ſolum, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed etiam hortis, & pomariis. In quam ſignificationem omnes rei ruſticæ authores hoc vocabulum accipiunt. Palladius pometum etiam dixit, inquiens, Longe tamen ab hortis vineis, atque pometis. Plinius non ſolum in hoc ſignificatu, ſed pro loco etiam, in quo poma reponuntur accepit, dicens, Pomaria in loco ſicco, & frigido contabulari: in quibus ſint feneſtræ ſe-

ptentrionales, quæ serenis diebus patescant. Nec te nominis similitudo Pomœrii decipiat; nam diuersam rem notat: Varrone enim teste pomœriũ quasi postmurium dictum est, à veteribus enim mœrum pro muro dicebatur. Est autem locus circa ciuitatis murum, quem antiqui in condendis vrbibus inaugurato consecrabant, neq; patiebantur aliquod in confinio ædificium fieri: vt notatur à Gellio. Pomiferas arbores dicimus, quasi poma ferentes. Poma etiá dicta esse possunt, M. Varrone teste, quod potu indigeant, nam in poma, quæ insita erunt, siccitatibus aquam addi quotidie oportet. Sed qui fructus pro pomis, malis, & nucibus accipiendi sint, declaremus. Vlpiano & Prisco laboleno iureconsultis placet glandis nomine arborum omniũ fructus contineri, à Græcis accipientibus, qui arborum species omnes ἀκρόδρυα vocant, ἀπὸ τῆς δρυὸς, id est glande, & δρύκαρπα. Democritus verò Gręcus discrimina inter Gręca nomina assignat, inter ὀπώρας, & ἀκρόδρυα, nam ὀπώρα dicitur, quicquid herbaceo fructu viret, lignosum nil exterius habés, vt duracina, pyra, mala, & damascena, ἀκρόδρυα verò dicũtur, quæ putamen exterius, lignosumq; fructum habent: vt malum punicum, castaneæ, pistacia, & nuces. Athenæus Acticos, aliosque scriptores nuces fructus omnes lignoso cortice cõtentos appellare dixit. Macrobius Saturnaliorum libro ait, esse Agriculturæ scriptores, qui nuces & mala sic diuidant, vt nucem dicant omne pomum, quod foris duro tegatur, & intus habeat, quod esui est; malum verò quod foris habeat, quod est esui, & durum intus includat. Sed hæc nomina tam Græcis quàm Latinis authoribus sæpius confunduntur. Plerisq; tamẽ Latinorum scriptoribus placitum video pomum nomen generale esse ad mala, & nuces, quo significatu nos accipimus: nam nostro hoc libro pomorum species omnes vrbanorum singulatim complectemur, ac si pomarii parietibus, & vallo includeremus. Pomorum inuentio Libero patri tribuitur, quod Theocritus cecinit,

Atq; sinu medio Bacchus sua poma recondit.

Huic iudicio subscribit Neoptolemus Parianus in Dionysiade, qui inuenta à Bacchο mala, vt reliquos mollis calli fructus commemorat: vt apud Athenæum videre est. Fuit & Pomona pomorum dea apud Romanos à pomis dicta, vt Mellona à melle. Pomonam Vertumnus adamauit. Vnde Ouidius,

Rege sub hoc Pomona fuit: qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit solertior hortos;
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus;
Vnde tenet nomen. Non syluas illa, nec amnes:
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.
Nec iaculo grauis est, sed adunca dextera falce:
Qua modò luxuriem premit, & spatiantia passim
Brachia compescit: fisso modo cortice, lignum
Inserit, & succos alieno præstat alumno.

Nec

Nec sentire sitim patitur, bibulasq; recuruas
Radicis fibras labentibus irrigat vndis.

De Pomarii positione, & solo. CAP. II.

NON est parui momenti tum ad plantarum perennitatem, tum ad fœtificationem, & fructuum bonitatem, vt pomaria congruo loco ponantur, vt eam cœli partem spectent, quam debent. Etsi principio, cum de villæ situ dictum est, de hoc in vniuersum multa diximus, de singulis arboribus seorsum suis capitibus secundum earum naturam dicturi; liceat tamen nobis de huiusmodi situ hic aliqua præfari. Loca etsi inter se minimo distant interuallo, situs tamen diuersitate multum differunt, vt magis, minusque solibus, vel flatibus incommodentur. Flatibus non solum tractus quidam, sed etiam tota regio sæpius infestatur, vt arbores ægrè fructum ferre possint, neque in locis à ventorum flatu remotis quicquam boni potest prouenire: debet igitur locus commodi flatus compos esse. Loco cui Austri blandiantur, in flore, arbores fatiscent; in frigido si spiret Aquilo, omnia perurentur. æditissima loca ęgrè recipiunt arbores, præsertim serotinas: nam sæpius præuenientibus autumnum flatibus, cùm ad maturitatem vsque stare in suis arboribus non possint fructus, cum ipsis arboribus deturbantur. In conuallibus & lacunosis locis fructus deteriores nasci, Antyllus scribit, ex Ioanne Stobæo. Lacus enim non aërem solum sed fructus inficit. Quid igitur faciendum? Eligendus situs est, qui noxios flatus obliquè recipiat, in feruidis, calidisque ad Aquilonem vergat, cùm eius flatu poma odoratiora scripserit Democritus fieri. Sed omnium scriptorum præceptis, pomarium ad montis radicem constitui debere (vt vniuersa villa) eiusque planities ad meridiem expatiari liquet, & ob id Varroni tota Italia pomarium visa est. Pomaria (Florentino authore) intra domesticam habitationem, si fieri possit, locanda sunt: quod si non detur, ex propinquo quærendus locus, vt non solùm oculis spectantium intra ædes iucunditas hauriatur, verùm etiam, vt ambiens aer ex plantarum fragrantia infectus, salubrem habitationem, ac totam possessionem reddat. Sed nunc videamus quale pomario solum statuamus, & prius magni magistri super huiusmodi decretum audiamus verba. Is nanque libro de causis hæc ait, Pingue solum frumentis aptius, arboribus verò tenue, itaque illæ in tenui solo radices magnas, robustasque agunt, quibus alimentum ex imis valeant haurire, quod etsi in solo pingui facere possunt, tamen alimenti copiam adeò largam trahunt; vt optimè germinare, magnitudinemq; accipere amplissimam possint: sed fructum parere nequeant, quoniam non coquunt quantum satis sit: quod in tenuiori non euenit, sed modicè tam ad germinationem, quàm ad fructificandum hauritur. Atq; ita arbores, vtpote robustiores, quàm vt oblata copia vinci possint, planè coquunt fructumq; gignunt. Ad summam quod solutum humectumque

sit, nec frigore torpeat, hoc radicibus aditum facile præstat, alimẽtumq; laudatissimum subministrat. Pingue enim solum plantis incommodum est, exiccat supra modum, & hac de causa eas offendit. Verùm vt simplicius asseram solum, quod mediam obtinet confusionem contrariorum, id est soluti & spissi, sicci & humidi, leuis & ponderosi, atque etiam superiora modicè inferioribus respondentia in his ipsis sortitur, hoc optimum omnibus ferè arboribus, & frugibus est: id enim ad aëris habitum propius quodammodo, quàm cætera videtur accedere. Cęterum inter hæc ipsa, quod ad alteram partem vergit, melius est: quod & simpliciter quidam optimum asserunt, vt quod solutum, leue atq; humectum est, id enim alimentum in se continet, & radicibus meatum facile præbet: hactenus Theophrastus. Columella de pomarii solo statuens ait. Terra, quæ vitibus apta est, eadem quoque vtilis est arboribus. Quam verò ipse pro vitibus laudat, videre est in Vinea nostra. Berytius autem. Optimum solum nigræ terræ est, & ab omnibus præ aliis laudatum: proximum est terra fulua, & quæ flumine rigatur, item dulcis, & calida: eæ enim ad vites, ac arbores, & ad sata optimæ sunt, sed laudatur & profunda, maximè si friabilis & tractabilis ad arborum fertilitatem. Sequitur Columella. Prius quàm pomarium constituas, quàm magnum habere voles circum munito maceria, aut fossa, ita vt non solum pecori, sed ne homini quidem transitus sit, nisi per ostium, dum adolescant semina: nam si sæpius cacumina manu hominis tractata, aut à pecore prærosa fuerint, prius quàm adolescant, in perpetuum corrũpuntur. Sed quomodo in ordinẽ redigantur, ac plantentur, præcedenti libro docuimus, cũ & Varro in pomariis ea discriminanda in cõserundo censet, quæ sunt fructuosa propter voluptatem. Præterea in recentibus pomariis satis seminibus in ordinẽq; arbusculis positis, primis annis, antequam radices longius procedere possint, alii conserunt hortos, alii quid aliud, neq; cum conualuerunt arbores, idem faciunt, ne violent radices.

De pomiferarum arborum remediis. CAP. III.

APVD antiquos Agriculturæ scriptores, tum ad morbos arborum pomiferarum quosdam, tum ad optimam fœtificationem remedia nõnulla describuntur. Nos ne alibi requirantur, quæ hic deficiunt, nostriq; Pomarii arbores, vt fœcundiores floridioresq; sint, apponere non pigebit. Scribit Paxamus, Vnicuiq; arbori propria quædam cura seorsum conuenit, eam verò, quæ omnibus simul generatim congruit arboribus, non relinquam. Si ablaqueatis quibuscunque arboribus radices simul & truncos vetere vrina humana, vel pecorum lotio perfuderis, vegetæ & vberes adolescent. Sunt qui radices bubulo felle linunt, quod, vt volunt, à vitiis satam arborem vindicabit. Didymus asserit omnem arborem iuuari fabarum aut aliorum leguminum paleis aut aceribus frumenti circumpositis. Tradunt succum herbæ, quę rusticis polypremnos appellatur, caudicibus illitum arbores à noxa defendere

&

& largiorem edere fructum. Vt verò arbor sterilis fructum ferat, Zoroastris extat experimentum. Subcinctus, & crine in nodum obtorto, arreptaque bipenni cum indignatione ad arborem accedito, eam excisurus. Obuiam autem veniente tibi quopiam, eiusq; excisionem deprecante, & tanquam futuri fructus fideiussore, videaris persuasus esse & eius causa arbori parcere: & de cætero abunde fructũ dabit. En Græcæ vanitatis exemplum. Africanus autem ait: portulacam, & tithymalum probe contusa, & mixta truncis oblinito. Omnes autem arbores copiosiorem fructum ferent, si ipsarum radices columbino fimo obleueris. Ne flores, aut folia abiiciant arbores, ex Quintiliorum placitis hæc deprompsimus. Circumfossis radicibus palearum fabacearum aqua temperatarum, magnæ quidem arbori octo congiorum mensuram, paruæ verò non minus quàm duos congios circumiice, sic de cætero curabuntur. Ne verò fructum perdant, Sotionis hæc extant experimenta. Lolium quod in frumento reperitur, euulsum simul cum radicibus plurimum è terra, quando iam pinguescere incipit, & in coronæ figuram formatum, si trunco arboris circundetur, fructum producet arbor, perficiet, eumque non abiiciet. Si cancer, hoc est πάγυρος, trunco circumligetur, vel si truncum plumbo amplexus fueris veluti corona, fructum plantæ non abiicient. Item si radicem circumfoderis & perforaueris, cuneumq; ex corno immiseris, & terram aggesseris. Quidam nudatis radicibus crassissimas ex ipsis, & maximas diffindunt, & in fissuram duri lapidis silicis videlicet fragmentum immittunt, deinde obligant, & terra accumulata rursus obruunt. Continet etiam fructus lapis perforatus sponte naturæ, repertus & in arboris ramum iniectus. Polium herba suspensa fructum etiam continet. Democritus asseuerat, neque arboribus, neque satis quibuslibet noceri posse à quibuscunque bestiis, si fluuiatiles cancros, vel marinos quos Græci παγύρους nominant, nõ minus quàm decem fictili vasculo in aqua missos tegas, & sub dio statuas, vt decem diebus sole macerentur, postea quæcunque illæsa volueris esse aqua diebus alternis perfundas, dum solidius quæ operatus fueris adolescant. Florentinus demõstrat, quomodo arbores à vermibus non lædantur. Rubricam Lemniam, & origanum cum aqua terito, inde radices illinito, & scyllam in circuitu plantato. Si pineos paxillos in ambitu arborum defixeris, vermes corrumpentur. Omni arbori stercus suillum vino dilutũ iniectum ipsam à vermibus illæsam conseruat, vt ex Didymo colligi poterit. Si arboris radices taurino felle obleueris, arbor neq; cito senescet neque vermes producet. Arbores à vermibus non infestabuntur, si denudatis radicibus columbinum fimum circumcirca induxeris. Plinius scribit. Pomiferis quæ germinant, nec fructum ferunt, fissa radice inditur lapis, fertilesque fiunt: cæteris arboribus ægris, fæcem vini, ac lupinum circa radices earum seri. Aqua, quæ lupini decocti circumfusa, pomis prodest.

De futuræ vbertatis, & caritatis fructuum prognosticis.

Cap. IIII.

ET si Astrologiam agricolis vtilem superioribus libris in arborum plantatione, ac seminum iactu indicauerimus: nunc non minus in futuræ abundantiæ, vel fructuum inopiæ prognosticis pernecessariam iudicamus, cum quicquid in terris nascatur statis eueniat cœlorum cursibus, vt non temere Theophrastus scripserit, annum fructificare non tellurem. Nos primum prognostica, quæ è cœlis, inde quæ ex aere, demum, quæ è plantis ipsis eueniunt, conscribemus, quæque cognitu facillima fuerint etiam ignaris agricolis: relinquemus ea, quæ peritis mathematicis cognoscuntur. Diophanes Græcus ait, Caniculæ ortum fieri illucescente vigesima die Iulij mensis, obseruandumq; esse cum eius exortus fiat, in qua cœli domo Luna reperiatur, nam (præter alia significata) si in Libra fuerit, fructuum arborum foris lignosum putamen habentium abundantia erit. Si verò in Geminis, omnis fructus vbertas maxima. Zoroastes verò ait obseruãdum esse primum tonitru singulis annis, quod post Canis ortum contingit, in qua scilicet Zodiaci domo reperiatur Luna. Nam si in Libra, fructuum omnium corruptionem. In Capricorno abundantiã. Identidem in Aquario nunciabit. Præterea considerandum esse studiosè præcipit, qua signiferi circuli statione Iouis stella peragretur. Nam si in ariete steterit, campestria magis fructum ferent: in Tauro, erit lignosorum fructuum feracitas. Idem in Geminis. In Cancro verò asperi loci magis fructiferi. In virgine supplicandum esse pro fructibus. in Sagittario & præcoces, & serotini fructus optimi erũt, medij verò vitiosi, omnesq; arbores fertiles. In Capricorno campestria fructifera erunt, lignosi fructus abundabunt, supplicandumque erit ne glacie, & ventis lædantur fructus. In Aquario venti commodi erunt lignoso fructui. In piscibus vitiosi venti nuces exurent. Plinius ex veterum placitis hæc profert. Aquilam in Italia exoriri ad XIII calend. Ianuarij. Nec patitur naturæ ratio quicquam in satis ante eum diem spei esse certæ. Si verò interlunium incidat, omnes hybernos fructus, & præcoces lædi necesse est. Tria nanque tempora prisci fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias, diesque festos: Rubigalia, Floralia, Vinalia. Iidem Floralia tertio calend. Maij instituerunt ex oraculo Sibillæ, vt omnia bene deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, sole Tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges, & omnia, quæ florebunt, lædi necesse erit. Reliqua nil ad fructus attinent, iccirco omisimus suis in locis dicenda. Nunc ad ea prognostica accedemus, quæ non è stellis sed ex aeris habitudine cognosci possunt, & si hæc ex illis proueniant, quia nobis euidentiora, facilius dignosci possunt. E decenti arborum germinatione facile fieri potest fructuum prognosticon. Prima enim germinatio videtur esse quasi compendium futuri prouentus, cuius vbertas, aut inopia in aeris clementia, aut sæuitia repræsentatur. Felix arborum germinatio (inquit Theophrastus)

ſtus) ex opportuna hyeme cōtingit: hyems illa commoda intelligitur, quæ borealium imbrium, niuium, ac frigorum ſine gelu vbertate pollebit. Exhauſtæ enim fœtibus arbores tantundem reponendum alimenti quærunt, quantum ſubtractum eſt ex præterita fœtificatione, ſed ſeruato opus eſt, atque cocto, vt ſuccos optimè ad partus, & ad germinationem vertant. Alimentum imbrium copia largitur: hyems verò cohibet, vt ſeruet & concoquat, per totam arborē expandat, neceſſe eſt: ſed non prius id expedit, quàm ipſum alimentum coquatur, & quaſi in vtero geſtetur temporis ſpatio, quantum ſatis ſit, quod nunquā fiet, niſi frigus vehemētius adiuuerit. ob id aquilonios imbres accedere iuuat; auſtrinis verò humeſcūt arbores, & laxatis partibus euocant ſuccos, vnde imbecilliores redduntur. Tempeſtiui omniū imbres hyberni notantur, mox qui germinationē antecedunt, nam lætius germen agitur: tertium obtinent locū, qui poſt defloreſcentiam acciderint, pabulū namq; conſummationemq; fructibus præſtant, hi verò, qui poſtquā fructus conualuerunt ſequuntur fructus aut defluāt faciūt, aut infirmiores deterioresq; præ nimia humiditate reddantur: omnium peſſimi, & ex toto inopportuni, qui circa floris exortū eueniunt. omnia namq; imbecilliora redduntur, & omnia aut certe plurima pereunt aut decidūt rubigine aut nimio humore; & quæ reſiſtunt, deterius florent. Plantis verò quæ ſerò ſuos maturāt fructus, maioriq; alimento, cōcoctioneq; frui deſiderāt, ſeræ pluuiæ opportunæ ſunt, vt viti, punicæ, & oleæ. Nocturni imbres præſtant diurnis: fit enim vt plantæ humore potiri amplius poſſint cum ſol nō protinus illū conſumat: & tutius ſic quoq; agitur. Niuis multitudo magnopere prodeſt, vt ſenſim colliqueſcens dilabatur, ita & terra fermentari optime poteſt, calore circū occluſo, atq; coercito. At ſi hyems ſera eſt, intēpeſtiuus ille tepor, alieno natus tempore, diuturnus eſſe nō poteſt, vindicantia inde frigora ſuperuenientia, arbores feſtina germinatione occupatas corrūpunt, nondū enim firmi fœtus, ac ſolidi mirē aerem, & indulgentē exoptant, quo adoleſcere poſſint, & inter ſua initia infirmiſſimi ſunt. Quod autē imbecillū eſt, nutricis eget ſedulitate. Rectè igitur Vertūnus bene precatur Pomonæ apud Ouidiū.

Sic tibi nec vernum naſcentia frigus aduret
Poma, nec excutiant rapidi florentia venti.

Nec minus quàm hyemis conſiderādæ ſunt flatuū iniuriæ, & incommoda, nam nō minus hæc illis arbores infeſtant, vnde flatuū ratio conſideranda eſt. Aquilonij (ex Theophraſto) flatus auſtrinis præſtāt, pelagici terrenis & occidui exortiuis, quia frigidiores ſunt, ex toto enim frigidi flatus cōmodiores calidis ſunt, niſi germina aut flores prouenire inceperint: nā tunc adurunt. Venti qui contra temporū qualitatē ſubueniunt optimi ſunt, vt hyeme calidi, æſtate frigidi ſpirent. Si flatus aut calidus, aut frigidus nimis ſpiret, vehemētius ſylueſtres laborant, nuper germinibus editis, enimuero vterq; partū labefacit, & interimit, ex quo ſeræ hyemes ſylueſtribus infeſtiſſimæ ſunt. Sed vnus, idemq; ventus vni noxius, alteri vtilis eſt, quibuſdā Fauonius, multis Aquilo, aliis Auſter,

qui plerumque omnibus infeſtiſſimus exiſtit, & præcipuè florentibus arboribus, vt natum ſit adagium: Immiſi floribus Auſtrum, id eſt, mihi ipſi mali cauſam dedi. Quod Virgilius in Bucolicis expreſſit,

Eheu quid volui miſero mihi? Floribus Auſtrum
Perditus immiſi.

Supereſt ex floribus, & germinibus diuinatio. Arbores enim alterutro luxuriantes ſcilicet fructu aut germine, altero minus fœcundas eſſe oportet. Cuius cauſam Theophraſtus reddit. Quia natura vtriq; parti minime ſatisfacere valet, ſed neceſſe eſt abſumere alteram, vt alteram faciat. Pars enim, quæ abſumitur in frondes, & ramos, intercipitur fructibus. Sed priuata ficus, & vitis albæ natura eſt: nam cùm germinibus luxuriant, largioris fructus prouentum promittunt. In cæteris quod ſatis fructuum præſtiturum ſit, id neque excedere, neque deficere in germinando oportet. Optima arborum defloreſcentia, optimam fructuum copiam prænunciabit, oportet enim flores, quos fructus ſequuntur, antea bene cecidiſſe. Vnde Ouidius in faſtis,

Si bene floruerint ſegetes, erit area diues.
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ, nitidiſſimus annus.
Poma quoque euentum temporis huius habent.

Sed Plinij verba afferam, quæ ſuper huiuſmodi re à Theophraſto mutuatus eſt. Tempeſtiua frigora plurimum arborum firmitati cōferunt, & ſic optimè germinant: alioqui ſi blandiantur Auſtri, defatiſcentes, ac magis etiam in flore. Nam ſi, cum defloruere, protinus ſequantur imbres, in totum poma depereunt. Illa ſunt noxia frigora, quæ ſeptentrionibus aut præpoſteris horis fiunt. Hyemem quidem Aquiloniam eſſe omnibus ſatis vtiliſſimam. Imbres verò tunc expetendi euidens cauſa eſt, quoniam arbores fœtu exinanitas, & foliorum quoque amiſſione languidas naturale eſt auide eſurire. Cibus autem earum imber. Quare tepidam eſſe hyemem, vt abſumpto partu arborum, ſequatur protinus conceptus, id eſt germinatio, ac deinde alia floreſcendi exinanitio, inutiliſſimum experimentis creditur. Quinimo ſi plures ita continuentur anni, etiam ipſæ moriuntur arbores, quando nemini dubia pœna eſt in fame laborantium. Ergo qui dixit hyemes ſerenas optandas non pro arboribus vota facit. Vota arborum niues diutinas ſedere. Cauſa non ſolum quia animam terræ, euaneſcentem exhalatione includunt, & comprimunt, retroque agunt in radices, verùm quod & liquorem ſenſim præbent, purum præterea leuiſſimumque, quando nix aquarum cœleſtium ſpuma eſt. Ergo humor ex his non vniuerſus ingurgitans diluenſque, ſed quomodo ſititur diſtillans velut ex vbere alit omnia, quæ non inundat. In maiore parte orbis cum præcoces excurrēre germinationes euocatę indulgentia cœli ſecutis frigoribus exuruntur. Qua de cauſa ſerotinæ hyemes noxiæ ſylueſtribus quoque, quæ magis etiam dolent vrgente vmbra ſua, nec adiuuante medicina, quoniam veſtire te-

neras

neras intorto ſtramento in ſylueſtribus nõ eſt. Ergo tempeſtiuæ aquæ hybernis primum imbribus, deinde germinationem antecedentibus. Tertium tempus eſt cum educãt poma, nec protinus, ſed iam valido fœtu. Quæ fructus ſuos diutius continent, longioresq; deſiderant cibos, his & ſerotinæ aquæ vtiles, vt viti, oleæ, punicis. Hæ iam pluuiæ generis cuiuſq; arboribus diuerſo modo deſiderantur, aliis alio tempore maturãtibus. Quapropter iiſdem imbribus quędam lædi videas, alia iuuari, & in eodem genere ſicut in pyris. Alio die hyberna quærũt pluuias, alio verò præcocia, vt pariter quidem omnia deſiderent. Non omittemus & Beritij prognoſticon ex ſcylla. Inquit enim. Scyllæ flos virgæ ſpecie naſcens, & non cito marceſcens, fertilitatẽ fructuum & anni portendit.

De malo medica, ſiue citrio, eiusq; generibus.

Cap. V.

FRVGIFERAS noſtri Pomarij arbores enarraturus, vnde nam exordiar, niſi à fœlici arbore illa, quæ Medica dicta eſt? quæ tum ſua dote, tum pulchritudine, & tot generum fœcunditate nobilis, tum etiam, quia à nullo, vel paucis priorum memorata ſit, totoq; hoc noſtro Neapolitano tractu nulli ſint horti, nullæ ædium feneſtræ cum teſtaceis vaſis, vel penſilibus hortulis, qui hoc genere arboris referti non ſint. Integrum librum de ſe ſcribi meretur, vt verè hortorum decus, ac ædium illecebra dici poſſit.

Fabula de citrio.

Sed ad Poetarũ fabulas tranſeamus. Higinius in ſuo aſtronomico ex Pherecide ait, Iunonem cum duceret Iuppiter vxorem, terram inueniſſe ferentem aurea mala cum ramis, eaq; Iunonem admiratam petiiſſe à terra, vt in ſuis hortis ſereret, qui erant vſque ad Atlantem montem, cuius filiæ cum ſæpius de arboribus mala decerperent, Iuno dicitur ſerpentem ibi cuſtodem appoſuiſſe vaſto corpore, qui ab Hercule interfectus à Iunone inter duas Arctos collocatus eſt. Athenæus etiam ex Aſclepiadis rerum Ægyptiarum libro ſcribit, tellurem edidiſſe nunciato Iouis & Iunonis coniugio malum illud. Ouidius Atlantem fingit hos hortos mœnibus cinxiſſe, cùm ei Themis prædixiſſet futurum Iouis filium, qui ab eis poma diriperet.

Tempus Atla veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc prædæ titulum Ioue natus habebit.
Id metuens ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus, & vaſto dederat ſeruanda draconi,
Arcebatq; ſuis externos fructibus omnes.

Sed fabulæ inuolucrum Plinius aperit his verbis: Ibi Heſperidum horti. Affunditur huic æſtuarium è mari flexuoſo meatu, in quo draconis cuſtodiæ inſtar fuiſſe nunc interpretantur. Amplectitur intra ſe inſulam, quam ſolam è vicino tractu aliquanto excelſiore, non tamen æſtus maris inundat. Solinus verò aliquanto clarius. Nam de hortis Heſperidum, & peruigili dracone ne famæ licentia vulneretur fides, ratio hæc eſt. Flexuoſo meatu æſtuarium è mari

fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos fracta vertigine mentiatur. itaque quod hortos appellauere circundat, vnde pomorum custodem interpretantes struxerunt iter ad mendacium fabulandi. Sed hæc insula sinuata finibus aluei recurrentis & in quibusdam æquoris spiris, vel spatiis sita præter arbores oleastri similes, & aram sacram Herculi aliud nihil præfert, quod propaget memoriam vetustatis. Alij autem Herculem ab Euristeo Argiuorum rege ad dicta mala auferenda missum & monitum dicunt, non posse Hesperidum mala colligere, ni Atlantis ope iuuaretur, ipsumque ideo ad Atlantem peruenisse, cœlumque pro eo tulisse, atq; ita mala interfecto dracone in Græciam detulisse. Ex quo Aratus in Engonasin ex Festi Anieni translatione.

Nam dura immodici memorant sub lege tyranni,
Amphitryoniaden primæuo in flore iuuentæ,
Qua cadunt medij longe secreta diei
Hesperidum venisse locos, atque aurea mala
Inscia, quæ lenti semper custodia somni
Seruabat, carpsisse manu postquam ille nouercæ
Insaturata odiis serpens victoris ab ictu
Spirarumq; sinus, & fortia vincula laxans,
Occubuit.

Sed M. Varro in suis libris de agricultura aliter interpretatur. Aurea enim mala secundum antiquam consuetudinem capras, & oues intellexit. Græci enim vna, & eadem voce oues, & pomũ significant, hoc est τὸ μῆλον, & has Hercules in Græciam ex Africa asportauit. Nonnulli aurea mala Veneri consecrata asserunt, non nisi ob eorum pulchritudinem.

Vires mali medica. Sed de eius dotibus scribere aggrediamur. Malum hoc igitur maxime salutare est, & aduersus exitiale medicamentum præsentaneum remedium est. De quo genere Theophrastus, Pomum si inter vestes ponatur inoffensas conseruat. Vtile etiam si quis lethale venenum hauserit: vel ad oris suauẽ spiritum: quippe si quis interna pomi in iure, aut aliquo humore concocta in os expresserit, digesseritque, suauem halitum reddet. Ex quo Plinius. Cõmendandi halitus gratia Parthorum proceres eius grana esculentis incoquunt. Et vestiariis quoq; interiecta à tinearum offensis maxime vindicat, nec alia arbor laudatur in Medis. Refert Athenæus ab Ægyptiorũ magistratibus maleficos quosdam damnatos, vt feris exponerentur, antequã in locum descendissent in quo supplicia pendere solebant, in itinere cauponam quandã obuiam eorum sortis misertã, quæ ipsa edebat citria dedisse eis, qui ea recepta deuorauerunt, nec multo posteà bestiis, & aspidibus demorsi illæsi reperti sunt. Præfectus rogans militẽ, si quidpiã edissent, aut bibissent, retulit, citrũ ex integra simplicitate donatum. Postridie iubet vni præberi, alteri denegari, qui comederat demorsus nihil incõmodi passus est, alter illato ictu confestim interiit, factoq; frequenter periculo,

culo,

culo, tandem inuentum est exitiali medicamēto præsenti esse remedio. Quod si quis iis verbis fidem non habeat, consulat fidelē, veracemq; Theopompum Chium, qui magnam expendit pecuniam ad exactā historiæ huius disquisitionē, qui duodequadragesimo suarū historiarum volumine, Clearcū Heracleotā Ponti tyrannū narrat multos veneno necasse, populumq; gratā huius medicamenti potionē non ignorasse. Celebratū est & à Poeta Georgicorū libro,

Media fert tristeis succos, tardumq́ saporem
Felicis mali: quo non præsentius vllum,
(Pocula si quando sauæ infecere nouercæ,
Miscueruntq́, herbas, & non innoxia verba)
Auxilium venit; ac membris agit atra venena.
——— animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Nicander in alexipharmacis μῆδον, id est, Medum malum vocat. Theophrastus quia hoc pomum non nisi apud Persas & Medos nasci voluit, patrio nomine μηλία περσικὴ, & μηλία μηδικὴ vocauit. Pamphilius verò (Atheneo authore) poma quædam Hesperidū vocari tradit, quę diis etiā apponi cōsueuissent apud Lacedæmonios. Bonum odorem habere hæc & esui apta non esse, & à Romanis κίτριον dici. Aristocrates, μῆλα ἑσπερικὰ, & etiam περσικὰ dici. Diphilus author est citria ab aliquibus, κοκκυμῆλα vocari solita. Aristophanes grammaticus, ὀξύμηλα ab acido sapore vocitari, & ἄδρυα περσικά. Æmilianus ait Iubam Mauritaniæ regem in suis de Libya commentationibus scribere, pomum hoc apud eos μῆλον ἑσπερικὸν nominari, inibiq; ab auri similitudine χρύσεα μῆλα dici. Phanias Eresius cedrum, & malum citrium appellari. Dioscorides μηδικὰ μῆλα, & κεδρόμηλα & à latinis citria dici. Galenus malum medicum amplius vocari negat, citrium duntaxat ab omnibus dici. E Latinis verò M. Varro Libycam citrum dici ait. Plinius nomine sumpto à regione illi contermina Assyrium malum vocari dixit. A Palladio dicitur Citrus, Citrius, & Citreum. Macrobius ex authoritate Cloatij, & Oppij eandem esse probat citream malum, & persicam. Cedrum, & citrium dicitur ob diuinam odoris fragrantiam, quasi cithyon, odoramentum diuis libandum. Itali *Cedro*. *Nomina.*

Duplex est genus: alterum, quod ouatam, alterum quod rotundam refert speciem. Ex ouatis primum de Citrio dicemus. Est inter citria genus vnum, quod pomum affert, vt maris, & fœminæ genitalia, aliáve corporis membra tam affabrè ficta ostendat, vt admirabilem simul, & iucundissimam inspectionem intuentibus præ se ferat; quod genus & planta & pomo ab aliis differt. *Genera.*

Nos adductā à Theophrasto delineationem afferemus, nam vt Athenæus refert ad nostram citrum referri potest. Folium eius Adrachnes intercurrentibus spinis, vt in pyro, & oxyacātha, sed læuibus, infestis, mucroneq; validis. Pomū non estur, sed ipsum & arboris foliū odore pollent, qui trāsit in vestes vnà cōditus, arcetq; animaliū noxas. Arbor ipsa omnibus anni tēporibus fœcunda, *Descriptio.*

& superfœtans, aliis decidentibus, aliis subnascentibus, aliis maturescentibus. Flores soli qui velut erectam in medio colum gerunt fœcundi creduntur, qui verò ea carent infructiferi habentur. Perpetuo floret, & ob peculiarem quam sortitur potentiã percoquit. Sed Athenęus alia apponit, quę in græcis latinisq; libris desiderãtur, nos apponemus, vt ea suis locis reddi possint. Habet folium ferè simile lauro, adrachnę, & nuci iuglandi. Dioscorides autem pomi formam innuit ouatam, vtrinque acutam, rugis caperatam, colorem auri, suauem odorem alioqui grauem, semen pyri. Plinij verò de Theophrasti sententia verba sunt. Folium eius est vnedonis intercurrentibus spinis. Pomũ ipsum aliàs non manditur, odore pręcellit foliorum quoque, qui transit in vestes vnà conditus, arcetq; animaliũ noxia, arbor ipsa omnibus horis pomifera est, aliis cadẽtibus, aliis maturescentibus, aliis verò subnascentibus. Tentauere gentes transferre ad sese, propter remedij præstantiã fictilibus in vasis, dato per cauernas radicibus spiramento: qualiter omnia transitura longius: sed nisi apud Medos, & in Perside nasci noluit. Alibi verò de eodẽ fructu sic ait, Citreis odor acerrimus, sapor asperrimus. Nos autem sic describimus. Fragili assurgit termite, prona terrã petit, ni fixis hastis incubet. Folium oblongum, circumdentatum, perforatumque. Flores nitidi postremo limbo purpurascẽtes, modici odoris. Frondis perpetuum decus, nitida viriditate hilarique, oculos maxime alliciens. Fructus nullis inferiores, odore fragranti, & plusquàm iucundo, duplici colore distincti: virides primum, demum auri micantes colore. Semen potius ipsius pyri, quàm eius seminis speciem repræsentat. Apud nos operi topiario accommodatissima, cùm eius rami flexiles, sequaces sint, in testudines fornicatur, leni vmbra ambulacra, & hortorum attegias opacans, duciturq. in omnes formas, turres, tentoria, nauigia, cæteraque quæuis simulachra vestiendo eleganter mentitur.

Cœlum.

Plinius citria in calidis prouenire scripsit.

Loca.

Palladius calidis locis, sed irriguis, & maritimis maxime, quibus humor exundet gaudere ait. Sed si quis hoc genus, vt in regione frigida nutriatur, extorquet, loco vel parietibus munito, vel in meridianã partem verso disponat hanc arborem. Sed hybernis mensibus tectam stramine velet agresti. Vbi æstas refulserit, aeri arbor nuda, & secura reddatur. Asserit Martialis apud Assyrios pomis hanc arborẽ non carere, quod ipse in Sardinia, & in territorio Neapolitano in fundis suis cõperit, (quibus solum, & cœlum tepidum est, & humor exundans) per gradus quosdã poma sibi semper succedere, cum maturis se acerba substituant, acerborum verò ætatem florentia consequantur, orbem quendam cõtinuę fœcunditatis sibi ministrante natura. Florentinus. Hęc arborum sola iuuatur Austro, & Aquilone læditur. Plantetur loco contra Septentrionem parietibus munito, vel in meridianam partem verso. Cæterum hybernis mẽsibus tegetibus, aut sportulis tectã velet. Ea stirps vt suapte natura tenerior, si paucã glaciem experiatur, cõtabescit: quare diuites, & qui dant operã genio,

extor-

extorquent sub fornices concameratos ad solem spectantes, & inibi propter parietem conserunt & copioso rigant humore. At vbi æstas affulserit, fornices apertos sole sinunt illustrari, & eius tepore foueri; appetente verò hyeme retectas arbores stramine velant.

Solum. Theophrastus tribuit ei molle, vdum, nec valde tenue solum. Palladius terram rarioris naturæ. Pontanus in suis Hesperidum hortis,

——— Putres glebæ, quæq́; æquora rastris
Molle sonent, fluidum facile admissura liquorem.
Nec mihi displiceat salebrosi glarea ruris,
Quæq́; solo tenui graciles imitatur arenas,
Si modo sæpe fimo spargas, si pronior vnda
Diluat ipsa super, lætusq́; instillet & imber.

Apud nos, etsi solo quocunq; proueniant, lætiora tamen pingui, infirmiora verò arenaceo, & argilloso, & debili, vt croceas frondes producant, sicuti homines, qui morbis torquentur. Potius valles, & plana loca, quàm colles cōcupiscunt, sed loci in maris prospectu, quiq; abundanti humore exudant, optimi sunt. Tale erat Mauritaniæ littus, vbi Hesperidum auriferos hortos antiqui posuerunt, talis est etiam Pausilypus mons noster in afflatu oræ maritimæ, vt lucorum amœnitate, & pomorum perenni fœtura neutiquam inquilina videatur, quæ magnitudine, & odore cæteris præponi possit. Surrentinus item mons, & Amalphæa littora, vbi fœcunda lætissimaque citreta conspiciuntur, vt non amplius à nobis Hesperidum horti desiderari possint. Hic etiam Palladius agens citriorum cultum primus ipse Italiæ demonstrauit. Sed Cisalpina Gallia citriis caret, ob contrariam cœli solisq; qualitatem.

Satio. Semine seruntur. Theophrastus, Semen detractum vere sulcis seritur diligentissimè cultis, rigatur quarto, aut quinto die, adulta transfertur vere, seritur & fictilibus vasis dato radicibus spiramento per cauernas, vt palma. Palladius Martio mense seminium debere fieri docet. Terram in duos pedes fodies, cinerem miscebis, breues areas facies, vt vtrinque per canales aqua discurrat. In his areis palmarem scrobem manibus aperies, & tria grana deorsum acumine verso iuncta constitues, & obruta quotidie rigabis. Citius procedent, si beneficio aquæ tepentis vtaris. Natis germinibus semper proxima herba runcetur. Potest hinc trima planta transferri. Nos serenda grana grauiora, maiora, & illæsa seligimus, & ex perfectioribus pomis. Poteris si libet scrobem trium, vel duorum pedum altitudine excauare, & pingui iniecta terra tria seras semina, vbi enatæ fuerint plantulæ, tollito infirmiores, vt quam reliqueris vegetior fiat, atq; iniecta humo plantæ incrementa sequare, ne transferre sit opus; idq; in aliis plantis facere poteris.

At si transponendæ sint plantæ, siue è seminario, siue densius satæ fuerint, Theophrastus vernum tempus præfigit. Florentinus verò serendas esse ab autumno vsq; ad vernum æquinoctium. Palladius, In spatio non desiderat in-

terualla maiora, nec aliis arboribus annecti debet. Scrobium altitudinem serendiq; modum elegantissime noster Pontanus describit,

Sed tamen & scrobibus modus hic erit, vt neq; in altum
Desideat nimis, vt quantum radice profunda
Hæserat, hoc paulo iaceat plus, eaq; lacuna
Hauriat vt solitos imbres, madidumq; fluentum.

Plinius plantam propagine nasci dixit. Quod si cui cordi fuerit, ita fieri posse docebimus, præsertim cum perpetua fruticatio ab imo crure pullulet, & circa, vt sæpissimè hoc modo apud nos citreta restituantur. Vbi flagellum videris felici matre natum, circa crus arboris, ramum incuruato, terra cooperito, & optimè calcato: post secundum, vel tertium annum, vbi radices rectè emisisse conieceris, recidito à matre, & transplantato. Sunt qui curuaturam, quæ sub terra cooperitur, per longitudinem findant, & lapidem indunt, exinde enim maximam radicum copiam nascituram promittunt. Si verò vis fictilibus vasculis propagare, traiecto per vasis fundum ramulo, pulla terra repleto, calcato, arboriq; adalligato, ne ventis agitetur, aquam continuo instillato, vbi hoc blandimento radices fecisse existimabis, præcidito ab arbore.

Palladius docet ramum non amplius sesquipede immergi debere, ne putrescat. Anatolius, Rami duo extrema in scrobiculo pangi debere, & obrui; sursum à fornicato flexu tumescentem germina præbere.

Idem, ramum qui flecti recuset, in caput reponendum iubet, quod verò crassius fuerit, sursum emineat, & cucumeris cinis iniiciatur. Palladius claua seri commodius posse, quæ sit manubrii crassitudine, longitudine cubitali ex vtraque parte leuigata, nodis, & aculeis recisis, sed integra summitate gemmarum, per quas spes futuri germinis intumescat. Diligentiores & fimo bubulo adlinunt vtrinq;, quod summum est, vel marina alga vestiunt, vel argilla subacta partis vtriusq; extrema cooperiunt, atq; ita in pastinato solo deponunt. Sed calidissimis regionibus per Autumnum ponuntur clauæ. Frigidissimis Iulio, & Augusto positas & quotidianis rigationibus animatas ipse vsq; ad poma, & magna incrementa produxiit. Pontanus post ipsarum plantarum putationem,

Tum fragmenta lege, & ramos secerne valenteis,
Obliquosq; infige solo, tamen vt capite extent.
Stipitis aut truncum, gladioq; & falce dolatum
Infode, & in tenui nudatum contege sulco.
Continuo ingentem vicino ex amne paludem
Elice, diluuioq; comas immerge salubri.

Nos autem qui temperatis degimus regionibus Martio, & Aprili deponimus, Maio nanque deglubuntur clauæ, & iam intumescentes oculi emittunt germina. Luna crescente eliguntur rami nitidi, crassitudine manubrii vel pollicis, longitudine bipedali, atque in terram defiguntur ne maior semi-

pede extet, tenuior pars, quæ in terram defigitur, non obliquè sed rotundè iuxta nodum recidatur, ex quo radices ſperantur. Rami defodiuntur bini, vt ſi alteri non adoleſcent, alteri non deſint, ſi ſimul bini enati fuerint, poſt annum infirmiores eruantur dextra, ſiniſtraq; manu alteros deprimente, ne vtrique euellantur.

Talea, Palladio authore, & gracilior, & breuior eſſe poteſt, quæ ſimiliter, vt claua mergatur, ſed palmis duobus ſuperſit, claua omnis obruitur, eodem tempore, quo claua.

Cultus.

Arbor ipſa ſua natura tenella frigoribus, & caloribus maximè obnoxia eſt: nam ſi glaciem experiatur, ſiderata contabeſcit, ſi calorem, exareſcit. Sed contra damna congelantis & incaleſcentis cœli hæc ſunt adinuenta remedia. Hyeme ſtramentis, & cratibus tegatur, vel lauri, & cupreſſi à ſeptentrionali parte plantentur, quæ cum hyeme perpetua vireant coma à ſeptentrionalibus ventis eas defendant; vel viuam calcem, & fimum cruri arboris obiiciant, vt eorum calore foueatur. Palladius citrium iuuari credit, ſi cucurbitæ proximè ſerantur, quarum vites etiam combuſtæ vtilem citri arboribus cinerem præbent. Florentinus etiam iuuari putat cicumſitę cucurbitę flagellis, quippe quę naturali quadam vi inſiſtente à frigorũ iniuriis illud vindicant. Cucurbitarum combuſtæ vites citri radicibus cinerem præbent vtiliter inſpergendum. Contra verò æſtiuos calores poſt ver plantæ irrigandæ ſunt ſole occidente, vel nocte intempeſta, maximè enim tunc arbor imbre inſpergi auet, & abundè humore expleri. Gaudet & fimo ſaturari ex ſuillo, humanoq; ſtercore, ac lotio, gaudet & coriorum præſegminibus, ac ſoleis, ac tabo corruptis catulorũ corporibus. Palladius, Niſi quæ arida ſunt, rariſſimè debemus abſcindere. Sed ſi acciderit plantam in frondem luxuriare, ferro eſt eius luxuries compeſcẽda. Planta formanda eſt, vt in conũ aſſurgat, vel ſi topiario operi deſtinatur, vinculis à teneris obedire condiſcat. Id tamen præmoneo, ne id Euro, vel Aquilone flantibus fiat, inde plagas cera conteges, ne caloribus, vel frigoribus ſint obnoxiæ. Rami pondere grauati, ne in terram procidant palis ſunt fulciendi.

Insitio.

De inſitione hæc Palladius habet. Inſeritur menſe Aprili locis calidis, Maio frigidis, non ſub cortice, ſed fiſſo trunco circa radices. Inſeritur & pyro, vt quidam volunt, & moro, ſed inſiti ſurculi qualo deſuper omnino muniendi ſunt, vel fictili vaſculo. Sed Auguſto irriguis locis etiam citri arborem pleriq; inſerunt. Quod etiam libro de carminibus ad Paſiphilum non tacet,

Nec non & Citri patiuntur mutua rami
Pignora, quæ grauido cortice morus alit.
Pomaq; paſturi blando redolentia ſucco
Armatis mutant ſpecula nota pyris.

Ait Florentinus, Quin etiã ſcitu dignum ſuccurrit, quod arbos citri ſterilis erit, quæ beneficio inoculationis coaluerit: eadẽ non ſub cortice ſed fiſſo trũco more vitis inſeri debet. Præterea ſi rubra citri poma naſci voles, ſurculum

moro inserito, & malum rubrum dabit, & vice versa, & vtraque arbor fructū feret. Inseritur & punicæ malo. Diophanes, Citria malus cum tenui libro vestiatur, ait, vix subter cutem recipit inoculationem, nam post coalitum emarcebit, quod sæpius probauit, quod si fructum pariat, in cedromela degenerabit. Didymus in Georgicis suis rectè inseri in malum punicam tradidit: Et si malum inseratur in citrium, semper fructum ferre. Auicenna citrum in cidoneam inseri posse dixit, & in salicem insitam fructus semine carituros emittere, & in punicam mala producere rubicunda. Apud nos ad modum digitalis citri inseruntur. Cæditur cortex in circulum, & duorum digitorum longitudine exuitur virga, inde alteri virgæ eiusdem crassitudinis nudatæ, vt extremæ partium oræ coeant, imponitur (vt superius docuimus.) Inseritur inter lignum & corticem, & cum omnes citrorum species similes sint & cortice, & germine, inuicem dant, recipiuntq; surculos, & mutuo fœdere immutant fructus. Pontanus noster alium insitionis modum tradit, quo multi vtuntur.

Sunt qui diuersos ramos, sed cortice raso
Coniungant, stringantq; simul, quo glutine misto
Increscant aque, ac fixo mox stipite iunctos
Infigant pariter. Tum vulnus rite coronent,
Et fallax opus admota tueantur ab arte,
Quo ramo ex vno, atq; vno de palmite fructus
Non vni veniant, sit honosq;, & gloria ruri,
Gaudeat insolito natura adiuta fauore.

Ars. Palladius vt maiora poma proueniant, continua fossione exhilarari iubet. Florentinus autem, Vbi fructus increscens degrauat, multa detrahi poma cōueniet, & pauca relinqui, sic altilia vegetiore proficient incremento, & in maiorem peruenient crassitudinem. pubescens autem malum fictili claudatur, nam per incrementa formam vasis accipiet, & vasis magnitudinem æquabit, vt ad eius magnitudinem pomum peruenire contendat, sed fiat foramen in vase per quod aer inspiret. Pomum id non mandi solitum Theophrasti ætate, nec Athenæi auorum memoria, vt idem Athenæus author est, cùm vt pretiosum quidpiam inter vestes tantùm deponi soleret, nec Plinii tempore. Vnde Palladius medullas eius acres in dulces mutare docuit. eius verba hęc sunt. Feruntur acres medullas mutare dulcibus, si per triduum aqua mulsa semina ponenda macerentur, vel ouillo lacte quod præstat. Aliqui mense Februario truncum obliquo foramine ab imo terebrant, ita vt altera parte non exeat, & ex hoc humorem fluere permittunt, donec poma formentur, tunc foramen luto replent, sic quod est medium fieri dulce confirmant. Pontanus suis Hesperidum hortis docet idem,

Quo non ars penetrat? Palmes cædatur, & ipse
Crassior; in palmumq; cauetur, & vndiq; labris

In girum

In girum ductis, nec pollice crassius, illuc
Infer mella liquata, & grandi contege saxo,
Quod solem auertat. Postquam arida suxerit arbor
Inclusum humorem, & sitiens noua pocula gliscit,
Mella cauo immersans fluentibus imbue riuis
Rursus, & euacuam Thymbræo nectare cellam
Distende, ac latices humano è corpore fusos
Mollibus irrora radicibus. Interea ne
Neglige frondosas toto de stipite gemmas
Vellere, mosopius ni qua liquor implet, & ipsa
Labra trahunt dulcem mulsi de fronte liquorem.
Illas tu gemmas, illaq́; & germina serua,
Et blandire manu, & ventorum auerte procellas,
Arce hyemes, funde Hyblæos & largiter amneis.

Et paulò post.

Sunt qui lecta manu, solerti & semina cura
Contingunt mulsa, Siculo aut madefacta liquore,
Postquam autem traxere ipsum ad præcordia rorem,
Sedaruntq́; sitim medicato nectare, terra
Infodiunt, & culta rigant, ea denique fructu
Iam referunt tenerum, quem quondam hausere saporem,
Quemq; & arundineo duxere è palmite succum.

Africanus scriptum reliquit modum, quo vel humanam, vel alterius animalis induet imaginem. Si gypso, vel luto siccescente hanc obduces, & mucronis acie bipartita, videlicet in anterius, & posterius dissecueris, vt & iterum aptè possint coniungi, post in figulina torrebis: cumq́; pomum ad dimidium peculiaris incrementi peruenerit, iis formulis claude, diligenterq́; vinculis adstringe, ne obuoluti pomi perauctu fictiles typi diuellantur. pomum siue pyrum, siue punicum malum aut citrium fuerit, breui has exprimet animalium effigies, quorum & habitum, & imaginem mentiri placet. Quod idem ex Florentino supra docuimus. Sed quomodo citria fructu perenni, ac prouentus onere semper grauentur, totoque anno sua arbore insideant, docet suis carminibus Pontanus,

Neve autem toto fructus tibi desit in anno,
Carpe manu partem, & plenis bacchare canistris,
Quæ reliqua est grandis finito gaudere volemis,
Confestim, qua parte dolet viduata, recentem se
Induit in florem, atq; implet spe diuite ramos.
Sic etenim alterno ditescet sylua metallo.

Si verò arbor vna diuersa poma diuersorumq́; saporum afferat, noster idem Pontanus docet eleganter:

Qui diuersa quidem parua sed semina in vrna
Condat, & educens collo breuiore stolones
Subducatq́, arcetq́, manu, ac sub vincula cogat
Crescentes, hi tandem vno se stipite miscent,
Atque vno obducunt se cortice: neve flagella
Dilabi sinito, neu summa cacumina ventus
Diuellat, cera linito, aut diducat adulta,
Vnguine dum proprio corpus iunguntur in vnum,
Atque operit lentum sub eodem cortice gluten.
Postquam alta steterit radice in fossa, & opimum
Raptarit stirpes succum, mirabere poma
Plenaq́, grataq́, non vno tamen vna sapore.

Visitur Surrentinis in hortis genus citrii, quod ex artis mangonio productum existimo, quodque acris medullæ loco aliud citrium affert, eodem pediculo, quo continens, cortice, & integro citrio, quo nil mirabilius videri potest.

Conditura. Palladius de eorum conditura hæc habet, Citreum & in arbore potest per totum annum propemodum custodiri. Melius si vasculis quibuscumq; claudatur. Si velis poma legere, atque seruare, nocte luna latente debebis cum ramis foliatis carpere, & secreta disponere. Alii singula vasis singulis claudunt, vel gypso adlinunt, & opaco loco ordinata constituunt. Plerique in cedri scobe, vel in straminibus minutis, vel in paleis tecta seruāt. Sotion iubet pomum citri subacto gypso studiosè perlini, vt toto anni curriculo inoffensa integritate incolume ab omni vitio seruetur: eaq; non putrescere promittit, quæ in aceruis hordei fuerint obruta. Sed mirum proditur calido pane citriis superposito celerius putredinem concipere.

De limonibus malis. CAP. VI.

EX hac tribu alia & citriorum species, quæ ouatam etiam habet formam, sed ab eius odore, sapore, & qualitate maxime recedit, cuius Latini, Græciq; authores non meminerunt.

Nomen. Recentiori Latio mala limonia dicuntur. Neapolitani *Limoncelli* dicunt, à limone velut inflexo nomine.

Genera. Huius duplex genus, maius, & minus.

Forma. Maius, quod vulgò *Limoncello* appellatur, oblongo formatur ductu, ac protenso corpore citrium imitatur, & interdum magnitudine. Cortice constat non adeo crasso vt citrium, sed vberiori, & acriori succo. Colore ex viridi in luteum languescente. Fronde citrii, sed breuiori. Flore mali aurei, sed odore inferiori, floretq; cum eo. Sed id genus cultus, & insitionis mangonium in tantas digessit species, vt enumerare quis non facile queat. Aliud enim corticem, aliud medullam tam dulcem cōtinet, vt simul mandantur, aliud tam duro regitur cortice, vt gestatum toleret, & longius asportari patiatur, aliud semine

mine caret, ſpadonium, aliud per longitudinem ſtriatum, viſendæ ſpeciei, vulgò canaliculatum dicitur. Sunt quæ orbicularem formam referãt, ſunt etiam, quæ ab orbiculari forma recedant. Minus Neapolitani *Limoncello picciolo* vocant, inter cætera huius generis acrium mala nobilius exiſtit, citriorum malorum decus. Fronde nigra cuſpidata, & minoris quàm arboris mali aurei. Succo cæteris acriori. Perpetua coma vulnificis infeſtisq; aculeis hiſpidatur. Flore ſemper nouo, ſemper fœtu auctum. Huius multa quoque ſunt genera. Eſt inter ea genus vnum, quod maius ferè æquat, agricolę inſitionis arte effectum prædicant. Aliud eſt ſine ſemine, eſt & aliud nuper nobis adinuentum, vt caro & cortex dum ſimul vorantur, os & fauces iucundiſſimo cinnamomi odore repleant: vulgò *Limoncello incannellato* dicitur.

Cœlum ſiue algens, ſiue æſtuans planta non perfert, poſtulatq; aſſiduè irrigari æſtate, hyeme tegenda eſt, ac manipulis ſtipanda, ſubtus fimo obruenda, ne vis illam Boreæ aut cœli adurat, nec nuda hyemi credenda, cùm cæteris plantis tenerior ſit, & iniuriis magis expoſita, ideo locis natura, vel induſtria ab iis tutis ſeruatur: vt ſub præruptis Pauſilypi collibus, & Surrenti, vbi ſemper læta, perenni fronde, ac fructibus onerata conſpicitur. *Cœlum.*

Cultus idem qui ſuperior, ſed in minori ſpecie maior cura adhibenda eſt. Vnde ob dictas cauſas fictilibus vaſis in feneſtris aſſeruatur, coliturque: nam dum præ oculis habetur, quotidiano cultu non defraudatur. *Cultus.*

Inſeritur minoris magnitudinis genus citrium, vt odoratius, coloratius, & maius fiat, & iterata inſitione augebitur ſemper. Inoculatione proficit, ſed quia ſpinæ impedimento ſunt, quominus à ſurculis deglubantur gemmæ, ideo vel aliquot menſibus prius deradantur, vel illi ſeligantur, qui ſpinis careant. *Inſitio.*

De malo aureo. Cap. VII.

IAM ad alias malorum medicorum ſpecies deuentum eſt, ſcilicet, quæ orbis formam retinent, ex iis principatum ſibi vendicat aureum malum, vtpotè apud nos vulgarius, & magis obuium.

Ab aureo colore, quo rutilat, cùm maturuerit, multi ſunt, qui putant malum aureum dici, atq; de eo intellexiſſe aiunt Virgilium, cum dixit, *Nomen.*

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Vulgus narantium vocat. Hermolaus rantium putat ab æris colore, quaſi randium vocari, hoc eſt fuluum. Quamquàm & à Neratio fortaſſe inuentore neratium dici potuit. Vel aranium quaſi arianum à gente, eſt enim Aria, vt inquit Hellanicus, Perſica quędã regio. Vel malum arantium ab Arantia oppido Achaiæ, quod & pomis fertile ſcribunt fuiſſe. Accedit quod Herculem mala Heſperidum Arantiam primum tuliſſe credunt, authore Pauſania. at ſcholiaſtes Nicandri ſuper verſu illo in Alexipharmacis,

καρδάμιδος, μῆδόν τε καὶ ἰμφερόεντα σινήπι. id eſt
Cardami folium, Medum, ardenſq; Sinapi.

Ait, μῆδόντι, μῆλον ὅτι τὸ μηδικὸν τὸ νεράντζιον. id est, malum medum, quod neranzion vocant. Neapolitani *Citrangulo* dicunt, nimirum à citro deflexo nomine, quasi citraginem dicas.

Forma. Apuleius negat eandem esse malum medicam, & citrum; cum citrus exigua sit arbos, malus medica verò ingens, ac procero stipite & cortice, & foliis lauro similis sit, citro verò dissimilis, cum folia multo maiora quàm laurus, eadéq; diuersi coloris. Hanc Virgilius descripsisse videtur, cum cecinit,

Ipsa ingens arbos, faciemq; simillima lauro:
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis;
Flos apprimè tenax.

Arboris cortex fuscæ viriditatis. Folium nigrum, minus inter cætera odoratum. Flos albus, medio auro interlitus, odoratissimè inter id genus acria mala latè spirat, auidissimè ab vnguentariis quæritur ad varia odoramenta paranda, elicitur ex iis aqua, quæ non solum cæteras odore antecellit, sed ad multa valet medicamenta. Mala sunt rotunda triplici colore distincta, viridia primum frondes referentia, demum rutilant, matura fuluo nitent metallo, aucta semper fœtu.

Genera. Huius triplex genus, vnum dulce, alterum acre, tertium ab vtroque commistum: vt medii saporis sit inter acrem, & dulcem. Inter ea alia mala, quæ succosa sunt, alia, quæ minus succi habent. Color dulcis albicanti auro similis, vel paleæ. Acris rubicundiori. Est & genus aliud, quod foris maris & fœminę pudenda indicat. Nam cùm cæteræ arbores casu pomũ aliquod producant, est tamen genus, quod poma omnia huiusmodi ferat. Est & genus aliud, quod & si foris humana genitalia effingit, duplicem habet intus spicarum ordinem, alterum in altero contentum, vt nihil speciosius videri possit. Est & genus aliud cuius spicæ aliæ dulcem, aliæ acrem referunt saporem in eodem malo. Horum omnium generum Neapolitana pomaria plena sunt.

Cælum & solum. Frigidiores cœli tractus, quàm cæteræ, hæc arbor sustinet, cum magis robusta, & rustica, minus commodam humum, ac negligentiam cultus patitur.

Satio. Seritur semine, idemq; malum restituet dulce, vel acre, maius, vel minus post decimum, vel duodecimum annum. At vbi aquarum copia suppetit, citius adolescit, vt in Stabiarum seminariis videre licet, vbi optima humus, & aqua abundat, vbi plantaria filiarum dotes appellant, non solum huius generis, sed cæterorum malorum medicorum. Seritur & claua, sed tardè adolescit, & continuis rigationibus adiuuatur ob ieiunam corticis ariditatem.

Cultus. Potest & quocunque suæ ætatis tempore transplantari, quod nulli ferè arbori contingit, imò iuuenescit, & sic videtur quodãmodo perennitatem sortiri. Sed satam oportet primo, vel secundo anno rigationibus adiuuari: quod arundinibus excauatis, vel fictilibus tubis fiet commodè, vsq; ad radices defixis,

vt

vt maximis in Canis ardoribus illæ refrigerari possint. Sed hyeme in gelicidiis obturentur, ne frigus penetret fibras.

Inseritur Maio mense inter corticem & lignum, sumatur surculus ex arbore, quæ pomum producat, quod minora semina intus contineat: ea enim sunt optima, non autem te decipiant eæ, quæ maius pomum producant: nam id ex soli vbertate, & arboris iuuenta potest prouenire. Sit surculus ex parte, quæ ad Aquilonem vergit, vt cum in meridianam trunci partē inseueris, vel ab Aquilone tutam, meliorem nactus locum, lætius germinet. Inseritur etiam aptè per infoliationem. Inseritur hæc arbos in citrum, & optime coalescet. Sed sit insitio sub terra, vel si super terram fuerit, adulta planta transferatur, & terra obruatur, nam cum citrus fragilis, & tenella sit, & parua arbor: si insitionis coalitus supra terram fuerit, male sustinet ventorum concussionem. Sunt qui eam inserânt in aquifolium, & ilicem, eisq; arboribus insita frigidis in locis viuit, seq; magis contra variantis cœli iniurias tuetur. *Insitio.*

Extat apud nos, vt diximus, genus vnum mali aurei, quod malum affert, cuius dimidia pars dulcis, altera verò acris. Casus fecit commistionem. Erant rami duo, quorū vnus insitus dulcia ferebat mala, alter acria: cùm transplantandæ arboris daretur occasio, ac per medium secaretur, vt mos est in plantandis huiusmodi arboribus iam vetustis, incidit sectio in insitionis locum, cumq; germina proferret, ex vtriusque cortice acris, & dulcis vnum prosiluit germē, quod huiusmodi mala protulit: itaque arte id effici poterit, si huiusmodi mala producere cordi fuerit. *Ars.*

De Limone. CAP. VIII.

NON longe à prædicti mali forma recedit mali medici species, quam Neapoli vulgus Limonem vocat. Arbor surgit ramosa, contorta, formaque limonium malum iam dictum imitatur, magnitudine verò, & folij colore, latitudineq; aureum malum. Fructus in iuuenta in longum produci, in senectæ verò in orbem contrahi videtur. Spicæ intus malorum limoniorum formam imitantur. Vmbilicus foris protenditur, non intus, vt in aureo malo, & totum genus acuminatis fastigiis hispidatur, perpetuaque fronde comante. Fructus magnitudo malum aureum superat. Et si aliqua ex arbore poma decusseris, hæres fraterni lactis lætius augebitur. Succo repletur admodum acri, & ingrato. Foris herbaceo viret colore, in vltima maturitate croceo. Cute non adeo crassa, vt malum aureum, vel citrium. Id genus igni admotum, sensimq; recoctum rorem instillat foris, quo Neapolitanæ puellæ ora lauant, & nitorem inducunt.

De Poncerio. CAP. IX.

EST & aliud acrium citriorum genus, orbiculata facie, quod poncerium dicunt, ducto nomine à pomis cereis, vel citriis. Folio maioris limonij. Flore mali citrij. Duplex genus, aliud paruo, aliud prægrandi turgens volemo,

vt melonis magnitudinem ſuperet, vt vix illa quis poſſit circumplecti, corticē craſſo pollicem æquante, puluillis & torulis rugoſis papillatim extuberante, & dulci, vt cum carne ſimul mandi poſſit. Ferunt id littora Surrētina, & Amalphæa, quamuis minori copia, quàm ſupradicta genera. Noſtri legitimum vocant. Aliud genus eſt parua contentum forma, noſtri ſpurium, vel noſtrate dicunt, acriori ſapore. Eſt præterea aliud genus, quod mala fert inſipidiora, & à pharmacopolis propter condituram deſideratur.

De pomo Adami. CAP. X.

POSTREMVM genus à priori tam parum differt, vt ſint, qui ab eo nil differre putent, ſed non ad iam antedicti magnitudinem creſcit, limonem verò æquat, cortice non admodum craſſo, pallido, è latiore baſi in rotundiorem conum turbinatur, vertice obtuſo, & quaſi vmbone depreſſo, & inæquali, fiſſuris quibuſdam apparentibus, proinde ac ſi dentibus demorſum eſſet: ſuccoſa ei, & acida medulla, ſed eſt etiam dulci. noſtrate vulgus *Pomo di Adamo* appellat, in quo morſum noſtri protoplaſti conſpici dicit, atque ob ſuam pulchritudinem ex terreſtri paradiſo delapſum. Nobis pro deliciis potius habetur, quàm vſui ſit.

De malo cotoneo. CAP. XI.

DIXIMVS de pomiferis arboribus æterna coma pubeſcentibus, nunc ad eas, quibus decidua eſt, & primum ad malorum cotoneorum hiſtoriam deſcendamus, quam nō iniuria cæteris præferimus, cùm Glaucides Athenæo referente, omnibus præferri velit, quæ, vt Columella ait, non ſolum voluptatem, ſed etiam ſalubritatem afferunt. Plutarchus in præceptis cōnubialibus ex Solonis iuſſu ſcripſit, ſponſam non prius cum ſponſo concumbere, quàm malum cotoneum deguſtaſſet, innuens primam gratiam, quæ ab ore, voceq́ue ſponſæ demanat, bene compoſitam, aptam, & ſuauem eſſe oportere. Et idem in problematis author eſt, primos complexus nil triſte, aut iniucundum habere debere. Ex quo Plinius. Omnia iam & virorum ſalutatoriis cubilibus incluſa, ſimulachris noctium conſciis impoſita. Phylarchus, Athenæi authoritate, prodidit cotonea mala ſuo præſtanti odore letalium venenorum vires retundere, & vehemētiam eorum hebetare. Addit Pharicum præſens alioqui venenum in patina poſitum adhuc illa vel eorum ſalgamam olente, ignauum fatiſcere, languidumq; à peculiari natura viribus exhauſtis deſciſcere, illosq́ue incolumes & illæſos remanſiſſe, quibus illud venefici propinauerant, compertumq́ue tandem hoc eorum relatu, qui venenum vendentes ita ſe habere deprehenderunt. Mirum eſt, quod multi referunt, ſi mulier prægnans cydonia mala eſitauerit, illam induſtrium infantem, atq; ingenioſum eſſe parituram.

Nomina. Theophraſto ϛρύθιος μηλέα, & κυδώνιος μηλέα dicitur. Hermon ex Athenæo, cody mala nominari aſſerit, & ſi Polemon floris ſpeciem eſſe voluerit. Philemon

mon in rebus rusticis στρουθόμηλα vocat, Nicander Thyaticus mala cydonia struthia dicit appellari, sed ex sententia Athenæi errat. Pollux æstiua mala vocat. è Latinis Cato primus mala cotonea vocauit, & struthea, itemq; M. Varro. Cydonia Plinius ex insula Creta aduecta narrat. Q. Serenus ex Cydone Cretæ oppido.

Aut quæ primum Cydon Crateis misit ab oris.

Macrobius ex Cloatio cotonium dici. Virgilius cana mala vocat,

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Columella struthia, & cydonea. Palladius cydonia habet. Itali *Cotogno*.

Genera. Theophrastus videtur duo cydoniorum genera facere, cotoneum, & strutheum, satiuum struthium, syluestre & peius cotoneum, quod ex illius semine satum hoc nascitur. Dioscorides struthia vocat, quæ magna quidē sunt, sed minus vtilia: cotonea sunt parua, rotunda & odorata. Alcmon ait struthiū minoris magnitudinis esse, quàm codymalū, vt recitat Athenæus, & struthiū minoris esse magnitudinis, & minus succi habere, & minus austerū esse, & concoctu facilius, ex hybernis verò cydonium magis austerum. Columella tria cydoniorum genera facit, struthia, chrysomeliana, & mustea. Plinius ait, Plura eorum genera. Chrysomela, incisuris distincta, colore ad aurum inclinato. Quæ candidiora, nostratia cognominata, odoris præstantissimi. Est & Neapolitanis suus honor. Minora ex eodem genere struthea, odoratius vibrant, serotino prouētu, præcoci verò mustea. Strutheis autem cotonea insita suum genus fecere Miluianū, quæ sola ex his vel cruda manduntur. Sunt præterea parua syluestria, à strutheis odoratissima, in sepibus nascētia. Nos ita diuidemus ex his. Primum in syluestre, & satiuum. Syluestre est paruū, incisuris crispatur, à strutheis odoratissimum, quod in sepibus nascitur: apud nos *Cotogno seluaggio*. Satiuum genus in tria diuidemus cum Columella; Chrysomelianū, Strutheum, & Musteum. Chrysomelianum incisuris distinctum, colore ad aurum inclinato, à Theophrasto, & Dioscoride arbitror cotoneū appellari. Hoc genus à cōpressa mali effigie, sessilis rotunditatis malum, Neapoli *Melo cotogno* vocant. Musteum, quod primum prouenit, magis dulce, minus odoratum, minorique lanugine canescens: à Theophrasto, & Dioscoride videtur strutheum nominari: magnum enim est. Hermon, ex Athenæo codymala nominari ait. κώδεια apud Græcos etsi papaueris caput significat, pro capite tamen ponitur, & pro orbiculato: nam videtur hoc genus humani capitis instar tumescere. De eo genere sic Plinius. Candidiora nostratia cognominata, odoris præstantissimi. Est & Neapolitanis suus honor. Neapolim ex Vesuuio trilibria veniunt. Tertium genus strutheum, quod minoris quidem magnitudinis, sed odoris maioris, colore aureo, medio habitu. Ideo Alcmon minoris magnitudinis, quàm codymalum esse dicit. Minus ex eodem genere odoratius spirat. Hic vtraque species à tui binata pyri figura *Pero cotogno* dicitur.

Descriptio. Theophrastus de cotoneorum odore loquens ait, Eorum odor validior est,

quæ terrena magis quibusque aquosa vis admiscetur, qua per vetustatem exarescente, quodam temporis spatio vibrant odorem. Dioscorides diuersis in locis ita illud descripsit. Arborem habet arbuto non dissimilem. Fronde pingui solanum somniferum imitatur, quod aliqui halicacabon appellant, & capparem, effigie verò saluiam. Plinius hæc habet. Poma proxima amplitudine pineis nucibus, incuruatos trahunt ramos, prohibentq; crescere parenté. Et alibi. Citreis odor acerrimus, sapor asperrimus quadamtenus & coroneis. Nos ita describemus, & si notior sit, quàm vt debeat describi. Arbore cõmuni ferè malo simili, nisi quod infra illius magnitudinem subsidet. Flore albo, vel ex albo purpurascente, syluestris rosæ figura. Folio angusto ab ima parte albicanti. Pomo tenui lanugine pubescenti, cuius figuram supra descripsimus.

Cælum. Palladij verba hæc sunt. Amant cydonij locum frigidum, humectum. Si in tepido statuuntur, opus est illis rigatione succurri. Ferunt statum mediocris situs, inter naturam frigoris, & caloris, & in planis, & in decliuibus prouenìunt, tamen magis inclinata, & deuexa desiderant. Arianus ait, teste Athenæo, Egregia nasci poma in Sydunte Corinthi pago.

Solum. Etsi alius indictum, solum tamen pullum, & pingue ei statuimus: (tale est Octauianus pagus in Vesuuio positus, vbi optima nascuntur cydonia, & ferè trilibria,) quia in sicco, vel macro, vel exiguus, vitiatusque, vel fructus nullus nascitur.

Satio. Semine seri posse: sed fructus degenerare Theophrastus prodidit: cùm è struthei semine mala cotonea proueniant. Ex quo Plinius, Cotoneum semine satum degenerat, inquit. Palladius quomodo plantis serenda sit, docet his verbis. Cydoneis serendis plerique tempora diuersa dixerunt, tamen mihi vsu compertum est, in Italia circa vrbem mense Februario, vel inchoante Martio plantas cydoniorum radicatas in pastinato solo tenuisse adeo feliciter, vt sæpe sequentis anni fruge gauderent, si positæ maioris status fuissent. Locis siccis, & calidis extremo Octobri, vel Nouembri inchoante ponantur. Ita ponendæ sunt largæ arbores cydonij, ne alteram quatiente vento stillicidium tangat alterius. Dum minor est, vel quando ponitur, iuuetur stercore, maior verò cinere, vel cretæ puluere semel toto anno radicibus misso. Plinius, Tempus plantationis post mediam hyemem in idus Februarias. Didymus ait, eodem tempore, & modo plantari debere, quo pyrum & cerasum. Dixerat autem pyrum post mediam hyemem vsque ad ver esse plantandam. Palladius, serunt, inquit, aliqui cacuminibus & talea, sed tardus est in vtroque prouentus. Plinius, Surculos abscissos serere, hoc primum sepis causa factum cotoneo depacto, mox & culturæ. Sed apud nos seminibus seri desitum est. Plantis tota hyeme plantatur, cacuminibus verò frequentius, sed solo humecto pingui, & pastinato, in Surrentinis vineis cùm vites propagantur, eadem in scrobe virgas cotoneorum ponunt, mox radicatas transplantant.

Cultus. De eius cultu hæc habet Palladius, Rigandæ sunt quoties cœlestis negatur

infusio.

Infusio. Circumfodiendæ sunt locis calidis Octobri mense, & Nouembri, frigidis verò Februario & Martio. Nisi enim circumfodiátur assidue aut steriles efficiuntur, aut earum poma degenerant. Putandæ sunt, sicuti probaui, & à vitiosis omnibus liberandæ.

Palladius, Mense Februario cydonia inseruntur melius in trunco quàm in cortice. Recipiũt in se surculos propè omnis generis, punici, sorbi, & omnium malorum, quæ meliora producunt. Inseruntur autem nouellæ arbores, quibus succus est in cortice. Si maior est circa radicem, melius inseretur: vbi cortex, & lignum beneficio soli adhærentis humescit. Quòd nulli arbori inseri possit, testatur his carminibus. *Insitio.*

Cum præstet cunctis se fulua cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Scit tantum nullo crescere posse decus.
Sed propriis pandens cognata cubilia ramis,
Stat contenta suum nobilitare bonum.

Sed mense Martio dixit, Cydoniam Martio inseri: Et Ianuario ostendit, sorba Aprili inseri in cydonio. Et Septembri, tuberes in cydoniam inseri, mense Ianuario vltimo, vel Februario, surculus mirabiliter proficit cydonio insitus. Plinius tuberes inseri in malo cotoneo dixit. Strutheis autem cotonea insita suum genus fecere miluianum, quæ sola ex his vel cruda manduntur. Diophanes scriptum reliquit, Cydonia & caprificus omnem arborem suscipiunt, quæcunque ergo voles in his inserito. Damascena prunus cotoneæ malo impacta coalescit. Cotonea oxiacanthæ cõsortium nõ aspernatur. Pyrus inseritur in cydoniam. Cotonea malus, & caprificus arboris cuiuscunq; consortium ineunt, nec vlli surculo denegant hospitium. Anatolius author est, malum inseri in cotoneo, fieriq; ex cotoneis mala pulcherrima, vocata apud Atheniẽses melimela. Tarentinus verò pyrũ in malum cydoniam inseri. Nos autẽ Ianuario mense mespilum in cotoneam inseuimus & optimè apprehendit. Pyra superba, quæ vulgo *Moscarelle* dicuntur, inseruntur in cotoneam, & optima poma proueniunt, omnisq; generis pyra, colore, odore, & magnitudine insignia.

Palladius. Poma in his & cito matura, & maioris incremẽti assiduus humor efficit. Democritus cotoneum cuiusq; animalis effigiem repræsentare promittit: si in formulis insculptis clausum adolescet. *Ars.*

Palladius ait. Si arbor ægra est, amurca aquæ æqualiter admista radicibus debet affundi, aut calx viua temperata cum creta, vel resina locularis pici liquidæ mista trunco arboris adlini, vel ablaqueatæ arbori circa radices imparis numeri poma cydonia pro magnitudine eius ponenda, & obruenda firmantur, quod annis singulis factũ custodiet à vitiis: sed arboris longæ derogabit ætati. *Morbi & remedia.*

M. Varro conditiua mala in loco arido, & frigido supra paleas posita seruari rectè putat, & in pensilibus iunctis. Columella de malorum conditura hæc *Cõditura.*

habet, Multi eadem ratione, qua granata, in ſcrobibus vel doliis ſeruant cydonia. Nonnulli foliis ficulneis illigant, deinde cretam figularem cum amurca ſubigunt, & ea linunt mala, quæ cum ſiccata ſunt in tabulato, frigido loco & ſicco reponunt. Nónulli hæc eadem in patinas nouas ſicco gypſo ita obruunt, vt altera alterã nõ contingant. Nihil tamen certius, aut melius experti ſumus, quàm vt cydonia maturiſſima integra ſine macula, & ſereno cœlo decreſcente Luna legantur, & in lagæna noua, quæ ſit patentiſſimi oris, deterſa lanugine quæ malis ineſt, cõponantur leniter & laxe, ne collidi poſſint: deinde cum ad fauces vſq; fuerint compoſita, vimineis ſurculis ſic tranſuerſis arctentur, vt modice mala comprimant, nec patiantur ea, cum liquorem acceperint, ſubleuari, tum quamoptimo, & liquidiſſimo melle vas vſq; ad ſummum ita repleatur, vt pomum ſubmerſum ſit. Hæc ratio non ſolum ipſa mala cuſtodit, ſed etiam liquorem mulſei ſaporis præbet, qui ſine noxa poſſit interdum dari febricitãtibus, isq; vocatur melimeli: ſed cauendũ eſt, ne quę in melle cuſtodire volueris, immatura mala condantur, quoniã cruda ſi lecta ſunt, ita indureſcant, vt vſui nõ ſint. Illud verò, quod multi faciunt, vt ea dimidiant oſſeo cultro, & ſemina eximant, quod putent ex eis pomũ vitiari, ſuperuacuũ eſt, ſed ratio, quam nunc docui, adeò quidẽ certa eſt, vt etiã ſi vermiculus ineſt, nõ amplius tamen corrumpantur mala, cum prędictũ liquorem acceperint. Nam ea mellis eſt natura, vt coerceat vitia, nec ſerpere ea patiatur, qua ex cauſa etiã exanimum corpus hominis per annos pluſimos innoxiũ conſeruat. Palladius verò, Legenda ſunt matura cydonia, quæ hoc more ſeruantur, vel inter binas tegulas poſita, ſi luto ex omni parte claudãtur, vel ſi defruto incoquantur, aut paſſo. Alij, quæ maiora ſunt ficulfoliis inuoluta cuſtodiunt. Alij tantum locis ſiccis reponunt, à quibus ventus excluditur. Alij canna, vel ebore in quatuor partes diuiſa ſublatis omnibus, quæ in medio ſunt, in vaſe fictili melle obruunt. Alij in melle ſic integra dimittunt. In quo genere cõdiendi ſatis matura deligũtur. Alij milio obruunt, vel paleis ſeparata demergunt. Alij plenis vino optimo vaſculis mittunt, vel vini, & defruti ad ſeruãda cydonia æquũ corpus efficiunt. Alij doliis muſti mergunt, atq; ita claudunt, quod odoratũ reddit & vinum. Alij in patina noua ſicco gypſo obruunt ſeparata cydonia. Democritus verò lecta coronea doliis muſti mergit, atq; ita claudit, quod & odoratius vinũ reddit. Fæce vini mirũ in modũ ſeruantur, aut fictile nouũ iis malis aſſignatur, operculoq; picato in vini dolio clauduntur, ſic tamen, vt fluitent: ita recentia teneri promittit, & vinũ, in quo enatant, odorem bonũ contrahere; aut in floccis, tomentóve mundo ciſtis diſpoſita cõduntur. Itidẽ diu in ſcobe demerſa cuſtodiuntur: quippe ſcobis ariditate defenduntur. Nec ſecus in ſtraminibus minutis, vel paleis obruta cõponuntur. Sed in domo nõ recondenda, vbi reliqui fugaces fructus, vel alij quoq; teneri reſident: ſiquidẽ hos ſuo acerrimo ſapore labefactantia vitiant, ſed maximè vuas in vicino ſitu iacentes marcore cõficiunt. Nonnulli foliis integunt, deinde argilloſum lutũ, aut cretam figularẽ cum pilis ſubigunt, & ea li-

nunt

nunt mala; quæ cum in sole siccata sunt, in tabulato reponunt. Cumq; postulabit vsus, fracto luti regmine, cotonea qualia fuerant indita inuenientur. Alij hordeo obruũt, alij doliis musti mergũt: atq; ita claudũt. Plinius. Cotoneis interclusis spiramentũ omne adimendũ, aut incoqui melle ea, immergíve oportere. Sunt qui cotonea cerapõtica illita melle demergãt. Dicuntur mala cydonia melle condita etiã melimela, quasi melle parata. Vnde Martialis in Xeniis.

Si tibi Cecropio saturata cydonia melle
Ponentur, dicas hæc melimela licet.

De Malo. Cap. XII.

NVNC de malo dicemus, à quo fructus omnes mollis cutis nomẽ capiunt. M. Varro ex malo apibus præberi cibum, ex quo conficiant ceram, & mel dixit. Malum amorem significat & Veneri dicatum est, fortasse quod in iudicio, quando cæteris deabus pulchritudine prælata fuit à Paride, malo donata fuerit. Philostratus in imaginibus, quatuor esse amores ait, duo qui se inuicem malis petant: duo sagittis: quam rem ita interpretatur, quod principium amoris poma mittat: sagittæ verò amorem perficiant. Id indicat elegans Platonis epigramma, quod sic vertit Bentinus.

Malo ego te ferio, tu si me diligis, illud
Suscipe, me imperti & virginitate tua.
Hoc fieri si posse negas, hoc suscipe malum, &
Quam pereat paruo tempore forma vide.

Ad id etiam Theocriti versus spectant in Bucolicis.

Appetitur malis caprarius a Clearistide
Propellens capras, & suaue quid occinit illa.

Ad quos versus Virgilius in suis Bucolicis allusit.

Malo me Galatea petit lasciua puella,
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.

Ex iis veri amoris, & prolificæ fœcunditatis natũ est hieroglyficũ argumentum: vnde in veteri numismate Iuliæ præ Augustæ & Agrippinæ Augustæ Claudij Imperatoris vxoris, Neronisq; matris Venus ipsa cum malo cernitur. Homerus malum appellat aglaocarpum, in Odysseæ libro.

Egregio mali fructu ficusq; suauis.

Quærit Plutarchus in Symposiacis, cur Poeta dignatus est hoc epitheto malũ decorare. Ex Tryphonis opinione dicit id esse facta cõparatione fructus cũ arbore, cum arbor parua admodum, & aspectu vili, fructum ferat pulchrum, & magnum. Aliorum verò authoritate in solo hoc fructu pulchritudinẽ omnibus conspici formis compositam. Nam contactu est instar violæ, vt nõ inquinet, & fragrantia oppleat tangentem. Saporem habet suauẽ, & olfactu, & visu iucundissimum, vt merito laudetur, quod vnà omnes sensus alliciat. Sed Empedocles ὑπέρφλοια μῆλα cur dixerit, ambigit Plutarchus: cum Philosophus non casu epitheta apponat. Grammatici dicunt ob vigorem, & esse quosdam de

Græcis, qui Phloo Baccho sacrificent. quoniam de omnibus fructibus in malo maximè vigor, & viror permanet. Vel cũ alij fructus foris cortice ambiantur (is enim phlœos est) id est tegmen in superficie habeant: solus mali cortex intus est glutinosa, & pinguis tunica, quà semen continetur, id verò quod esul foris est circa eam circumpositum, hyperphlæon, id est extra corticem sitũ appelletur. Non omittam notatu dignum illud de malis, quæ iumentis portatu grauia sunt, vel si pauca sint, siquidem vires (vt Lucianus in suo asino aureo ait, eorũ odoribus offensæ fatiscunt, vt ponderi minus pares sint. Remedium esse si prius edenda apponantur, aut vtiq; sic ostendantur: quod etiã in symposiacis Plutarchus sensit, bulimo corripi equos, & asinos, qui aut mala, aut ficos dorsuarij cõportarint, sed maiori dignũ miraculo remedium, quo ipsis, & hominibus quoq; succurratur. Exanimata ferè iumenta, extinctosq; penè deliquio viriũ homines obiectus panis reuocat. nanq; si pusillũ huius vorarint animantes, ex eo protinus cibo sese recolligentes roborantur, firmatæq; pristinũ iter prosequũtur. Macrobius ex Veranij verbis malũ inter felices arbores cõmemorat.

Nomen. Græcis arbor μηλέα, fructus μῆλον dicitur, Latinis arbor hæc malus, fructus malum. Italis *Melo*.

Forma. Mali descriptionẽ, vtpote vulgarem, hîc omitteremus, ni Theophrasti verba hinc inde dispersa de ea omisisse videremur. Inquit Philosophus. Assurgit itaque malus vnico caudice, ni exilitatis caussa, multiplici caudice illã diffundi sinamus. Confestim se in ramos spargit. Corticis læuore nitet. Peculiares nodos habet beluata facie sed pergrãdi vno, aliis circa eũ pusillis minoribus. Folio carnoso, oblõgo, mucronatoq;. Flore foliato, albicãti, supra fructũ insidente. Radicibus paucis, summæ telluri inhærentibus. Pomo corio tecto, figura oblongo, seminibus intus discretis, cõtinente tunica vestitis. Succo aquoso. Serotino pullulatu: primis nanq; frigoribus dat fructum. Ex annotinis surculis frugifera. Breuissima eius vita: sed præcocibus breuior, quàm serotinis: dulcibus, quàm acidis: sed vt cito occidit, ita celeriter crescit. Senescit citissimè, sed suo latere repullulat, & crescit. Sed Plinius discerptim, vt accepit à Theophrasto, ita descripsit. Arbor statim se in ramos spargens, eorumq; incõditus ordo. Cortice læui, in senecta rugoso, & cadenti. Foliis mucronatis, pluribus ex vno pediculo exeuntibus. Radice breui, & angusta per summa cespitũ. Fructus partes, quæ à sole, rubent. Succo aquoso, spumeo mala callo placent, odore acuto, serotino germine. reddit semen, præter præcocia, autumno, & quędã genera incipiente hyeme. Celerrime verò senescit, & in senecta deteriorẽ fructũ gignit. Nãq; & minora poma ꝓueniunt, & vermiculis obnoxia: quin & in ipsa arbore nascũtur. Vita eius breuis, ex his præcocibus breuior, quàm serotinis, dulcibus quàm acutis, senescitq; velociter, sed è radicibus repullulat. Materie fragili.

Genera. Multa sunt, quæ à scriptoribus malorũ genera describuntur, quæ nos nõ pigebit recensere; adiiciemus alia etiã nostri æui, ne huic arbori & nos ingrati videamur, quã maiores nostri tantorũ generum fœtibus fœcundarunt. Antiqua illa ge-

illa genera nostris accommodabimus, quoad eius fieri poterit, neq; ignoro me opus difficile aggredi, cum illi tam succinctè aliquorum historiam tetigerint, vt ad cognoscendū quibus nominibus his temporibus appellentur, Delio natatore opus sit. Scimus tamen non defuturos, qui aliqua ex his emendent, alia adhuc restituant vt agriculationis studiosi, curiosiq; voti compotes tandem fiant. Genera periisse nō est philosophi existimare sed in alia loca translata secundum diuersas regiones diuersa nomina sortita, nemo est, qui dubitet. Sed ad rem accingamur. Vniuersum igitur malorum genus duplex statuimus, satiuum & syluestre. Syluestre genus in aliud caput differemus, vt minus hoc loco obscuritatis pariat. Satiuum verò triplex facimus à tempore: nam inter ea sunt, quæ præcocia, tempestiua, & serotina sint atque vt nobis annus affert ita nos apponemus. Præcocia proximo sequenti capite attingemus, vt clariora distinctioraq; sint, quæ scribimus. Sed nunc tempestiua dicemus, scilicet quæ medio tempore maturescunt. Est nobis mali genus vnum, quod etiamnum Neapolitano vocabulo carere semine ostenditur, à Vesuuianis *Melo di paglia*, quia pondere leuissimum est, forma turbinata, carne alba, gustu insipido, vt nil boni habeat, nisi quod primum apparet. Id puto à Plinio spadoniū dici. Belgæ spadonia vocant à conditione castrati seminis. Malum apud nos vulgo *Appione* dictum: quia quodammodo odorem nostri, quod vulgus appium dicit, imitari videtur, ac magnitudine superat, est rotunditate insigni, colore albo flauescente, sapore dulci cum quadam aciditate, magnitudine plusquam media, longo seruatur tempore, quod pretiosum habetur: existimarem esse epyroticum malum. De eo Dioscorides hæc habet: Epyrotica, quæ Latine orbiculata dicuntur, stomacho vtilia, aluum sistere & vrinam euocare. Athenæus aliquas addit notas. Quæ orbiculata dicuntur, cum suauiter stringant, habent dulcedinem, ita vt stomacho sint vtilia. Plinius. Orbiculata à figura orbis in rotunditatem circumacti, hæc in Epyrum primum prouenisse argumēto sunt Græci, qui epyrotica vocant. Palladius toto anno seruari posse ait, à Varrone, Columella, & Macrobio orbiculata dicta. Maturescunt Augusto mala, quæ ad nos Puteolis asportantur, cortice toto rubro, vt cruore perfusa videantur, sapore dulci, in extrema maturitate, vt mora nigrescunt, vulgò *Mela orcole* dicta: videntur mihi à Plinio descripta mala. Sunt quibus sanguineus color origine ex mori insitu tracta. Nisi fuerit aliud apud nos genus, cuius caro etiam intus sanguine vel mororum succo tincta videtur: vt pastinaca. Sed Plinii verba de Appiano malo tam perplexa obscuraq; sunt, vt quid sibi velit non sat intelligatur. Eius verba sunt. Ergo habent originem à Matio, Gestioq; & Manlio, item Claudio. Quibus cotoneo insito ab Appio è Claudia gente Appiana sunt cognominata. Odor est his cotoneorum, magnitudo quæ Claudianis, color rubens. Sunt inter doctos, qui de solo Appio loqui intelligant, cum Claudius & Appius vnus itemq; fuerit, nec duo mala repererit: sed magnitudo, quā Claudianis tribuit, Appianis asscribēda est. Sunt alii, qui duo mala descripsisse

dicant, ac Claudianum malum magnum, ac colore rubrum fuisse à Claudio inuentum qui familiæ cognomentum dederit, idemq; malum Appium inseruisse cotoneo, ex quo cotoneorum odorem acquisierit, non mutata magnitudine, nec colore. Si ita est: duo sunt apud nos mala, magnitudine, & colore paria, & preciosa, quorum vnum odorem seruat cotoneorum, alterum minimè. Quod odore caret, vulgò dictum *Melo rosa*. Id roseo colore perfusum est, mira teneritudine, & sapore, minimè fugax, pomum magnitudine media, vt facilè cũ cęteris de principatu certet, nec indignũ Claudii nomine: hoc Claudianum dicerem. Videtur idem malum Athenæi platanium esse. Inquit ipse. Platanium bonum habet succum, & facilè excernitur, at stomacho minus cõfert. quę notæ huic malo conueniunt, nam bonum succum habet, & facilè digeritur, & sua nimia dulcedine stomacho minus confert. Nam Dioscorides dulcia mala stomacho negotiũ facessere scribit. Sed illud quod me magis mouet, platanium nomen est, qu si rubrum dixerit: nam malum, quod ex platani insitione nascitur, rubrum prouenit, vt ex Diophane videbimus inferius. Sed putari nolim, dum vulgare *Melo rosa* pronuntio, id genus mali intelligi quod etiam vulgò apud nos *Melo rosa* dicitur, non admodum huic dissimile forma, sed odore tam pręstanti, vt dum manditur, fauces & palatum tam iucundissimo rosarum odore repleat, vt nil suauius desiderari possit: nam hæc mala rosea ab earum odore dicuntur, seruanturq; vsq; ad aliorum prouentum. Aliud verò mali genus, quod odorẽ cotoneorum seruat, Augusto maturescit, colore rubro, tenero, rotundo, magnitudine pari Claudiano iam dicto, apud nos vulgò *Melo appio rosso* dicitur, nam odorem vulgaris nostri appii retinet. Sed nostrum vulgare malum appium, quia videtur cognationẽ quandam cum antedicto habere, assererem tuto esse melapiũ Plinii: Is namq; paulò inferius subiungit, Cognatione melapia. Videlicet sunt etiã melapia cognatione sic dicta, quod similitudinem odoris cum appiano dicto retinent. Id apud nos principatum obtinet, odore cotoneorũ tam grato, vt eius cortices igni proiectæ domicilia maximo odore repleant, sapore tã grato vt nil gratius exoptetur. Callo corporis duro, vt possit in annum seruari, & etiam in duos, vectũ perdurat, vt trans maria veneat, colore cum maturuerit luteo, ægris innocuũ præbetur, vt prouerbio dicatur; omne malum, malum, præter appium malum. Tertium est apud nos genus appii, colore nigro, forma vulgaris nostri melopyri, etiam cognatione melapia, odore cotoneorum. Mala, quę Iunio supremo circa festum Diui Petri maturescunt, & ob id vulgò dicta *Melo di San Pietro*, superant cætera magnitudine, loco, quo flos exierat, tuberculum eminet, quo verò inhæserat ramo, crassiori orbe residet, oblongo ductu, vt mammarum modo tumeant, & cum eis similitudinem maximam habeant, existimarem esse Plinii orthomastica. Cuius verba sunt, A mammarum effigie orthomastica. Callo fragili, & tenero, ventorum flatu deturbata, nõ tam cito terram tangunt, quàm in partes plures dissiliant, colore rubro, mira suauitate cum aciditate quadam,

dam, & gustus teneritate, ita vt in ore frusta liquescant: sed vt fugientia, diu seruari non possunt, neq; ad æstatis exitum prorogantur. Serotina mala, quæ ad hyemem vsq; suam differunt maturitatem, asseruanturque per totum annum, Cato scantiana vocat, & inter conditiua ponit, & alibi, Mala scantiana in doliis, & alia, quę condi soleant. Columella, & Macrobius scandiana vocāt. Ex iis Plinius. Et quæ tradit Cato in doliis condi scantiana. Mihi videntur esse mala vulgò dicta *Oltramontane*, vel *de Cerrito*. Magna sunt, compressa, dura corporis cartilagine, pendent in arbore ad hyemem vsque, asseruanturque sine negotio vsque ad aliorum prouentum, idque insigne habent, quod maxime omnium condantur. Malum illud insignis candoris, ac rosei coloris, carne intus friabili, & si dura cartilagine cooperiatur, sapore non ingrato, quod nobis *Melo diece* dicitur, quia sola, vel pauca sunt, quæ ex eodem pediculo dena pendeant, dixerim esse Plinii mala gemella. Cætera (ait) e caussis traxere nomen germanitatis, cohærentia gemella, nunquam singula in fœtu. Quæ Plinius pulmonea vocat, quod stolide tumeant, retinent adhuc pristinum nomen, nam vulgò *Mela polmonare*, aut *Mela di stoppa* vocant, carne fungosa, pulmonis instar, sapore insipido, sanguineo foris colore, vel pulmonis magnitudine media, vsque ad noua absque cura seruantur, vt nil nisi id boni habeant. Plinius etiam mala serica à colore vocari ait. Ego potius syrica legerim, cum Columella prius syrica dixerit, & ex vocum affinitate facile in eius verbis mendum prorepsisse iudicarim, cum ipsemet syricum colorem ex Sandyce, & Synopide mixtis fieri dixerit, & ex eo minium sublini. Qui color visitur in nostris malis vulgò *Cannamele* dictis: videntur verò velut ex Synopide, & Sandyce coloribus tota perfusa, duro carnis callo, & compacto, vt si mordicus prehenderis, auellere nequeas carnem, & gingiuas comprimant, sapore tam dulci, vt à palato morosiore laborantibus fastidiantur. Si qui verò fuerint nasutuli, qui nostratia *Cannamela* vocata non esse syrica mala dixerint, recipiant fortasse nostrum vulgò dictum melopyrum. Malum id nigro est foris colore, vel magis fuliginoso ac longiori pediculo cæteris prædito, ob id melopyrum dictum, composito nomine ex malo, & pyro. Coniectura me mouet, quòd syrica pyra etiam à Plinio descripta (vt videbimus) sunt nigra foris colore, atq; huic malo simillima. Quę Plinius Sceptiana vocat ab inuentore Libertino, rotunditate insignia, ea ipsa vocat Athenæus mordiana, quę optima in Apolliniate agro nascuntur, qui Mordicus cognominatur, orbicularis similitudine respondent. Apud nos ea puto esse mala quæ *di Catalogna* dicimus. Nam magnitudine insignia sunt, & rotunda valde, dulcia, maturitate friantur, colliguntur ex arbore cum iam dictis vltramontanis, & reponuntur sed non diu seruantur. Malum quod vulgò Neapolitani *Melo cedrolo* vocant, quia cucumeris instar in longum protenditur, posuerim inter aphrotomela, cum sua austeritate mandi nō possit, nisi domito maturitate succo, dū asseruatur domicilia iucundo odore replet, colore est citrino, maturitate

friatur. Reliqua ab antiquis memorata, cum notas aliquas illis non addiderint, difficile immo impossibile videtur coniectari, quæ fuerint, nisi propriè diuinare velimus. Athenæus vocat setania, refertq; Africani Pamphilum meminisse. Cato quiriniana vocat, Columella Matiana, Sextiana, Pelusiana, Amerina. Plinius dicta à Matio, Cestio, & Manlio. Nunc autem nuperrime adoptata sunt parua, gratissimi saporis, quæ pesilia nominantur, patrias nobilitauere camerina, & græcula. Melofoliis folium vnum aliquando & geminum erumpit è latere medio. (& alibi, iam & in pomo ipso, mali quodam in genere, parua mediis emicant folia, interim & germina.) Celerrime in rugas marcescunt pannucea: dacis vilissimis nomen, quamquam primis aduentu, decerpiq; properantibus: amerina maxime durant. Macrobius ex Cloatio malorum genera numerat: matianum, ogrannum, panunceum, quirianum, prosianum, scandianum, tibur, verianum. Horatius,

Picenis cedunt pomis Tiburtia succo.

Nam facie præstant.

Cælum. Theophrastus frigidum locum malos concupiscere scripsit: quippe in Ægypto locis feruidis paucę admodum, vitiatęq; sunt. Præterea in Ponto mali permultæ habentur; sed vernæ, & syluestres maiorem in modum: præterquam si quæ serotinæ. Ex quo Plinius scribit. Circa Bosphorum Cimmerium in Panticapeo vrbe, omni modo laborauit Mithridates Rex & cæteri incolæ sacrorum certè causa laurum, myrrumq; habere, & non contigit: cum teporis arbores abundent ibi, punicæ, ficiq;, iam mali & pyri laudatissimæ. Et alibi. Malum in montuosa subit. Et quæcunq; communia sunt montibus, planisque, maiora fiunt, aspectuq; pulchriora, in campestribus meliora materie, crispioraq; in montibus, exceptis malis, pyrisq;. Palladius ait frigido solo prouenire, si cœli tepor adiuuerit, nec in asperis & humectis sedem recusant. Anatolius frigidis locis & humectis gaudere ait.

Solum. Palladii de solo sententia hæc est. Amant pingue, & lætum solum, & cui humorem non tam rigatio, quàm natura suppeditet, & si in arena, vel argilla sit, rigationibus adiuuetur. mõtanis locis debent ad meridiem versæ constitui. Macrum, & aridum solum poma vermiculosa efficit, & caduca. Anatolius nigra gaudere terra scripsit. Apuleius solas malos etiam in aridioribus locis vehementer vberes prouenire experimentum docuit.

Satio. Suo fructu sata omnino poma degenerare, Theophrastus est author. Cato vt cupressos, ita & mala serere in seminariis docuit. vt iam vidimus in Sylua. Plinius ait. Ex semine autem quanquam dissimili, ea quoque, quæ & aliis modis seruntur vt mala, nanque eis pro semine nucleus, sed tarda prouentu, ac degenerantia, & insito restituenda, & vt cupressi sic malorum semina nutriti. Palladius, mense Februario & Martio mala seremus, (ait) si calida, & sicca regio est, Octobri, & Nouembri. Anatolius autem scribit. Mali duobus anni temporibus plantandæ sunt, vere, & autumno: sed locis quibus humorẽ natura

tura non suppeditat, quando satæ post imbres, melius conualescunt. Plinius interualla describit in pedibus nouenis, vel paulò amplius. Ramis etiam nasci posse, sed raro Theophrastus prodidit. Idem confirmat Columella dicens, Vltimis ordinibus vineti poterit (si quem tangit cura pomorum) in ea vineti fine, quæ subiacet septentrionalibus, ne cum increuerint obumbrent, cacumina malorum depangere, quæ vel inseras interposito biennii spatio, vel si generosa sunt, adulta transferas. Plinius. Stolones auelluntur arboribus, & cum perna sua, partemq; aliquam è matris quoque corpore auferunt secum, fimbriato corpore, & hoc modo plantantur mali.

Theophrastus de eius putatione hæc habet. Malus minus recidi desiderat, *Cultus.* & quicquid siccum, & cortice tenui vestitum; hæc enim resecta, vehementer laborant: qua de causa manu his auferri præcipiunt, aut ferro perquam leuissime: periculum nanq; interitus propter vlcera imminet, quemadmodum radicibus vulneratis, cùm fodiuntur arbores deteriorescunt, & sæpe ægrescunt, ac exarescunt: sic etiam vulnere partis superioris noxam eandem his posse inferri credendum est, quam nequeant tolerare. Plinius. Est & quædam contusio falcis hebetioris, quibus omnibus causis difficilius tolerant frigora, aut æstus, quoniam in vlcus penetrat omnis à foris iniuria. Palladius autem, Nec exarari, nec effodi desiderant. Iccirco eis magis prata conueniunt. Stercus ouillum tantum non exiguum quidem sed libenter assumunt, vel si cineris pulueres misceantur. Amant modestas rigationes. Putatio illis apta est, sed maximè, vt arida, & male nata tollantur. Citius senescit hæc arbor, & in senectute degenerat.

Ait Cato. Mala inseri oportet Luna silenti, post meridiem, sine vento au- *Insitio.* stro, inter lignum & corticē. Sed insitio per ver, per solstitium dies quinquaginta, & per vindemiā. Plinius ex Catone dixit. Inseri autem Cato pręcipit per ver, & post solstitium diebus quinquaginta, post vindemiam, Luna sitiente, hoc est sicca, præterea post meridiem, ac sine vento austro. Palladius autem, Malus omni generi inseri potest, quo pyrus. Mense Februario, Martio, & aliis, quibus pyrus inseritur in malo, in pyro, in spino, pruno, sorbo, persico, platano, populo, salice. Dixerat autem in pyro etiam cydonio, & vt aliqui in punico sed fisso ligno; & omni generi inseri potest, vt etiā videbimus. In Iulio mense autem emplastratione malus inseri locis humidis me explorante processit. Inseritur etiam in prunum. Sed prunus eā degenerem reddit, & paruā. In se verò recipit tuberes, & mespilum, vt suis idem ad Pasiphilum testatur versibus.

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pyrum.
Seq; feros syluis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.
Spiniferas prunos, armataq; robora sentes
Leuigat, & pulchris vestit adulta comis.

Nn

Exiguam sorbum dulci distendere succo
Nouit, & ad cupidas flectere poma manus.
Stipitibus gaudet nomen mutare salignis,
Et gratum nymphis spargere flore nemus.
Robora thyrsigero platani concordia Baccho
Fœtibus instituit plena rubore nouis.
Illius insolitas miratur persicus umbras,
Populeaq; ferunt candida dona comæ.
Mespilus huic paret, lapidosaq; viscera mutans
Tenditur, & niueo plena liquore rubet.
Pro sudibus fœtis, & pro prægnantibus armis
Castaneæ fuluum dant noua mala decus.

Virgilius in Bucolicis in platanum malum inseri posse cecinit.

Et steriles platani malos gessere valentes.

Plinius malum posse prunum recipere dixit, indeq; nata pruna malina dici. Traditque antiquam in malis inoculationem, qua sutoriæ simili fistula aperiebatur in arbore oculus cortice exciso, semenq; includebatur eadem fistula sublatum ex alia. Viditq; iuxta Tiburtes tiliam omni genere pomorum onustam, malorumque generibus. Diophanes scribit inseri in omnem pyrum syluestrem, & in coroneorum malum fructumq;, ex his coronea mala pulcherrima vocata apud Athenienses melimela. Inseruntur etiam in platanum, à qua rubicunda fiunt mala: recipit quoque pyrum, morum, laurum, & damascenum. Didymus in commentariis suis, quæ de re rustica reliquit, iubet & malum pruno damascenæ inserendam, quæ si citrio insita comprehendet, toto anno pomiferam reddi pollicetur.

Ars. Docet apparatum Theophrastus, quo maiora euadant mala. Scilicet vt fructus ramis suis annexi, ollis inclusi, sequaci flexu in terram deducto obruantur. Cuius rationem dicemus in punicis. Palladius idem alio modo operatur. Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda sunt quæq; vitiosa, vt alimentum cęteris succus ęquiparet, & generosis abundantiam ministret, quam numerosa vtilitate perdebat. Quo rubra poma nascantur, rationem docet Berytius. Arbor vrinæ rigatu satietur. Sunt qui in alium modum malis rubrum colorem moliantur. Palo in terram fixo, fructiferos ramos citra vulnus incuruantes illigant, & iuxta vel scrobiculos, vel vasa complent aqua, obseruantes, vt meridie incidens in aquam solis radius calidum euocet vaporem, qui reflexu quodam in pomum resiliens, rubrum colorem conciliet. Non desunt, qui sub arboribus rosas serant, sic rubra dari poma promittunt. Scribit Anatolius. Vt dulciorem creent fructum, sunt qui caprinum fimum vrinæ adiiciant, & veteris vini fæcem radicibus iniiciant.

Morbi & remedia. Ex Theophrasto videre est communem arborum morbum esse vermiculationem; omnes enim fermè arbores vermes gignunt, sed quædam paucio-

res,

res, quædã plures, vt malus. Et cùm pluribus infestetur vermibus, iccirco citius interit: plures enim habet interitus authores. Eius fructus etiam vermiculis vastatur, sed quoties hoc vitium acciderit, perit. Mali non patiũtur à gelu, cum videantur debiliores, vt in Thessalia extitit: facit enim arboris raritas, vt frigus transmittat, nec aliqua parte retineatur. Quod autem diu non immoratur, nec vniuersum contendit, efficax id esse non potest: vt etiam de fulmine intelligere licet. Porro vt effugiant interitũ, alterutro munimento se tueantur necesse est, aut non admittere intra se, aut amittere extra se, nec vsquam retinere. Discissionem caudicis tolerat, non solum eam, sed etiam caudicis fissionem sustinet. Fructus etiam antequam coquat amittere potest. Ex quo Plinius. Vermiculantur magis, minúsve quædam, omnes tamen ferè, maximè autem arborum hoc sentiunt mali. Infirmissima verò malus, maximeque quæ dulcis est. Vermiculationem, & poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt. Fissa stirpe non interit. Quæ verò ex Anatolii penu deprompsimus super huiusmodi plãtarum morbis hæc sunt, Non erodentur à vermibus si circum sita fuerit scylla. Si verò in ipsa arbore nascuntur, à suillo stercore, humanæq; misto vrinæ, & radicibus affuso, extinguuntur. Valde enim gaudet malus vrina, & hac assidue est irriganda. Sunt qui caprinum fimum vrinæ adiiciant, & veteris vini fęcem radicibus iniiciant: vt dulciorem creent fructum. Morbos abiges, si asinino stercore aqua macerato sex dies occiduo sole rigaueris. Si vis pomorum abundantiam subministret arbor, nec numerosam prolem perdat, dissectum plumbei tubi patulum os, sic vt circulum ducat, caudici altitudine pedis à terra strictum obducito, & cùm mala cœperint adolescere, torquem hũc eximito, id quotannis est faciendum, vt vbertatem fœcundam concipiat. Vt poma non putrescant, lacerti viridis felle perungatur caudex, nec ipsum eruca continget: vel radices taurino felle oblinendæ ante plantationem. Hęc planta celerrime à vermibus iniuria afficitur, quod si ei negotium exhibeãt, æreo clauo fodicandus, atque vellicandus cortex, donec mucrone tacti, radantur, sed ad vlcerata loca bubulum fimum obducat. Palladius verò, Citius senescit hæc arbor, & in senectute degenerat. Si caduca sunt poma fissę radici lapis iniectus poma retinebit. Lacertæ viridis felle si tangantur cacumina, non putrescit. Vermes eius suillo stercore misto humanę vrinę, aut felle bubulo extinguuntur, qui si plures circa arborem sunt, æreo scalpro semel rasi, non vltra nascentur, si ea loca, vnde rasi sunt, bubulum stercus obducat. Plinius, Mala ne putrescant, lacertæ viridis felle tangi cacumina iubet.

Columella. Hoc eodem tempore, vel etiam primo mense Augusto mala Cõditura. dulcissimi saporis mediocriter matura eliguntur, & in duas, vel tres partes arundine vel osseo cultello diuisa in sole ponuntur, donec arescant. Eorum si est multitudo, non minimam partem cibariorum per hyemem rustici vindicant: nam pro pulmentario cedit. Possunt & in melle alia genera malorum, sicuti Orbiculata, Sestiana, Melimela, Matiana custodiri, sed

quia videntur in melle dulciora fieri ſic condita, nec proprium ſaporem conſeruare: arculæ fagineæ, vel etiam tiliaceæ, quales ſunt, in quibus veſtimenta forenſia conduntur, huic rei paulo ampliores præparari debent, eæque in tabulato frigidiſſimo, & ſicciſſimo loco, quò neque fumus, neque teter perueniat odor, collocantur, deinde ſubtracta prædicta poma ſic componi, vt floſculi ſurſum, pediculi deorſum ſpectent, quemadmodum etiam in arbore nata ſunt, & ne inter ſe alterum ab altero contingatur. Ita obſeruandum eſt, vt vnũquodq; genus ſeparatim propriis arculis reponatur: nam cum vnà clauſa ſunt diuerſa genera, inter ſe diſcordant, & celerius vitiantur. Propter quod etiam conſeminalium vinearũ, non tam eſt firmum vinum, quàm ſi per ſe ſyncerum amineum, vel apianũ, aut etiam fecinum condideris. Verum ſic, vt prędixi, cùm diligenter mala fuerint compoſita, operculis arcularum cõtegantur, & luto paleato linantur opercula, ne introire ſpiritus poſſit, atq; ea ipſa nonnulli, ſicut in aliis generibus, vt ſupra iam diximus, populnea, quidam etiam abiegna ſcobe interpoſita, mala cuſtodiunt. Hęc tamen poma non matura, ſed acerbiſſima legi debent. Palladius, Diligẽter legenda ſunt mala, quę volumus cuſtodire. Ea in locis obſcuris, vbi ventus non ſit, ſtramentis prius in crate ſubiectis, in cumulos ſecreta diſponimus, qui cumuli frequenti diuiſione ſeparentur. Aliqui diuerſa dixerunt, vel ſingula in vaſculis fictilibus picatis, atq; oblitis, claudi, vel argilla inuolui, vel ſolos pediculos creta adlini, vel in tabulis ſubſtrata palea diſponi, & ſtramẽtis de ſuperiorũ parte cooperiri. Mala rotunda, quę orbiculata dicuntur, ſine cura toto anno ſeruare ſe poſſunt. Aliqui in puteo vel ciſterna mergũt vaſa fictilia, quibus diligenter picatis & clauſis mala committuntur. Alii ex arbore mala illæſa ſumpſerunt, & pediculis eorum pice feruenti merſis ſupra tabulatum per ordinem diſponunt, nucum foliis ſubter expoſitis. Pleriq; ſcobem populi, vel abietis inter mala diffundunt. Conſtat mala ſic ponenda vt pediculorum partes deorſum facias, neque ante, quàm vſui neceſſaria videantur eſſe, contingas. Præcipit verò Plinius, colligi mala poſt æquinoctium autumnale, neq; ante x v Lunã, neq; ante primam horam. Cadiua ſeparari, ſtramentis, ſtoreis, paleiſve ſubſterni. Rara componi, vt limites peruii ſpiritum æqualem accipiant. Amerina maxime durare, melimela minime. Aliqui mala in patinis fictilibus fluitantia, quo genere & vino odorem acquiri putant. Aliqui omnia hæc in milio ſeruare malunt. Plerique verò in ſcrobe duûm pedum altitudinis harena ſubſtrato, & fictili operculo, dein terra operto. Mala verò generoſiſſima cruſtant gypſo, vel cera, quæ niſi maturuerint incremento calicem rumpunt. Semper autem in pediculos collocãt ea. Alii decerpunt cum ſurculis, eoſq; in medullam ſambuci abditos obruunt, vt ſupra ſcriptum eſt. Alii ſingulis malis, piriſq; ſingula vaſa fictilia aſſignant, & opercula eorum picata, dolio iterum includunt. Nec non aliqui in floccis capſiſq;, quas luto paleato illinunt. Alii hoc idem in patinis fictilibus, aliqui & in ſcrobe ſubiecta harena, ita ſicca operiunt mox terra. Poma longo tempore dura-

durabunt, si, vt Apuleius suadet, vegeta legantur. Sed obseruationem desiderant, vt manu decerpantur illæsa, & fuco, id est musco marino singula conuoluantur, sic vt vndiq; cooperiantur, interiecto quoq; eodem, ne sese vlla ex parte contingant: Sic patinis indito operculo clausa, tabulato frigoribus obuerso, quo neq; fumus, neq; teterrimus perueniat odor, collocentur. Si desit fucus, singulæ arculæ singulis pomis sunt assignandæ: nam vnà clausa diuersa genera discordant, & celerius vitiantur. Sunt qui creta figulina singula crustent, quæ postquam occalluerit incolumia seruantur, foliis nucum subter expositis, quo substratu, & odori, & colori perquam belle consulitur. Melius cedet, si frondibus nucum non caducis singula conuoluantur. Custodiuntur in olla fictili cera interius inducta. A putrilaginis labe vindicantur, hordei aceruis obruta. Seruantur quoq; fideliis fictilibus non picatis, effracto fundo, & excluso spiritu. Sed ad id muneris integra & lecta manu, quæ non senserint vetustatem, deligantur: iis fideliæ ad fauces vsque compleantur, & pyxacantha, aut quouis alio spiracula vasis diligenter obturentur: sed hyemem totam in parentis surculo pensilia cohæreant: taliaque inuenientur poma, qualia fuerant condita. Hoc experientia quadam accepisse idem attestatur Apuleius. Seruantur quoque singula ficulneis frondibus siccis inuoluta, si deinde luto, vel argilla candida linantur, & soli quoad crustam duret, credantur, tunc talia permanent, qualia concluduntur. Poma doliis musti merguntur, atque ita clausa perdurant, & à fæce seruata vini suauitatem supramodum commendant. Sed in ollam nouam immissa, & olla in dolium vini immersa, ita vt innatent, & dolium oblinatur, recentia erunt mala, & vinum odoratum. Porrò seruanda poma canistris, vel vimineis cistis componuntur, & mundo tomento obruuntur. Hyberna poma seminibus, vt vuæ, demerguntur. Non putrescunt poma, quorum cacumina virentis satyrij herba fuerint illita. Hæc Apuleius.

De malo verna. CAP. XIII.

NOMINA vernæ malo attributa, tum quia multam apud etiam doctos viros pepererant difficultaté, tum etiam quia huic ab antiquis nonnulla erant peculiaria attributa, operæpretium duximus in hoc caput dirimere, vt nostra hæc quantulacunq; commentaria dilucidiora sint, minusq; fuscedinis lectorum animis ingerant. Præterea inter cætera malorum genera nobilius genus existit, tantaq; eius nobilitas, vt in fenestris fictilibus vasculis, & ædium hortis sæpius plantetur, asseruetur que: cùm ab infantia fructificet, pomaque multo sua arbore, quod vix credi possit, maiora producat, præcoci partu cæteras antecellit, duplicique partu fœcundatur. Tantis dotibus iure existimanda, aliisque separanda venit nostro Pomario.

Nomen. Theophrasto μηλέα ἐαρινὴ dicitur, id est malus verna, quod adulto vere maturescat, & δίφορα etiam, id est bifera, nec vlli malo decentius id nomen conuenit, quàm huic: nam suum fructum tam cito perficit, & maturat, vt iterum

ſe flore induat,ac fœtificet, ni hyemis rigiditate prohibeatur, & præſertim autumnante temperie,vt Neapoli quotannis ferè videtur. Varro in agro Coſentino biferam eſſe malum tradidit. Plinius in malis biferas eſſe etiam ſcripſit, & in pyris, quod ex Theophraſto deſumpſit. Dioſcorides μελίμηλα vocat, id eſt melimela, nomine compoſito ex μέλι, id eſt mel, & μῆλον id eſt malum; quaſi mellitum malũ dicat,quod mellea dulcedine ſcateat:& γλυκύμηλα,id eſt dulcia mala. Cato hæc mala muſtea vocauit. Plinius muſtea dicta refert à celeritate miteſcẽdi,quæ nunc melimela dicuntur ſapore melleo. Varro ait. Ea,quæ muſtea dicebãtur,nunc melimela. Vnde genus illud cotonei præcox, muſteũ nominari diximus. Macrobius etiã muſtea dixit. Columella melimela. Martialis:

Infanti melimela dato,fatuasq; mariſcas.

Sunt etiam,qui hæc pomi genera à Virgil. mitia dici dixerint,

Sunt nobis mitia poma.

Sed ne putes obſecro mala, quæ nunc melimela diximus, eadem eſſe cum melimelis Athenienſium, nam (Anatolio authore) ea mala erant, quæ malo cotoneo inſito proueniebant. Inquit enim ipſe. Malum inſeritur in cotoneum, fiuntq; ex cotoneis mala pulcherrima,vocata ab Atheniẽſibus melimela,quod etiam ſuperius admonuimus. Braſauola mala vulgò *Roſa* dicta melimela eſſe dixit Dioſcoridis. Alij verò noſtra vulgaria *Melapia*, quorũ opinionibus, non ſolùm quæ ſuperius retulimus, ſed etiam huiuſmodi mali vires aduerſantur. Dioſcorides enim de huius facultate dicit, Ventrem emolliunt, ab eo animalia expellunt, ſtomacho negotium exhibent, æſtuationem faciunt. Præterea ex Auicennæ doctrina, & Serapionis libro de ſimplicibus, Mala dulcia odorata cordi conferunt, mala acida non cor, ſed ſtomachum iuuant, ſitim arcent, bilis vomitum reprimunt,ventrem conſtringunt. Videmus enim, quæ nunc dicimus melimela ventrem emollire,ac ſtomacho negotium exhibere,& æſtuationem facere. Vulgaria noſtra melapia cordi conferre, &, vt vidimus, ægris innoxie præberi. Sunt qui vulgò *Mela nane*, ab arborum exiguitate, quibus producuntur, dicant. Neapolitani *Mela acquatole*, ab aqueo humore, quo abundant, nominant.

Genera. Theophraſtus, verna mala imbecilla eſſe,& inter ea, quæ dulcia. Ex quibus verbis clarè perſpici poteſt,alia eſſe mala,quæ ſint acida. Apud nos verna mala & acida, & dulcia ſunt.

Deſcriptio. Theophraſtus ex annotinis, & nouellis ſurculis fructificare retulit, quod nulli,exceptis vite & ficu,niſi biferis malis conceſſit. Breuis eſt vitæ, facile interit. Cuius ratio eſt; Quod enim debile eſt, ex multis commoueri facile poteſt,& ſi ſuper debilitatem fertiliſſima quoque natura ſit arbor, vt malus verna,magis quoque ita fiat neceſſe eſt,quippe cum vtraque ratione noxæ oriantur principiis. Videtur enim rationi conſonum,vt quod imbecille,abſq; robore ſit: vnde quæ vix ſibi,multo minus fœtui ſufficit: euenit enim ob ſui imbecillitatẽ & pauperiem diuturni penſi ſolutione, cum nõ habeat, quod promatur è

tur è penu, vt exhausta fatiscat. Ex quo Plinius. Infirmissima verò malus, maximè quæ dulcis est. Nos ita describemus. Arbor pumila est, nec cæterarũ magnitudinem attingit. Mala magnitudine media. Colore cùm maturuerint luteo. Callo corporis tam fragili teneroque, vt quæ ex arbore ventorum impetu deturbentur, in partes dissiliant. Prępollenti odore. Sapore gratissimo, mellea dulcedine, mandendo ore in frusta liquescunt. Præcoci partu. Cæterorum pomorum ferè fugacissima, & ni tam fugacia essent, cum omnibus de principatu certarent. Acidorum plura sunt genera: Vnum nos vulgò *Melo gaetanello* dicimus, quod Caieta nobis olim exportaretur. Hæc parua sunt, acidulo sapore grata, compressa, tenera, colore herbaceo, ac multum mulierum malaciis expetita. Sunt & quæ vulgò *Mela grecole*, & *Mela grasse* dicuntur, cognatione acidi saporis inter se maxima. Est genus alterum, quod quia circa festum Diui Ioannis maturescit, vulgus *Melo di San Giouanni* dicitur, tenerum, rubicundum, sapore dulci leniter acescente, ad iuuandum ægrorum appetentiam, & prægnantibus apponuntur.

Tepido cœlo lætantur, vel calido, ideo permultæ arbores in Apulia, & Sicilia. *Cœlum.*

Solo læto, cultoque gaudent, nec vsquam agrestia reperiuntur, vel locis incultis. Viribus innocens, ideo inter vineas seritur. *Solum.*

Seritur semine, eademque poma restituit. Seritur & plantis, plantandique tempus Theophrastus statuit, Vernum tempus malis vernis, quippe quæ cum gracilenta, lignosaq; sint, & sicca natura consistant, hyemem ob debilitatem sufferre non valent. Nascitur & propagine. Nam propagata, breui temporis curriculo radices proiicit. Nascitur & surculo, vel cacumine, vt Theophrastus scripsit. Surrentino tractu in vineis, vbi vites propagantur, simul cum vitibus huiusmodi mali cacumina deponuntur, & citò, & optimè radicantur. *Satio.*

Theophrastus ait: si arbor feruenti aqua rigetur, meliorescit: nam alimentum mouet, atque immutat, si diutius venit. *Ars.*

Theophrastus, quæ dulcia sunt, celerius putrescunt, dixit. Etenim succus eorum mutationem facilius recipit, quoniam imbecillior est. Hinc mali dulces, magis quàm acidæ putrescunt, & omnium maximè vernæ, succi imbecillitate, atque totius naturæ. *Morbi & remedia.*

Plinius melimela minime durare scripsit. *Cõditura.*

De pyro. CAP. XIIII.

NVNC pyri historiam prosequi poscit ordo. Columella ex pyri floribus apes mel colligere scripsit, & si Varro ex syluestri pyro scripserit prius. Palladius idem ex pyro. Narrat Athenæus pyra in conuiuiis solita deferri in aqua, vt quisq; sumeret matura: scilicet quæ magis natarent, ex Alexi in Breutia. Macrobius adducit Verannium dicentem pyrum inter arbores felices esse.

Græci pyrum pomum ἄπιον vocát. Ister in rebus Argolicis narrat Polopon- *Nomen.*

nesum Apiam vocatam fuisse (ex Athenæo) quod ibi planta huiusmodi plurima reperiretur: in qua sententia etiam Stephanus est. Theocriti tamen interpres pyra à Poloponneso nomen accepisse putat, quod in ea plurimum hic fructus apparuerit. Latinis arbor pyrus dicitur, pomum verò pyrum, dictumque volunt, quod ad pyramidis modum, vt plurimũ elatum in aciem tendat, flammæ similitudinem reddens. Italis *pero*.

Descriptio. Descriptionem toto volumine sparsam è Theophrasto adducere libuit. Arbor simplici consurgit caudice, & si ab imis plantigera sit, cæteris abscissis simplex redditur. Plurimis ramis brachiata. Cortex ex humore, carne, & neruo constituitur. Folio circinato. Flore foliato. Turbinata fructus figura. Aquoso succo præditus. Autumno reddens fructum, præter præcocia. Seminibus tunica contentis, principiumq; annexus proprium habere videtur. Fructificat ex annotinis surculis. Latere, & cacumine germinat. Incremento velox. Prolixa radice, vt non solum è proximo, sed longinquo prolificet. Plinius hæc quæ ex Theophrasto accepit, refert: Folia pyro circinata, plura ex eodem pediculo exeuntia. E lateribus ramorum, & cacumine fert. Naturæ ordine vrbanarum paulò post malum pyrus floret, vt simul videri possit. reddit semen, præter quàm hyberna, aut præcocia, autumno. Turbinatior pyris figura, in iis serotina ad hyemem vsque ad matrem pendent, gelu maturescentia. Pyro proprietas vini, vinoso enim succo præditum est. In hyberno pyro est pomum aspici in matre prius decidentibus foliis, velox est, & cito occidit.

Genera. Nunc ad genera transeamus, sunt etenim, vt malorum, æque multiplicia. Sed quæ fuerint antiquorum nomenclationes pyrorum, quæque nostrorum temporum illis respondeant, vt pristinum nomen illis restitui possit, conabimur etiam, vt in malo aliqua coniectare. Nos primùm, vt par est, pyra in satiua & syluestria diuidemus, nunc de satiuis, alibi de syluestribus dicturi, satiua idẽtidem à temporibus diuidemus, verna scilicet, æstiua, & hyberna: & de vernis primũ, nam Theophrastus pyra & præcocia, & serotina esse dixit: & quædam pyrorum genera bifera esse posse, sed locis hybernis, humidisque, vbi flatus commodi non desint, & cum tempus se longius protrahit, & priores fructus decerpantur. Vnde Plinius, In malis, & pyris quædam biferæ sunt, & præcoces. Sed Neapoli genus est pyri, quod vulgus, *Pero due volte l'anno*, vocat, quod bis anno affert, immò semper fructu, & flore oneratum conspicitur. hæc genera ab antiquis mustea vocabantur. De præcocibus pyris hæc habet Plinius. Eadem causa taxatur in pyris superbiæ cognomine, parua hæc, sed ocyssima. Hæc Neapoli *Perabiancolelle* dicuntur, quia albea & parua sunt, & ocyssime cadunt, si diutius in arbore manserint; farinæ modo mandendo friantur, nil boni, nisi quod præcocia sint, habent, vt sola verè temporis prioritate superbiant. Cato, quia præcocia sunt, videtur mustea vocasse. Macrobius præcocia dixit. Manardus superba antiquorum pyra illa esse ait, quæ nostrates *Pera moscarelle* vocant, sed repugnat; quia ocyssima non sunt, nec tam insignem

odoris

odoris notã maiores nostri præteriissent, sed quę ea fuerint, melius fortasse videbimus. Succedũt iis, quæ diximus, nostro tẽpore vulgo dicta *Pera moscarelle*. Hæc tam parua sunt, vt baccas corporis tuberculo non excedant, quina, sena, plurave vno pediculo exeuntia, sacchаro condiuntur, vt in sequentem annum asseruentur, moschi dicti odoratissima iucunditate fragrant, dixerim à Plinio myrapia dici, quasi vnguentum redolentia: μύρον enim Græcis vnguentum est, & persæpe moschi odorem vnguentum dicunt. Sed apud Macrobium marapia legitur, non myrapia. Cohærent his germanitate odoris quadam, & saporis, genera vulgò dicta *Pere moscarelloni*, sed magnitudine longe superant, & tardius maturantur. Plinius Dolobelliana vocat longissimi pediculi. Genus pyri, quod omnium pediculum longissimum habet, simul & subtilissimum est illud, ob sui præstantiam regale nomen adeptum, inter sui temporis pyra (nam Iunio maturatur) facile sceptrum gestat. Plinius item à colore purpurea vocat. Hic pauca adeo, multisq; aliis pyris communia dixit, vt solo eius testimonio, quæ purpurea fuerint coniectare nõ possimus, verùm si vnà vulgare Neapolitanum nomen cõsulamus, clarè quæ *Pera cremesine* dicimus, antiquorum purpurea pyra esse cognoscemus, nomenq; ab eis deductum, vsq; ad hæc nostra tempora seruatum censendum esse existimamus. teneritudine, sapore, & forma à supradictis parum recedunt, speciosissimaq; ob eorum colorem: Iunio etiam maturantur. Idemque putamus esse Macrobij rubile. Paulatim subeunt æstiua. Ait Plinius, Cunctis autẽ crustumina gratissima. Columella crustumina inter generosissima pyra ponit. Meminit etiam horum Macrobius: Virgilius item Georgicorum secundo,

—— Nec surculus idem
Crustumiis.

Seruij authoritate ex parte rubent, dictaque sunt crustumina ex Crustumio Thusciæ oppido, vbi optima, copiosaq; erant. Optima, copiosaq; etiam apud nos sunt, vulgò dicta *Pere giacciole di Roma*, nam Roma ad nos exportata primitus fuere, ibiq; è Thuscia, tenera sunt, succosa, dulcia, alba, ex parte rubentia. Sunt aliæ huiusmodi pyrorum species apud nos Puteolis è Germania allatæ, ob id vulgò dicta *Pera giacciole di Pozzuolo, & giacciole di Alemagna*, quæ etiam hordearia dici poterunt, cùm eo tempore, quo metunt hordeum, appareant. Fauoniana rubra paulò superbis maiora Plinius dixit. Retinent adhuc genuinum nomen, nam *Pera rossolelle* dicimus, hæc enim paulò superbis maiora sunt, & rubicũdo colore perfusa. Quod nos *Pero inganna villano* dicimus, colore est foris nigro, vel si mauis fuliginoso, inter cætera præstãtissimum est, & Augusto maturatur: existimarem esse illud, quod Syria donat, à Plinio descriptum. Inquit ipse. In iis alia colore nigro donant Syriæ. Columella Tarentina, eadem quæ Syria dici ait: quod à M. Catone, qui in sapa condi posse scripsit, desumpsit. Macrobius Tarentinum etiam Syrium dici narrat. Huius etiam meminit Virgilius,

Crustumiis, Syriisq; pyris.

Apud nos sunt plura horum pyrorum genera, quod etiam Plinius non reticuit, nam alia, dixit, colore nigro donant Syriæ, veluti sunt *Pera caranelle*, omnium huiusmodi rubiginoso colore infectorũ optima. Item *Pero brutto buono*, aliud *Pero malueſtito*, & *Pera pozelle*. Proxima iis falerna à potu, inquit Plinius, quoniam tanta vis succi abundat: lactea hæc vocátur. Neapolim è Samnio afferuntur, ibiq; *Pera pane & vino* dicuntur vulgò: quia cum estantur, edere ac bibere putatur. Sapore & succo sunt præstantissima, forma turbinata, acerba virescunt, matura albescunt. Pyra, quæ Plinius à collo coroliana vocitari dixit, nos putamus ἀπὸ τῆ κορωνίς, quasi lunatus, vel inflexus, vt boum cornu, dici, vnde quæ Neapolitani *pera coscia di donna* dicũt, Plinij coroliana esse, nam & pediculus carne obductus est, & inflexus vt boum cornu, venter vt viatorum vascula, hæc vili habentur pretio, nam insipida sunt: per hordeum maturantur. Cato cucurbitina pyra nominauit, & in sapa condi posse dixit: itemque Macrobius. Plinius rationem nominis reddit, Brutæ gentilitatis cucurbitina, acidula succi. Neapoli vulgò *pero cocozzaro*, cucurbitam enim *cocozza* vulgus vocitat, in figuram efformatum vasculi viatorum, colore viridia, tactu duriuscula, maturantur Augusto. Maturantur item Augusto duo pyrorum genera, quorum vnum legitimum, alterum spurium vocamus, nullis iam dictis inferiora, magnitudine, teneritate, succo, & sapore: legitimum *pero paccone* vocamus, spurium verè *pero paccone bastardo*, quod parum ab eo sapore degeneret & magnitudine. Coniicerem ego Plinij Decimianum, & Pseudodecimianum. Inquit enim, Sed confessis vrbis vocabulis, authores suos nobilitauere Decimiana, & ex eo tractum, quod Pseudodecimianum vocant. Macrobius Decimanum dicit. Cato pyra volema nominauit: ex quo Virgilius,

Crustumiis, Syriisq; pyris, grauibusq; volemis.

Columella itidem. Plinius volema. Macrobius volemium dixit. Seruius volemis, id est magnis, dixit, nam & volema ab eo, quod volam impleant dicta sunt, vola enim palmæ medietas est, dicerem esse posse, quæ nos *pera pignatelle* dicimus, hæc optima sunt, nec ad libræ solum, sed etiam ad duarum librarum pondus ascendunt. Quæ verò Samnites *pero capacce* vocant, etiam ad trium librarum sæpe pondus ascendunt, hæc Augusto maturantur, albo, & croceo colore colorantur, coctum præstat, & ad hyemem seruatur. Maturantur etiam Augusto *pera rossolelle* dicta, alia à iam dictis præcocibus, asseruanturque diutius: putarim Plinij venerea. Inquit enim, Incerta nominis causa est barbaricis, venereisque, quæ colorata dicuntur.

Subeunt hyberna, siue sementina. Cato mustea, & sementina dixit, ac sementina conditiua esse, dictaq; esse, quod sementis tempore maturentur, scilicet autumno. Plinius ab odore pyra laurea esse dixit, serotina esse, & ad hyemem vsq; ad matrem pendent, gelu maturescentia. Pristinum adhuc retinent nomen, nam vulgò *pera laure* dicunt, cùm enim vorátur, fauces lauri odore re-

plent,

plent,& ſerotina ſunt. Laurei etiá pyri meminit Macrobius. Incerta nominum cauſa regiis, quæ minimo pediculo ſeſſilia, Plinius dixit. Columella regia vocauit. hæc pyra alia eſſe non poſſunt, niſi quæ vulgò *bergamotte* dicimus à Bergomo Italiæ oppido, quod ſua peregrinatione inſigniuit. Colore ſunt herbido; nec vt foris dotem referant, minimo omnium pediculo, & compreſſæ rotunditatis, vt ſeſſilis videatur, ſerotina ſunt, & facile ob ſui præſtantiam apud antiquos regium nomé adipiſci potuerunt: mira ſunt teneritudine, aquoſa dulcedine, ſapore egregio. Ab eorum etiam dote Imperialia nunc dicimus, quæ ampla, & grato ſucco, & ſingulari cõmendatione. Anitiana, Plinius ait, poſt autumnalia, acidulo ſapore iucunda. Cato aniciana, per c, ſcribit. Macrobius antiana. Varro ex Catone in ſapa cõdita manere pyra antiana. Columella anitiana legit. hæc nõ niſi *pera ſarriole* vulgò dicta eſſe poſſunt, nam ſementina poſt autumnalia ſunt, & acidulo ſapore iucunda, ob id ægris præbétur innocué. Patriæ nomen habent Græca, ſerotina ad hyemem vſq; ad matrem pendent, gelu matureſcétia inquit Plinius. Macrobius græculũ vocat. Id genus puto Neapoli dictum *pero buon Chriſtiano*. Inter cætera noſtræ Campaniæ præſtantiſſimum, ſuauitate eximia, magnitudine, & teneritate tãta, vt guſtatu vel ipſo ore liqueſcat, perennat, geſtatumq; tolerat, hyeme crudum, coctumq; mandimus, vtiq; eſui peroptimum, ægris innoxie præbetur, omnium poſtremũ, nec prius, quàm hyemem experiatur, edomita acerbitate miteſcit, Neapolim delatum à Carolo octauo hîc res gerente, à noſtra felici Campania his dotibus adoptatũ. Calculoſi pyri meminit Macrobius. Huius Neapoli multæ ſunt ſpecies. ab huius generis vitio, quòd calculis præditæ ſint, denominatæ. Sed hæc dixiſſe ſatis ſit, ne charta, vel dies potius, quàm genera deficiant. Sunt etiam apud Plinium alia pyrorum genera, pomponiana cognomine, mammoſa, ciceriana, ſeueriana, & quæ ex iis nata ſunt tyranniana longitudine pediculi diſtantia, lateriana, tiberiana, quæ maximè Tiberio principi placuere. Colorantur magis Sole, grandeſcuntque, alioquin eadem eſſent, quæ Liceriana. Patriæ nomina habent, ſeriſſima omnium amerina, picentina, numantina, alexandrina, numidiana, & in iis amerina, ſignina, quę alij à colore teſtacea appellant, ſicut onychina. Ab odore nardina, & patricia, voconia, viridia, oblongaque. Item Columella ſignina, neuiana, vulſa. Item Macrobius citrium, ceruiſca, lollianum, lanuuinum, lateraſianũ, mileſium, myrteum, næuianum, orbiculatum, præcianum, ſigninum, tullianum, titianum, turriuianum, timoſum, meſpilium ſerum, ſementinum ſerum, ſextilianum ſerum, tarentinum ſerum, valerianum ſerum: quæ omnia, quia alias notas non addiderunt, penitus ignoramus.

Theophraſtus pyrũ ſyluestrẽ inferuidis male ſe habere dixit, vt in Ægypto, vbi etiá mites pyri nihilo melius germinant ob calorem inhoſpitalẽ. Ex Quintiliis verò habetur, Pyrorum genus in frigidis & humidis locis. Ex Diophane, Pyrum in frigidis, aquoſis, & vberibus locis gaudere habetur. Palladius in frigido, & tepido loco prouenire ſcripſit, ſed irriguo, & florem plurimum profer- *Cælum.*

re, & magnitudinem pomi turgentis acquirere. Plinius, Subit & in montosa pyrus. Athenæus, ex Hermippi sententia, in Euboicis optima pyra nasci tradidit. Sed animaduersione dignum est, cum de cœlo, & solo pomiferis arboribus conuenientibus loquimur, de iis intelligendum esse, quæ syluestribus sui generis arboribus inseruntur, non alieni: nam si super alias diuersi generis arbores inseremus, velut cotoneo, sorbo, & oxyacanthæ, solũ cœlumq; illis tribuendũ esse censeo, quæ inferiori trunco cõueniunt, non autẽ, quæ superiori.

Solum. Palladius scribit, Pyra nasci tali solo maximè diligunt, quale vinetis conuenit, sed læto solo & validas arbores, & fructus plurimos consequi. His annectendum esse iudicarẽ, vt profundum sit solum, cùm validas arbor in profundum radices agat.

Satio. Theophrastus omnino semine satum pyrum degenerare ait, & non nisi vitiatum pyrastrum nasci. Palladius autem, Si quis semen pyrorum aspergit, nasci quidem necesse est, originem suam refouente natura, cuius æternitati nulla tarditas potest afferre fastidium, sed homini expectare longinquũ est, cùm & serò veniant, & de generis nobilitate decedant. Cato autem pyrorum seminaria ex seminibus facere docet, quemadmodũ in Cupresso retulimus. Ex quo Plinius excipiens, illud idem docuit. Viuiradicibus serere docet Palladius. Plantas pyrorũ mense Februario locis frigidis ponemus, calidis verò Nouembri: sed mense Nouembri pyra locis tepidis cõserenda sunt. Sed pyrum plantis serere propè tardus est euentus: tamen quibus hoc placuit, vt semina generosa nihil sibi de agresti asperitate permisceant, plantas bimas, aut trimas eo more, quo oleæ ponuntur, radicatas magnis scrobibus ponant, supra terrã tribus altas, vel quatuor pedibus, quarũ decisa cacumina, argilla mista muscus debet operire. Melius ergo hoc mense Nouembri fiet, vt pyrorũ plantas radicatas seramus agrestiũ, subactis bene scrobibus, vt cum prehenderint inserãtur. Hoc autẽ interest, quod quæ plantis suis seruntur, dulcedinẽ ac teneritatem seruãt, diu tamen seruata nõ durant, insita verò moram temporis sustinebunt. Spatia inter pyros triginta pedũ mensura discernat. Theophrastus pyrũ vere ponendum arbitratur, cùm autumno seri arboris natura nõ ferat, quoniam lignosorum natura à germinandi facilitate abest, estq; cum earũ siccitate imbecillitas aduersus hyemes, prętereа lauros nõ plus quàm nouenos pedes pręcipit distãtes serere, malos distantiores paulò, pyros amplius. Quintilij. Si verò viuiradices plantaturus es, sint hæ ipsæ triennes, aut nõ minores duorũ annorum. Sed pro diuersa earũ natura, Diophanes ait, variã serendi rationẽ postulare. Etenim longorũ, vel rotundorum generũ arbores, quæ suos in matre partus maturãt, aliquanto celerius, ad mediũ vsq; ver seri volunt, locis ad ortũ solis, vel septentrionẽ spectantibus. Verum radicatæ plantulæ, nõ iuniores binis deponuntur. Terra autẽ iniciatur simul stercore admixto. Porrò longè melius plantas sylnestriũ pyrorũ radicatas serimus, subactis bene scrobibus, vt dum cõprehenderint, inserantur. Columella ait: pyros autumno ante brumã serito, ita vt minime

nime dies quinq; & viginti ad brumã supersint. Plinius nõ eodem tempore pyra omnia seri iubet, quoniã non æque floreant. Eadem oblonga, aut rotunda ab occasu Vergiliarum ad Brumam. Reliqua genera media hyeme ab occasu sagittæ, Subsolanum, aut Septentrionem spectantia. Cõmunis quidem Italiæ ratio tempora ad hunc modũ distribuit: Pyro autumnum, ita vt brumã x v. nec minus diebus antecedat. Seritur etiam pyrus radicariis plantis è radicibus auulsis, ex Quintiliorũ placitis, quod Diophanes confirmat. Ex ramis Theophrastus rarò nasci posse scripsit. Quintilii, Ex superna arborum parte ramos generosissimos acceptos plantant, neque successu frustra sperato. Columella idem sentire videtur, nasci posse ex cacuminibus, atque depacta vbi adoleuerint, post biennium inseri, aut transferri si generosa fuerint, vt diximus in malo. Quintilii, Quidam etiam trunci generosissimas partes scytalas faciunt; easq; plantant: quemadmodum à scytalis oleas.

Theophrastus ait, quia plagis infirmatur, ideo minus recidenda pyrus, vt supra in malo retulimus. *Cultus.*

Inseri autem præcipit Cato pyra per ver, luna silenti, post meridiem, sine vento austro, & post solstitium, diebus quinquaginta post vindemiam. Quod Plinius ex eo retulit. Virgilius orno inseri posse scripsit. *Insitio.*

—— Ornusq; incanuit albo
Flore pyri.

Palladius verò ita monet, Mense Februario, & Martio pyrus inseritur more, quo dictum est, cum de insitione loqueremur sub cortice, & in trunco. Inseritur autem pyro agresti, malo, vt nonnulli, amygdalo, & spino, vt Virgilius orno, & fraxino, cydonio vt aliqui, & punico, sed fisso ligno. Surculus pyri, qui inseritur ante solstitium, anniculus esse debet, & prius quàm figatur, foliis, & omni tenera parte priuari, post solstitium verò cum figis, qui summum germen inclusit. Pyrus omni genere inseritur. Iulio mense emplastratione insita pyrus Palladio explorante processit. Recipit citreum, mespilum, & tuberes. Qui ad Pasiphilum sic scribit carmine,

Germine cana pyrus, niueos haud inuida flores
Commodat, & varium nectit amore nemus.
Nunc rapit hirsutis horrenda sororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela pyros.
Nunc teretem pingui producit acumine malum,
Fraxineasq; nouo flectit honore manus.
Phyllida quin etiam grandi mitescere fructu,
Instituens, duræ dat sua membra cuti.
Et steriles spinos, & inertem fœtibus ornum
Dotat, & ignotum cogit amare decus.
Huius & immissi vertere cydonia rami,
Pomaq; confusus blanda creauit odor.

Castanea septos aspro velamine fœtus
Exuit, & placido pondere mutat onus.
Mespilaq; exarmat pugnacibus horrida membris,
Et mala tranquillo cortice fota premit.
Creditur in Libycis sua germina nectere ramis,
Lætaq; puniceo posse decore frui.

Ait Plinius. Pyrum vel florentem inserere licet, & in Maium quoq; mensem protendere insitionem. Ait M. Varro, Pyrum non recipit quercus, neq; enim si malus pyrum. Hæc sequuntur multi, qui aruspices audiunt multum, à quibus proditum in singulis arboribus quot genera insita sunt, vno ictu tot fulmina fieri illud, quod fulmen concepit. Si in pyrum syluaticam inseueris pyrum quamuis bonam, non fore pyrum tam iucundum, quàm si in eam, quæ syluestris nõ sit. Sed quercus bona pyra ferre Plutarchus est author. Ex Quintiliorum placitis, Cassianus animaduersione dignum esse iubet, ne malorum, pyrorumq; surculi, qui ad insitionem cautè, & diligenter accipi debent, acutissima falce deputentur: sunt enim hæ arbores valde tenui cortice præditæ, quapropter aliqui ipsos manibus potius auferunt, quàm falce resecant. Pyrus (vt ait Tarentinus) inseritur in punicam, in malum cydoniam, in amygdalum, in terebinthum, & in morum. Insita autem in morum, pyra rubicunda producit. Diophanes myrapia commode infoliari in mala, quod ipse experientia manifesta condidicit. Nos autem myrapia, quæ diximus, in cotoneam insita maiora, quæ vnquam ex arbore pependerint, odoratiora, coloratioraq; produxisse vidimus. Alii pyrum in salicem inseri posse scribũt, sed salix humido loco sata sit oportet, optime autem inter lignum & corticem, tardissime omnium affert: inserendamq; esse vltimis deficientis Lunæ diebus.

Morbi & remedia. Theophrastus ait, in pyris præuenire solet lapsus maturitatem, vel debilitate appendiculorum, nam cùm mole grandiuscula constent, facilè sentit pediculus incõmoda distentionis ex pondere: vel vrgentur interdũ copia flatuum, grauãtur etiam humore, humiditatem verò esse causam lapsionis pomorum docet, humefacto Austris aëre, atq; nubilo, tum flores cadere, tum etiam priores fructus, qui statim flores subsequuti sunt. Ex quo Plinius, Si cùm defloruêre pyri protinus sequantur imbres, in totũ poma depereunt, etiam si omnino nubilum fiat, austrinúsve flatus, amittũt fœtus. Et alibi. Perdunt facillimè ante maturitatem fructus pyri, etiam si non pluat, & fiat austrinũ cœlum, aut nubilum, amittunt flores, & primos fructus, si cum defloruére tales dies fuerint. Tradit Palladius crebris fossionibus, ac frequenti humore proficere, vt nulla floris iactura fiat. Multum quoq; prodesse, si interiecto anno quale libet adiungatur lætamen, sed bubulum spissa & grauia poma creare fertur. Aliqui cinerem miscent, existimantes argutiores pomis contrahi sapores.

Theophrastus vermiculationem etiam sentire pyra prodidit, eoq; morbo celeriter interire. Ex quo Plinius. Maxime autem arborum vermiculantur

pyri,

pyri, poma etiam ipsa per se quibusdam annis vermiculationem sentiunt. Diophanes à vermibus liberari promittit, si radices dum plantantur bubulo felle linantur. Palladius, Vermes enati necantur, & nasci quoq; prohibentur, radicibus felle taurino frequenter infusis.

Theophrastus item, Si pyrus frondibus, & germine luxuriabit, foramini facto quernum palum adigunt, terraq; occultant. Quod punire nonnulli vocant. Ex quo Plinius, Pyri, quæ germinant, nec fructum ferunt, fissa radice è teda cuneo adacto, & cinere, ac terra cooperto. Diophanes, Vt pyrus ferax, & dulcis sit, iuxta radices truncus findatur, fissuræ cuneos ex quercu, vel fago adiges, atque ita obrues. Vel circa eam fæce vini veteris radicibus affusa, rigandoque ad quindecim dies, posteà verò obrues. Quod si non ægrotet, affusa tamen fæce, dulcior euadet. Columella eadem docet, Vt pyrus ferax sit, cùm adoleuerit, altè eam ablaqueato, & iuxta ipsam radicem truncum findito, & fissuram cuneo tedæ pineæ adigito, & ibi relinquito, deinde absumpta ablaqueatione, cinerem supra terram iniicito. Palladius verò, Si languida est arbor pyri: vel ablaqueatæ radicem terebras, & ibi ligneum palum deprimis: vel in trunco similiter terebrato ex teda cuneum figis: vel si hoc desit, ex quercu. Item fæces vini veteris recentes si radicibus affundantur per triduum, diutius arbores in floribus laborare non faciunt.

Præterea. Si lapidosa pyrus est, ab extremis radicibus terram priorem leuabis, & secernes omnes lapillos, quibus diligenter remotis, alteram terram cribro cretam in loco eius infundis, sed hoc proderit, si rigare non cessas. Lapidosiq; generis pyra vitium mutare creduntur, si terris mollibus conserantur. Quintilii verò ab extremis radicibus terram leuant, & omnes secernunt lapillos, quibus diligenter summotis nouam terram cribro cretam in alterius locum suffundunt. Sed frequens rigatio calculosæ pyro præsenti est remedio. Sed mirum tradit Plinius, quòd animalium depastio, quæ arboribus perniciosa, pyro vtilis sit apud Chios, quam vocant Phocida. Theophrastus caudicis fissionem tolerare posse scribit, quia facillimè coit.

Pyra alia sunt censitiua, alia minime. Condititua, vt volema, anitiana, & sementina Cato iubet condi. In sapa verò tarentina, mustea, & cucurbitina. Sed M. Varro ex eo aliter sentit. Nam pyra antiana, & sementina in sapa condita manere. Plinius ex vtroque Tarentina serissime legi, anitiana seruari & in passo. Cōditura.

Varro item pyra dissecta, & in sole macerata per se vbicunque sint posita, facile durare. Columella siccandi modum docet, Augusto pyra dulcissimi saporis mediocriter matura eliguntur, & in duas, vel tres partes arundine, vel osseo cultello diuisa in sole ponuntur, donec arescant. Palladius, Pyra diuisa, & purgata granis in sole siccantur. Plinius condi pyra, vt mala dixit, & vuæ, ac totidem modis.

Ex Palladii doctrina, Pyra, quæ huic negotio destinantur, à cadiuis dili-

genter electa integra debent esse, placido die, decrescente Luna, à vigesima secunda vsq; in octauam manu decerpta, vegeto solis calore ab hora secunda in quintam, vel à septima in decimam, dura tunc, & aliquanto viridia, picato vase claudantur, quod tegatur operculo, & inclinato deorsum ore breui obruatur scrobe, loco iuxta quem perennis aqua defluit. Item, quæ dura sunt in carne & cute, in aceruo posita, vbi se mollire cœperunt, in fictile picatum ponuntur, & operculo superueniente gypso linuntur, vas breui scrobe demergitur, loco, qui quotidie sole tangatur. Alii statim lecta cum tenacibus suis picatis vrceis condiderunt, & oribus vasculorum gypso vel pice clausis, ipsa sub diuo obruta sabulone texerunt. Plurimi pyra obruta inter paleas, aut frumenta seruarunt. Alii pyra, quæ non se contingerent, in melle seruarunt. Aliqui aquam salsam, cum cœperit vndare calefacta, despumant, & ei post iam frigidę pyra seruanda demergunt: tunc exempta post tempus exiguum condunt vrceo, & eius lito ore conseruant. Vel nocte, & die in frigida salsa manere patiuntur, post in aqua pura biduo macerant, deinde in sapa, vel passo, vel dulci vino mersa custodiunt. Seruari pyra Democritus affirmat, quæ illitis pice surculis suspendantur. alii in sapa, vel passo, vel dulci vino, vel musto mersa custodiunt vasis plenis. Plurimi inter scobem obruta seruarunt. Alii siccatis frondibus iuglandis inuoluta recondunt. Alii in vrceo fictili nouo in vino, vel musto demergunt, parum salis habenti, & operculato vase reponunt. Alii vinaceis discreta, ne se contingant, obruunt. Apud nos funiculis laquearibus appensa, vsque ferè ad aliorum prouentum seruant, & præsertim quæ *bergamotte*, & *buon christiane* vocamus, quod etiam antiquitus fieri docet Martialis ad Mancinum.

Non pyra, quæ lenta pendent religata genista.

De sorbo. CAP. XV.

SEQVITVR sorbus, cuius fructus malorum, pomorumq; generi iure venit annumerandus. Etsi suus locus in syluis sit, tamen ob gratiam, quam apud omnes eius fructus adeptus est, in nostrum pomarium transtulimus. Inter felices arbores connumeratur à Verannio, Macrobio referente. Astringentem eius naturam Martialis innuit,

Sorba sumus molles nimium durantia ventres,
Aptius hæc puero, quàm tibi poma dabis.

Nomen. Sorbus arbor Græcis ὄη, & οὔη, fructus verò ὄα, οὔα. Ita & apud Latinos arbor sorbus dicitur, fructus verò sorbum: vel quia ore absorbeantur, vel quia diu seruentur. Itali arborem *sorbo* dicunt, fructus *sorbole*.

Descriptio. Theophrastus sorbi arborem accuratissimè describit, tanquam incognitam sibi, & aduenam. Sorbus arbor de grandibus & subrectis est, coma concinna, & nisi quid impediat, verticem nucis pineæ repræsentans. Aculeos non habet vt mespilus. Nouella cortice læui, pinguiusculo, flauente candido, annosa

nosa scabro, atroque. Folia pediculo singulari, prolixo, neruaceo, condita inversus, alæ modo à lateribus emicantia, tanquam ex omnibus vnum fiant, laciniis pennatim ad neruum vsque diductis, ampliusculo diuisis interuallo, omnibus ramulis in extremo pediculi folium prominet, cuius accessione impar numerus efficitur, sunt in vetustioribus, breuioribusq; pauciora: figura iis lauri tenuifoliæ, prętérquam quòd serrata per ambitum breuioraq; sunt, neq; cacuminibus mucronatis, sed in rotunditatem retusis: atq; hæc non paulatim, vt cæteris, sed vniuersa collabuntur. Flos racematim coactus ex pluribus candidis ac minutis, petiolo vnico dependet. Fructus cum large proueniunt, vuæ modo farcti, congestiq; visuntur, ex vno petiolo faui speciem præbentes, acerbissimi. Noua admodum fructificat, etenim à trimatu fert. Autumno foliis subinde amissis, cachrym suam fundit, eduraturam hyeme. Radicibus neque multis, neque in altum defixis, validis alioqui, & crassis, auelliq; difficillimis. Plinius ex eo, non ante trimatum ferre ex vllo genere scripsit. Ei vniuersa folia decidere: sorba inter se densa, quæ ramos circundata ex omni parte vuarum modo degrauant.

Syluaticæ sorbo præstantior quàm vrbanę fructus ait Theophrastus, quod in hac, & in cornis præcipuum notauit. Suauius enim olent. Cuius rationem in libro de causis assignauit: quia sicciores sunt, ea tamen siccitate, quæ non in totum tollit humiditatem ad odorem conficiendum: syluestre nempè genus siccius, ieiunius, feruentius, ac succo tenuius est, nec succũ carni permixtũ vrbani modo gerit. Præterea duo alia sorborũ genera ab aliis tradit reperiri, fœminam, quæ sola fructificat, & masculam sterilẽ. Aliud etiam discrimen in fructu, quòd aliæ figurã orbis, aliæ oui referũt. Item alię succo odoratiore dulcioreq;, vt quæ orbiculatos fructus ferunt: aliæ acido, peiusq; olente, vt quę ouales. Plinius verò, Sorbis quadruplex differentia. Aliis corũ rotunditas mali, aliis turbinatio pyri, aliis ouata species, ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acori. Odore & suauitate rotunda præcellunt. Cæteris vini sapor. Generosissima quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus torminale appellant. De quo nos alibi. Sed syluestre genus nos vocamus, quod in syluis absque aliquo cultu fructus optimos affert, de quo intellexit Theophrastus. Sed est aliud genus, quod verius syluestre dici posset, nam arbor ab vrbana nihil differt, nisi fructu qui exiguus est, & vix oxyacanthæ baccas superat, colore ferrugineo, & vtimur ad aucupia turdorum, cuius sunt auidissimæ. Mascula caremus, quia omnes fœtificantes sunt. fortasse feruentibus locis ea Theophrasto visa fuerit. Fœminam dicimus, quæ paruos, rotundosq; fructus affert, masculam verò, quæ magnos, ac turbinatos. Sunt præterea discrimina multa, colore, sapore, & magnitudine differentia, nam alia ouũ magnitudine, alia oleæ fructus ferunt, alia lentiginosos, & inter hæc præcipua, quæ in arbore ad Ianuarium vsque vegetos seruat. Genera.

Suapte natura frigidos tractus quętere scribit Theophrastus: nam si ad lo- Cælum.

ca feruentia venerit, sterilescere. In montibus etiam nasci. Plinius sorba in frigidis, & humidis prouenire scripsit, aquosis etiam montibus gaudere. Aristophanes (Athenæo authore) ait,

In montibus sunt sorba sponte plurima.

Palladius amare loca humida, montana, & frigidis proxima.

Solum. Theophrastus allsiosum, humectumq; solum concupiscere, quo tametsi vinacior, aboleriq; contumacior, mōtibus etiam nasci dixit. Palladius solum pinguissimum, cuius indicium facit certissimum, si frequens vbiq; nascatur.

Satio. Theophrastus semine nasci scripsit. Plinius idem confirmat. Palladius, Mense Ianuario, Februario, & Martio locis frigidis. Calidis verò Octobri, & Nouembri sorba seruntur egregie, ita vt matura in seminario ipso poma pangantur. Ipseq; expertus est, arbores ex pomis sponte progenitas, & in crescendo, & in ferendo extitisse felices.

Tradidit etiam Theophrastus viuiradice seri. Plinius ab eo, radice plantam seri scripsit, ac post mediam hyemem in idus Februarias. Palladius, Plantas etiam si quis ponere velit, habebit arbitrium, dummodo calidis locis mense Nouembri, tēperatis Ianuario, vel Februario, frigidis Martio inclinante disponat. Planta est transferenda robustior, scrobem desiderat altiorem, & spatia longiora, vt (quod illi maxime prodest) à ventis frequentibus agitata grandescat.

Etiam auulsione nasci scripsit Theophrastus. A quo Plinius. Cū perna sua auellitur, partemq; aliquam è matris corpore aufert secū fimbriato corpore.

Cultus. Veluti syluestris arbor respuit omnem cultum, sed siccitatibus si irrigetur, ac hyeme suffodiatur, maiores & dulciores dabit fructus, sed non odoratiores, vt è Theophrasto colligitur. Formanda est arbor, vt à terra decem, vel duodecim pedibus eleuetur.

Insitio. Plinius in calabrice inseri monet, ea est spina syluestris. Pallad. Mense Aprili sorba inseri in se, in cydonio, in spina alba, vel trunco vel cortice. Idē in versibus.

Sorba suos partus merito maioris honestant
Seminis, & pulchro curua labore nitent.
Hac arbos spina duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.
Aureaq; annexo miscere cydonia fœtu
Gaudet, & externi dona coloris amat.

Plinii calabrix Dioscoridis oxyacantha est, vt alibi monuimus, retinet apud nos pristinum nomen, optimeq; super ea prouenit sorbus, etiam malus, & optimos fructus præbet.

Morbi & remedia. Ait Theophrastus, Ipsa arbor in senecta vermibus obnoxia ruffis, hirsutis sui generis, atq; ita emoritur. Fructus etiam super arborem crudus adhuc magis, quàm mespila, pyraq;, quāuis hic maxime omnium sit acerbissimus. Plinius ex eo, Sorbus arbor infestatur vermiculis ruffis, pilosis, atq; ita emoritur. Nos ex his sæpe extraximus non ruffos, neq; hirsutos, sed sicut cæteri. Palladius re-

remedium

medium affert. Si vermes patitur infestos, qui in ea ruffi, & pilosi solét medullę interna sectari, aliquos ex his sine iniuria arboris detractos vicino crememus incendio. Creduntur hoc genere, vel fugere, vel perire.

Plinius, Sorbis, quæ generant, nec fructum ferunt, fissa radice inditur cuneus è teda, ac cinere, & terra cooperitur, fertilesq; fiunt. Ex quo Palladius. Si verò minus ferre cœperit, tedæ cuneus eius radicibus inseratur, vel circa partem vltimam fossa facta cumulo ingesti cineris adæquetur.

Theophrastus materiem sorbi solidam, spissam, coloratam, & validam esse. Plinius lignum ossibus carere inquit. Apud nos ex ea optima vasa expoliuntur, arcæ, & balistarum manubria. *Materies.*

M. Varro de sorbis pensilibus promendis ait, Ipsa ostendunt, quando ad vsum oporteat promi, quòd colore mutato, & contractu acinorum, si non demiseris ad edendū, ad abiiciendum descensura se minitantur. Sorbum maturum mite conditum, citius promi oportet: Acerbum enim suspensum lentius mitescit, quod prius domi maturitatem assequi vult, quam nequit in arbore, vt inde promatur ad escam. Theophrastus ad hyemem suam differre maturitatem dixit, quia eius fructus plus sicci habent, terreni, acerbi, solidiq; natura sunt, & arboribus decerpti maturescere possunt, etsi non vera maturitate, tamen quoad succum conceperint esculentum, nisi hoc maturitatis genus putrefactionem appellare mauis, nec prohibet id fieri posse ab extremo calore, cum enim perpetuus humor effluere desierit, qui prius ab arbore suppeditabatur, frigoris superuentu calor intus naturalis obsidetur, quoad maturuerint. Columella ita seruat, In vindemiis sorba manu lecta, curiosè in vrceolos picatos adiicito, & opercula picata imponito, & gypso linito, tum scrobibus bipedaneis sicco loco intra tectum factis vrceolos ita collocato vt oblita eorum ora deorsum spectent, deinde terram congerito, & modice desuper calcato. Melius est autem pluribus scrobibus pauciora vasa distantia inter se disponere: nam in exemptione eorum, dum vnum tollis, si reliqua commoueris, celeriter sorba vitiantur. Quidá hoc idem pomum in defruto seruant, adiecto spissamento aridi feniculi, quo deprimátur ita sorba, vt semper ius supernatet, ac nihilominus picata opcula diligenter linūt gypso, ne possit spiritus introire. *Conditura.*

Plinius ait, Cato & sorba sapa condi iubet. Et in vasis fictilibus picatis seruantur in scrobibus, gypsato operculo duûm pedum, terra superinducta, in loco aprico, inuersis vasis, & in doliis vt vuas cum ramis suspendi Palladius ex iis, Lecta duriora, ac posita, vbi maturescere cœperint, fictilibus vsque ad plenum claudantur vrceolis, gypso desuper tectis, & bipedanea scrobe loco sicco sub sole merguntur ore peruerso, & desuper spissius terra calcatur. Item secta per partes siccantur in sole, & seruantur in vasculis in hybernum. Cum voluerimus vti, aqua feruenti macerata reuirescunt sapore iucundo. Aliqui cum pediculis suis viridia lecta suspendunt locis opacis, & siccis. Alii sorba in sapa asserunt diu posse seruari.

De ficu, & eius inuentione, & laudibus. CAP. XVI.

HACTENVS de arboribus, quarum fructus semina intus habent, nunc de iis, quæ grana, vel frumenta in se continent, verba faciamus, à ficu incipientes. Macrobius ficum albam inter felices arbores connumerandam censet, nigram inter infelices, Veranii testimonium afferens, de verbis pontificalibus ita dicentis: Felices arbores putantur esse Quercus, Æsculus, Ilex, Sapinus, Fagus, Corylus, Sorbus, Ficus alba, Pyrus, Malus, Vitis, Prunus, Cornus, Lotus. Tarquinius item Priscus in ostentario arborario idem innuit, cum ait: Arbores, quæ inferorum deorum, auertentiumq; in tutela sunt, infelices nominant; alaternum, sanguinem felicem, ficum atram, quæq; baccã nigram, nigrosq; fructus ferunt; itemq; acrifolium, pyrum syluaticum, bruscum, rubum, sentesq;, quibus portenta, prodigiaq; mala comburi iubere oportet. Sed ficum tanquam non pomum à pomis secerni iubet Afranius dicens. Pomum, holus, ficum, vuam. Et Cicero; Neq; serit vitem, neque quæ sata est diligenter colit: Oleam, ficus, poma non habet. OEconomicorum tertio. Nos autem ex Plinio, cæterisq; inter poma connumerari affirmamus. Ficus in ea æstimatione apud antiquos fuit, vt secundum ab vua locum ei dederint, primum inter horarios fructus: cùm sit eius succus minime vitiosus, maioris nutrimenti, & demũ succo vitis præstantior. A Græcis, Latinisq; adeo copiosè de ea disseritur, vt nunquam de alia, vnde necesse est, quæ de ipsa tradimus in plures sectiones partiri, vt quæ ab aliis membratim discerpta accepimus, distinctè & ordinatè, quæq; nostra vidimus experientia luculentius explanemus, à cuius inuentione nostri sermonis initium erit. Magna sunt de ficu Poëtarum commenta, perplures historiæ, & in ea laudanda eo vsq; progressa est antiquitas, vt à Diis originem traxisse dixerit. Pausanias in Attica primùm æditam ficum putat prope Cephissum: Phytalus Cererem (vt fama est) hospitio suscepit, Dea beneficii non immemor ficulnam arborem dono dedit, quod in eius monumento his numeris memoriæ proditum fuit.

Hic Cererem tectis Phytalus susceperat heros,
Cui primum sacri largita est semina pomi,
Quam mortale genus ficum vocat: illius ergo
Muneris, æterno hic Phytali gens floret honore.

Athenæus verò Græcorum commenta luculenter complexus, hæc de ficu tradit. Sosibius Lacon Libero patri ficus inuentionem tribuit, & ob hoc Lacedæmonii Sycitem Bacchum colunt. Naxii, vt Andriscus, & Agasthenes referunt, Liberum patrem vocari volunt Melichion, quòd ficulnum fructum ædiderit, Melichenq; iidem appellant. quare Liberum, vt vitis inuentorem, facie vitiginea, Melichium ficulna, Naxii excudebant. Poëtæ gigantem Sicæum nomine persequente Ioue, à tellure eius matre in Sycem, hoc est in ficum conuersum fabulantur: vnde in Cilicia vrbi nomen fuit inditum Sicææ.

Pherenicus commemorat Oxylum ex Hamadryade Sycen filiam suscepisse, Oxylum verò Orio parente natum sororis amplexu genuisse nucem iuglandem, cornum, populum, vlmum, vitem, ficum, & has Hamadryadas vocari nymphas. Ficus purioris vitæ mitiorisque principium fuit, hinc locum, in quo primum reperta emicuit, Athenienses ἱερὰν συκῆν, id est sacram ficum appellauêre, quæ Athenis via vocabatur, quæ ducit ad Eleusinem, eiusq; fructus ἡγητηρία, quia primus ab Atheniensibus, quasi ante alias fruges ad mansuetum victum inuentus fuit. Herodotus suis in historiis introducit virum regi persuadentem non debere contra viros expeditionem facere, qui inter alia, neq; vino vtantur, neque ficus, quibus vescantur, nec aliud quidpiam boni habeant. Philippus Persei pater (vt ex Polybij historiis habetur) dum Asiam percurreret, à Magnetibus in annona ficum pro victu accepit, quamobrem cum Myuntem postea debellasset, regionem Magnetibus ficuum causa donauit. Hinc Ananius iambographus auro pronunciauit ficus esse meliores. Pergratas fuisse Persarum regi caricas scribit Dion, etiam si apponi modo nõ consueuissent, quæ imperio obnoxia ferret regio. Aristophanes nil ischadibus dulcius ait. Indorum rex Amitrochates per epistolam ab Antiocho mitti sibi ischadas poposcit. Alexis caricas Athenatum cibum insignem vocauit. Hæc Athenæus. Ælianus item veterem, primumq; fuisse cibum Atheniensibus scribit, sicuti Arcadibus glandem, Tiryntiis ἀχράδας, Indis calamos, Carmanis palmas, Mœotis milium, & Sauromatis Persis cardamum, ac terminthum. Cyrenenses (authore Orpheo) Saturno sacrificantes ficis recentibus coronabantur, quod eius fructus repertorem credant. Artaxerxes Mnemon iunioris Cyri frater in fuga, apparatu eius direpto, cùm caricis vesceretur, exclamauit inquiens: cuiusmodi voluptatis expertem me regalis fecerat affluentia? Calendis Ianuarij caricas, caryotides, & mella tum deo, tum amicis elargiri veteres solebant, vt dulces anni dies à dulcibus auspicarentur. Colitur (inquit Plinius) arbor in foro ipso ac comitio, Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis, magisq; ob memoriam eius, quæ nutrix Romuli, ac Remi conditoris, appellata: quoniam sub ea inuenta est lupa, infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex ære iuxta dicato, tanquam in comitium sponte transisset. Adacto nauigio illico arescit, rursusq; cura sacerdotum seritur. Fuit & ante Saturni ædem vrbis anno 260. sublata sacro à Vestalibus facto, cum Syluani & Isidis simulachrum subuerteretur. Eadem fortuito satu viuit in medio foro.

Aliquæ ficuum operationes in nostris corporibus.

Quia peculiares sunt aliquæ ficuum vires in nostris corporibus, cùm apud nos crebrior sit earum vsus, physicis consulentes, aliqua de iis pertractemus, vires omittendo, quæ ad medicinam pertinent, cùm id nostri consilij non sit, sed de iis tantum, in quas facile inconsulti incidere possent: Athenæi verba subnectentes, is nanq; diphnosophystarum libro 3. veterum medicorum præcepta refert. Quod verò ficus omnium fructuum, qui ex ligno nascuntur, sit vtilissima, Herodotus Lycius demonstrauit, qui bene nutriri pueros nuper na-

tos ficus succo asseruit. Pherecrates,& qui Persas inducit: Si quis nostrum nouam ficum aliquando viderit,puerorumq; oculis imposuerit,quasi non vulgaris medicinæ vtilitatem conferet. Philotimus libro 3. de nutrimentis refert, ficus multas habere differentias, & ex generibus, temporibusq; vires sortiri, & vt vniuersum dicatur,musteas ficus,& adhuc humentes melius, & celerius reliquis pomis excoqui, nec reliquum cibum impedire, quo minus conficiatur. Vim humorem conglutinandi, cogendiq; possidere, & internum quippiam retinere,quo citam, facilem, fusamq; reddat aluum, humorem non insulsum alicuius acrimoniæ participē præbere,si cū sale sumantur,sed qui celeriter discutiatur, argumento, quod & si magna vis earum ingeratur, paulò post inanitio, vacuitasq; eximia sentitur, quod fieri nō posset, nisi celeriter dissolutæ fatiscerent. ocyus reliquo cibo conficiuntur, nō modo quod maiorem copiam, quàm reliquæ frugis sumptitantes innoxiè degimus: sed solito cibatu præsentatæ nullū nobis exhibent negotium, facileq; calori cedentes, reliquū cibum excoqui minimè vetāt. vis glutinatoria & salsilago manifeste in eis deprehenditur,quum & manus extergant,& dulcis sapor,indice lingua,sentiatur. Quod autem aluum sine torminibus cieant,eamque læuigent, euidentius est, quàm vt probari desideret. Salsedinem quandam licet leuem resipiunt, ideo nitrosa vi pollere iam dictum est. Heraclides Tarentinus nō illepide in conuiuio quærit,an post ficorum esum aqua calida, vel frigida sit obiicienda? qui calidā suadent præbendam, celeriter eam & abstergere, & eluere causantur, ideo est verisimile breuiter calida dissolui, quod calor facto partiū diuortio extenuet, & in angustias ducat,frigus contra cogat. Cæterum qui frigidā aquam iubent præferendam, contendunt frigidi potius beneficio, quæ in stomacho residebant,grauitate quadā deturbari: Siquidem æstuantē stomachum ficus molestia afficiunt,& imbecilliorē reddunt,quare nonnulli secundum ficus merum præcipiunt offerendū,sic promptè recrementa ventris exigi. Sed crebriore,& largiore potu ab eo cibo vtendum non ambigitur, vt in ventre nō immorentur,sed ad imos intestinorū sinus rapiantur. Sunt qui ficus meridiano esu abdicent,tum enim,vt Pherecrates ait,morbū creant: quare Aristophanes cùm æstate ægrotantem quendam conspexisset,meridiano ficuum esu præsagiit. Eubolus nobis cibo ficorū meridiano interdixit,morbū inde cōtrahi testatus. Damnat item Nicophron inquiens: ficus meridie sumentem statim febre corripi quæ vomitū flauæ bilis eliciat. Diphilus Siphnius memoriæ proditū reliquit, musteas ficos paruā efficere alimoniam, noxiū creare humorē, sed facile aluo excerni,cibis supernatare,verùm eas melius siccis distrahi. Porrò quę imminēte iam hyeme gignuntur, magna difficultate maturescentes euadunt deteriores: meliores habentur, quæ solis vigorem expertæ, per naturā ematuruerint. Cæterum quæ multo turgent lacte,aut aquoso liquore madēt,stomacho quidem gratiores,magis faciunt ad palatum,grauiores tamen, ponderosioresque facilius descendunt. Studiosos vocis abstineri ficis Demetrius Sceptius iubet, Hege-

Hegesianactis Alexandrini exemplo motus, quòd is tragœdiarum actor optimus euaserit, quia ficu duodeuiginti annos abstinuisset. Hactenus Athenæus. Sed quamquam nostri instituti non sit, cogit me præstans erga venena ficorum vis, tanquam res maxima, remedium apponere. Nota iam est Mithridatis compositio illa tantopere ab omnibus celebrata, vt Plinius tradit. Cn. Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti è duabus nucibus siccis, item ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano, ieiunoq; sumenti nullum venenum nociturum illo die. Varro refert apes è fico mel capere, sed non bonum.

De prodigiosis aliquot ficus naturæ mirabilibus.

Sed afferamus aliqua huius arboris prodigiosa naturę miracula, quorum alterum est tauros quantumlibet indomitos fico alligatos cicurari, & quasi immobiles conquiescere. Alterum, victimas cæsorumq; animalium carnes perquam celeriter tenerescere, & fragiles effici, quæ in fico pependerint. Horum causam demonstrat Plutarchus in symposiacis dicens: Quū inter obsonia Aristionis coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum, recentem, tenerum, & penè friabilem obtulisset, tam citam teneritudinem ficui acceptam referebat Aristio, contendens iugulatas aues etiam præduras teneritatem cõtrahere, quæ pensiles adhęsere ficui. Causam affert Plutarchus: Nanq;, quòd auram halitumq; vehementē, ac validum expirat ficus, visus satis testatur. Fidem quoque facit, quod vulgò de tauris dicitur: ferocissimus quisq; huic adligatus arbori mitescit, tangiq; manu, ac subigi tolerat, & efflans iram, animumq; veluti lassum deponit, tanta vi pollet ea spiritus acrimonia, vt ruat licet, sæuiatq; taurus, imperet furori. Siquidem arbos fici plus cæteris lacte copioso prægnans est, vt lignum, rami, pomum eo planè resarciantur, quapropter cùm comburitur, fumus quē eructat maximè mordet & vellicat: lixiuus quoq; cinis maximè deterget, purgatq;. Quin & cogitur caseus ficulneo lacte, quod emittit arbor, si virentē saucies corticem. Cæterū caloris munere euenire volunt, vt iniecto succo lac coeat, qui humoris concrementū, & aquosum liquefaciat, proinde calidā, acremq; auram, ac digerentē ficus exhalat, quę carnes halitu desiccet, ac cõcoquat, sic vt friabiles reddantur. Hoc idē euenit, si tritici aceruo obruantur carnes, aut penitus immergantur, calore videlicet hoc præstante, argumento, quod frumentū, in quo amphora vini fuerit obruta, cõfestim laticem depascit. Sed alij sunt, qui hęc ad caprificū, non ad ficū referant. Aliud quoq; accedit naturæ miraculū ab eodem traditū, quod ficus de cœlo nõ tangitur, id vtiq; amaritudini acceptū referre oportet, tale genus quippe nõ attingūt fulmina, quod vitulus cõprobat marinus, atq; hyæna. Theophrastus ab aruspicibus ostenta existimari ait, quæ fortuita mutatione fieri contingit, vt ex caprifico ficum, & ex fico caprificum, sed de fico in caprificū deterius, vuamq; ex candida nigram, & ex nigra candidam, & pro ostento etiam capi, cum arbor in arbore nascitur, vt laurus orta in platano, & quercu. Ex eo Plinius, Prodigio fiunt ex caprifico fici, & contra graui ostento, cùm in deteriora mutantur, & ex can-

dida ficu in nigram. Sunt etiam prodigia cùm alienis locis enaſcuntur, vt in capitibus ſtatuarum, vel aris, & cùm in arboribus ipſis alienæ. Ficus in lauro nata eſt Cizici ante obſidionem.

Nomen. Ratio poſcit, vt de eius nomine dicamus. Græcis arbor συκῆ, fructus verò σῦκον dicitur, de cuius nomenclatura apud eos exiſtit controuerſia. Nam alij ex gigante Sycæo, alij ex Syce Oxyli filia, quæ omnia iam ſupra memorauimus, cùm de eius inuentione verba fecimus. Sed tanta fuit apud antiquos ſicus veneratio, vt omnes eius partes, & fructus peculiaribus nominibus deſignauerint, ideoq; non iniucundum fore duximus, ſi eas Græcarum vocum ſtudioſis apponeremus, cum in illius hiſtoria ſæpe occurrant. Athenæus caprificum ἐρινεὸν vocat Homeri & Strattis authoritate, at Amerias groſſos ἐρινάκας appellari ait. Seleucus protericen fici genus quoddam ſcribit, quod præcocem fructum fert; & Philemon maturam ficum χόλυϑρον dici. Athenienſes ficos maturitatis falſam ſpeciem præferentes vocant φήληκας, hoc eſt phelecas, quia φηλώματα dicuntur impoſturæ, & deceptiones. Ficus antequam matureſcant Græci iidem ὀλύνθους, nos dicimus groſſos, & ſi nomen ſit etiam vrbis in Thracia, à qua Demoſthenis orationes Olynthiacæ inſcribũtur. Sed ſunt inter Græcos, qui ita diſtinguant, vt primum ſit ὄλυνθος, mox φήληξ, inde σῦκον, poſtremo ἰσχὰς, & diminutiua forma ἰσχάδιον, id eſt caricula, παρὰ τὸ ἴσχειν: quia vlterius augmentum fici prohibeatur autumnali tempore. plerique eo nomine aridas ficus intelligunt, è noſtris nonnullos inuenias, qui aridas ficus caricas dicant, cum carica fici ſpecies ſit, vt videbimus. ἰσχάδας Iulius Pollux diſtinguit, vt alia recens, alia virens, item vetus, & ſicca, itemque ſale condita. Nouellæ ficus ſycades dicuntur. Sed eius partes etiam peculiari nomine inſignitæ ſunt, vt κράδη eius ſurculus, κέγχραμις grana intus. Et auiculæ cum tam vuis, quàm ficubus pingueſcant, à fico nomen indiderunt συκαλὶς, id eſt ficedula, vt M. Varroni placet, non ἀμπελὶς ab vuis, quibus etiam paſcitur. Ad quod alludit Martialis epiſt.

Cùm me ficus alat, cùm paſcar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Latini ficum à fœcunditate vocãt, M. Varrone & Quintiliano authoribus. Itali *fico*.

Deſcriptio. Nunc verò arborẽ deſcribamus. Theophraſtus variis in locis ita depictam exponit. Arbor ficus ſtatim ab radice ſimplici caudice brachiata ramis, ſurculoſa, diſſolutuque contumax aſſurgit, ſed ſuæ exilitatis cauſa multifidam aliquando dimittere aſſolet. Corpore non magnopere procera, quanquam inter eas, quæ ſolutum fructum progenerant, modo ſolum obtineat probum, vaſtum incrementum capiat, in altum ſe attollens, & ramoſo admodum corpore, ampliſſimum locum occupet. Ligno contorto, carnoſo, eneruі, & enodi: Enodi, inquam, non quòd nodis omnino careat, talis enim arbor nulla videtur, ſed ita enodem accipi volo, vt nodos paucos naturæ ordine habeat, etſi eius ramuli nuper oborti nodoſi adeo ſint, vt tactu aſperi videantur, idq; quia

breui

breui internodiorum diuortio seiuncti sunt, longe tamen quàm ea nodosior est caprificus. Medulla carnosa. Cortice simplici, & læui. Humore lacteo succo simili. Folio amplo, laciniato & (vt ita dixerim) cruciformi, quod cōstat neruo, cortice & carne. Serotinæ fici antequam fructū percoquant, folia deperdunt: at in Elephātino agro caduca nō sunt, tum cœli genio, tum humi præsidio, hæc enim vberem succū, qui sufficitur in consumpti locū, illud verò obsequens ad fouendum se præbet. Nouello surculo fructificat; aliquādo rei temeritate poma auersa ramulis affert, quod mirū videri nō debet, si alienis in locis fructuum eruptio fuerit: cōmutatio enim parua est, nec posterior hic locus à priori dissimilis admodū est, cùm aggregatio imbecilla, & confluxus in eam validior sit. Præterea in ficuum genere species quędam est ὀπισθόκαρπος, id est quæ retro post frondem fert fructum, vnde illud, quod cum specie quadam naturale, & frequentissimum est, in altera eiusdē specie euenire, non ita mirum videri debet. Semina intus congesta continet, atq; tunica contenta, sed incerta, & quæ præ nimio humore conculcantur. Cacumine, & latere germinat, paulo ante æquinoctium, ad ortū arcturi post ver: quod tempus etsi omnibus edomitis commune est, cōmunius tamē fico. Non floret, sed protinus fructum ostendit. Ei datū est à natura, vt plura producat, & grossos deciduos, & ficus: & si pars maior fructuum acerba initio esse soleat, quia siccitatem sortita est. Humidorum omnium extrema esse putatur ficus, cuius succus lacteus existit. Fructus serò maturescit, cùm & putamine obtegatur, succū amplum, crassumq; obtineat, & summatim quodāmodo maturescat, & ampliore mole constet. Sed celeriter perficitur, quia humidus, quia tenui amictu tectus est. Si arbor egregiè ramis, & frondibus luxuriabit, egregiè etiā vberes fructus promet, eius nanque talis natura priuata est: (reliquis enim omnibus ferè negatum, cùm natura vtrumq; explere nequeat. Necesse est enim si in frōdibus materia absumitur, quòd debita pars fructibus intercipiatur, sic largiori fructus prouentu, minus germinationē frequentari:) quod & soli vbertate, & arboris robore euenit, id enim attrahere valet, illud largius suppeditat alimentum. Velocia incrementa capit: Cuius ratio est, quia rara, humidaq; est: rarioribus enim, & humidioribus celeres fiunt augmenti progressus. Radice præcipua est, quippe si sedem nanciscatur expeditam, subire quantumuis facile & euagari potest; sed oblique, quòd expedita faciliq; semita careat. Breui vita est, nam cito senescit, & contabescit, ratione nimiæ fœtificationis: diuturni enim pensi solutione, maxima & potissima naturæ pars exhausta fatiscit. Idq; in animalium genere videre licet, in quibus excessus superfœtationis citam affert senectutem, & mortem, quod inter congeneres euidentius patet. Rectè igitur contra Democritū, qui arbores, quæ prolixa, crassaq; radice nituntur, vitam obtinere breuiorē dixit. Nunc Plinij ficus descriptionē, quam ex Theophrasto excepit, multisq; in locis disseminauit, afferemus. Ficus simplici caudice surgit à radice, frequentibus ramis. Cortice simplici, læui, & in senecta rugoso. Humor corticis lacteus, huic ad ca-

ſcos figurandos coaguli vis. Corpus totũ è carne: ideo finditur velocius, quàm frangitur. Folio ampliſſimo, quod in ſerotina cadit, antequam matureſcat fructus. Sed in Elephantino Thebaidis nulli cadit, ne vitibus quidem. Arboribus ſubeſt folio pomũ, vt protegatur, excepta ficu, cui folium maximum, vmbroſiſſimumque, & ideo ſuper eo pomũ, eidemq; ſerius naſcitur folium, quàm pomum. Ex reliquo pomorũ genere ficus ampliſſima eſt: quædã eſt pyri magnitudine æmula: admirabilis eſt pomi huiuſce feſtinatio, vnius in cunctis ad maturitatem properantis arte naturæ. Ficus mollis omnibus tactus, maturis frumenta intus, ſuccus matureſcẽtibus lactis ineſt, percoctis mellis. Seneſcunt in arbore, anuſq; deſtillant gummi modo lachrymã, ſiccãturq;. Succus ficui dulcis, lacteuſq; in capite, in corpore nõ item. Ficus teguntur carne, & cute detrahitur hæc virentibus vt putamen, in ſiccis eadem maxime placet. Non floret, protinus enim fructũ flores gignunt. In ficis mirabiles ſunt abortus, qui nunquã matureſcunt. Eis nullus odor. Æſtiuas germinationes à canis ortu & Arcturi omnibus arboribus cõmunes putant, ſentiri autẽ maxime in fico: cauſam afferentes, quia in Theſſalia, Macedoniaq; plurima tum ficus exeat. Maxime tamen in Ægypto apparet hæc ratio. Gignit è lateribus ramorum, & cacuminibus. Breuiſſima eius eſt vita, ex iis præcocibus breuior, quàm ſerotinis, & dulcibus, quàm acidis. Radix copioſa, flexuoſaq;. Quidam breuitate radicũ celeriter ſeneſcere arbores putauit: quod coarguit ficus, cuius radices longiſſimę, & ſenectus ocyſſima. Hippocrates ficus foliũ coronopoeidẽ vocat, id eſt cornicis pedi ſimilẽ. Plutarchus ficũ non florere ſcribit, & fructũ proferre, verũ groſſi in hac decidui floribus reſpondent. Præterea à veteribus Græcis foliũ θρῖον dici ex ſcabritie. Vnde ob eius aſperitatẽ anguilla piſcis facile lubricus, eo cõuoluta poſſit cõtineri. Vnde adagiũ τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν, id eſt ficulneo folio anguillam. A Plutarcho in Sympoſio agitatur quæſtio, Qui fiat, vt arbor amariſſima fructũ producat dulcẽ, ac pinguedinis multæ? Cuius propoſitæ ratio illa eſſe nonnullis videtur: quòd arboris dulcedo quantacumq; ſit, in fructum ſecernatur; proinde quicquid reliquũ fiat in ligno ſucci in amaritudinem degeneret. Id vel hepatis præcipuè argumento patet, quod ipſum dulciſſimũ eſt, fœculento, & librioſo in vnum locũ ſequeſtrato, ac quodammodo percolato. Ineſſe autem ficui bonitatem ſucci quam euchymiam vocant eo probant indicio, quoniã adnata illi ruta, dulcior euadat, ni diuerſum magis aſtruat quiſpiam, ficum videlicet, dum alimentũ ſibi conciliat, eximere quod acre, quodq; amarulentum eſt: M. Varro, quæ laxiora, ea & fœcundiora eſſe dicit, vt fœmina, itaq; ficus ꝑpter fœmineam mollitiem ad creſcẽdum prona eſt. Lactiq; pro coagulo addunt de fici ramulo lac. Columella de lacte idem habet. Cogitur plerumq; lac ficulneo lacte, quod emittit arbor, ſi eius virentem ſaucies corticem.

Genera. Ficus multis inter ſe diſcriminibus diſtare prodidit Theophraſtus, vt aliæ maturè, aliæ ſerò admodum matureſcant. Præterea tot ſubiẽre genera, (inquit Plinius.) vt vel hoc ſolum æſtimantibus mutatam appareat eſſe vitam. Apud

nos in-

nos infinita propemodum sunt, inter se sapore, colore, forma, magnitudine, & temporis prouentu differentia, quibus antiqua nomina tribuere impossibile ferè esset. Nos continua omnium generum ficuum nostræ Campaniæ inspectione, sycophantarum consilio, antiquorum librorum lectione, ac comparatione vulgaria nomina apponere conati sumus, speramusq; nec nostros conatus frustratum iri. Primò ficum in vrbanã, & syluestrem diuidemus. Vrbanam mox aggrediemur, de syluestri postea dicturi. Vrbanarũ genera à temporibus, quibus maturantur fructus distinguemus, vnde à præcocibus incipiendum duximus, è quarum genere biferæ sunt. Hæ principium nostræ tractationis exhibent. Theophrastus ficus biferas vocat, quæ bis eodem anno, certoque temporis tenore fructus proferre solent. Achæis præcox ficus πρόδρομος dicitur, quasi præcurrens: forte proterice quoque: nam & Seleucus ita genus ficus quoddam nominat, maturius fructus promens, vt ex Athenæo elicitur. A Columella appellantur biferæ, & triferæ flosculi. Et in suo hortulo,

Tunc præcox bifera descendit ab arbore ficus.

Plinius ex his, Ficus & præcoces habet, quas Athenis prodromos vocant. Sunt & pręcoces biferæ albæ & nigræ, cum messe, vindemiaq; maturescentes. Ex Chalcidicis quarundã trifero prouentu. Macrobius etiã biferarum meminit. Apud Siculos adhuc retinent nomen, nam *bifere* vocant. Neapolitani *volemole* à manus vola, vt spero, quia magnæ sunt, suaq; magnitudine manus volam implent. Harum apud nos nonnulla sunt genera colore, figura, & magnitudine differentia. Hæc prima omnium maturantur, fructificantque ex annotino genere: scilicet prioris anni surculo. Martio enim mense prima ficus rudimenta generantur, maturãturq; Iunio cum messe: inde ex nouo germine aliæ ficus producuntur, Augusto, & Septembri maturescentes cum vindemia, vnde ex annotino, nouelloq; ficus fœtificat germine, quod annotauit Theophrastus de malis biferis loquens. Fructificant ex vtrisq; surculis tam annotinis, quàm nouellis, sic etiã caprificus, quæ maturat, ficusq; profert ex nouellis. Tot generũ præstantissimum est, quod vulgò *fico gentile* dicimus, quasi nobilitate cętera antecedat, tamq; vilia, rusticaq; cum eo minime cõferenda, principemq; locum omnium sibi vendicat, albedine est decora, sapore insigni, pinguedine, suauitate, iucunditate, ac dulcedine. Cùm hiascit, cãdidissima demonstrat viscera, videturq; ex hoc fructu dicta nostra Campania felix. Siculi *ficazzane* vocant, vel africanas, & adhuc pristinum africanæ nomen retinent, ac annius inclinat has esse, dicere Africanas ficus Carthaginis excidio celebratas. Athenæus Africanã Romæ maximè laudari dicit. Cato eas nominat. M. Varro ex trãsmarinis esse dicit. Columella præcipuè serendã duxit. Sic etiam Macrobius. Plinius hæc habet, De Africanis, quas multi præferunt cunctis, magna quæstio est: cùm id genus in Africã nuperrime transierit, patriæ nomen obtinent. Sed à Catone appellata iam tum Africana, admonet & Africæ, ad ingens documentũ vso eo pomo. Nãq; perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotũq;

securitatis anxius, cùm clamaret in omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiā præcocem ex ea prouincia ficū, ostendensq; patribus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? cùm inter omnes recens esse constaret. Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptū Carthagine, tam prope à muris habemus hostem. Statimq; sumptum est tertium bellū Punicū, quo Carthago deleta est. Est inter præcoces à Theophrasto memorata Laconica riguis gaudens, & esse quam minimam dicit. Ex quo Plinius, In Laconico genere præcoces ficus maximæ sunt. Quod præceptori maximo aduersari videtur, qui quamminimas esse dixit. Sed hanc controuersiam soluit Athenæus, qui Aristophanis versus transcribens ait.

Omnes serò ficus, procul Laconica
Sit, hæc mihi est inuisa, quod tyrannica,
Non esset illa parua ni plebem oderit.

Sed paruam dixit, quia exigua eius est planta; cui multum prodest aquam habere propinquā. Leucophalia etiam à Theophrasto memoratur inter præcoces. Athenæus Leucophias vocat. Plinius inter præcoces Tiburtinam ponit. Primo prouenit porphyritis longissimo pediculo. Auguror nobis dictam *fico molengiana*, hæc enim è præcocibus est, colore inter nigrum, & ruffum, vel vt lapis porphyritis purpurescēte, quo etiam colore mala insana nobis *molengiane* dicta propriè vestiuntur, corpore & pediculo longo est. Subdit Plinius. Comitatur eam è minimis, & vilissimis popularis dicta. Hæc Neapolitanis *fico migliarola* dicitur, nam & sequitur antedictam, & corpore est exiguo, sapore vili, grano intus frequenti, dum manditur sub dentibus crepitant grana miliacea, (ex quo nomen *migliarola*) coriumque adhæret palato, & manibus, vt vix auelli queat. Nisi præcox esset, vix votaretur, ad aucupium potius, quàm ad escam seritur.

Temporanea ficus. Quæ sine nota præcocitatis, vel tarditatis temporis ficus ab antiquis memoratæ fuerunt, in hunc locum congessimus. Charition, & Aration genus à Theophrasto nuncupari secundo historiarū libro memorat Athenæus, quod nusquam legitur. Plinius Aratiæ albæ meminit, pediculo minimo latissimæ. Idem Athenæus Atticam ficum Antiphanem laudare scribit: dicens regionem Hipponicam omnium totius orbis terrarum ficuum præstātissimas producere, nec licere cuiquam ex agro Atheniensi ficus caricas ibi natas asportare, vt soli incolę fruerentur. Carica ibi confecta erat Athenarum insigne, Dionis, & Alexis testimonio. Præterea Callistrutiæ, quæ Romæ nascuntur, alias totius orbis ficus antecellunt. Columella has inter præcipuè serendas censet. In hortulo verò,

Et Callistrutia, roseo quæ semine rident.

Latini passarias vocant. Nam apud Græcos στρουθὸς passer est. Refert Capitolinus Clodium Albinum quingentas ficus passarias ieiunum comedisse. Pli-

nius parum sapore præstantiores iis, quas supra dixerat, scilicet Lydiis, chalcidicis, & mammillanis dixit. suspicor in Plinii textu mendum. Hæc nobis *fico digitelle* sunt, præstantissimo sapore inter cæteras, vt Athenæus, præcipuè serenda, vt Columella, ridens hiat roseo semine, oblongo pediculo, vt non mirum sit Clodium quingentas comedisse. Chiam inter eas ficus, quæ Romæ nascuntur, maxime laudari scribit Athenæus. M. Varro transmarina genera ficuum in Italiam perlata esse, vt chia. Plinius, Ex aliis gentibus transisse ad Romanos chias. Quarum plura genera. Hæc ficus in Setinis agris, ob salis, viniq; saporem præstantissima erat. Vnde Martialis,

Chia seni similis Baccho quam Setia misit.
Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Et alibi,

Nam mihi, quæ nouit pingere Chia sapit.

Chalcidicam dicit etiam Athenæus ex iis, quæ Romæ nascuntur laudatissimam. M. Varro inter transmarina semina, quæ in Italiam venere, chalcidicam fuisse. Columella præcipue serendam esse chalcidicam. Macrobius Chaldicam dicit. Plinius, Ex aliis gentibus ad Romanos trãsiere ex Chalcide, quarum plura genera, ex iis quædam trifero prouentu. Libyanam Athenæus è Romæ nascentibus laudatissimam dicit. Idem ait Columella, & Libycam vocat. In hortulo etiam,

Scissa libisca simul.

De lydia hæc habet Athenæus: Archilochus de his, quæ in Paro insula nascuntur, has mire celebratas scribit, easdemque esse, quas hæmonias dicunt, quod nomen ab innato colore adsciuerunt, ac egregias esse. quæ ficus tantum ab omnibus, quæ vbique nascuntur differunt, quantum apri syluestris caro, à cicurum suum carnibus. M. Varro inter transmarinas numerat. Columella inter laudatas, suoq; in hortulo,

——— *Et picto quoque lydia tergo.*

Plinius lydias purpureas esse scribit. Meminit earundem Macrobius. Has puto Neapoli *fico pente* dici. Nigra est, vel si mauis sanguineo colore infecta, maturescentibus finditur putamen, vt affabre picta videatur. Celebratur à Cariis populis apud Lydos.

Mariscam ficum Cato in loco cretoso, & aperto vult seri. M. Varro cum soli varietates scriberet, quæ summis in locis plantis eueniant, quæq; in planis, & depressis, ait, In montanis prolixiora nasci, & firmiora quia frigida, vt arbores sappini, in planis, quæ tepidiora, populi, salices, sursum fertiliora, vt arbutus, & quercus, deorsum vt nuces græcæ, & mariscæ fici. Hæc Plinius excipiens, arborum fertilitati partium asscribit. Est verò, inquit, & ipsis arboribus etiam onustis fertilitatis differentia; summa sui parte fertilior est arbutus, & quercus, inferior iuglandes, fici mariscæ. Iudicent doctiores. Catonis etiam verba transcribens, addit: & sole siccãda, & ad annuos vsus aptissima. Hæ

grandiores, insipidæ, nimiaq; pinguedine rumpuntur, ac maturescentes semina ostendunt. De his Martialis extat distichon,

Infanti melimela dato, fatuasq; mariscas.

Et alibi.

Non boletis hiare, non marisca
Ridere.

Id nomen à similitudine ad morbum transfertur, & ficus etiam dicitur. De quo Iuuenalis.

——— *Sed podice læui*
Cæduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Videtur hæc Macrobio asinina dicta. Magna enim, ac vilia quæ sunt pomorum genera, asinina vulgò dicunt. Senecio hanc inter tot ficuum genera libentius comedebat, nempe is grandia solum appetebat, vt propterea sibi nomen grandioris acquisiuerit, Seneca authore. Nos hanc Neapoli *fico pallara* dicimus, vel si mauis *fico lardare*. Sapore insipido, magnitudine stolida, ac multa pinguedine, vt laridi nomen sibi vendicarit. Soles passa ad seruandum aptior, quàm viridis ad escam. Græcis βούσυκα Festo, & Macrobio authoribus dicitur: Nam Græci amplis rebus βου syllabam præponunt. Subdit Plinius, Et quas arundinum foliis macula variat. Ego potius legerem sine coniunctione, &, sed mariscis ficubus subiungerem: quas arundinum foliis macula variat. Nam huiusmodi ficorum fructus colore sunt similes arundinum foliis. Vel si mauis separatam esse ficum, apud nos est *fico stella* vulgò dicta, à pediculo ad vmbilicum striis, veluti teniolis depicta, vt stella videatur. Striæ albæ sunt, corporis color arundinum folii. Apud nos ob picturæ pręstantiam potius, quàm ob saporem seritur. Macrobius hanc, vel illam arundineam vocat. Alexandrina è nigris est candicante rima, cognomine delicata: inquit Plinius. Hæc nobis *albanera* vulgò est. Nam & nigro corio est, & cùm hiat, albet, saporis nimium delicati. Apud plerosq; præstantissima habetur, fortasse hæc fuerit, cuius Cato, & Macrobius meminère, atra pediculo longo, quæ crasso, & stercorato loco seri auet, ea nigra, & oblongo pediculo est, & præ cæteris humidis, crassisque locis seri auet. Cato herculanas, saguntinas, telanas in loco crasso, & stercorato seri iubet. Macrobius herculaneã, tellanam memorat. Plinius herculanam solum. Quibus quum alias notas non addiderint, quæ fuerint penitus ignoramus. Phibaleæ ficus meminit Athenæus, ac Pherecratem scribere, æstate phibaleis ficubus vesci debere, ac Teleclidem, pulcherrimas esse phibaleas, & ex Androtionis sententia in planitie plantandas esse. Sunt enim phibaleæ Hippocrati. Memorat etiam basilicas, & sycobasilicas, quasi regias ficus dicas, & à Palemone descriptas, & oporobasilicas, quæ vbiq; plantari possunt. Hæc nobis est vulgò dicta *fico Imperiale*, extima superficie alba, Augusto maturescens, sapore, specie, & magnitudine singulari, vt non immerito regiæ nomen adepta sit. Idem præterea coracem ficum Hermippum commendasse, ac phibaleis

léis æquiparasse scripsit. Hæc coronea à Strabone, vel corarium ab Aristophane dicitur, quod eius fructus corui colore sit, quem coraceum vocant. Adhuc antiquum retinet nomen, nobis dicta *fico corbo*, ab insigni nigredine, Augustoq́ue maturescit. Memorantur etiam ab Athenæo cirrhocæladiæ, hyladiæ, sarcelaphiæ, lapyriæ, pictidiæ, dracontiæ, melanophiæ, cremiæ, mylecæ, ascaloniæ: sic & coluræ, phomyniæ, & megarenses, quibus prodest aquatio. De phrygiis ficubus meminit Alexis, de toxaliis Heracleon Ephesius, & Nicander Thyatirenus. Hæc omnia memorat Athenæus, ficorum historiæ diligens scriptor, quarum notæ, & descriptiones simul cum vetustate periere. Sullas præcipue serendas monet Columella, sic topias, & rhodias. Plinius, Rhodia nigra est. Athenæus de ficubus Lynceum meminisse, quæ in Rhodo nascuntur scribit, & cum optimis confert Atticis, & eiusdem naturæ cum tralianis. Varro Sabinam ficum, ait, quanto citius promas, iucundiore vtare, quod vetustate ficus fit pallidior. Plinius mammillanas ficus earum similitudinem habere tradidit. Pompeias ex authoris nomine dictas, sole siccandas, & in annuos vsus aptissimas. Macrobio pompeianæ sunt. Columella in hortulo albiceratæ meminit hoc versu,

Albaq́ue, quæ seruat flaua cognomina ceræ.

Plinius albiceratá vocat. Hanc censerem vulgò *fico ottata* dictam. maturescens colore albo flauescenti insignitur, vt si eam ꝓspexeris, cereã dicas. Hęc ficus id habet propriũ, vt præ cęteris prodromos ostendat hyeme, qui maturantur Iunio cũ biferis, vt bifera dici possit. Macrobius adhuc albulá nominat, forsasse quòd albescenti colore insigniatur. Neapoli nascitur, pristinoq́; nomine potitur, nam *bianchetta* vel *biancolella* dicitur, ex albo pallescit, mitescitq́; Augusto. Palusiá item, augustam, calphurnianã, ludiam, leptoludiam, marsicam, numidicã, & pullam. Sed quia solum nomina, non signa apposuit, si eas coniectari velimus, non ita feliciter nobis, vt quamplurimis coniectura succederet.

Cauneas (Athenæo referente) Parmeno Bizantius laudat, ciuitatis Æolię, vtpote egregias. Ficus enim Cauni ciuitatis Cariæ ab omnibus laudari. Columella in suo hortulo excellentia similes esse chalcidicis, & chiis dicit, *Serotinæ ficus.*

At grauis Arcturi sub sydere parturit arbos
Liuia, chalcitis, & caunis æmula chiis.

Plinius, Recentibus ficis sale siccatis vice casei vesci nuper excogitatum est, ex hoc genere sunt coctana, & caricæ, & quæ conscendenti nauim omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce cauneæ. Omnia hæc in Albense rus è Syria intulit L. Vitellius, cũ legatus in ea prouincia esset, nouissimis Tiberii Cęsaris temporibus. Nec omittemus Ciceronis verba libro de diuinatione. Cùm enim M. Crassus exercitũ Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas vendẽs, cauneas clamitabat, sic monitus ab eo Crassus caueret, ne iret. Chelidonię ficus mentionẽ fecit Athenęus, inducens Epigenẽ vocantẽ chelidonias asperas. Androtiõ verò ait chelidonias in planitie plãtandas.

esse. Philemon verò chelidonias caricas vocari eas, quę nigræ sunt, & rubicundas Erythro comelenas dictas. Columella in hort. Purpureæq; chelidoniæ.

Iulius Pollux chelidonias dicendo Atticas intelligit, quas Lacedæmonii chelidonias appellabant. Quidam à Chelidoniis Illyrici populis dictam volũt, in quorum frigidissima regione hyeme maturescat. Hæc nobis *fico asprinia* dicitur, aspera enim corio & sapore est, & asperrima contra hyemis sæuitiam. Hyeme maturescit multo tempore post foliorum casum. Duplex genus, alterũ nigrum, alterum verò albũ. Liuiam ficum in hortulo Columella memorat.

At grauis Arcturi sub sydere parturit arbor
Liuia.

Plinius, Sunt & authorum nomina iis, Liuia, siccata hæc in annuos vsus aptissima. Macrobius Liuianam vocat. Nobis *fico Troiana* dicitur. Serotina est, sapore iucundo, ad siccandum inter cæteras aptissima. Serotinas à corio appellatas duro, Plinius dixit. Macrobius duricorias vocat. Plautus item,

Ficus nobis attulit duricorias.

Neapoli *cotinarole* dicuntur, serotinæ sunt, & duro corio vestiuntur, quod Neapolitani *cotina* vocant. Coctanæ ficus Martialis meminit,

Hæc tibi, quæ torta venerunt condita meta,
Si maiora forent, coctana ficus erat.

Et Iuuenalis,

——— *Quo pruno, & coctana vento.*

Statius,

Prunorum globus, atque coctanorum.

Omas Plinius Tarenti nasci prædulces ait. Caricas aliqui priuatum genus dicunt in Syria, Cariáve prouenien s.

Cœlum. Etsi ficus omnibus propè locis seri possit, ex Palladii sententia, tamen vt vberiores fructus, & meliores, ac arbores perennes sint, earum natalia loca designemus. Sub cœlo maximè calido, vt in Ægypto, & tractibus illis, bona poma arbor nunquam producet. Theophrastus affert causam; Quia æstus perurit, vt concoctio minime fieri possit. Ita etiam in Assyria (Herodoto authore) quæ in ferendis ficubus, & olea nequaquam de principatu certet, cæterarum verò adeo ferax, vt singula ducenta reddat, trecenta etiam, vbi locus melior sit. Contra verò cœlo maxime frigido ficeta fieri non posse contendit M. Varro. Idemq; confirmat Columella, frigidis regionibus ficos seri non debere, laudatq; apricum cœlum, & temperatum, ad caloré potius vergens, quàm frigiditatem. Ait M. Varro, Ficus quòd densa materie non est, ideo sequitur calorem. Palladius scribit, Ficus in calidis locis natas pinguiores esse, & siccitate durabiles, contrà quæ in montanis, & frigidis nascuntur, quia minus lactis habent, ad siccitatem durare non posse; vsum illis in viridi esse, melioris magnitudinis, & saporis arguti. Ob id insulæ, quia apricæ sunt, ad calorem potius, quàm ad frigiditatem vergentes ferendis ficubus idoneæ magis

magis sunt. Hermippus apud Athenæum scribens quid quælibet regio generosum producat, ait:

Vuaq́; passa Rhodo dantes & somnia grata
Ficus.

Cnidum Rhodi partem vuarũ & ficuum abundantissimam scribit in Iconibus Philostratus. Plinius, Circa Bosphorum Cimmerium in Panticapeo vrbe, teporis arbores abundant, vt fici laudatissimæ. Et in Hyrcania (ex Onesicriti authoritate) multum nostris esse dulciores, fertilioresque, vt quæ modios CCLXX singulæ ferant, asserit. Et in Ebuso insula præstãtissimas, amplissimasque, mox in Marrucinis. Et Scardona insula maris Adriatici Illyrico adiacens ficubus abũdat. Sed cùm fici genus multiplex sit, varioq́; inter se habitu distet, cœli differentiis ficuum qualitatibus obuiabimus, vnde calidis, & æstuosis locis seremus serotinas ficus, Columellæ authoritate, qui calidis locis hybernas seri præcipit ficus. Palladius item, Calidis & æstuosis locis eas seremus, quæ sero maturãt. Sic frigidissimis locis præcoquas apponemus, ne importunus hyemis aduentus tenera ramusculorum cacumina comburat, idq́; superiorum authoritate confirmabimus. Columella, Frigidis & aquosis locis præcoquas ponito, vt ante pluuiam fructus deligas. Ex quo Palladius, In locis nimium frigidis præcoquas ficus seramus, quæ citò veniant, vt ante imbres genus hoc possit occurrere. Theophrastus, In Ponto frigidissima regione fici multæ, & amplæ opacitatis habentur, bonaq́; frugis ac vernæ, præterquam quæ serotinæ.

Theophrastus loca illis silentia conuenire scripsit ac campestria, solumque solidum, ac sitiens: quippe alimentum siccum, callosumq́; exoptant. Modice etiam ficus vliginem attrahit, ratione suæ infirmitatis. Solum vt minus frugale sit necesse est, ne soli causa excessus vllus accedere possit, quapropter in insulis frequentiores videntur. Columella loca glareosa, calculosa, & interdum saxosa amare. Palladius verò, Genus terræ durum, & gracile, & siccum pro vtili sapore pomorum. Prouenit & petrosis, atque asperis. Sic etiam soli qualitatibus cœlo obuiabimus, & id aptè illi coniungemus. Cœlo maximè calido, ficum humidis locis plantabimus, vt cœli æstus terræ humiditate compensetur: Nam si calido sub cœlo siccis locis eam plantabimus, fructus antequã ad perfectam veniant maturitatem decident. Sic cœlo maximè frigido, humidoque in sicco solo seremus, nam si in humido seremus, arbores nimia frondium, & ramorum luxuria fructificationem absument. Theophrastus ait, Ficus in humidis locis putrefaciunt fructus, aut non bene maturant, cùm fructus ipsi humidi sint. Didymus in pastinato solo, sed non admodum irriguo ficus plantari debere scribit: Siquidem aquarum copia genitiuam earum pulchritudinem, natiuumq́; decus tollit, opportunioresq́; corruptioni reddit. Item Plinius, Ficus arbor ipsa riguis alitur, pomum verò eius marcescit. At si nos necessitas cogit frigido solo plantare, orientem, vel occidentem versus feratur. *Solum.*

Ficum inter cæteras arbores, narrat Theophrastus, id præcipuum obtinere, *Satio ex semine.*

omnibus modis satá emergere, præterquam ramo. Sed à semine, prima arborum satione incipiamus. Seri semine posse idem affirmauit, sed omnino degenerare. Nam è ficario grano nullum genus, nisi caprificum, & ex candida nigram, & ex nigra candidam nasci. M. Varro in ficus satione, quia tarda ad crescendum, surculis potius vtendum, quàm semine præcipit. Fici enim semen naturale intus in ea fico, quam edimus, quæ sunt minuta grana, è quibus paruis, quod enasci coliculi vix queunt: præter si aliter nequeas, vt si quãdo quis trans mare semina mittere, aut inde petere vult, tum enim resticulas per ficos, quas edimus, maturas perserunt, & eas cùm inaruerint complicant, ac quò volunt mittunt, vbi obrutæ in seminario pariant, sic ficorum genera Chiæ, Chalcidicæ, Lydiæ, & Africanæ, cæteraq; peregrina in Italiam translata esse. Didymus ficariis granis pangi non illepide posse docet, hoc modo: Maceratas ficos resti obducas, siccatas frequenti imbre inspergas, complures exibunt arbusculæ: vbi in hoc seminario nutriueris, transplantes in scrobes.

Ex viuiradice. Viuiradicem serendi duo tempora statuunt Græci, autumnũ, & ver. Theophrastus ver præfert, ne ei post autumnalẽ sationem hyems secuta intestinum succum pinguefaciendo, & coagulando officiat. Sed iuxta scyllam sata lætior conualescit, ocyus augetur, minusque vermibus infestatur, & vt summatim dicatur, Satum omne scyllæ appositum facilius germinat, & celerius increscit. Scrobes non altos exoptat, cum radices habeat, quæ in summo cohæreant, sed quantos natura exigat. Molestissima est tam viti, quàm cæteris, cum multum attrahat alimentũ, & vmbram faciat amplam. Positionem in plantatione minime obseruandã censent, nam si in contrariã partem vertatur, fructum nõ amittere, atq; ita scansilẽ fieri. In ea plantanda, facienda sunt interualla maiora, quàm malo, pyro, aut amygdalo, cum in altum extollatur, & ramoso corpore amplũ occupet locum. Didymus duobus anni temporibus, scilicet vere, & autumno ficũ serendam: vernam tamen sationẽ magis probat. quippe arbor omnium ferè tenerrima, & delicatissima gelicidia & glacies horret, ventosq; mirum in modum formidat, ne cùm ruunt, aut sæuiunt flatus rumpatur. Ego verò (inquit ipse) Iulio mense toto plantas disposui, rigans, & transferens, & poma mihi adolescentes peperêre. Si viuiradicẽ quis deponat, scyllæ bulbos interiici oportet. Alij madefactam muria plantã collocant. Melius tamen siue plantulam, siue ramulos velis serere, prius in bubulo fimo madefacere oportet. Sunt qui cum planta viuã calcem obruant, sic satam suo domino decoquere negant. Cassianus ait, Hybernis, frigidissimis, & humidissimis locis, aut qui rigari possunt, vsq; ad idus Iunij plantant, quum manifestum sit omnem plantam, priusquã in germina extuberet, plantationi aptã esse. Nam quę germen emisit, amplius nasci nõ potest, sola fico excepta. Præterea Florentinus scribit. In spatiis vitium ficũ plantari posse dicunt aliqui, sed non ita se habere experientia conuincitur, quapropter præstat ficus foris in ambitu circũplantare. Quintilij dicunt, Aprili mense ficos, quæ radices egerunt, transferri è plantariis, etiã si iam

germen

germen emittant. E Latinis Cato ficos docet eximi bene cum radicibus cũ terra sua quamplurima, circũligariq; vt ferri possint in alueo, aut in corbula. idq; maxime cauendũ esse. nõ effodi, aut seri, cum ventus fiet, aut imber. In scrobe cùm pones, summã terram subdi, postea radices operiri, pedibus, deinde fistucis, vectibusq; calcari quãoptime poteris, idq; esse ei rei primũ, arbores crassiores quinq; digitis quæ erunt, eas præcisas seri, oblıniri fimo summas, & foliis alligari. Columella hæc docet, Eiusmodi arbor cito conualescit, si scrobes amplos, patẽtesq; feceris. Palladius verò, Calidis locis fici planta radicata Nouembri mense, temperatis Februario, frigidis melius Martio, vel Aprili ponẽda est. Plantæ in scrobe depositæ lapides substernẽdi sunt, ad radicẽ fimo terra miscẽda est. Si loca frigida sunt, plantarũ cacumina diuisis cannæ internodiis defendantur à frigore. Ego mẽse Februario vltimo, vel Martio in Italia plantas grandes ficorũ per pastinatum solũ disposui, & eo anno poma peperêre supra comprehendendi felicitatẽ, velut tributa reddentes. Legendæ sunt plantæ, in quibus frequens nodus exuberat. Steriles creduntur, quæ nitidæ sunt, & oculos suos per longa internodia distulerãt. Si plantã ficus prius nutriueris in seminario, & maturã transferas in scrobẽ, poma generosiora producet. Aliqui multũ prodesse cõfirmant, si plantã fici diuiso scyllæ bulbo insertã, strictamq; vinculis collocemus. Scrobes amat altas, interualla maiora. Plinius è Theophrasto cæterisque, Ficus interualla paulo amplius, quàm pyrus, malus, & amygdala. Vmbra ficorũ leuis, quamuis sparsa, ideoq; inter vineas seri nõ vetantur. Situm quidã è diuerso affectant permutantes in contrariũ. Densiores ita fieri folio, magisq; protegere fructum, & minus amittere, & sic etiã scansilem fieri. Si scylla (bulborũ hoc genus est) seratur, ocyssime ferre traditur pomum, neque vermibus obnoxium: quo vitio non carent reliqua poma similiter sata. Ficus suas notas habet, cùm folia pauca in cacumine acetabuli modo germinent, tunc maxime serenda. Ficum etiam arbustis non sperni. Sed Plinius experientiæ, & tantorum virorum authoritati aduersatur. Theophrastus nanque, & Florentinus Græci, reliquique agriculturæ scriptores, viti ficum molestam esse inquiunt, solus ipse inter vites seri nequaquam vetat.

Ex propagatione. Cato propagatione ficum seri posse docet. Pullos ab arbore abs terra, qui nascuntur, deprimendo, extollendoq; primorem partem, vt radicem capiat, ac biennio post effodiendo, & serendo. Palladius ficus ramis posse propagari etiam monet. Nos verò ficus ramos circa terram vsq; ad medullam incidimus, vt aptius deprimi possint, deinde in latum scrobẽ ramulos propagamus, sic quàm plurimas arbusculas ex vno ramo biennio nancilcemur.

Ex auulsione. Didymus auulsione ficum nasci confirmat. Plinius docet. Sed cùm auellitur cum perna sua, partemq; aliquam è matris corpore quoque auferat secum fimbriato corpore.

Ex ramo. Ficus seri etiã grandiori ramo docet Theophrastus, Malleo in humũ illum adigente, vt exiguus supra terram relinquatur, deinde arena superiecta coope-

riatur, easque plantas meliores effici volunt, quandiu nouellæ extant. Sed ligno, veterique ramo exurgere non potest, cum enim partes mediæ siccæ, lignosæque sint, difficile germinare possunt. Ex quibus verbis facile intelligi potest, ficum omnibus modis oriri apud Theophrastum, nisi ligno, veterique ramo. Sed libro historiarum secundo, modis omnibus præterquam ramo, & surculo: quod supradictis aduersatur: videbimus enim paulo post, quomodo surculo quam optime exoriatur, vnde verbis eius mendum esse arbitror. pro ramo, & surculo, ibi reponendum, ligno, & veteri ramo. Plinius hæc verba perperam est interpretatus: nam verba Theophrasti vertens, Ficus (dixit) omnibus aliis modis nascens, præterquam talea. Quod est falsum, nam vt inferius videbimus, ficus optime talea plantatur. Sed ad rem redeamus. Plinius de ramo hæc vertit ex Theophrasto, Optime quidem, si vastiore ramo pali modo exacuto adigatur altè, exiguo super terram relicto capite, eoque ipso arena cooperto. Didymus, Si ramos melius velis serere, prius in bubulo fimo madefacito.

Ex talea. Seri talea docet Palladius, Taleam sic ponemus, vt cætera, cui leuiter ab infima parte diuisæ lapidem mergemus in fisso. Idque vltimo Aprili, cum ei se viridior succus infuderit. Didymus etiam taleam plantari posse docuit. Sed si in altitudinem luxuriari nolis, clauam in caput ferito. Plinius talea exire nō posse scribit, cui continua refragatur experientia, etiam mulierculis nota: fictilibus enim vasculis de more plantant taleam, atque inuerso cacumine, vt pumiles semper ficorum plantulas habeant, fenestris asseruandas. Theophrastus addit, Lignum subtus scindendum, & lapide iniecto serendum.

Ex surculo. Surculis, siue summis ramulis facile posse pullulare monet Theophrastus. Quia ficus habet humorem ingenitum, eundemque seruare potest. Et humida superiori parte melius germinant. Habet enim ficus summa tenera, & humecta, vnde facile potest germinare. Et ita pronus est ad germinandum ramus ficulnus, talia principia germinandi obtinens, vt defixus, germen sæpenumero emittat, quamquā pars ima nullis radicibus innitatur. M. Varro ait, Ficus propter molliciem fœmineam ad crescendum prona: quare ex terra potius in seminariis surculos de ficeto expedit obruere. Vbi eas in seminario plantaueris, quomodo tuendæ sint, docet. In seminario quæ surculis consita, & eorū molliora erunt natura cacumina, vt ficus. Ea summa integēda binis tabellis dextra ac sinistra deligatis, herbæque elidendæ, & dum teneræ sunt vellendæ, nam aridæ factæ rixantur, & celerius rumpuntur, quàm sequuntur. Columella huiusmodi sationem etiam docuit, inquiens: Potes iam (si te cura pomorum tangit) vltimis ordinibus in ea vineti fine, quæ subiacet septemtrionibus, ne cùm increuerint, obumbrēt, cacumina ficorū depangere; quæ vel inseras interposito biennij spatio, vel si generosa sint, adulta transferas. Februario mense ficulnea cacumina iā tumentia vtilissime ponuntur. Octobri verò ficorū arbusculæ in seminariis putari, & ad singulos stylos redigi debēt, quę tamē melius dū teneræ sunt per germinationē pampinantur. Plinius modum operosius docet, In fico quidem

quidem dodrantales paxilli solo patefacto seruntur, sic vt descendant, quæ fuerint proxima arbori, duo oculi extra terram emineant. Oculi autem in arborum surculis proprie vocantur, vnde germinant. Hac de causa & in plantariis aliquando eodem anno ferunt, quos laturi fuere fructus in arbore, cùm tempestiuè sati prægnantes inchoatos conceptus aliubi pariunt. Ita satas ficos tertio anno transferre facile. Palladius ex eo, Si cacumen velis ponere, trisulcum ramum bimum, vel trimum ab australi parte decidas, & sic obrues, vt diuisa cacumina, terra interiacente, velut tres surculos reddant. Idque vltimo Aprili, cum ei se viridior succus infuderit. Martio mense ficulnea cacumina obruuntur vtiliter cum tumescunt, vt plantas faciant, si earum copia non abundat.

Attonsionis tempus ficuum peculiare ver statuit Theophrastus ante germinationem. Ratio est, quòd tempore illo vulnus facilè in cicatricem coit, & celerius coalescit; quippe cùm ficus rara sit concretione, & imbecilla, autumno, & circa Vergilias maxime laborat; quia tempestas illa sicca est, nec plagæ obducuntur, vnde arbor ingruente se humore in hiantes meatus putrescit, & hyemis superuentu vndique ei paratur pernicies. Cùm rigatur germine magis viget, fructumq; deteriorem parit, præter Laconicam, quæ iugi rigatu gaudet. Excitato puluere magis adolescit, ac viret, ad quem vsum ficos suffodiunt, cùm pulucrationis opere indigeant. Plinius ex Catone iubet ficus stercorari debere Luna silente, sic etiam interpurgari. Sed Cato ficos interputari debere, & in vinea altè succidi, ne eas vires scandant. Palladius verò assidua fossione gaudere scribit: per autumnum prodesse, si stercus admoueas, præcipue de auiariis: recidenda esse in fico, quæ aut putria, aut mala nata reperreris, & ea ratione putanda, vt inclinata per latera expandi possit. Didymus verò, alios rubricam, alios cinerem radicibus adiicere debere, inquit. *Cultus.*

Fisso trunco protinus post sectionem inserédam ficum monet Theophrastus, cum siccissima sit: secus autem in vite fit, cuius natura adeo humida, vt aliquot ante dies cædenda ad futuram insitionem, ex ea fluat, quod nimium est. M. Varro ita transfert è Græco: Vitem triduo antequam inserant, desecant, vt qui in ea nimius est humor, defluat, antequam inseratur: contrà in fico, & si qua etiam horum natura aridiora, cõtinuo. Sed circiter solstitium ficus etiam inseri solet. Cato inseri monet Luna silenti, post meridiem, sine vento austro, inter lignum & corticem, & per ver. Etiam emplastratur. Plinius ex eo, Antiqua inoculatio in ficis erat, & malis. Sed vitibus, ficisque media sicciora, & è summa parte conceptus, ideo illinc surculi petuntur. Ficus per ver tantum, Luna sitiente, id est sicca inseritur. Præterea post meridiem, ac sine vento austro. Ficus recrastinare minime vtile. Tilia ficum recipit, omniq; genere inseritur. Emplastratio crasso cortici maxime conuenit, sicut est ficis. Columella ficum inoculari optime posse docet, quia humidum succosum, & validum librum habet, nam & lactis plurimum mittit, & corticem robustum *Insitio.*

habet, optime itaque inseritur caprifici ramus. Aprili mense optime inseritur. Calendis Septembris ficorum arbores inoculantur. Idq; licet vel commodius facere superiore mense post idus Iulias, quo tempore etiam aliarum arborum nonnulli emplastrationem faciunt. Quomodo autem olea inseri possit, docebimus in Olíueto. Nunc ad Palladii placita veniamus. Aprili mense ficum debemus inserere inter corticē, vel si nouellæ arbores sunt, fisso ligno, quod statim operiendum est, & ligandum, ne ventus introeat. Melius comprehendũt, si circa terram recisa inserantur arbusta. Aliqui & Iunio mense inserunt. Surculus legendus est anniculus, inutilis enim creditur maioris, vel minoris ętatis, Inoculari ficus locis siccis Aprili, humidis melius Iunio medio poterit, Octobri mense locis tepidis. Inseritur in caprifico, in moro, in platano, & oculis & surculis. Et fico inseritur morus. In versibus autem hæc habet,

Persuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, & innasis dat sua iura comis.
Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudet vincere poma modum.
Insignes foliis platanos, felicia mensis
Brachia, gaudentes vitis honore comas.
Ingrediens pingui se cortice maxima ficus
Seruat, & optatos implet adepta sinus.

Leontius Græcus ficum moro, & platano inserendam suadet, non modo vere, sed æstate ad brumam vsque, Florentini authoritate. Quod Diophanes roborat. Et inseri Octobri mense, & Aprili, & inoculari post idus Iulias docet Cassianus.

Art. Vt ficus præcoces ædat fructus, Democritus columbaceum fimum, piper & oleum adhiberi vult. Florentinus grossos columbino fimo, & oleo linebat. Apud nos verò cum ficus iam maturescit, ligna acu oleo peruncta ficuum oscilla transfigunt, vt per aliquot dies maturationem accelerent. Palladius, Vt cito ficus maturet, succo cœpę longioris cũ oleo & pipere mixto vnge poma, quando grossi incipiunt subrubere. Sed Plinius diuerso admodũ ab his artificio, ita præcoces producit ficus. Sunt & hybernæ quibusdam prouinciis sicuti Mœsiæ, sed artis non naturæ. Paruarum genus arborum post autumnũ fimo contegunt, deprehensasq; in his hyeme grossos: quæ mitiore cœlo refossæ cũ arbore, atq; in lucem remissæ, nouos soles, aliosq; quàm quibus vixere, auidæ tanquam iterum natæ accipiunt; & cum venientiũ flore maturescunt, alieno præcoces anno, in tractu vel gelidissimo. Apud nos autem, quæ per intempestiuum hyemis aduentum ficus poma immatura in arbore remansere, fœno, aut frondibus inuoluimus, ne ea frigus perurat, incipiēte vere se ostentari, nuda soli exponuntur, sic maturescunt alieno pręcoces anno. Contra autem, si ficum, quamuis nõ natura, seram facere vis, docet Columella. Cum grossuli minuti sunt, fructum decutito, iterum alterum ædet, qui in hyemem será differt

matu-

maturitatem. Ex quo Plinius, Fici serotinę fiunt, si primæ grossi, cum fabę magnitudinem excessere, detrahantur: subnascuntur, quæ serius maturescunt. Ex vtroq; Palladius, Si vis maturā ficum serotinam facere, incipientes grossos decute, dum illis fabæ fuerit magnitudo. Democritus affirmat, si quis alterius rei effigiem delineare contendat, ea figura, quam voluerit referre, conscribat ficulneum oculū, & poma hac specie prodibunt insignita. Vt varios fructus vna ficus exhibeat, ita vt pomum altera parte nigrescat, altera candicet, iubet Leontius viticulas, ramulosq; ficuum, albæ videlicet, & nigræ, inter se vinculo distringi, ac torqueri, ita vt germina misceri cogantur, sic vt obruti, & stercorati, & humoris rigatu adiuti, vbi prodire cœperint, germinātes oculi aliquo inter se annexu conglutinentur, vt compactum germen in vnum caudicem coalescat, qui bicolores ficus pariet. Alii tutius huiusmodi coitum moliuntur. Ficulnea grana hac varietate nobilia linteolo deligata serunt, & cum res postulabit, transferunt. Plinius hoc eodem modo à natura doceri ait, Semine raptim auium fame deuorato, solidoq;, & alui tepore madido, cum fœcundo fimi medicamine abiecto in mollibus arborū lecticis, & ventis sæpe translato in aliquas corticum rimas, vnde baccas simul vidimus discolores. Palladius. Vt etiam varios fructus vna ficus exhibeat, ramos duos nigræ & albæ arborum inter se ita vinculo stringis ac torques, vt germina miscere cogantur, sic obruti, & stercorati, & humoribus iuti, vbi ꝓdire cœperint, germinantes oculos aliqua inter se annexione conglutinas. Tunc germen adnatū parturiet duos colores, quos vnitate diuidat, diuisione cōiungat. Hoc eodē modo Theophrastus vtitur in punicis. Nobis autē tutius, & celerius licebit, si vtriusq; ficus oculos albę videlicet & nigrę, per media germina diuisos, atq; vna cōpactos stricte arbori ficus emplastrabis, sic discolores fructus ꝓducet. Democritus docet, Si quis fici esu aluo deiectionē moliri cupiat, veratrum nigrum cum lactuca marina, id est, tithymalo tritū, radicibus arboris quæ deponitur adhibeat, & quæ nascētur poma ventrē mouebunt. Pollere idem affirmat aduersus ferarū morsus pomum, quod antidoto theriacę pubescens fuerit delibutū. Columella vt firmiores arbores, & feraciores sint, hęc tradit. Cū frondere cœperint cacumina fici, ferro summa ꝓdest amputare. Ac semper cōueniet, simulatq; folia agere cœperint ficus, rubricā amurca dilutā, & cum stercore humano ad radices infundere. Ea res efficit vberiorē fructū & farctum fici pleniorē, ac meliorem. Plinius ab eo. Fici cùm frōdere incipiunt, si cacumina rami cuiusq; detrahantur, fertiliores, firmioresq; fiunt. Ex his Palladius, Cum folia incipiunt producere fici, vt fructum multum, & pinguem ferant, in principio germinis cacumina summa decutimus, vel illud tantum cacumen, quod ex arboris medietate procedit.

De ficus lapsu maturitatem præueniente, ac de remedio à caprificis accersito primum dicemus. Græcis ἐρινασμὸς dicitur, Latinis caprificatio. Ficum inter cæteras arbores maximè fructū amittere, antequā coquat, prodidit Theophrastus, cui auxiliū magnopere quæritur, vnde & caprificatio cōperta habe-

Morbi & remedia.

De fructuum casu.

tur. Nam ex pomis annexis culices egredientes corrodunt, & peruia reddunt ficuum cacumina. Regiones quoque ad fructuum iacturam differunt, quippe cùm in Italia iacturam fieri negent; quamobrem caprificandi vsus terræ illius incolis nullus penitus est. Nec in aquiloniis, & macrosis locis, vt Phalisco Megarensis agri, & partibus quibusdam agri Corinthii. Flatuum quoq; conditio pari ratione referre videtur. Aquilonus, quàm Austrinis potius fructus decidunt, & si crebriores, vehementioresq; fuêre, maior iactura sequatur necesse est. Item natura ipsarum arborum refert. Præcoces enim amittunt, serotinæ nequaquam, vt Laconica, & aliæ quædam. Quamobrem eas caprificari minime solent. Hæc igitur loci, generum, cœliq; ratione discrimen accipiunt. Culices verò ficarii è pomis caprifici egrediuntur: ex putrescentibus enim eorum granis gignuntur, cuius indicium afferunt, quòd post quã euolauerunt, grana ficubus nulla penitus insunt. Euolant magna ex parte, pennam aut pedem relinquentes in pomo. Est vel alterum culicum genus centinæ vocatũ, ociosum, quemadmodum fuci inter apes: & quos ex altero genere sua poma ingressos adspexerit, protinus necat: id verò suis moritur operculis. Laudantur caprifici potissimum nigræ, ex locis ortæ saxosis, quod permulta istæ grana contineant. Noscuntur, quæ aptè culicibus emerserint, quòd rubræ, & versicolores, & robustæ constant; contra, quæ minus aptè, albæ, imbecillesque cernuntur. Apponuntur ficis, quæ scilicet eam operam desiderant, cum pluerit. Quin & polium culices gignit, cùm copiosè fructificat. Et vlmi folliculis genus quoddam bestiolarum innascitur, quod cnipes appellant, qui cum in ficis gignuntur ficarios illos culices deuorant. Huius rei remedium cancros statuunt alligandos: in eos vertere sese culices inquiunt. Libro verò de causis hæc affert: Vt ficus non labantur fructus ante maturitatem, artis parata præsidia hæc erunt. Vt caprifici serta ficuum ramis appendantur, vel caprificus in summo ficeti limine seratur, eas species obseruando, quæ fructibus ferendis cum ficuum speciebus conueniant: vt maturæ maturis, serotinæ serotinis, & quæ medio tempore fœtificant, mediis coniungantur: ita tamen, vt culices ad ficos secundo vento deferri queãt. Cuius causas sic inuestigato. Cum enim caprifici fructus perfici nequeant, & putrescentibus illis genus aliquod animalis generare necesse sit, culices generat: sed cum indidem alimentum sibi parare nequeant, migrant ad id auidè, quod simile est. Omnibus enim cognatæ rei natura desiderium iniecit. Sic ad ficus aduolant, crebroq; morsu oculorum labra aperientes, superfluum depascunt humorem, & subeuntibus auris iter patefaciunt, spirantiaq; poma efficiunt. Sed macro solo, boreali, puluerulento, & temperato, vt modicum suppeditet alimẽtum, caprificatio nulla est, desiccat enim puluis. Plinius eadem à Theophrasto refert: Ficus sola ex omnium arborum fœtu maturitatis causa medicatur. Caprificus vocatur ficus, nunquam maturescens, sed quod ipsa non habet aliis tribuens, quoniam est naturalis causarum transitus, atq; è putrescentibus identidem generatur aliquid. Ergo culices parit

rit

mit: hi fraudati alimento in matre, putri eius tabe, ad cognatam volāt. morsuq; ficorum crebro, hoc est auidiore pastu aperientes ora earum, atque ita penetrantes, intus solem primo secum inducunt, cerealesq; auras immittunt foribus apertis. Mox lacteum humorem, hoc est, infantiam pomi absumunt, quod fit & sponte. Ideoq; ficetis caprificus permittitur ad rationē venti, vt flatus euolantes in ficus ferat. Inde repertum, vt illatæ quoq; aliunde, & inter se colligatæ iniicerentur fico: quod in macro solo, & aquilonio nō desideratur, quoniam sponte arescunt loci situ, rimisq; eadē, quæ culicum opera, causa perficit: nec non vbi multus puluis, quod euenit maxime frequenti via apposita. Nanque & pulueri vis siccandi, succumq; lactis absorbendi: quę ratio puluere, & caprificatione hoc quoq; pręstat, ne decidant, absumpto humore tenero, & cum quadā fragilitate ponderoso. Et alibi: Caprificatione maturata, in ea culices nasci è grossis manifestum est: quoniam cùm euolauere, non inueniuntur intus grana, quæ in eos versa apparet. Exeundi tanta est auiditas, vt pleriq; aut pede relicto aut penna pariter erumpant. Est & aliud genus culicum, quos vocant centrinas, fucis apum similes ignauia maliciaq;, cum pernicie verorum, & vtilium. Interimunt enim illos, atq; ipsi moriuntur. Caprificorum laudantur maxime nigræ, & in petrosis, quoniam frumenta plurima habeant: caprificatio ipsa post imbrem. In primis autem cauendum, ne ex remediis vitia fiant, quod euenit nimia, aut intempestiua medicina. Columella tempus docet, quo caprificatio fieri debeat, Augusto tempus est ficulneis arboribus caprificum suspendere. Quod quidam existimant iccirco fieri debere, ne fructus decidat, & vt celerius ad maturitatem perueniat. Palladius autem, Mense Iunio circa solstitium caprificandæ sunt arbores fici, id est, suspendendi grossi ex caprifico, lino, velut serta pertusi. Aliqui inter ficarias caprifici arborem serunt, ne sit necesse per singulas arbores pro remedio eadem poma suspendi. Si hoc desit, abrotani virga suspēditur, aut callum, quod in vlmeis foliis inuenitur, aut arietina cornua circa arboris radices obruuntur, vel truncus arboris, quo loco turget scarificandus est, quo possit humor effluere. Democritus ait, Caprifici grossuli, vel intorta ex iis serta suspendantur, quapropter aliqui ramulum caprifici inserunt, & quotannis hoc idem tentant.

Accidit etiam ficubus (dicit Theophrastus) vt aliæ ante, vel post pluuias fructus amittant, aliæ deteriores reddantur arbores, putrefactæ strangulatæq; humoris nimietate, aut contrà vltra modum exiccatæ penuria. Cato de eodem vitio, Ficus vti grossos teneant, ablaqueato, postea stramenta circumponito. Postea amurcam cum aqua commisceto æquas partes, & circumfodito. ad arborem maximam amphoram vnam commisti satis est. Et cùm ver appetet, terram adaggerato bene. Si ita feceris, & grossi non cadent, & fici scabræ non fient, & multò feraciores erunt. Ex hoc loco Plinius, Cato & medicamenta quædam componit, mensuræ quoq; distinctione, ad maiorum arborum radices amphoram, ad minorum vrnam amurcæ & aquæ portionem

æquam, ablaqueatis prius radicibus, paulatim affundi iubens, stramentis antea circumpositis. Præcipue veterem adaggerari terram radicibus: ita futurum, vt non decidant grossi, maiorq; fœcunditas nec scabra proueniat. Succus inutilis ficorum turgido cortice incisuris in obliquũ leuibus emittitur, ita fit, ne decidant fructus. Etiam radices circumcidisse prodest luxuriantium ficorum, & circumcisis cinerem addidisse. Fici cùm Vulcanalibus tonuit cadunt. Remedium est, vt antè stipula hordeacea areæ stringantur. Grossos non decidere Africanus pollicetur, si circum ablaqueatam radicem quaternos salis sextarios inieceris, dein terræ obruas aggere. Democritus asserit fici arborem fructuũ iacturam non facere, cuius caudex mororum succo sit illitus. Nec amittere velut ęgram pomũ, quum marino fuco radix obducitur, aut si quadrantibus lunæ rubrica caudices oblinantur. Si Pleiadum emersu in excauatos scrobes quis pares aquæ, & infulsæ amurcæ portiones infundat circum caudices, arbor sui fructus tenax pomum non abiiciet. Vnde Palladius: Si fructus suos velut ægra proiiciet: alii rubrica, aut amurca insulsa mista aqua arborem liniunt, vel cancrum fluuialem cum ramo rutæ suspendunt, vel algam marinam, vel fascem lupinorum, vel radici terebratæ cuneum figunt, vel securi arboris corium sæpe proscindunt.

[De vermiculatione.] Nunc ad alios morbos accedamus, & primo de vermibus, qui in ficubus gignuntur. Nam etsi communis arborum morbus vemiculatio sit, Theophrasto authore, omnino tamen in arbore ficus peculiaris est. Et vermium, qui ficorum proprii sunt, alii ex ipsis arboribus nascuntur, alios parit vermis, qui cerastes vocatur, omnes tamen in cerastem abeunt. Stridulum animal, & exiguo sonitu constrepens. Hic in olea nascitur, & in fico parit, vnde habet ficus & suos vermiculos, & illos quoque enutrit, quos alienos receperit. Sed omnino, quæ lentisco inserta mandantur terræ, vermiculationem non sentiunt, odoris, feruorisque causa. Præterea fici fructus etiam vermibus infestantur, & quoties hic morbus accedit, pereunt. Conducibile est cinerem ficuum apponi radicibus, arcet enim sua siccitate à radicibus tabem, & vermiculationem. Plinius idem, quod Theophrastus: Maxime autem arborum vermiculationem sentiunt fici. Eorumq; qui in ficis existunt, alii nascuntur ex ipsis, alios parit, qui vocatur cerastes, omnes tamen in cerastem figurantur, sonumque edunt paruuli stridoris. Vexant & tineæ semina ficorum. Contra quas remedium, in eodem scrobe defodere Italicam lentiscum, inuersa parte, quæ fuerit à cacumine. Ficus asperguntur ruta, ne fiant verminosæ, néve radices putrescant. Sed quomodo vermibus liberentur, cùm viuiradices plantamus, iam diximus. Si autem nati sunt in arbore, hoc remedio eos arcemus: Didymus, Calce latebris vermium, aut radicibus inspersa, necantur. Palladius alia affert remedia: Ne vermes patiatur, ramum terebinthi, vel lentisci taleam, cum plantis fici cacumine ponemus inuerso. Vncinis æreis tollendi sunt vermes ex fico. Alii amurcam, alii veterem vrinam ablaqueatis

queatis radicibus miscent. Alii bitumen, & oleum, aut solam calcem viuam latebris vermium inspergunt.

Culices & formica. Gigni & culices (Theophrastus scribit) in aliquibus arboribus, vt in robore, & fico, & consistere ex humore videntur corticibus subdito, gustu dulci. Plinius ex eo interpretatur, Sunt & culicum genera aliquibus molesta, vt glandibus, fico, qui videntur ex humore nasci, tunc dulci, subdito corticibus. Diophanes contra formicas, Quidã piscem appellatum coracinum ex arbore suspendunt, atq; sic formicas disperdunt. Palladius ab eo, Si formicæ molestæ sunt, rubrica, butyro, & pice liquida mista circa truncum debet induci. Alii coracinum piscem contra formicas in arbore suspendendũ esse confirmant. Sed Cœlius Rhodiginus variæ vir eruditionis Palladii locum ita corrigebat. Legebatur prius in veteri exemplari non coracinum piscem, sed coracinam picem, vt differret à resina, quæ alba pix est, sic ex Græco Diophane coracinum piscẽ substituit. Sed ego cum Rondeletio male commutatum locum existimarem, quippe se expertum dixit, coracinum piscem formicas non arcere, quod etiam ego comperi experientia falsum. Plinius inter fortuita miracula refert, in Bœtia derosas à locustis ficus iterum germinasse.

Scabies & cochlea. Scabies, & cochleæ adnasci solitæ ficorum peculiares sunt, scribit Theophrastus. Non tamen id eis vbique accidit, sed his morbi quoque ratione locorum euenire videntur, quemadmodum animalibus. Nam apud aliquos scabies nullo modo molesta est, vt nec circa Æneam. Sed hũc morbum ex nimio humore prouenire Chelidemus est author. Cuius remedium esse potest, vt nimia alimenti vbertas detrahatur, quemadmodum aliarum arborum luxuriam cohibere solemus, vnde cùm ficus germinare incipit, putetur ne sua opacitate succum percrasset. Sunt qui scabiem alia ratione fieri arbitrantur, idque Vergiliarum exortu ex minutioribus pluuiis initium capere, quæ vbi insederint, referuescentes erumpunt vt pustulæ, id namq; imbre largiore non fit, eò quòd vberiores aquæ tum arboris sordes, tum seipsas eluunt, atq; etiam fortasse subeunt, vnumq; fiunt intus cum naturali succo. Plinius ex Theophrasto hæc interpretatus est: Scabies communis omnibus est. Et quæ adnasci solent cochleæ, peculiaria ficorum vitia; nec vbiq;. Sunt enim quædam ægritudines & locorum. Scabies gignitur roribus lentis post Vergilias. Nam si rariores fuére, perfundunt arborem, non scalpunt scabiem. Leontius Græcus ait: ficum, si scabie afficitur, curari si ylla iuxta eius radices plantata, aut rubrica aqua diluta, circa ipsius truncum oblita.

Radicatio & cradatio. Theophrastus ait, Ficus maxime radicationem, & cradationem noscit. Vocant radicationem, cum radices marcidæ contabescunt: cradationem cùm rami, quos priuatim cradas in ficu vocant, vnde & morbo nomen. Plinius hæc perbellè transfert: Vt homini neruorum cruciatus, sic & arbori, ac duobus æque modis. Aut enim in pedes, hoc est, radices erumpit vis morbi, aut in articulos, hoc est, cacuminum digitos, qui longissimè à toto corpore exeunt;

inarescunt ergo, & sunt apud Græcos sua nomina vtriq; vitio. Vndiq; primò dolor, mox & macies earum partium fragilis, postremo tabes, morbusq; non intrante succo, aut non perueniente: maximeq; id sentiunt fici.

Vredo & tabes.

Sunt & affectiones quędam temporariæ (Theophrasto authore) aut aliàs per se euidentes, quæ & necare arbores solent: & præcipuè ficus iis infestatur, quas morbos non dixeris, sed tabes, & quod vredinem appellant. Ex flatibus eueniunt, qui exurere solent, vt in Chalcide EubϾæ Olympias cùm ante solstitium frigidus flauerit, aut post hyberna solstitia; arbores enim aridas reddit, vt ne sol quidem diu reddere ita possit. Hæc sæpe aliàs, & Archippo Athenis magistratu anno quadragesimo facta vehementissima proditur. Laborãt maxime loca concaua, & inter valles, & fluminibus vicina, & quæ ab omni afflatu penitus silent. Plinius ita vertit: Quædam temporum causæ, aut locorum nõ propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necant, sicut tabes cùm inuasit arborem, aut vredo: vel flatus alicuius regionis proprius, vt est in Apulia Atabolus, in Eubœa Olympias. Hic enim si flauerit circa brumam, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus possint recreari. Hoc genere conualles, & opposita fluminibus laborant, præcipueq; ficus.

Frigus & calor.

Sunt etiam morbi à Theophrasto descripti, qui aëris excessu eueniunt, frigoris, vel caloris, sed plures squalore pereunt, exugitur enim naturalis calor vi frigoris, qui simul cum humore expirat, & maxime arborum partes, quę supra terram quasi præsidio nudatæ intereunt, quæ verò terra teguntur, eius obicis beneficio frigorum iniuriam arcent. Sed tanta est interdum frigoris immanitas, vt ne illæ quidem partes ab iniuria liberæ sint. Quamobrem coloni, apud quos id euenit, his remediis occurrunt. Plantam modicis operiunt glebis, satisq; est partem obtegi ad totius tuitionem. Aliud est, ficus incrementa prohibere: quod fiet attonsione. ita nec multum distabunt à radice partes. Quidam summa capita operiunt, vt in Ponto, & Media, nam si à vertice noxa incipiat, eo seruato reliquæ partes seruabuntur.

Sydiratio.

Plinius: Proprium syderationis est, ab ortu canis siccitatum vapor, cùm insitæ, ac nouellæ arbores moriuntur, præcipuè ficus. Theophrastus etsi de syderatione tradiderit, oblitus est ficus, videtur tamen ad Plinii assertionem accedere.

Sterilitas.

Theophrastus si arbor fructus non fert, sed se totum in germina vertit, partem caudicis infimam scindit, atq; lapidem interponit, ita fructificare posse asserit. Ficorumq; non solum radices amputari, verùm etiam obducto cinere obstrui, ac passim caudicem scindi præcipit, sic copiosius fructũ dari affirmat. Quod euenit nimia humorum vbertate, alimentique copia. Palladius hoc remedio vtitur: Cum ficus locis humectis sita fructus obtusi saporis producit: huic circumcisis radicibus, aliquantus cinis affundi debet.

Scissio caudicis.

Ficus non solum caudicis scissionem tolerat, sed fissionem sine vitæ detrimento patitur. Theophrastus affert causam, Esse succi copiam, quæ sui sub-

stantia

stantia subuenit in desectæ partis locum, & glutinosa qualitate, qua rursus dissutæ partes coalescere possint. Plinius ex eo: Intereunt pleraque & fissa stirpe, fico excepta.

Circumablato cortice tardius cæteris ficum interire prodidit Theophrastus. Sed apud Heracliam Trachianam ficum restitui, regerminareque potuisse proditum est. Medentur luto fouentes, arundinibus & id genus stramentis operientes, ne frigore, vel æstu subarescant. Sed quam nos inuenimus medelam supra docuimus. *Circũablatio corticis.*

Dicemus primo viridis quomodo seruetur, mox passa ad vetustatem. Rationem seruandarum ficuum recentium, non secus quàm in propria parente nobis Africanus explicuit: Ficus vbi maturitatem conceperint, reliquorũ pomorum modo in matre cohærentes non immanent, sed caducæ dilabuntur, & si quoq; nemo decusserit. Musteas perinde quasi in parente seruari ad hunc modum constat. Cùm vinaria dolia operculantur, in nouum fictile nõ rotundum, sed potius ex arbitrio quadratum, fundoq; fultum, missæ recentes ficus minus maturæ cum suis pediculis, vmbilicísve, hoc est particula, qua arboribus suis dependent lectæ, à se sic vt bene intercedat spatium secretæ recluduntur, & in dolio vini pleno diligẽter operculato natare permittuntur, & nisi vinum contrahat acorem, tali habitu mansisse comperies, quali constabant, quum iniectæ fuerant. Recentes quoque seruari possunt singulæ intra viridem cucurbitam clausæ, loculis vnicuique cauatis, & item spleniata, quæ secatur, tessera cõclusis, suspensa ea in vmbroso loco cucurbita, vbi nec ignis, nec fumus inspiret. Verùm vti antea dictum est, legendæ cum petiolis, quippe quæ diutius durent integræ. Alij sic in melle disponunt ficus, vt neque se inuicem, neque vas tangant, dein indito operculo sinunt. Alij calicem vitreum, aut aliud quoduis perspicuum poculũ, super ficos leniter inuertunt, & obducto cera spiramento ita relinquunt, sic manent immarcidæ. Palladius ex his transcribit: Ficus virides seruari possunt, vel in melle ordinatæ ne se inuicem tangant, vel singulæ intra viridem cucurbitam clausæ, locis vnicuique cauatis, & item tessera, quæ secatur, inclusis, suspensa ea cucurbita, vbi non sit ignis, vel fumus. Alij missas ficus recentes minus maturas in nouo vase fictili lectas cum pediculis, & à se separatas recludunt, & in dolio vini pleno vas natare permittunt. *Cõditura.*

At quomodo siccæ condantur, videamus quid doceant maiores nostri. Cato docet: Fici aridæ si voles vt integræ sint, in vas fictile condito, id amurca decocta vngito. Et si ramos ficulneos voles cum fructibus seruare, cum foliis inter se alligato, fasciculos facito, eos in amurcam demittito, suprafter amurca facito. Sed ea, quæ demissurus eris, sumito paulo acerbiora. Vas, quo condideris, oblinito planè. Docet Paxamus aridas ficos, quas vocant ischadas, à putrilagine vindicari hac ratione. Passæ sine vllo cariolæ labis sensu integræ manebunt, si tribus liquida pice imbutis vna in fictilis fundo collocetur, altera referto ficubus ad medium vase, tertia faucibus iam completo superponatur. Plu-

rimo tempore ſanæ, & à vitio intactæ comperiuntur, ſi in tegete, qualo, vel cratibus inditæ fici calefacto furno poſt exemptum panem propendeant, & in fictilem, & bene picatam fideliam cõdantur. Sed eas cum fundo, cui reſides hærebant, eximere conuenit, & candente muria ex oleo in ſole rigare, conditiuasq; collito vaſe luto, noctem vnam roris imbre ſub dio conſpergi, demum in cellas deferri. Alij cratibus expandunt toto ſole ſiccandas, & recipiunt nocte ſub tecta. Columella ita monet, Ficus neq; nimiũ vieta, neq; immatura legi debet, & in loco expandi, qui toto die ſolem accipiat. Pali quatuor pedibus inter ſe diſtantes figuntur, & perticis iugãtur, deinde cannæ iugis ſuperponuntur, vt duobus pedibus abſint à terra, ne humorẽ, quem noctibus remittit humus, trahant, tunc ficus iniicitur, & crates carice textæ ex vtroque latere ſuper terram planæ diſponuntur, vt cum ſol occiderit, erigantur, & inter ſe accliues inareſcentem ficum à rore, & pluuia defendant. Cùm aruerit, in orcas picatas meridiano tempore calentem ficum condere, & calcare oportebit, ſubiecto arido feniculo, & iterum vaſis repletis ſuperpoſito, quæ vaſa confeſtim operculare, & oblinire conuenit, & in horreum ſicciſſimum reponi, quo melius ficus perennet. Quidã lectis ficis pediculos adimunt & in ſole expandunt, cùm paulum ſiccatæ ſunt, antequam indureſcant in labra fictilia congerunt, & pedibus proculcant, iiſque admiſcent torrefacta ſeſama, cum aniſo, feniculo, & cymino in modũ farinæ redacta. Hæc cum calcauerint, & fici maſſam pulueri permiſcuerint, modicas offas ficulneis foliis inuoluunt, ac religatas iunco reponunt in crates, inde cum peraruerunt, picatis vaſis condunt. Nonnulli formam fici orcis non picatis includunt, & oblito vaſa clibano torrefaciunt, quo humor excoquatur, ſic in tabulatum reponunt, & cum exegerit vſus, teſtam comminuunt. Alij pinguiſſimam ficorum viridem eligunt, & diuiſam digitis dilatant, ita ſole areſcunt, quas meridianis teporibus ſiccatas, cùm calore ſolis emollitæ ſunt, colligunt, &, vt mos eſt Afris atque Hiſpanis, inter ſe compoſitas comprimunt in figuram ſtellarum, vel aliã redigentes, rurſus ſole aſſiccant, & in vaſis recondunt. Plinius in foliis verbaſci fœminæ ficus omnino non putreſcere ait. Honos laudatas ſeruat in capſis. At vbi copia adundat, implentur orcæ in Aſia, cadi autem in Ruſpina Africæ vrbe, panisq; ſimul, & obſonij vicem ſiccatę implent, vtpote cùm Cato cibaria ruris operariis iuſta ceu lege ſanciens, minui iubeat per fici maturitatem. Palladius verò ex Martiale dicit: Caricas per genera multa ſeruari, cũ ratio vna ſufficiat. Ergo hoc genere, quo Campania tota cuſtodit, ſeruare debemus. In cratibus ficus expanditur vſq; ad meridiẽ, & adhuc mollis in qualũ refunditur. Tunc calefacto furno ad panis coquendi modũ, ſuppoſita tribus lapidibus ne ardeat qualus includitur, & clauſo furno vbi diſcocta ficus fuerit, ſicut eſt calida, interpoſitis foliis ſuis, in vas fictile cõditur bene picatum, denſius preſſa, & operculo diligenter obducitur. Si pluuiis abundantibus crates non poſſis expandere, ſub tecto eas ita ponis, vt ſemipede erigãtur à terra, & eas ad vicem ſolis cinis calidus ſubiectus vaporet,

& ſub-

& subinde ficus, sicut est diuisa, vertatur, vt ficarum coria siccentur, & pulpæ tunc duplicatæ in cistellis seruentur, aut loculis. Alij maturas mediocriter ficus, & diuisas in cratibus expandunt toto sole siccandas, & recipiunt eas nocte sub tecta. Pherecrates Athenæi testimonio nigras caricas improbat.

Fici materies, quibus idonea sit, ex Theophrasto excipimus. Rara est corpore, tectis idonea. Valida & in rectum protendens. Fico fumus acerrimus, caprificoque, item cuicunq; lactis cremor redundat, atque hæc ipsa tamen aqua infusa madefacta detracto cortice, mox siccata, minime omnium tædio illo infestant, quin & flammam quoque mollissimam reddunt, lixiuium quoque, cinerémque vehementer asperrimum. Ignem excipere optimam ficum, & oleam cõtrariæ causæ faciunt. Ficus quia lenta, fungosaq; materies, olea quia pinguis, & densa. Plinius verò: Ficus scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, & ob id contumacius transmittit ferrum. Quęritur etiam à Plutarcho in symposio lignum fici crematum cur acerrimum fumum faciat, & eius cinis ad detergendum maxima vi præditus sit. *Materies.*

De moro. CAP. XVII.

SE offert morus, cùm eius fructus intus ficus instar minuta grana cõtineat: principiò syluis degens neglecta, nostra autem tempestate sericei velleris gratia non solum in nostris villis eius arboris plantaria instituimus, sed in viridariis cum malis medicis, & citriis vnà serimus. Nos prius mirificum lanificium commemorabimus. Bestiolæ sunt, quas Græci seres appellant, Latini bombices, oua pariunt, è quibus vere appetente chartæ, vel linteolo adhærẽtibus solis radiis, vel hypocausto, vel pectoris calore vermiculi excluduntur, qui mori foliis vescuntur, quo grandiores facti, vellus, quo turget vterus, pedibus explicantes nent, se inuoluunt, ac inuolucra conficiunt, idq; quadraginta diebus à Vergiliarum exortu ad solstitium. Postquam suum nendi munus obierunt, moriuntur, mortui testacea tunica obducuntur, aliquot post diebus reuiuiscunt, ascitis alis in volucres papiliones vertuntur, hi assidue insidentes, coeuntesque relictis ouis, piscium ouis haud dissimilibus, quibus rediuiua proles sequenti anno renascatur, iterũ moriuntur, ex inuolucris vellus netur, quo preciosa linea cõtexuntur. Mori arborẽ Plinij ætate eximiam adamauit Passienus Crispus, bis consul, orator, Agrippæ matrimonio & Nerone priuigno clarior postea, osculari cõplectiq; eam solitus, non modo cubare sub ea, vinumq; illi affundere Hegesander (referente Athenæo) posteritatis memoriæ mandauit, sua ætate moros viginti annos non tulisse fructum, quo tempore articularia lues tanta grassabatur, vt non viros modo, sed & mulieres quoque, & spadones indiscriminatim corripuisset. Mori fructus primitus tantũ albos fuisse Poetæ fabulãtur, postea Pyrami, & Tysbes amantiũ sanguine tinctos. Vnde Ouidius,

——Arbor ibi niueis vberrima pomis
Ardua morus erat, gelido contermina fonti.
Arborei fœtus aspergine cædis in atram

Vertuntur faciem, madefactaq́; sanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.

Nomen. Græcis arbor συκαμινέα, pomum συκάμινον dicitur. Alexandrinis συκάμινος, & Nicandro in Georgicis μορέα, Athenæo referente. Sed à Iulio Polluce ea tantum, quæ ex rubis nascuntur. Latinis arbor morus, fructus morum dicitur, à mora, vt quidam putant, quod omnium postrema germinet. Sunt tamen, qui à Græco nomen deriuent μαυρὸν, quod nigrum significet. Itali *moroni*, & *celsi* vocant.

Forma. Etsi cùm multæ sit notitiæ, nihil operosius demonstranda forent, tamen ne quæ ex veteribus, tum Græcis, tum Latinis accepimus desiderentur, ea in medium afferenda duximus. Theophrastus ita format: Moro flos vitiginei modo lanugineus, fructui toti, nec postremis tantum insidet; in mediis inculcatus, neque singulas partes ambit, fallens interdum propter lanuginem, vt concerni nequeat. Fructus ex humore, & carne constat, læuis, laxus, & præ arboris magnitudine pusillus. Succus vinosus. Præpropere suos fructus perficit, humoris obsequio, & fructus nuditate, cùm omnium tenuissima cuticula amiciatur, facile solis impressiones transmittit, celeresq; progressus ad maturitatem facit. Mnesteus author est: Mori germinatio sera, maturatio cita, hæc propria imbecillitate, illa loci frigiditate. Diu enim vires colligit, inde virium collectarum impetu facto, tam celeres progressus ad germinationem facit, vt sonitum facere videatur. Fructus statim ab ortu candidus, mox rubeus, cùm maturuerit, ater; sic succus primùm acerbus, deinde acutus, tum dulcis: cum enim albescit, acerbus sapor sentitur, secundo rubescens, acutus, vltimo dulcis est: rubescens autem acutioris saporis est quàm cum albescit, quia tunc ad maturitaté propius accedit, cùm verò albescit, acerbus sapor, quia remotior est à dulcedine: qua de causa morum albescens siccius est, rubescens humectius, cen iam succum, saporemq; suum adipisci cœperit. Particulatim fructificat, vnde diutius durat. Etsi serotino germine, nihil tardius, quam cæteræ folia deperdit. Plinius ex Theophrasto: Moris succus in carne vinosus, trini colores, candidus primo, mox rubeus, maturis niger, tingunt manus succo matura, eluunt acerba. Carne & succo cõstant, cartilagine, succo vinoso, & sanguineo. Etsi nouissime germinat, cum primis folia dimittit. Serotino germinatu floret, maturatq; celeriter, nam nouissima vrbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum. Sed cùm cœpit in tantum vniuersa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum strepitu. Vnde datur finiti frigoris indicium, cùm germinare videris morum, iniuriam postea frigoris timere nolito. Tardissime senescit, fructibus minime laborans. Hæc Plinius. Quin postrema omnium germinat, ideo gelu non patitur, ob id diuinus Vates, vt ostenderet Israeliticorum populorum arbores omnes esse gelu consumptas, dixit, Occidit moros eorum in pruina. Fructum mollem Æschinus esse dixit, Athenæo authore, de Hectore loquens,

Erat vir iste mollibus maturior moris.

Trini colores in mori fructibus ab eodem describuntur in Cressis.

Morus & albis, & nigri succi simul
Grauatur arbos, atq; pictis murice.

Et Sophocles:

Videbis alba mora primum, postea
Mori rubescunt fructus, atque pinguntur.

Nos morum in duo genera partiemur: in albũ, & nigrum, scilicet syluestre, & vrbanum: nam nigrum syluestre genus videtur. Album veteribus Gręcis innominatum, & Latinis etiam præter Ouidium, nigri genera nullo alio modo differre videntur, quàm pomi magnitudine. Romæ (Plinius ait) Ostiensia, & Tusculana. Album in duo partiemur, in albũ vulgare, & albũ sapore & forma, sed colore nigrum. Hoc genus non pridem Neapolim allatum. Album radicibus diffunditur longioribus. Rami maxima petulantia distenduntur. Corpore crescit ampliore, ac proceriore. Folia læuiora, tenerioraq;. citius senescens ob eximiá fœcunditatem. Ante villæ domus fores nos plantamus, vt dum rustica opera exercent coloni, à solis æstu defendantur. Longè verò à cisternis, nam humiditatis auida improbo reptatu per longam distantiam petit, & penetrat, & muros frangit. *Genera.*

Palladius calida loca amare scripsit, vel maritima. Plinius plana diligere, nec temere in montibus conspici. In temperatis etiam nascitur, in frigidis nequaquam, & præcipue alba, quæ montibus non nascitur. At si quis in frigidis serere velit, meridiei saltem, vel orienti exponat. Brutius in suis maritimis multas alit, ad explendos fronde bombyces. *Cælum.*

Palladius sabulosa loca quærere scribit. In topho, vel argilla vix cõprehendere. Nos in dirutis ædibus serimus, quia cementis gaudet. Si quis fructus causa, serat sicco loco, ita sapidiores fructus enascentur: Si verò frondis causa, pro vermibus sericei velleris depascendis, humidis locis, vel qui irrigari possunt, nam & frondibus maioribus, læuioribus, delicatioribus, & quæ melius conseruabuntur luxuriabit, eisq; libentius vermes vescentur. *Solum.*

Palladius mora semine nasci scripsit, sed poma, & virgulta degenerare. Nasci & semine poma Beritius Græcus tradidit, si granula delecta deponãtur, sed rigari continuo desiderant. Columella plantas ab Idibus Februarij ad ęquinoctium vernũ recte seri debere. Ex quo Plinius, Seritur & viuiradice. Palladius scribit, Plantam si robusta est transferes mense Octobri, vel Nouembri: si tenera, Februario & Martio. Scrobes desiderat altiores, interualla maiora, ne altera vmbris prematur alterius. Morus amica est & vitis. Beritius duobus tẽporibus plantari, autumno & vere. Plinius seri debere ab idibus Februarij in æquinoctium. Propagationis vsus apud nos præualet. Nam virgas humotenus natas propagamus, ac post triennium à parente recidimus, & transferimus. Seritur (vt Beritius est author) ramis ficulnorum modo terræ defixis. Quod *Satio.*

Didymus confirmat. Sed Plinius morum talea tantum seri ait, quoniam ramo eam seri prohibet religio fulgurum. Talea Didymus morũ plantari posse scribit. Beritius præstare: si talea plantetur. Palladius seri taleis sesquipedalibus ait, ex vtraque parte læuigatis ac fimo oblitis, cùm locum palo ante fecerimus, tum immergimus, ac tegimus cinere terris admisto, non amplius quàm quatuor digitis operimus. Seremus à medio Februario, & toto Martio: locis verò calidioribus Octobris postremo, vel Nouembris initio, sed verno maxime, die nono calendarum Aprilium. Beritius etiam à claua plantari dixit, & ramulis ficulnorum modo terræ defixis. Palladius cacuminibus seri posse docet. Sed vsitata est apud nos satio cacuminibus à summo recisis. In vineis enim cum vites propagantur, virgas mori apponimus cum propaginibus simul, trium, vel quatuor pedum longitudine, vno super extante, post verò triennium, vel quadriennium vegetiores factas transferimus in moreta.

Cultus. Palladius assiduum humorem moris prodesse non credit, fossionibus lætari, & stercorari. Putrida in his, & arida post triennium putãda. Circa Octobris calendas ablaqueandas, & radicibus eius vini veteris recẽtissimas fæces infundendas. Beritius ait: Vegetior prouenit, ambiente solo sæpius effosso: siquidem altis radicum tenus fossionibus lætatur. Qui frondes carpunt pro vermibus debent à virgarum cacuminibus manus abstinere: nam si cunctis frondibus fuerit spoliata, & fructificationẽ intermittit, & inutiles fructus producit.

Insitio. Plinius minimum ingenia in hac arbore profecisse dixit, nec nominibus, nec insitis. Beritius scribit morum inseri castaneæ, & fago, item populo, quæ sit alba, si vel inoculetur, vel inseratur, & candida nasci poma. Diophanes verò in castaneam, fagum, malum, terebinthum, pyrastrum, vlmum, & populum albam, à qua alba mora reddi. Recipere ficum, pyrum, & citrium, & rubicunda mala producere. Nos nigrum in album inserimus, vt citius increscat arbor, ac valentius frondes producat, pro bombycibus saturandis. Palladius in ficus inseri scribit, & in se tantum sub cortice. Vlmo insita comprehendit, sed parturit magnæ infelicitatis augmenta: In versibus verò:

Mutua quin etiam moris commercia ficus
Præstat, & oblatum robore germen alit.
Fraxinus huic auida confert sua membra sorori,
Et metuit fœtus sparsa cruore nouos.
Proceras fagos, & poma hirsuta virentis
Castanea, duris aspera mala comis
Inficiens, monstrat piceo nigrescere partus,
Et succo pascit turgida poma nouo.
Obsequitur moris blando terebinthus odore,
Et gemmis veniunt munera mista bonis.

Ars. Palladius feracẽ, lætioreq; arborẽ mori fieri aliquos tradidisse scribit, si perforato hinc inde trũco, singulos cuneos inseramus terebinthi hinc, inde lẽtisci.

Beritius

Berinius seruari diutius vitreo vase, suo vino demersa, & diligenter operta, tradidit. *Conditura.*

Mnestor apud Theophrastum calidã esse morum prodidit, quòd ex ea facere ignaria soleant. Spissa, simulque lenta est. Post cupressum, ac thuiam æternam potissimum arbitrantur, ac validã, atq; vetustate, loti modo, nigrescere, ideo surculas ex ea, circosq; faciunt. Item nauibus tornacula: similiter & auriculas liburnicis, & testudines, atq; firmamenta. Materies vtilis operibus, quæ flexu constant, eiq; hac in re primatus datur. Plinius ex Theophrasto hæc habet: Morus ossea tota est. Calida est, vt omnis, ex quibus ignaria fiunt. Est ei lentitia sicca, sed ponderosa. A cupresso proxime laudatur ad æternitatẽ, quæ vetustate etiam nigrescit. Mirum, cortex in moro medicis succũ quærentibus, ferè hora diei secunda, lapide incussus manat, altius fractus siccus videtur. *Materia.*

De persicis, & primum de præcoci. CAP. XVIII.

IAM poma, quæ semina, vel grana intus continebant, exposuimus. Nunc de ossigeris pomis, & primum de iis, quibus singula insunt ossa: & à persicis auspicabimur, tum quia apud nos maximo sunt in honore, tum quia parum de his maiores nostri tetigerunt. Nos persicorum genus in quatuor species diuidemus, secundum Palladij sententiam, scilicet in præcocia, armeniaca, persica, & duracina. Commodius enim, & clarius sub his generibus omnium species commemorabimus, vt nil omittatur, quod ad horum historiam fructuũ pertinere possit, principiumq; nostrum à præcocibus erit, cùm & fructus nobilitate, & temporis prioritate antecedere debeant. Narrat Plinius præcocia intra triginta annos reperta esse, & primo denariis singula venundata. Galenus ex genere persicorum præcocia esse, & nonnihil ea superantia, nec in ventriculo corrumpi, vt illa, nec acescere, & esse suauiora, ac stomacho gratiora.

Dioscoridi μῆλα ἀρμενιακὰ dicuntur, atq; à Latinis πραικόκια dici narrat. Idemque ait Galenus ab eo mutuatus, tamen sua ætate non plus armeniaca nominari, sed vtramque speciem sine vllo discrimine πραικόκια dici: attamen ab armeniacis πραικόκια differre, & hæc illis multo esse præstantiora. Sed Plinius, & Palladius maximam differentiam faciunt, reorq; magis Latinis de Latinis nominibus, quàm Græcis de Latinis differentibus fidem adhibendam. Plinius ait: Florent post amygdalam armeniaca, & præcocia. Neapolitani *albergio* vocant, Bononienses *vmbiliaco*. *Nomen.*

Dioscorides, persicorum forma, sed iis minora facit. Plinius: Primam omnium florere amygdalam, ab ea proximè armeniacam, dein tuberes, & præcoces. Nos ita describemus. Arbor non sanè procera. Foliis nigræ populi mucronatis, & per ambitum serratis, ternis, quinisve simul emergentibus. Flore albo cerasi. Fructu persicorũ forma, non autẽ magnitudine, nam longe minori, prunorũ simili, cute itidem, & odore, sed præstantiori, os intra se cõcludit, vtrinq; parum turgens, in quo nucleus dulcis eadem forma clauditur. Floret Ianuario *Forma.*

cum amygdala, vel paulo poſt, matureſcit Maio, ante alios fugaces fructus. Rami nouelli colore croceo, albis punctulis diſtincti, fructus optimo ſapore placent, innocenti guſtu, vt impune ægris concedantur.

Cælum. Cælum exoptat calidum, & apricum, locumq; concauum, à ventis tutum, vt eſt Surrentina planities, & Siciliæ inſula, cæteris Italiæ locis non tam frequens reperitur. Nam cito floreſcens, ſi hyemis ſæuitia non deſierit, facile floribus à vento priuatur.

Solum. Amat ſolutam terram, & teneram, vel humidam arenaceam, vt prunus, odit argillam.

Satio. Seritur ſemine Ianuario, vel Februario locis frigidis, vel Octobri, & Nouembri calidis. Tranſplantatur poſt trienniũ. Plantatur Octobri, vel Nouembri, aut Decembri prius, quàm floreat, ſed raro ſemine naſcitur. Etiam à radicibus pullulat ſoboles, ſi qua eſt à radice planta: quia apud nos in prunum inſita viuit.

Cultus. Ablaqueanda arbor, & foſſionibus exhilaranda, ſiccis temporibus riganda. Si qui fuerint ſicci rami, aut putridi tollendi, vt in prunis conſueuimus.

Inſitio. Palladius Ianuario menſe locis temperatis pruno præcoqua inſerit. Nos inſerimus in ſe, in perſicum, amygdalam, ſed omnium maxime in prunum, cum quo maximam habere affinitatẽ videtur. Sed æſtate melius inoculatur, quàm Martio fiſſo ligno: etiam ad modum digitalis.

Ars. Vt maiora poma producat, in id pruni genus inſerimus, quod à ſimilitudine, & vtilitate, *coglio pecoro* Neapoli dicimus. Nam ad eius ſimilitudinem fructum producit magnum.

De Armeniaca, perſicorum ſpecie. CAP. XIX.

NVNC aliam perſici ſpeciem proſequemur, quæ poſt præcocia fructus affert: ideo poſt illius tractationem hanc aggrediemur. Hæc armeniaca dicitur. Galenus à perſicis parum natura differre ſcripſit, immò non tam citò in ventriculo corrumpi, & ſi contrarium recentiores arguant.

Nomen. Dioſcorides ἀρμενιακὰ vocat. Galenus verò armeniaca vocari deſita, & præcocia, vel præcoqua dici. Democritus verò de interpretatione Græcorũ vocabulorum ait, Armeniaca eſt præcocium. Hanc peregrinam eſſe vel ipſo nomine cognoſcitur. Latinis, vt Columellæ, & Plinio armeniaca. Palladio armenia dicitur. Itali *moniache*, corrupto ex armeniaca nomine. Neapolitani *chriſomele*, quaſi chryſomala vocant, id eſt aurea mala, cum enim maturuerint aureo ſplendent colore. Alterum armeniacorum genus recentiores Græci βερικόκκια vocant. Neapolitani *bericocche* vocant, ab eis detorta nomenclatione.

Genus. Nos armeniacarum genus in duo partiemur, vnum *chriſomela* vocamus, alterum *bericocche*, inter ſe colore, odore, ſapore, forma, & magnitudine differentia. Ex quo Matthioli error apparet, qui ea differre non putauit. Sunt enim bericoccia forma fructus rotundiori, colore cãdidiori, carne magis friabili, inſipidiori, viliorique. Caro ab oſſe non ſeparatur, & intus amaram includunt

dunt amygdalam. Sed inter bericoccia genus est vulgò dictum *bericocco vero*, magnitudine superat omne dictorum genus, sapore, & odore præstantissimo, dulci amygdala, vt præcocia iam prius dicta ferè nobilitate præcedat. In Surrentino tractu large proueniunt, & hæc genera priora sunt, quàm chrysomela. Chrysomelarum genus in plures species partiemur, alię nanq; amaram, alię dulcem amygdalam intus includunt. earum, quæ amaram intus amygdalam includunt vnum genus est maius, alterum minus, hæ Neapoli *chrisomele alessandrine* dictæ sunt. Quæ verò dulcem amygdalam habent, inter se magnitudine differunt, vt maior species, & minor sit. Hæc odore suauiori, coloratiora sunt, & os à carne diuellitur.

Arbor armeniacarum nil à prædicta præcocium differt, nisi quod maior, durior, validiorq; est. Internodia surculorum maiora habet, longioraq;, & in vniuersum magis rustica. Fructus magnitudine persicum æquat. Floret post præcocem, & ab ea fructus maturat, id est Maio. *Descriptio.*

Idem cœlum, solumq;, quod præcocibus conuenire diximus, his conueniet, nisi quòd, cùm serius floreant, arborq; validior sit, cœlorum variationibus minus obnoxia est, ideoq; magis fructifera. *Cœlum & solum.*

Etsi apud nos vulgo iactetur semine non nasci, tamen si diligenter seueris, & siccitatibus irrigaueris, optimè nascuntur, humido, pingui, ac soluto solo Martio mense ponantur. Cùm plantantur trunci altitudo octo, vel decem pedum, distantia viginti quatuor sit. *Satio.*

Ianuario mense armeniaca arbor inseri potest, Columellæ authoritate, cùm prima floreat. Palladius, Armenia inseritur pruno Ianuario locis temperatis. Nos Ianuario inserimus in prunum fisso ligno, sed difficiliter comprehendit. Iulio verò, cum pruni arbor fructus suos maturat, in eam emplastramus: sic res tutius agitur. Item in persicum, & amygdalam. Vbi supra prunum insita coalescit, in vastam crescit magnitudinem, vt vix homo complecti possit, vimq; subditæ pruno præstat, vt ad maiorem crassitiem increscat. *Insitio.*

De persicis, & duracinis. CAP. XX.

SEQVVNTVR persica, quæ succedunt armeniacis. Hæc Theophrasto, cæterisq; vetustioribus Græcis incognita fuere, blaterent indocti quicquid velint. Plinius: Pomum innocuum expetitur ægris: Pretiumq; iam singulis triceni nummi fuêre, nullius maiore: quod miremur, quia non aliud fugacius. Longissima nanq; decerpto bidui mora est, cogitq; se venundari. Sed quia pomi succus, & caro facile corruptionē sentiunt; suadet Galenus primis mensis sumi, sic enim celeriter descendentia sternunt aliis viam commodè præeuntia, reliqui cibi subsequentes lubrico meatu facile labuntur. Postremo cibo sumpta, vt moris est plerisq;, in summo natantia corrumpuntur, vt quicquid præsumptum fuerit vnà secum in corruptionem trahant. Palladius horum flore apes vesci notauit.

Nomen. Dioscorides περσικὰ μῆλα, id est, persica mala vocat, itemq; Galenus. Cassianus vocat ῥοδάκινα. Sic recentioribus Græcis Aetio, & Paulo. Nicandri scholiastes ῥοδακινέα, & ῥοδακινή. Putat Hermolaus ῥοδάκινα dicta vernaculo Grecorum sermone, quòd in Rhodo ad florem vsq; peruenerit, quod primum ab Ægypto venienti fuerat hospitium, Plinii, quem sectatur, verbis confidens, cuius opinionem, cæterorumq; explodimus, capite de Persea: vel putat nomen inuersum à δωράκια, quasi duracina, quod falsum est. Columella persicum vocauit, atq; ex Perside arborem fuisse, vel ipso nomine constare existimauit, & ad nos primum aduectam, vt testatur in hortulo.

Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta
Exiguo properat mitescere persica mala

Sic Plinius, & Palladius. Itali *Pesco*, & *Persico*.

Forma. Plinius hæc habet de persico: Color succi Persicis nullus, cùm præsertim duracina succo abundent: sed quis vllum eius dixerit colorem? Odor est dilutus. Foris corpus, intus lignum, vitiumq; cinctum fructu, cum fructus alibi muniatur vitio. Eorundemque trigemina natura est, corpus, deinde lignum, rursusque semen in ligno. Quædam statim à ligno recedunt, quædam adhærent: quorundam generi vtraque est natura, vt persicis, etenim duracinis adhæret corpus, à lignoq; auelli nequit, cùm in cæteris facilè separetur. Poma rara in ramis, non inter se densa. Nos verò ita describemus. Arbor pumila potius, quàm procera, & si humidum solum nacta in altum excrescat. Folio amygdalaceo maiusculo. Flore subpuniceo. Pomum carne, & cute constat, extrinsecus molli lanugine conuestitum. Dura intus, rotunda, & scabra nuce, in quo nucleus, qualis est amygdalis, continetur. Radicibus imbecillibus, nec profundis. Citò crescit, & celerem senectam sentit.

Genera. Huius arboris fructus species tam variæ, multaq; sunt, quæ tum insitionis mixtura, tum cultus mangonio prouenerunt, vt eas omnes enumerare, & fastidientis, & multiplicatæ esset lectionis. Nos verò, quæ insigniori discrimine diuersa videbuntur, solùm apponemus, sumpta à tempore tractatione. Primo genus in duo diuidemus, in persicum, & duracinum. Incipiemus à persicis, quia tempore priora. Inter persica species est vna, quę reliquas omnes antecedit, & ferè cum armeniacis concurrit, à reliquis speciebus admodum differens. Foris herbaceo viret colore rubescenti, odore plusquam iucundo, sapore suaui, vberi succo, vt per mandentium ora fluat. Neapolitani, quia cum festo Diui Ioannis maturatur, vocant vulgò *Persico di san Giouanni*. Caro ab osse non recedit. Sunt illius variæ species, sapore, colore, & magnitudine differentes. Sequuntur vulgaria persica æstate, omnibus his caro ab osse auellitur. Carne alba, vel excolori, exucca, friabili, sapore insuaui, & sine odore. Has vulgò *Persiche* vocamus. Hæc sunt Plinio popularia dicta, nullo succo & colore, vt diximus, nobis exosa, ægris obnoxia. Hæc species à Plinio vocatur Gallica, & à Columella excepit in suo hortulo:

Tempe-

Tempestiua manent, quæ maxima Gallia donat.

Subeunt δωράκινα Græcis, Latinis duracina ex eo dicta, quòd pertinaciter ossa adhæreant carni. Nobis vulgo *percoche* dicta. His datur à Plinio palma, pomumque innocuum expetitur ægris. Asiatica Columellæ, & eidem dicta, vt in hortulo,

Frigoribus pigro veniunt Asiatica fœtu.

De his Martialis intellexit, qui cum videret præcoqua persica vilia esse, ac insitione recepisse persica duracina, feriora, melioraq;, cecinit,

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis persica sola sumus.

Huius innumeræ sunt species, prima, quam vulgo poma nuncupamus, foris colore albo, odore fragrantissimo, sapore excellenti, succo vberrimo. Sequuntur duracina. Sunt & in duracinorum genere, quibus caro ab osse auellitur, ac manibus leuiter compressa sponte aperiuntur, nobis dicta *Percoche aperitore*, quę omnibus dotibus cęteris antestant, & expetuntur. Hæc antiquis incognita fuere, quorum itidem multæ sunt species, magnitudine insignes, vt bilibria etiam nascantur. Aliæ ad Ianuarium vsq; in arbore pendent.

Palladius ait, Locis quidem qualibuscunque proueniunt, sed & pomis, & frondibus, & durabilitate præcipua sunt, si cœlum calidum sortiantur. Frigidis verò, & maximè ventosis, nisi obiectu aliquo defendantur, intereunt. Ob id à nobis sæpe vallibus, & concauis locis seruntur, vt cùm primum florent ventorum turbine flores non deturbentur. *Cœlum.*

Idem, qui supra, solum arenosum, & humidum concupiscere scribit. Florentinus aquosis locis, & assiduè rigatis gaudere, vt fructus maior euadat. Apud nos humidis locis insipidos fructus procreat, facileq; putrescit arbor. Si irrigaueris, facile vermes generabit, sed solum arenosum altum, & solutum & planitiem amat. Tales sunt Arentii vulgò dicti campi, vbi latè fructificat huiusmodi arbor, ac præ cæteris Italiæ locis viget, vt eius natalia loca ibi à natura esse constituta videantur. *Solum.*

Palladius calidis locis Nouembri mense, cæteris verò Ianuario persici ossa in pastinatis areis ponenda iubet, binis à se pedibus separata, vt cùm ibi plantæ excreuerint transferantur. Sed ossa ponantur acumine deorsum verso, & non amplius, quàm duobus, aut tribus digitis obruantur. Ossa verò, quæ ponenda sunt, aliqui siccata prius paucis diebus cineris mistione terra soluta in qualis reseruant. Ipse verò vsque ad serendi tempus absq; vlla cura sæpe seruauit. Dum tenera sunt germina, sæpe herbis circumfossa liberentur. Sed habitiores habebimus plantas, Florentinus ait, si simul vt ederimus, ossa seremus, parte aliqua carnis circa ossa relicta. Columella persicum serit ante brumam per autumnum. Ex quo Plinius etiam serit per autumnum ante brumam. Bimam plantam Palladius transfert, scrobe breui. Nec à se longè statuendæ sunt, vt inuicem se à calore solis excusent. Sunt qui loco *Satio.*

vbi ossa serunt, ibi satas velint. Tunc cùm ossa ponemus, trium, vel quatuor pedum scrobes effodiemus, in fundo tria, vel quatuor ossa constituemus, quatuor digitis à se inuicem distantia, inde superinducta terra, vbi pullulauerint, arbuscula vegetior relinquatur, cæteræ tollantur, ac alio serantur, illius incrementa terra operiendo prosequemur. Interualla duodecim pedum erunt.

Cultus. Palladius ita colit: Ablaqueandæ sunt arbores per autumnum, & suis stercorandæ foliis. Putanda persicus in autumno est, vt arida, & putrida tantum virgulta tollantur. Nam si quid viride resecemus, arescit. Et si hæc arbor ardore solis inarescit, frequenti aggestione cumuletur, vespertino humore iuuetur, obiectis defendatur vmbraculis. Sed in nostris regionibus temperatis cõtrarium videtur, nam quo magis putantur, & abscinduntur rami, lætius assurgunt. Formanda est arbor, vt vno se attollat stipite. rami sint in orbem circinati, vt se à sole tutius defendant. Altitudo stipitis sex pedum.

Insitio. Mense Ianuario, vel Februario, Palladius ait, locis frigidis, Nouembri calidis persicus inseratur, maxime circa terram surculis plenioribus, & propè arborem natis: nam cacumina, vel non tenebunt, vel diu durare non poterunt. Inseritur in se, in amygdalo, in pruno: sed armenia, vel præcoqua prunis, duracina amygdalis melius adhærescunt, & tempus ætatis acquirunt. Mense Aprili, vel Maio locis calidis, in Italia verò vtroq; exeunte, vel Iunio persicus inoculari potest; quod emplastrari dicitur, præciso super trunco, & emplastratis pluribus gemmis, more, quo dictum est. Rubescit si platano inserta figatur. Ad Pasiphilum postea,

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus.
Imponitq́, leues in stipite phyllidis vmbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

Alium inserendi docet modum, quem ab Hispano quodam se didicisse fatetur, de quo in libro de Cultu diximus. Florentinus de persici insitione hæc habet: Cum notum sit persicum citò senescere, in damascenam arborem, id est, prunum, aut in amaram amygdalum inseri debet, vel etiam in barbylum: est autem barbylus arbor ex persici osse enata. Didymus poma persici rubescere scripsit, quæ platano insita coaluit, & in damascenum, & amygdalum inseri posse. Diophanes in cerasum inseri, & viceuersa. Inseritur apud nos Ianuario fisso ligno, in prunum, & optimè apprehendit; sed fit insitio circa terram, fructus diuturnius viuit, sed magnitudine degenerat. Sic etiam inter lignum, & corticem, optime etiam ad modum digitalis mense Maio, vsque ad idus Iunii nouellis ramis. Si in amaram amygdalum inseratur, sentit gustus aliquid amaritudinis in fructu.

Amygdalopersicus. Ruellius genus quoddam persici tradit à recentioribus agricolis amygdalopersicum dictum, ab vtroq; parente, cum ea soboles mediam inter vtrumq; progenitorem naturam cõtraxerit, fortasse insitionis diligentia, aut satorum mixtio-

mixtione, nouum adulterii repererunt genus, vt ex amygdalo & persico progenies inuisa prioribus seculis exoriretur, vtriusque parentis ingenium referens, & effigiem simul adoptans. Hoc est malum, quod foris æmula facie persicum pomum mentitur, intus dulcem amygdalam, & facie, & gustu repręsentet. Hæc species in Gallia fortasse vulgaris: nos eã Romæ vidimus. Neapoli non visitur. Retulerunt tamen amici in Mineruæ promontorio quoddam in horto adhuc viuere. Arbor media est inter amygdalam, & persicum. Fructus est persici, intus dulcem amygdalam continens. Quomodo id fuerit exortum, omnino ignoratur. Videamus si eius inuentionis modum tradere nos possimus. Palladius ait persicum in amygdalam insitum fructum producere, qui intus dulcem amygdalam includat, foris verò persici carnem. Quod his verbis ad Pasiphilum innuere videtur:

Pomaq; permutat velamine persica misto,
Duriciemq́; docet, tegminis esse loco.

Quibus autem modis id fieri possit, non docet. Nam si vsitato modo quis persicum in amygdalam fisso ligno, vel inter lignum, & corticem, vel per emplastrationem inseruerit, persicum ꝓducet, quod amaram intus amygdalam, vt cętera producet. Id testãtur totius Apuliæ pomaria, vbi persicus in amygdalam inseritur, & omnes intus amaram producunt amygdalam. Sed meo quidem iudicio vtriusq; oculi, persici scilicet & amygdalę, per medium findantur, coaptenturq; oculi duo, vt vnus fiant, sic demum emplastrentur amygdalo, vel pruno, vel persico, sic ex vtroq; semioculo enatum germen, tales fortasse dabit. Nam diuersi admodum generis duo germina fructus producent, non fructus dimidiatos, sed alter intus, alter verò foris sedem nanciscetur. Fortasse etiam fiet, si perforato amygdalæ trunco persici germen traducatur, ac post triennium, vel quadriennium, vbi optime coaluerint, recidatur à parente. Hoc enim modo maxima videtur fieri in fructu variatio, nec alia mihi videtur procedendi via.

Aliud est etiam persicorum genus, nucipersicum dictum, etiam antiquis incognitum, quod insitionis diligentia in lucem productum non solum arbitror, sed ratum habeo: ab vtroq; parente vt nomen, ita mediam naturam contraxit, ex nuce scilicet, & persico. Ex nuce colorem contraxit herbidum, cutem nulla exterius lanugine pubescentem: sed admodum leuem, succum leniter subamarum, serò maturescit, diutiusq; suam prorogat ętatem, scilicet in autumnum, à persico autem formam habes, carnem, succum, cùm maturatur rubescit sole, duram intus & scabram nucem habent, qualem persica poma, gustu, saporeq; iucundo, sed multo nuce fugacius. Arbor humilis est, persicorum magnitudine, folio amygdalino, vel maiori flore puniceo, ex quibus clare patet facile ex vtroq; progenitore mixturã contraxisse. Sed quomodo id etiã factum fuerit, penitus ignoratur. Videtur enim maxime distare nucem à persico, adeò quòd inde medium genus prodire nequeat. Sed agrico- *Nucipersicum.*

larum ars, & sedulitas, eam, omnemque difficultatem vincere potest. Ipse autem nullis fieri posse modis, quàm supradictis coniicio, vt vtriusque dimidiatus oculus vnà compositus alterutri emplastretur. Vel perforato nucis trunco, persici ramus inducatur. Horum pomorum plura sunt genera: Sunt æstiuo tempore maturescentia, sunt & serotina, quæ vsque ad Ianuarias calendas in arbore pendent. Sunt ex his duracina, & ex quibus caro ab osse diuellitur, sunt quæ viridi, & quæ alba cute matura sint induta, cæterisq; pulchritudine, & suauitate præstant.

Sanguinipersicum.

Sunt tandem, quæ cortice detracto sanguineum succum fundunt, vt sanguinipersica dici possint. Apud nos admodum grata, & speciosa, non quod reliquis carne suauiora, sed quod oculis suo colore pergrata sint, vulgò, quod pastinacæ colorem imitentur, *Persiche pastinache* vocitantur. Sed quomodo id genus productum fuerit indicandum. Rubra nasci persica Democritus promittit, rosis sub arbore consitis. Vel post septem dies, quum patefieri cœperint (nam totidem diebus obruta sponte fatiscunt) in ossium internos ventris sinus cinnabarim infundas, mox vt cohęreât strictim obligata simul cum suis nucibus obruas, sic rubra dabunt persica, & si alium quẽuis colorẽ instillaueris in talem enata progenies degenerabit. Didymus in platanum insitam, rubicunda rhodacina producere posse scribit. Palladius etiam rubescere scribit, si platano inserta figatur. Apud nos tamen præualet opinio, vt in viuam, & perforatam pastinacam, ossis nucleus persici inclusus fuerit, ac inde enatus. Vel in sanguineum mori succum, si postquam enatum fuerit, germen pluribus diebus eo succo rigaueris: Vel in morum insita tales fructus proferre.

Naturæ vel Art.

Maiora poma creari pollicetur Florentinus, si assiduo potu inebrientur: hunc in modum iugi rigatu satiata, maiora multo poma creabit. Et si complura interlegantur, quæ vbertate nimia matrem onerauerint, vt arboris succus ad reliquorum nutrimenta pomorum conuertatur; succi enim copia in pauciores fœtus se conferens, altili saginat incremento. Sed Palladius magna poma afferre scribit: si florenti per triduum ternos sextarios caprini lactis ingesseris. Sed suillum stercus radicibus affusum maiora poma vt producat efficere, quàm ex arbore vnquam pependerint. Vt persica scripta nascantur, docet Democritus. Exesi corporis os triduo madescat in aqua, dein aperto sensim ligno, nucleus intus inuentus cortice tenus æneo stylo, non alte, quibus placebit literis exaretur, dein papyro, vel charta reuolutus, cõmissis carinis seratur. quod in eo amygdalo depinxeris, hoc enatum inde pomum repræsentabit. Ex quo Palladius: Affirmantibus Græcis persicus scripta nascetur, si ossa eius obruas, ea post dies septem, vbi patefieri cœperint, apertis his nucleos tollas, & his cinnabari quod libebit inscribas, mox ligatos simul cũ suis ossibus obruas diligentius adhærentes. Sine ossibus nasci persica scribit Africanus: si in perforatum truncum exclusa medulla, salicis vel corni palum adegeris.

Morbi & remedia.

Palladius ait, Contra solis ardores iuuat serpentis spolium appendi. Contra pruinas

pruinas Nouembri ſtercus ingeratur, vel fæces vini cum aqua permixtæ, vel quod magis prodeſt, aqua in qua faba decocta eſt. Si vermes perſicus patitur, cin ſeos amurcæ mixtus extinguit, vel bouis vrina, cum aceti tertia parte confuſa. Si poma caduca ſunt, nudatę radici eius, vel trunco lentiſci, aut terebinthi cuneus affigitur, vel terebratæ in medio palus ſalicis imprimetur. Si poma rugoſa creabit, aut putrida, circa imum truncum cortex recidatur, vt cùm inde modicus humor effluxerit, argilla, vel paleato luto plaga retegatur. Contra vitia perſici proficit ſpartum ligatum, vel ſpartea ſuſpenſa de ramis.

Idem, qui ſupra: Duracina ſeruantur condita muria, & oxymelle. Vel detractis oſſibus ficorum more in ſole ſiccantur ac pendent. Idem ſæpe vidit detractis oſſibus duracina melle conditi, & ſaporis eſſe iucundi. Item bene ſeruantur, ſi vmbilicum pomi gutta picis calentis oppleueris, vt ſic ſapæ innatare cogantur vaſe concluſo. Nos verò perſica, & huiuſmodi generis mala doliolo concluſa, optime foris picato, ac ſub ciſternæ aquis demerſo per multos menſes incorrupta ſeruauimus. Cōditura.

De Prunis. CAP. XXI.

NVNC pruni commentationem auſpicabimur. Miratur Plinius huius pomi mentionem à Catone non habitam, præſertim cum condenda demonſtraret quædam & ſylueſtria: Cùm & pruna ſylueſtria vbiq; naſci certum ſit. Vnde pruna omnia poſt Catonem cœpiſſe manifeſtum eſt. Commemoratur à Macrobio inter felices arbores. Vim ſubducendi aluum inſignem retulit Martialis,

Poma peregrinæ carie rugoſa ſenectæ
Sume: ſolent duri ſoluere ventris onus.

Aratus Græcus, Athenæo authore, arborem κοκκυμηλέαν, fructum verò κοκκύμηλον vocari dixit. Seleucus verò brabyla, ala, coccymala, & madrya eadem eſſe ſcribit. Nam madrya eſſe velut mali fructus, brabyla, quia ventrem ſoluãt, ala quaſi mala. Clearcus peripateticus, & Theocritus Syracuſius Rhodios, & Siculos Damaſcena pruna brabyla appellare dixerunt. Democritus Damaſcenum coccymalum appellari ſcripſit. Sed vnde huius nominis etymon Græcum deſcendat, ignoratur ex compoſitione. Nam κόκκος granum eſt, μηλέα malus, quaſi granatum malum dicas. Sunt qui per barbaralexin putant è Latino coquendi vocabulo deriuatum, vt coccymalum, quaſi coquimalum dicas, cum ei præcipua vis ſit deiiciendi. In Aſia ſcribit Galenus προύμνον dici. Latinis arbor prunus eſt, fructus prunum. Itali *Suſino, Prugno.* Nomen.

Theophraſtus de eius forma pauca retulit. Emittit florem frequenti folio ſupra fructum inſidentẽ. Pomum carne, humore, & neruo veſtitum. Lignum intus durum, in quo nucleus includitur: natura enim ligno, & rurſus carne ſemen induxit. Succus dilutus. Radices humotenus vltro citroq; vagantes, & quę facile nepotes generent, ſuperficie viuaciores. Prunus & ſylueſtris paucis Forma.

adhæret radicibus, ſuperficie viuacioribus. Arcades autem prunum altiſſimam radicem habere, & numeroſam, vnde diu viuat opus eſt, & emori contumacem referunt. Plinius ex eo: Fructus pruni aquoſo ſucco præditus, foris corpus, intus lignum, vitiumq; cinctum fructu, cùm fructus alibi muniatur vitio. E radicibus pullulat ſobole denſa, & pariête matre, quas enecet, eius quippe vmbra turba indigeſta premitur. Velox creſcit, in trimatu enim ferre incipit, oſtendens & ante, & cito occidit. Sed quòd cito occidat è Theophraſto perperam interpretatus eſt, dixit enim emori contumacẽ. Noſq; continua experientia videmus ad hominum vitam peruenire. Pręterea Theodorus Theophraſtum vertens, Prunum ait corpore humilem, folio arbuti, peculiarẽq; in eo fructum lanugine pappo dicta perire, quod Theophraſtus coggigryæ tribuit, non pruno. Pliniusque Theophraſtum ſecutus etiam coggigryę vocatæ aſcribit. Decepit hominem nominum affinitas, forte quia cocconeliam, non coccomeleam ſcribendum erat, nam vnedo, cui ſimilis eſt coggigrya, nelia vocatur à Theophraſto. Nos ita deſcribemus. Prunus arbor procera. Caudice ſubrecto, ſcabro, multis ramis brachiata. Folio ex oblongo ferè rotundo, per oras minutim ſerrato. Vere prius florem, quàm folium emittit.

Genera. Ingens turba prunorum, dixit Plinius, verſicolor, nigra, candicans. Vt innueret tot eſſe prunorum genera, & plenè inexplicabilia. Nos verò in vrbanum, & ſylueſtre genus diuidemus: Vrbanorum à Damaſcenis incipientes, vtpote inter cæteras ſpecies principatum gerentibus. Damaſcena pruna dicta Athenæus ſcribit, quòd in Damaſcenorum regione naſcantur, cùm ibi is fructus ita colatur, vt ab aliis qui alibi naſcantur plurimum differat, cuius magnitudo minor, quàm prunis, & guſtus idem, niſi paulo eſſet aſperior. Dioſcorides ſyriaca pruna vocauit, & præcipue, quæ Damaſci gignuntur. Galeni teſtimonio, omnium opinione, prima bonitatis laus ei aſcribitur. Meminit etiam huius Columella in hortulo,

Armeniis, & cereolis, prunisq; Damaſci.

Plinius in peregrinis arboribus ait: Damaſcena à Syriæ Damaſco cognominata, iam pridem in Italia naſcentia, grandiore quamquam ligno, & exiliore carne, neq; vnquam in rugas ſiccata, quoniam ſoles ſui deſunt. Alibi verò. Pruna Damaſco monte nata, Italiæ familiaria. Neapoli vulgo dicimus, *Prune damaſche*. Nigra ſunt cute, carne ſuaui, crocea, rotundo intus ligno, in cacuminibus turbinato, exili nucleo, digitis preſſum internum os exilit, parua, pauciq; ſucci. Poſt Damaſcena Iberica apponemus. Galenus proxima Damaſcenis, quæ ex Iberia, & Hiſpania proueniunt, verum hæc minus aſtrictionis præ ſe ferunt. Neapoli vocantur *Prune pernigone*, à perdice deductum nomen, vt credo, quemadmodum enim inter aues ipſa carnis ſuauitate excellit, ſic hæc inter prunorum genera, à citerioris Hiſpaniæ regione nobis allata, ob id nobis etiam catalonica dicta: non vulgaria nobis ſunt, ſed quibuſdam in hortis aſſeruantur, dulci ſucco prædita, carne duriori, guſtu ſuaui, purpureoq;

reoq; ſplendent colore, parte, qua ſolem ſpectãt, ex aduerſa candicãt, preſſum digitis os internum dimittit, oblonga, exili nucleo, ac longo. Sed ego exiſtimarem Iberica pruna eſſe, quæ nobis vulgo *de frate* dicuntur, nam inter cætera facile principatum obtinent, innoxie præbentur ægris, ac minus ſtipticitatis, quàm Damaſcena obtinent, colore gramineo, ingrato, ſucco melleo prædita, calloſa, oblonga, os intus oblongum compreſſum acutumque. Sunt alba, nigráque, ſed nigra dulciora, maiora oui magnitudine, ac magis ſerotina. Sunt & pruna cerina à colore flauentis ceræ dicta, quorum Virgilius meminit,

Addam cerea pruna.

Ouidius etiam Metamorphoſeos libro,

Prunaq; non ſolum nigro liuentia ſucco,
Verùm etiam generoſa, nouasq; imitantia ceras.

Columella in ſuo hortulo,

Armeniisq;, & cereolis, prunisq; Damaſci.

Plinius ex his: Sunt & nigra, ac laudatiora cerina. Multi ὠχρὰ à Græcis vocari arbitrantur. Et ſi innumera ſint apud nos genera huiuſmodi colore prædita, præſtantius tamen, & quod magis cereo colore flauet, eſt vulgo *Scaldaro* dictum, ex candido enim in luteum palleſcit, paruulum eſt, dulcore inſigni, Auguſto maturatur. Armenicarum meminit Columella in hortulo,

Armeniisq;, & cereolis.

Plinius dixit, Ab externa gente armeniaca, quæ ſola & odore commendantur. Hæc quæ fuerint, cùm alia ſigna non addiderint, diiudicare arduum erit. Onychina ab vnguis colore vocantur, ὄνυξ enim vnguis eſt. Columella matura eſſe onychina dixit iuxta meſſem. A colore candicantia Plinio dicta. Præcocia ſunt, immo prima, quæ maturantur, vulgò nobis dicta *biancolelle*, quia cæteris candidiora ſunt: & purpurea laudatiora à Plinio memorata, à Columella etiam pruna purpurea dicta, quę inter reponenda pruna commemorat. Nobis dicta ſunt *Pruna d' appendere*, ſunt enim ſerotina, purpureo ſiue violaceo foris colore, intus crocea, dura, calloſa, acida, nec eſui apta, niſi laquearibus appenſa, domita aciditate per hyemem promantur. Alia eodem colore, inquit Plinius, ſeriora maioraq;, aſinina cognominata à vilitate. Hæc Neapoli dicta ſunt *Pruna cogliopecore*, honor ſit auribus, obſcœnum quidem nomen, non tamen ineptum, nam pruna omnia magnitudine ſuperant, colore flauẽtia, mollia, Iulio & Auguſto maturantur, inſipida, ac hircorum teſticulorum formam imitantia. A tempore hordearia, à comitatu eius frugis dicit Plinius, ac flauentia eſſe, cum ſubdat; eodẽ colore aſinina. Huiuſmodi multæ ſunt ſpecies, ſed quæ *Pruna d' Indie*, dicũtur, & *Pappacode*, inſigniora ſunt, magna enim ſunt, flauentia, forma ouata, ac cum meſſe maturantur. Sunt & apud nos ſerotina pruna, quæ vſq; ad calendas Ianuarias in matre dependent, vulgo, *Pruna caſcaueglie*, adeo parua ſunt, vt vix ſyluestrium prunorum magnitudinẽ ſuperent, rotunda, nigra, & alba. Sunt & vario colore, dicit Plinius, inter quæ *Pruna ſimiana*

principatum obtinent, hæc rotunda, ampla, foris russa, intus crocea, pressa os foris iaculantur. Sunt etiam Surrentina carne suaui, ac friabili, & pleraq; alia, quæ ne tempus longius teratur, omittenda proposuimus.

Cœlum. Calido cœlo lætari prodidit Pamphilus. Plinius non temere in montibus visam prunum. Palladius cœlo tepido melius prouenire, tamen & frigidum substinere valet.

Solum. Scribit item Pamphilus sicco solo gaudere. Palladius læto, & humido, Sed si in lapidosis, & glareosis lætamine iuuantur, excusant ne poma caduca & vermiculosa nascantur.

Satio. Palladius, Pruna si ossibus serãtur autumno, mense Nouembri solo putri & subacto duobus palmis obruantur. Ossa eadem ponantur & mẽse Februario. Sed tunc prius lixiuio sunt maceranda per triduum, vt cito germinare cogãtur.

Idem & plantas poni tradit, quas sumit ex caudice mense Ianuario exeunte, vel Februario, circa idus, radicibus fimo oblitis. Columella post mediam hyemem vsq; ad idus Februarias serit. Pamphilus pruna eodem modo, & tempore quo persica plantari debere monet. Interualla ex Theophrasto sumemus, qui punicis nõ plus, quàm nouem pedũ distantiam, præcipit, malis paulo maiorẽ, pyris ampliorem, & prunis. Plinius scrobium altitudinẽ in argilloso, aut duro solo trium cubitorum esse in quanq; partem aliis, sed in prunis palmo amplius.

Didymus etiam auulsione seri posse memoriæ prodidit.

Nos prunũ propagauimus, & breui tempore radices iniecit. Itemq; teneros eius ramos humidis, & vmbrosis locis seuimus, & optime comprehenderunt.

Cultus. Palladius ita colit: Extirpandæ sunt soboles à radice, exceptis rectioribus, quæ seruabuntur ad plantas. Iuuantur frequenti humore, & assidua fossione. Nobis formãda est arbor, vt vno se attollat stipite, non admodũ procero, vt valeat sua vmbra truncum operire. Frigidis regionibus lætamen ingeritur. Sed etiam neglecta fœtificat.

Insitio. Pamphilus iisdem horis inseri docet, quibus & persicus in sui generis arbores, & in malos. Diophanes in omnem pyrastrum, & in cotoneum. & malum: & recipere persicum & præcocium. Quintilij indicant Ianuario fieri debere, quia primæ florent. Palladius hæc habet. Mense Martio extremo prunus inseritur, melius trũco fisso quàm cortice, vel mense Ianuario antequã incipiat gumen lachrymare. Inseritur in se, & persicum recipit, vel amygdalum, vel malum, verùm vltimam degenerem reddit, & paruam. In versibus verò,

Pruna suis addunt felicia germina membris,
Donaq; cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fœtus, sed brachia roboris armat
Castaneæ prunus iussa tenere larem.

Nos autem docemus vt insita prunus in amplam exurgat magnitudinem. Die ante insitionem, fœnum, paleas, vel arida sarmenta inter arboris ramulos, & furculas apponimus, vt pede à loco distet, vbi insitio futura est, mox ignem appo-

apponimus, & comburimus ramos, vbi verò frigeſcet, præſignato loco inſerimus, ignis enim caliditas ſurculorum ramorumq; humorem in truncum fugat, ac in contrariam ſibi partem deſcendere cogit, vt in viridibus lignis igni appoſitis videre contingit, quæ ex oppoſito latere humorem exudant: euocato mox humore ab indulgentis cœli temperie, in magnam prunus creſcit amplitudinem. Poſſumus hac vti præceptione Luna creſcente, ſi neceſſitas cogit, vt igne reuocetur humor ad radices, quem ipſa lumine ſuo euocauerat. Prunus inſerenda eſt loco, vbi naſcitur, & quanto terrę propinquius, eo melius, vt inde translata, in profundiorem ſcrobē obruta, inſitionis coalitus ſit infra terram, vt inde enata ſoboles domeſtica ſit, facile enim prunus circa truncum pullulat. Nos Maio, & Iunio emplaſtramus, vbi gummi lachrymare deſierit. Emplaſtratione optime recipit perſicum, & amygdalam, difficulter autem fiſſo trunco. Si prunum in perſicum inſeremus, maiorem producit fructum, ſed breuis erit vitæ: ſi perſicus in eam, paruum, & degenerem, ſed vitæ diuturnioris.

Id effecit ars, vt Plinij temporibus nucipruna, & pruna malina, & amygdalina reperirentur. Noſtra autem tempeſtate cum arte ea genera periere. Primo eius verba recitabimus, mox artē, qua id efficere poſſimus demonſtrare conabimur. Peculiaris impudentia eſt nucibus inſitorum, quæ faciē parentis, ſuccumq; adoptionis exhibent; appellata ab vtroq; nucipruna. Nuper in Bœtica malina appellari cœperunt, malis inſita, & alia amygdalina amygdalis. His intus in ligno nucleus amygdalæ eſt, nec aliud pomum ingenioſius geminatum eſt. Sed quomodo id fieri poſſit inueſtigādum. Quæ ſupra monuimus, cum de hoc ipſo in perſico loqueremur, huc adducenda ducimus. Præterea eſt alia inſitionis ſpecies, quæ de ſubiecto trunco multa haurit, vt facile prunus ex nuce ſuccum haurire poſſit, faciemq; parentis retinere, ſcilicet truncum nucis perforando, & per foramen pruni ramulos tranſiiciendo, vt ex vtroq; facto cōpages, vtriuſq; naturam referat, quemadmodū de vite inſita ceraſo retulimus, ac de perſico ſalici. Huiuſmodi enim inſitione coniicere licet, hæc inuenta, ac in lucem producta eſſe. De amygdalinis, & malinis prunis idem faciendum puto. Ars.

Palladius ægris arboribus ita medetur: Si languida pruni arbor eſt, amurca cum aqua æqualiter temperata radicibus debet infundi, vel bubulum lotium ſolum, vel humanum vetus, cum duabus aquæ partibus mixtum, vel cineres ex furno maxime ſarmentorum. Si poma decidant, oleaſtri cuneum terebratæ infige radici. Vermes eius, atq; formicas rubrica cum pice liquida, ſi adlinatur, extinguet, ſed modeſtius, propter arboris noxā, ne idem faciat remedium, quod venenum. Morbi & remedia.

Pamphilus nobis ſcriptum reliquit, Damaſcena ſeruari cadis, vino dulci vel nouo natantia, operto diligenter vaſe. Palladius verò. Pruna ſiccantur in ſole per crates loco ſicciore diſpoſita. hæc ſunt, quæ Damaſcena dicuntur. Alij in aqua marina, vel in muria feruente recenter lecta pruna demergunt, & deinde ſublata aut in furno tepido faciunt, aut in ſolo ſiccari. Columella aliam docet Cōditura.

conditurам: Circa messem pruna onychina, & syluestria adhuc solida, nec maturissima legenda sunt, nec tamē nimium cruda, deinde vno die vmbra siccanda, tum æquis partibus acetum, & sapa, vel defrutum misceatur, & infundatur. Oportebit autem aliquid salis adiicere, ne vermiculus, aliudve animal innasci possit. Verum commodius seruantur, si duæ partes sapæ cum aceti vna parte misceantur. Pruna purpurea immatura, non tamen percruda, integra & sine vitio, aut vermiculo, in fictili picata fidelia componuntur, & defruto, aut passo, ita vt omne pomum sit immersum, vas completur, impositoque operculo gypsatur. Nos quæ diximus purpurea, cum ramulis ac pediculis lecta, suspensaque laquearibus, vsq; ad alium ferè prouentum seruari promittimus.

De myxis. Cap. XXII.

DE syluestri pruno diximus in sylua. Nunc autē de myxis: sunt enim prunorum species. Plinius scribit in Damasco monte nata, iamq; Italiæ familiaria esse sua ætate. Dioscorides, & Galenus earum nusquam meminere, cæterique veteres Græci: Plinius ex his vina fieri in Ægypto. Viscumque fit in Syria ex arboris huius acinis, commendatissimum aucupiis, præterquā aquatilium volucrum.

Nomen. Græcis recentioribus μύξα, Paulo Æginetæ, Psello, & Actuario μυξάρια dicuntur per diminutionem ἀπὸ τῆς μύξης, id est à lento narium mucore fluente. Officinæ barbaro nomine, quæ iam ferè maxima ex parte à Mauritanis, vel Arabibus emendicare solent, Sebestena vocant, à σεβαστὸς, quoniam nonnulli in Cæsaris honorem factam arbitrantur.

Forma. Plinius perseam Ægyptiam rubentibus myxis similem esse scripsit. Id est, persea Ægyptia similis esset myxis, si myxa rubescerent. Recentiores, quibus frequens est arboris huius conspectus, ita describunt. Arbor supra terram attollitur procero caudice, qui cortice candido vestitur. Fundit ramos viridi colore nitentes. Folia circinata. Poma auellanæ nucis magnitudine racematim collecta, per maturitatem cærulea. Callo corporis dulci, intus albo, mucoso lentore, vnde Græcis nomen myxon, ita enim mucum nominare consueuerunt, osse oleagino triangulari, cuius nucleus insuauis non est.

Cælum. Palladius in tepido cœlo seri debere scribit. Plinius Damasco monte nata.

Solum. Palladius soluta terra pangi debere docet, humore moderato.

Satio. Palladius, Februario feruntur myxa ex nucleis in aliquo vase positis, donec plantæ induant firmitatem.

Insitio. Plinius scribit: Ipse nunc cœpere nasci Romæ insitæ sorbis. Et myxas rectè inseri in calabrice, ea enim est spina syluestris, quæ eas optimè recipit. Ruellius, cæterique, qui ab eo desumpserunt ignorantes quæ sit calabrix, nescio quæ verba afferunt. In Calabria ea est spina syluestris, quæ myxas optime recipit. Vocatur enim Neapoli calabrix spina illa syluestris, quam Dioscorides oxya-

oxyacantham vocat, vt vidimus in Sylua. Palladius ex Plinio melius. Inseruntur myxa mense Martio, sorbis, & spinis.

De palmis. Cap. XXIII.

IAM ad palmas deuenimus. Erat hic oleæ locus: sed quum nobilitate, mirisque dotibus, quibus est prædita, satis amplam historiam exposceret, suam tractationem in oliuetum transtulimus: relictus est locus palmis. Nam à vino, oleis (Plinio authore) proxima nobilitas palmis. Strabo est author Babylonios carmen decantare, quo tercentæ & sexaginta palmæ vtilitates docerentur, inter quas vna est, quod nihil abiiciat, vt ἀείφυλλος cognominari possit. Vinum ex ea multæ gentes faciunt, inter quas Indi, qui per Augustum, quomodo nos vites, suo tempore palmam putant, quod verò delachrymat, vasis excipiunt, quo pro vino triduo post vulneratam arborem vtuntur, quod enim post illud tempus effluit, acescit, quod verò per triduum defluxerit ahenis ad tertias decoquunt, efficiturque mel suauissimum, quod si volunt, aquis diluunt, ad vigesimum autem diem defæcant: & deinde pro vino vtuntur, quod suauissimum est. Dioscorides quomodo vinum fiat ex chydęis docet. Et ex eo Plinius, quo Parthi, & Indi vtuntur, & oriens totus. Xenophon in Cyri minoris expeditione scribit, ex palmis vinum fieri, quin & acetum ex iisdem decoctis conditum, & siccatas etiam ad vsum bellariorum reponi, mensis ex his suauissimas epulas, quin & cerebro, id est, medulla ex viridibus ramis execta vesci posse, præcipuámque quandam in eo cibi genere suauitatem admirari epulantes. Plinius etiam ex his in Oriente vina fieri, gentiumq; aliquibus panem, plurimis etiam quadrupedum cibum. Et ante chartarum vsum in palmarum foliis primo scriptitatum testatur. Ob suam nobilitatē duæ insignes ciuitates à palmis nominantur, vna maior insularum Balearium, alia Syriæ Palmira dicta. Præterea inter Saturnalia dona palmulæ mittebantur. Vnde Ouidius,

Quid vult palma sibi, rugosaq; carica, dixi.

Et Martialis:

Aurea porrigitur Iani caryota calendis.

Nam decoctæ, aspectus iucunditate, & gustus suauitate omnia tragemata, & bellaria antecedebant. Quibusdam verò palmis in palmulis nucleus lunatus est, hunc potissimum (authore Plinio) contra fascinantes pollere arbitrabantur. Sed lunatum, quasi arcuatum intelligi debet, cuiusmodi in Luna à coitu conuisitur schema. Sed cur maxime ea figura expetatur, Plutarchus declarare videtur in libro de Iside: Ait enim, Solem Luna semper appetit, eumque persequitur, eoq; argumento ab amatoribus aduocari Lunam, & amatoria ab Iside dispensari Eudoxus scribit, quæ non alia est, quàm Luna.

Græcis palma φοῖνιξ dicitur. Palmæque fructuum adhuc florentium inuolucrum & calix ἐλάτη dicitur, vel σπάθη, qui postbac vbi prodierint πῶμα, vbi maturuerint, & solibus nigricant, φοινικοβάλανος appellantur, ac si dicas, palmæ Nomen.

glans, hanc etiam ἐγκέφαλον, id est cerebrum à Galeno videtur appellari: fructus etiam à digitorum forma δάκτυλοι dicuntur. Iulio Polluci mascula φοῖν, fœmella βάλανος est, quod ab Herodoto sumpsit. Latinis verò palma arbor dicitur, fructus palmulæ, & dactyli generaliter vocantur. Sunt qui caryotas, caryotidas, vel caryotim appellitent. Statius,

——— Latente palma
Pragnantes caryotides cadebant.

Et Martialis,

Et notas caryotidas theatris.

Ita arborem *palma*, fructus verò *datteri* vocant.

Forma. Quæ apud Theophrastum perpauca extant & vaga, huc adducemus, vt palmæ delineationem adumbremus. Palmæ arbor tereti, ac simplici caudice altissimè assurgit. Cortice cùm adolescit læui, scabriore multo cum senescit. Lignum humore, neruo, & carne constat, sed processu lignescit. Neruos nõ per totũ corpus expandit, neq; prolixiores, neq; positu eodem extensos: sed multifariã cunctos porrigit. Medulla omnino nulla. Folio arũdinaceo, angulari, duplici, & in medio dorso carinato, per quod amplius in longitudinẽ fertur meatus. Perpetua viret coma. Folia fructus, & germina propemodum cacumine gestat, quippe cum vis tota genitalis in eius vertice resideat. Fructum producit non ex anniculis, vel nouellis ramis, vt cæteræ arbores, sed è rudimentis præcedentis anni, cum turgent in spicis semina antequam proferãtur: ramulos enim simul cum fructu in spica prodit. Huius rei causam & arboris proprietatem, & siccitatem dixerim: præterea fructus munimento quodam egent ad conseruationem & cùm editi sunt, & cùm exeunt, quando aliarum arborum fructibus hoc præsidium à frondibus petatur, in palma verò, quia secundum frondem fructus inest, necesse fuit, in ipso sinu conformatus, & constitutus, vt validiusculus, non tener prodeat in aerem. Quæ fructificatio similis est spicarum fœtificationi. Fructus dulci succo præditus. Semen protinus post tegmẽ ambiens subest, ambientiaque plura sunt, cauitatem nullam habens, sed totum plenum, solidumq; est, tamen huic quoq; humor quidam, calorq; inest, estq; maxime diuturnum, cùm spissum, siccum, lignosumq; sit, pulpaque ambiatur. Plinius, quæ ex Theophrasto accepit habet: Palma arbos teres, & procera, densis gradatisq; corticum pollicibus, vt orbibus, facilem se ad scandendum orientis populis præbet, vtilem sibi, arborisq; induuiis circulum mira pernicitate tum homine subeunte. Coma omnis in cacumine: & pomum est, non inter folia, vt in cæteris, sed suis inter ramos palmitibus racemosum, vtraque natura vuæ, atque pomi. Folia cultrato mucrone, lateribus in sese bifidatis, bellas primum demonstrauere gemmas, nunc ad funes, vitiliumq; nexus, & capitum leuia vmbracula finduntur. Prima nascitur pomi caro, postea lignum intus, hoc est semen eius. Argumentum quod paruæ sine hoc reperiuntur in eodem palmite. Est autem oblongum, non vt oliuis orbiculatum, præterea cæsum à dorso pulminatæ

vlnata fissura, & in aluo media plerisq; vmbilicatum, vnde primum spargitur radix. Multis, candidisq; lignum hoc à carnibus distinditur tunicis, aliis corpori adhærentibus, laxeq; distans, tantum à cacuminibus filo adhęrens. Caro maturescit anno. Huic folia non decidunt, & duplicia sunt. Fructus dulci succo præditus, caro statim à ligno recedit, sed quibusdam palmis lignum, nec intus nec extra. Fructus in racemis dependet. Carne, & succo placet. Sola ex arboribus in spathis habet fructum racemis propendentem. Tardè crescit, & subarata ocyus senescit. Cortice scabro, in senecta rugosior. Tantus est huiusmodi arboris decor non ingratus, vt Poetarum princeps Homerus puellæ Phæaciæ Nausicaæ venustatem palmę ramo assimilare permiserit. Sola inter arbores vnicam in quolibet Lunæ exortu frondem geminat, vt duodecim frondibus annum expleat. Quare Ægyptij annum exprimere volentes palmam arborem depingebant, vt author est Horus in suis Hieroglyphicis.

Palmarum genera à Theophrasto descripta hæc sunt. Primum, & quasi discrimine maximo aliud sterile, aliud fructiferum. Sterile quo Babylonij lectos, & vasa conficiunt. Fructiferorum aliud mas, aliud fœmina, illa super spatham floret, fœmina suum fructum oblongum illico præstat. Horum aliud fructu, aliud arbore inuicem distat. Fructus inter se nucleo, colore, magnitudine, & sapore. Fructuum ipsorum alij sine ligno, alij cum ligno, & horum alij duro, alij molli sunt. Colore etiam discrepant, alij enim candidi, alij nigri, alij flaui, & ad summum non pauciores, quàm ficorum colores. Magnitudo aliis malorum, vt quatuor tantum in spica contineantur, aliis cicerum. Et in Cypro genus est, quod folium amplum habet, & fructum multo ampliorem, magnitudine mali punici, figura oblongum, insipidum, sapore radicibus simili, vt non deuoretur, sed succo expresso expuatur. Saporibus quoq; plurimum differunt, sed optimum tam inter nigros, quàm candidos genus est, quod regium vocant, non vbique, sed in hortis antiqui Batoni apud Babylonem cōperiri affirmant. In Cypro genus quoddam est aliud, cuius fructus nunquam maturescit, crudus tamen suauis, dulcis dulcedinemque peculiarem sortiens. Differunt arbores longitudine, & forma. Nam aliæ longæ, excelsæque, aliæ breues fœcundiores, quæ trimæ, & in Cypro, Syria, & Ægypto quadrimæ, & quinquennes fructificant, hominis altitudine assurgentes. Aliæ præterea simplici caudice, aliæ bifidæ, vt in Ægypto, quasi bifurcæ, statura caudicis à parte, qua finditur, vel quina cubita, paresq; inter sese propè partes ipsæ assurgunt. In Creta bifidæ, & trifidæ. In Lapea etiā quino cerebro nasci tradunt, & fertilioribus locis plura eiusmodi. In Æthiopia genus Cyce vocatum fruticosum, pluribus caudicibus, & interdū coniunctis, virga breui, leui coma cacumini annexa, folio amplo, & quasi ex duobus minutis cōpacto, forma eximia, fructū figura, magnitudine saporeq; diuersum, quàm cæteræ præstant, quippe rotundiorē, gustu gratiorem, minusq; dulcem, triennio maturat, vt recentē fructū habeat, nouo subnascēte. Panes ex his quoq; cōficiunt. Genus est aliud palmæ humile,

Genera.

quasi æquiuoce dictum: excepto cerebro viuit, & ab radicibus succisum repullulat: fructu enim, & foliis distat, est enim lato, molliq; folio; ob id sportulas, tegetes, & capitis vmbracula ex eo contexunt. In Creta, & in Sicilia multo plures tales proueniunt. Plinius, quæ ex Theophrasto aliisque excepit, habet, nos ne ad illorum lectionem lectores diuertamus, huc afferre non pigebit. Genera vndequinquaginta sunt: si quis omnium persequi velit nomina, etiam barbara, vinorumque ex iis differentias, genera earum plura. Prima fruticem non excedentia: sterilem hunc, alibi & ipsum fertilem breuique ramorum orbe foliosum. Tectorij vicem hic parietibus plerisque in locis præstat contra aspergines. Procerioribus sylua arbore ex ipsa, foliorũ aculeo fruticãte circa totas pectinatim, quas syluestres intelligi necesse est. Incerta tamen libidine etiam mitioribus se miscent. Arboribus, imò potius omnibus, quæ terra gignit, herbisque etiam, vtrumque sexum esse diligentissimi naturæ tradunt, nullis tamen arboribus manifestius. Mas in palmite floret. Fœmina citra florẽ germinat tantum spinæ modo. Caro quibusdam in locis, vt in Cypro, quanquam ad maturitatem non perueniat, grato sapore dulcis est, & folium ibi latius, fructusque reliquis rotundior, nec vt deuoretur corpus, verùm vt expuatur succo modò expresso. Et in Arabia languidè dulces tradũtur esse palmæ. quanquam Iuba apud Scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant dabulan. Quædam in Syria, & Ægypto in binos diuidunt se truncos, in Creta & ternos, quædam in quinos. Ferunt statim in trimatu. In Cypro verò, Syriæ, Ægypto quadrimæ aliæ, aliæ quinquennes, altitudine hominis, nullo intus pomi ligno, quandiu sunt nouellæ, ob id spadonũ accepto nomine. Sterilibus ad materias, operumq; lautiora vtitur Assyria, & tota Persis. Sunt & cæduæ palmarũ quoq; syluæ, germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant: exemptaq; viuunt, quod nõ aliæ. Vocantur autem chamæropes, folio latiore, ac molli, ad vitilia vtilissimo. Copiosæ in Creta, sed magis in Sicilia. Fructiferarum aliis breuius lignum in pomo, aliis longius, his mollius, illis durius, quibusdam osseum, lunatumq;, dente cõtra fascinantes religione politum. Aliud pluribus vestitum, paucioribúsve tunicis: aliud crassioribus, tenuioribúsve. Fructuũ quoq; plura genera. Differunt figura rotunditatis, aut proceritatis. Differũt & colore nigriores, ac rubẽtes. Nec pauciores ficu traduntur colores, maxime tamẽ placent cãdidi. Distant & magnitudine, prout multi cubitum effecere. Quidam sunt nõ ampliores faba. Alexandri milites palmis viridibus strangulati sunt. In Gedrosis id factum est pomi genere, alibi copia euenit. Est enim tanta musteis suauitas, vt finis mandendi non nisi periculo fiat. At in meridiano orbe præcipuã obtinent nobilitatem syagri: proximamq; margarides. Eæ breues, candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores, quare & nomẽ à margaritis accepere. Vna arbor earum in Chora esse traditur, vna & Syagrorum. Mirumq; de ea accepimus, cum phœnice aue; quæ putatur ex huius palmę argumento nomẽ accepisse, emori, ac renasci ex se ipsa,

(quod

(quod erat prius) pomis refertam. Ipsum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus distans, sapore ferino, quem fermè in apris nouimus: euidentissimeq; causa est nominis. Quarta authoritas saudalium à similitudine appellatum. Iam in Æthiopiæ fine quinq; earum, nec plures arbores tradunt, non raritate magis quàm suauitate mirabiles. Ab his caryotæ maxime celebrantur, & cibo quidem, sed & succo vberrimæ. Ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, vnde pomo nomen. Sed vt copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota; sed Hiericunte maxime, quanquam laudatæ & Archelaide, & Phaselide, atq; Liuiade, gentis eiusdem conuallibus. Dos his præcipua succo pingui lactentibus, quodamq; vini sapore in melle prædulci. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. Minus speciosæ, sed sapore caryotarum sorores, ob hoc adelphides dictæ, proximam suauitatem habent, non tamen eandem. Tertiũ ex his genus pateton, nimio liquore abundans, rumpitq; se pomi ipsius etiam in sua matre ebrietas, calcatis similis. Suũ genus est, sed è ficciore turba iacens, dactylis prælonga gracilitate curuatis in terrã. Nam quos ex his honori deorum dicamus, chydeos appellauit Iudæa. In totum arentes Thebaides, atq; Arabicæ, macro corpore exiles, & assiduo vapore torrentes, crustam verius, quàm cutem obducunt. In ipsa quidem Æthiopia friatur hæc (tanta est siccitas,) & farinæ modo spissatur in panẽ. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed maiore, quàm mali amplitudine; cycas vocant. Triennio maturescunt. Semperq; frutici pomũ est subnascente alio. Apud nos palmæ fructus varii sunt generis, alii enim crocei, rubescentes, alii candidi sunt. Genus Theophrasto humile dictũ, quo Creta, & Sicilia abundat, Plinius chamerope appellat, Palladius, cefalonem. Nobis copiose affertur ex vulgo dicta *Terra del police* fortasse à Pollucis templo, quo loco cadauer illius visitur, quæ iuxta Lylibeum sita est, antiquitus Selinis dicta, ob id à Vergilio palmosa dicitur:

——— Palmosa Selinis.

Et Silius,

Palmis quoque Selinis.

Sed cur Plinio Nicolai dicantur, comperio apud Plutarchum, Nicolaum quendam fuisse peripateticæ familiæ philosophum, suauissimis moribus, egregia indole præditum, corpore procero quidem, sed non indecoro, facie paulo pleniore sparsa puniceo rubore, quo cùm maxime oblectaretur Imperator, eumq; diligeret plurimum, similitudinis argumento, balanos magnitudine præcipua, & pulchritudine nicolaos dici instituit. Ex Athenæo verò, Nicolai ab Augusto in primis nominati in honorem Nicolai peripatetici philosophi, crebro eas ad illum mittentis.

Palma non omnium prouinciarum hospes, nec vbiq; fructuaria est, sed sæpe suos hospites fallit fructu, & maturatione. Theophrasto authore æstuosi *Colum.*

aëris auida est, imo gaudet excessu, quocirca in Babylone, & Syria fructu præcellit, & nisi caliditas faueat plãtæ, fructus non maturatur. Si quis è Babylone in Græcia serat, peregrini cœli ignara sterilescit, sed si quis è Græcia in Babylonem serat, reddi fructiferam, ac loci illius domesticam dicunt. Diximus de Cypro, Creta, Æthiopia, & Ægypto. Plinius, Nulla est in Italia sponte genita, nec in alia terrarum parte, nisi in calida: frugifera verò nusquam nisi in feruida. Iudæa inclyta est vel magis palmis, nec in tota, sed Hyericunte maxime. Sunt quidem & in Europa, vulgoq; in Italia, sed steriles. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verùm immitem, dulcem in Africa, sed statim euanescentem. In Oriente maxime vigent. Quamobrem iure dicentur externæ. Diximus in Assyria, Syria, Ægypto, Creta, Cypro, Babylone, Æthiopia, Arabia nasci. Fastidit palma vbique nasci, aut nata parere, vel cum promisit etiam, ostenditque ea educare, quæ tanquam inuita peperit. Palladius locis delectari apricis, & calidis dixit. Idumæa Syriæ regio palmis abundantissima est, vnde Virgilius,

Primus Idumaeas referam tibi Mantua palmas.

Lucanus,

Et arbusto palmarum diues Idume.

Silius verò:

Palmiferamq; senex bello domitabit Idumen.

Persiam vsq; ad Mesenem, & mare magnum palmis abundare scribit Ammianus, vt instar ingentium nemorum videantur. Dioscorides in AEgypto gigni scripsit. In ipsa AEgypto apud Tentyram preciosæ sunt. vnde Iuuenalis,

Qui vicina colunt vmbrosæ Tentyra palmæ.

Plinius etiam. Esseni gens sola, palmarum socia: infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate, palmetorumq; nemoribus. Quod ab eo Solinus etiam affert.

Solum.

Theophrastus solum arenosum, salsuginosumque concupiscere scripsit. Quodq; tale appetat locum illud arguméto est, quod vbi palmarum copia sit, humus arenosa concernatur, quippe Babylonem, in qua palmæ nascuntur, ita esse aiunt. Sic Africam, AEgyptum, Phœnicem, & Syriam quoq; cauam cognominatam. Plinius ex eo, Gignitur leui, sabulosaq; terra, maiore in parte, & nitrosa: salsumque ab his solum diligitur. Anatolius scribit ab ea solum concupisci salsam terram, & ad omnia ineptam, & sic optimos fructus proferre, quapropter sua regio, quia salsuginosa, optima erat ad palmarum plantationem. Palladius terram solutam, vel sabulonem requirere scripsit. Cæterum non solum salsuginem, sed etiam riguum locum palmam concupiscere narrat Theophrastus, nec admodum in profundo aquam, & dulcem, & salsam inuicem propinquas habere oportet. Pars Africæ in qua nunquam pluit, palmas magnas, atq; optimas producit. Aquam item subditam palmis ad Ammonis delubrum esse ferunt. Plinius: Gaudet & riguis, totoq; anno bibere cùm a-

met,

met, anno ſitienti, ſquallidoq; lætior eſt. Palladius: Aquis palmæ aliquatenus ſalſis iuuantur, & ſi tales eas natura non præbuit, infici debent ſalibus. Diodorus Iudæam omnibus in locis palmetis fertilem deſcribit, quæ fluminibus, & aquis irrigentur. Scribit etiam Theophraſtus ancipitis eſſe vitæ, & quæ terreſtris ſit, & mari nonnunquam viuat. Vita in ſicco æque vt in humore.

Palmas Theophraſtus ex his eſſe dicit, quæ ſemine tantum naſcantur, non degenerantes, ſed in ſuo genere perſiſtentes. Serantur autem ligna, quæ fructibus inſunt, bina iuxtà compoſita, ſuperque totidem, omnia tamen prona, germen enim non de ſupinis, cauisq; partibus mittunt, ſed è ſupernis, quapropter in earum coniunctione quæ ſuperponuntur, minime eſt operiendum principium, vnde germen. Plura ſimul ſeri debent, quoniam infirma ſingulis plantatio eſt, horum radices amplexu mutuo connectuntur, in vnum ex cunctis caudicem primo ortu promiſcuo coeunt. Seriturq; fictilibus in vaſis perforatis. Ex quo Plinius, Seritur autem pronum, & bina iuxta compoſita ſemina, ſuperque totidem, quoniam infirma ſingulis planta eſt, quaternæ coaleſcunt. Virgilius etiam ſemine naſci cecinit, Satio.

Chaoniiq; patris glandes, etiam ardua palma
Naſcitur.

Serendarum palmarum ratio à Leontio ita traditur: In excauatis duorum cubitorum altitudine, & totidem latitudine ſcrobibus, & aggere fimo quolibet, præter caprillum, ſaginato, ſeſquipedem in altum completis, oſſa ſeu nuclei palmularum humantur, ea tamen conditione, vt eorum mucrones in Orientem ſpectent, dein terra ſtercore ſatiata poſt reſperſum ſalem obruuntur. Quotidie dum germinent imbre, rigantur. Palmarum verò ſemina non illico terræ credi debent, ſed fictilium fundo mandari, & vbi comprehenderint transferri. Palladius: Cui placet curas agere ſæculorum, de palmis cogitet ſerendis. Octobri menſe dactylorum non veterum, ſed nouorum, ac pinguium recentia oſſa debebit obruere, terræ cinerem miſcere. Nos autem palmulas eligimus maiores, pinguiores, quæ ex arbore vnquam pependerint, non ſiccas, aut in rugas contractas, ſed quæ conſpicuo ſuccini colore micent, ac Martio menſe vſq; ad Maium ſeri poſſunt oſſa: vt vi ſolis citius naſcantur, puerorum vrina, aut ſalſa aqua, aut dulci permixta ſale biduo madeſcant, fictilibus ſerantur, vt poſt ſextum, vel decimum annum tranſplantentur in terram. Sunt qui ſcribant maris, & fœminæ oſſa ſimul colligari quatuor, vt vna planta ex his omnibus efformetur, ſic fœminam maſcula ad ſui fœtificationem egere: quod mihi plane commentitium videtur.

Seritur etiam viuiradice. Nam Theophraſtus mutatione ſedis vehementiſſimè gaudere ſcripſit, eaſque anniculas transferunt, & bimas iterum, ſalemq; adiiciunt, idq; vere faciunt. Sed Babylonii circa ſydus, & ad ſummum pars maior eo tempore ſerit, vt proueniat, creſcat celerius. Ex quo Plinius: Ergo plantaria inſtituunt, anniculaſque transferunt, & iterum bimas. Gau-

dent enim mutatione sedis, verna alibi, in Assyria autem circa carnis ortum. Leontius verò: Sunt qui plantas transferant, alii vernaculo situ contenti sic inolescere patiuntur. Palladius, Si plantam velit, ponenda est Aprili mense, vel Maio, ita tamen, vt quando planta deponitur, circa eam, vel sub ea pinguis terra fundatur. Annicula transfertur, aut bima, Iunio mense, vel Iulio incipiente. Nos quod huc afferamus, nil habemus, cùm nostris regionibus vix semine serantur ob specimen. Didymus auulsione etiam plantari posse dixit. Plinius, Ab radice auulsæ vitalis est satus.

Quod etiam propagari possit scribit. In Assyria arbor strata in solo humido, tota radicatur, sed in fruticem, non in arborem abit. Theophrastus ramos superne cæsos in locis Græciæ si quis serat, radicem demittere, & germen non solum è cerebro nasci, verumetiam subtus radicari, largius asserit. Plinius etiam, E ramorum tenerrimis vitalis est satus.

Trunco etiam nasci posse docet Theophrastus, cum supernam partem auferunt, qua cerebrum includitur. Auferunt enim duorum cubitorum longitudine, quam fissuris humore ipso detracto defodiunt. Item si truncus inuersus ponatur, sitque solum humidum, multis partibus radices dimitti, & germina dari exploratum habet. Id tamen maiorem amplitudinem capere nequit. Ex eo Plinius: Seruntur autem palmæ & trunco duorum cubitorum longitudine à cerebro ipso arboris viridi fissuris diuiso, atq; defosso.

Fit quoque satus è virgis, & à Theophrasto itidem edocetur, hoc modo: Virgas enim tenerrimas Babylonios viuiradices efficere, adultasq; transferre accepimus, ex quibus palma facile procreari potest, tum humi feracitate, tum nascendi facilitate. Tenerrimæ enim virgæ petuntur, quia tales humidissimæ sunt: sed è cerebro potius, quàm imis partibus germen prodire ratio est. Huic enim & virgarum exortus, & omnino velut principium quoddam vitale est. Ortus vndique propterea sequitur, quia humor, calorque naturalis vbique aliquandiu valet perdurare; scilicet ea de causa, quia ob angustiam meatuum prohibetur exuccatio illa.

Trogus palmas foliis seri apud Babylonios scripsit, atq; ita arborem producere, quòd Plinius admiratur.

Cultus. Theophrastus ait, Nouellam minime tangunt, sed comas duntaxat ei religant, vt procera assurgat, nec virgæ torqueantur. Post hæc deputant, cùm iam maiuscula sit, & crassitudinem habeat ad magnitudinem palmi. Quandiu nouella est, fructum nullo intus ligno producit, postea cum ligno. Quidam Syrios nullam adhibere culturam, sed purgare tantum, atq; irrorare affirmant. Plinius ex eo: Nec ferro attingunt in Assyria nouellas, sed religant comas, vt in altitudinem exeant. Robustas deputant crassitudinis gratia, semipedales ramorum relinquentes truncos, qui decisi alibi necant matrem. Aquam scaturientem potius, quàm pluuiam eas quærere aiunt. Talem autem in conualle, qua palmaria insunt exuberare. Conuallem hanc, per Arabiam vsq; ad rubrum

brum

brum tendere mare Syrios affirmare, ac plerosq;, qui inde venissent, referre. In eius itaq; conuallis parte cauissima palmas exoriri enarrant.

De fimo inter scriptores non constitit. Quidem ab eo prorsus abhorrere statuunt, eamque quouis modo delectari negant. Alii vsum fimi concedunt, incrementum inde magnum consequi affirmantes. Riuis tamen fimum immiscere oportet, inquiunt, quemadmodum Rhodii facere solent, & fimum ipsum cum aqua vtilem & sine aqua non esse contingit. A Theophrasto hæc Plinius, A fimo quidam etiam lædi putant, & Assyriorum pars aliqua, si non riuis misceatur.

Salem concupiscere scripsimus, iccirco, vbi salsuginosum solum non sit, agricolæ sal aspergunt, quod quidem circum radices facere haudquaquam oportet, sed longius amandando accumulare, quantum semisestarius. Est & asperitas in palma, aufferturque ab ea vi salis ab initio. Sed nil peculiarius inter curas agricolarum, quàm sal, quod radicibus palmarum adiicitur; quod opus & germinationi, & fructificationi conducibile est. Sal ne adhibeatur, vel muria, nil refert, nam vbi sal in solo non sit, salis ope subueniunt. Sed ratio in solo, & radicibus requirenda est; sal terram, & radices afficit: sal terram leuem, & dissitam facit, & radices vegetiores, crassioresque, nam pabuli plus trahunt ex apertis meatibus, & causa est refrigerationis, cùm stercoratio idem præstare non possit; etsi palma calidum quærat aërem, vt maturescat fructus, tamen radicibus refrigerari desiderat, quod sal præstat. Babyloniis experientia compertum est sale iuuari palmam, non fimo. Quod sal prosit pamæ, Naturæ proprietati imputandum, materies enim arborisque radices à cæteris distant, ob id sale remorsæ, alimentum vberius trahunt, vt sibi satis habeant, & quantum exigitur ad fructum nihilo secius queant suppeditare. Plinius dixit salsum ab his solum diligi, ergo vbi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed longius paulo. Leontius, Cæterum cùm salsa humo gaudeant, quotannis ablaqueare conuenit, & salem iniicere, sic celeriter in magnam proceritatem exibunt. Aquis palmas aliquatenus salsis iuuari scripsit Palladius, quæ infici debent salibus, etiam si tales eas natura non præbuit.

Aristoteles: In palmis si folia, vel foliorum puluis, vel palmæ masculæ ramus fœmellæ apponatur, maturescit ei fructus, eorumque casus prohibetur. *Morbi & remedia.* Discernitur mas à fœmina, quia prius folia eius pullulát, & sunt minora. Quod si ventus masculæ odorem ad fœminam duxerit, maturescunt earum fructus. Theophrastus inter arbores, quę maxime fructum amittere possunt, palmam connumerat. Palmis autem mascularũ coitum referunt. Hoc enim & perdurare, & maturescere fructus efficit, & ob similitudinem caprificationẽ appellarunt. Quę sic fieri solet: Dum mascula floret, spatham abscindentes, qua flores emergunt protinus, & lanuginem, & florem, & puluerem, quem continet super fructum fœminæ decutiunt. Illa sic eo aspersu afficitur, vt suos fructus nullo pacto amittat, sed cunctos conseruet; vnde fit, vt duplici adiumen-

to mas esse fœminæ valeat. Fructiferam etiam fœminam quoq; facit. Sed alterum coitu, alterum alia ratione contingit. Caussam diceret aliquis fœminam ad perficiendum minus sufficere, & cùm conspicua putetur caprificationis ratio, in palma nulla causa dari potest. Ex quo Plinius: Perdit facillime ante maturitatem fructus palma. Cætero non sine maribus gignere fœminas sponte edito nemore confirmant, circaq; singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu, visuq; ipso, & puluere etiam reliquas maritare. Huius arbore excisa viduas post sterilescere fœminas. Adeoque est Veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore, ac lanugine, interim verò tantum puluere insperso fœminis. Cæterum non est silentio prætereundum, quod Leontius veterum testimonio fretus memoriæ prodidit: Palmas vehementi se prosequi amore, ita vt altera alteram depereat: adeo inest Veneris intellectus, nec prius ardenti desiderio, cupiditateq; leuabitur, quàm ipsam adamatus mas consoletur. Quandoquidem videre licet pronam suis comis incumbere, impatientemq́ue suum non ferre stabilimentum, quin & quasi viduam sterilescere, quę res agricolam non latet, sed cuius amore deflagret, aut in quem maritandi cupidine solicitetur, incompertum habet. Quapropter complures palmas inibi circiter obsitas digitis contrectans, ac blande demulcens, reuersus ad hanc denuo, quæ corripitur amore, & manibus dato tanquam osculo contingit, tum quadamtenus veluti refricato huiuscemodi desiderio denuncians, blandioribus comis, perinde quasi manibus in eum nutat, cuius cupidinis tabe peribat, hoc velut oculorum gestu amorem confessà, seseque huius studio constimulata, quasi radicibus abiicit. Huius vesaniæ remedia sunt, si subinde manus ei admoliatur agricola, quæ marem, cuius inani amore capiebatur, attigerit, multo magis insanus amor discutietur, si maris flores capite erutos amasiæ capiti circũponat, hæc mariti ornamento collustrata fructum dabit, hocq; pignore amoris exhilarata fœcũdabitur. Herodotus scribit, Babylonios palmas curantes more ficorum. Harum, vt aliarum arborum Græci masculas vocant, quarum fructus his, quæ palmulas ferunt, alligant, vt illinc prodiens culex palmulas penetrans cogat maturescere, alioqui occasuras. Ferunt eorum mares quemadmodũ caprifici culices. Athenæus ex eodem idem affert. Nobiliorem creari fructum Democritus promittit, si inutiles vaginæ, thecæve, quas nõnulli helices florentes vocant, vbi resiccatæ fuerint, palmarum caudicibus quemadmodum caprifici ficis adpendeant. Claudianus hæc innuit,

Viuunt in Venerem frondes, animisq́; vicissim
Felix arbor amat, nutant ad mutua palmæ
Fœdera.

Vberiores & proceriores adolescere pollicetur Didymus, colata vini veteris fæce, & radicibus affusa. Iuuari quoque consperso itidem sale. Palladius, Si ægra est arbor, fæces vini veteres ablaqueatæ oportet infundi, vel radi-

eum superuacua capillamenta decidi. Vel cuneum salicis interfossis radicibus premi.

Vulnerato cerebro palmam emori tradit Theophrastus: vis enim vitalis germinatrixve in eo sita est, quamobrem cùm id resiccatum, alteratumq́; sit, aeris calorisq́; alieni intrusu corrumpitur, partisq́; superioris pernicies ad ima descendit. Arboris peculiaris natura est, vt pars ea vitæ auctrix sit. Interit etiam decacuminatione palma, idq́; non sine ratione contingit, scilicet sua siccitate, meatuum rectitudine, & radicis simplicitate, vulnus præbet aditum caloribus & frigoribus, cum sit circulare, & superincumbens facile ad ima descendit, propter transmissionis facilitatem, quia recta est, nec ipsa radice pullulat, tum quia alimentum superioribus partibus ministrat, tum radicis siccitate. Præterea singulari radice prædita, & alte descendens, nusquam alimoniæ quicquam superfluit, nec verò dimotum aliorsum se vertit, itaq; fit, vt nullum sit exurgendæ prolis initium: Vnde omnino huic mortem sequi necesse est. Præterea si depascatur palma, ei exitium non affert, sed sterilitatem. Referri hoc potest ad causam iam dictam: ex offensione principii finem lædi. Iam est germen, & fructus nondum est, quia futurus, absumitur succus in germine, non feret ergo fructus absumpta materia. Sed id fortasse non patiuntur in suis regionibus, in quibus non sunt, vt apud nos, peregrinæ. Plinius ex eo. Quibusdam debilitas sterilitatem non necem affert, vt si quis palmæ cacumen auferat: sterilescunt enim nec moriuntur. Cum cerebrum eruitur palmæ, effœcatur, ex Nicandri traditione.

Theophrastus ait. Palmæ materies prævalida est, & in diuersum, quàm cæteræ incuruatur, quippe cùm non infra flectatur, pandaturq́;: sed cõtra pondus fornicatim surgit. Ex quo Plinius: Palmę arbor inualida, in diuersum enim curuatur, & è contrario fornicatur. Quærit Plutarchus Symposiacon octauo quanam de causa alia certamina alias habeant coronas, palmam communiter omnia. Alii sunt à foliorum æquabili ordine institutum id esse opinantes, ceu certatim cooriantur, & quodammodo simul currant, quadam contentionis imagine, idq́; tacito naturæ consensu, cum victoriam *νίκην* dicunt, quasi *παρὰ τὸ μὴ εἴκειν*, id est, à non cedendo. Alii ob pulchritudinem, & germinandi venustatem. Alii sunt opinantes victoris gloriam quantum omnino fieri potest ab interitu, & senio immunem esse, cùm palma inter longæuas plantas maxime macrobia sit, id est, longioris æui. Id Orphicum illud comprobare videtur, — Materia.

Animal æquale longicomis palmæ ramis.

Huic etiam congruere videmus, quòd arboribus decussis prioribus foliis succrescunt alia, palma nullum abiiciens è se natum folium, suis semper foliis ornatur, quam vim victoriæ arbori accommodant. Sed si quid ex historiis petendum sit, legitur in Atticis, quòd Theseus primus in Delo certamen instituens, de sacra palma frondẽ auulsit, inde spadicem dictam. Videtur etiam hoc præmium esse Pythicũ, quòd Amphictyones Pythiis primum victores in ho-

norem Apollinis lauro, ac palma coronauerint. Sed peculiare præter hæc omnia, & cum nulla alia planta cõmune, quod palma si superne imposito onere premas, non deorsum inflectitur, sed contra incuruatur, quasi vi renitens prementi: ita res se habet in athleticis certaminibus, imbecilles enim, & molles flectuntur, & deprimuntur, qui verò validi sunt, non corpora modo, sed animi etiam eriguntur. Tradit Pharnutus, Musas palmis coronatas propter homonymiam: quòd Phœnices primi inuenisse literas credantur, nam palma (vt diximus) Græcis φοῖνιξ dicitur, sed ratio magis probat ob arboris teneritudinem, propter quam non facile scanditur, sicut nec ad Musas & Poësim: vel propter eius virorem, & beneficentiam, nam dulcissimos fert fructus. L. Papyrio, & Sp. Caruilio coss. deuictis Samnitibus, captisque illorum oppidis Aquilonia, & Cominio, palma data est, more tunc primum è Græcia in Romam translato, vnde postea inoleuit, vt victores spadicem haberent. Virgilius,

Eliadum palmas Epiros equarum.

Victoriam ob id deam palmarem Apuleius vocitat, & palmaris vestis triumphantium fuit, & palmaris statua, quæ alicui propter victoriam erigebatur. Sed de palma victoriæ symbolo hactenus. Palma item ex Theophrasto materie tractatu facili, & cum dolatur & serratur, molliore & lentiore, quàm suberis: suber quidem rigidus est; quare simulachra è palmis condere cœperunt, repudiata, spretaq; suberis materia, vt incommoda. Cremata fumo infestat, de quo & Cheremonis poetæ carmen, Palmas ad venas vsq;, & radicetenus esse fumosas.

Palma Deli longæua proditur. Plinius: Quæ in laminas secatur, cuiusque operimento vestiatur alia materies, præcipua est palma. E palmis prunæ viuaces, ignisque lentus. Palma Deli ab eiusdem Dei ætate conspicitur. In Oriente funes validos è palmæ foliis fieri dictum est, eosq; in humore vtiliores esse, & apud nos ferè palmis à messe decerpuntur. Ex his meliora, quæ sese non diuiserint. Siccantur sub tecto quaternis diebus, mox in sole expanduntur, & noctibus relicta, donec candore inarescant, postea in opera finduntur. Didymus scribit candidos, & ad implexus tegetum, sportularumq; aptiores reddi spadices, si à termitibus euulsi virides, quaternis diebus sub tegmine condantur, postea sinamus quatriduum imbre rorido perfundi, deinde solibus, dum inalbescant, exarescere.

Conditura. Palmulæ, quæ condi & reseruari possint, Theophrastus in arenosis locis enascantur oportere dicit, vt in Cælesyria, tribus duntaxat locis, vbi arenæ sint, proueniant: alibi computrescunt. Recondi autem fructus, qui in Syria nascuntur, illos tantum posse, quos palmaria conuallis parturit, narrant, qui verò in Ægypto, Cypro, & alibi gignuntur, hos adhuc recentes omnes cõsumi. Ex eo Plinius: Seruantur hi demum, qui nascuntur in salsis, atque sabulosis, vt in Iudæa, & Cyrenaica Africa, non item in Ægypto, Cypro, Syria, & Seleucia

cia

tia Assyriæ: quamobrem sues, & reliqua animalia his saginantur. Vitiati, aut vetusti eius pomi signum est decidisse candidam verrucā, quæ racemo adhæserit. Thebaidis fructus extemplo in cados conditur, cum sui ardoris anima: ni ita fiat, celeriter expirat, marcescitq; nō retostus furnis. M. Varro, Palmulas quanto citius promas, iucundiore vtare, quod vetustate palmula fit cariosior.

De cerasis. CAP. XXIIII.

DIXIMVS de baccis, dicturi de acinis. Nunc historiam cerasi cōtexemus, quia medium genus habet, inter baccas, & acinos, authore Plinio. Inter prima è pomis colono annuam gratiam refert. Peregrinæ & cerasi, & omnes, quarum Græca nomina, aut aliena. Ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia, ad vrbis annum sexcentesimum octogesimum, is primum vexit è Ponto. annis cxx trans Oceanū in Britanniam vsq; peruenere: Athenæus memoriæ prodidit, Lucullum debellato Mithridate victorem reuersum, primum arborem hanc à Cerasunte Pontico municipio in Italiam detulisse, fructumque gentilitio nomine cerasium appellasse. Veruntamen Diphilus Siphnius vir arte, & facundia celebris, longis annorum curriculis vetustior, vtpote qui Lysimachi regis successoris Alexandri ætate vixisset, cerasorum meminit. Cerasa, inquiens, bonum succum creant, sed parum subministrant alimenti, stomacho grata sunt, & eidem auxiliantur in frigida sumpta. Sed rubentiora præstant, & Milesia, quæ vrinam pellant. Sed Seruius grammaticus inquit, antequam è Ceraso vrbe Lucullus adueheret, cerasium erat in Italia: sed durū, & cornu appellabatur, quod postea mixto nomine cornocerasium est vocatum.

Græcis, Latinis, & Italis cerasus eodem nomine appellatur. Græcis enim κέρασος, & κεράσιον à Cerasunte gentilitio, vt diximus. Latinis arbor cerasus, fructus cerasum. Seruius pomum cerasium, non cerasum vocitari præcipit. Itali *Cireggio*, & *Cirasō*. *Nomen.*

Theophrastus satis anxie eius descriptionem prosecutus est. Cerasus peculiarem naturam sortita est, ad quatuor, & viginti cubita proceritatis erigitur, & crassa quaternis dodrantibus à radice, siue bicubitali crassamento. Folio mespili, prædùro, & latiore. Corticis læuore, colore, & crassitudine tiliæ similis. Is meatu flexo, nec complente gyrum obducitur arbori, quasi mucronatim ambiat, ab imo sursum in angustias sese colligens, qualis in fronde quoq; ipsa descriptio est. Quum desquamatur, hoc eodem modo delibrari solet, alioquin præscinditur potius, quàm filo eodē detrahi possit. Quin & per crassitudinem prætenuis modo folij finditur, reliquumque durare, arboremque tueri valet, nec iactura huius arbor ipsa emoritur. Quod si totum deglubas, qui reliquus est humor, elabitur. Porrò tunica exteriore adempta nigricat pituita quædam mucosa: & vice eius secundo anno tenuior subnascitur, priorisque damnum resarcit. Nerui ligno contorti, conuolutiq; in anfractus, vt cortici: virgæ con- *Forma.*

tinuo naſcuntur eodem modo. Rami dum adoleſcunt, alij pereunt, qui ab imo ſparguntur, alij continuo creſcunt, vt ſuperi. ramoſa prorſus arbor nõ eſt. Paulo enodior, quàm populus. Flore albo pyri, vel meſpili, pluribus floſculis racematim congeſto, fauaceo. Fructu rubro dioſpyri figura, magnitudine fabæ, quamquã acinus dioſpyro prædurus, ceraſo mollis. Radix multiiuga, ſumma telluris cute nititur, nõ craſſa. Contortio eadẽ radicis, & corticis radicẽ tegentis. Athenæus à Theophraſto deſcriptionẽ deſumens, ait: Florem habet ſimilem pyro ſylueſtri, eumq; pluribus floſculis, veluti faui, cõpoſitum: fructũ rubicundũ, ſimilẽ melampyro, fabæ magnitudine, niſi quod melãpyro nucleus eſt aſper, ceraſo mollis. Hermolaus Theodori verſionẽ non probat, nam dioſpyrõ Theophraſti Iouis flammã ipſe interpretatus eſt, cùm Iouis triticũ dicere debuiſſet, quandoquidẽ vulgo granũ ſolis dicatur. Sed Plinius aliter ceraſum deſcribit: Ceraſus loti penè natura eſt. Ramoſa admodũ. In quadraginta cubitorũ trabes æquali per totũ duorum cubitorũ craſſitudine reperiri dicuntur. Cortex libris ſimilis, cuius humor gummoſus. Pomũ extra carnẽ habet, intus lignũ, conſtatq; cute, & ſucco. Primo candicãt baccæ, mox rubent, deinde nigreſcũt. Succo ſanguineo præditũ. Non alternat fructus, quia lignũ carnoſum habet, nõ vt olea, cui ſiccum lignum. Pullulat ab radice denſa. Vnde Virgilius,

Pullulat ab radice alijs denſiſſima ſylua,
Vt ceraſis.

Ceraſa. Plinius octo ſui temporis ceraſorũ ſpecies ponit, quem ſequemur. Et primo Aproniana maxime rubent. Apud nos huiuſmodi generis multæ ſunt ſpecies, habent magnitudinem, & mollitiem, ex omni parte maximè rubent, & quia nobis Surrento optima afferuntur, vulgo *Ceraſa di Sorrento* vocamus. Actiã nigerrima ſunt. Hæc nobis *Ceraſa di Lettere* dicuntur, inde enim nobis exportantur, & Coruine. Corpore magna, & nigerrima ſunt, vt veſcentium manus & labra ſanguineo viridi ſucco, mororum more, inficiant. Hæc raro menſis apponuntur, cùm mantilia deturpent. Cæciliana verò & rotunda. Exiſtimarem, quæ Neapoli vulgo *Imperiale* dicuntur. Sunt enim cæteris rotundiora, ac pretio habita, parte ſoli obuerſa rubeſcunt, auerſa lactè candicant, ſapore dulci cum quadam aciditate miſto. Iulianis gratus ſapor, ſed penè tantum ſub arbore ſua, adeo teneris, vt geſtatum non tolerent. Matthiolus hæc in Hetruria *Acquaiole* vulgò dici, minimique haberi ait, quia ob aquæ redundantiam inſipida ſunt, oriq; ingrata. Sed quomodo, bone Deus, iis gratus ineſt ſapor, ſi inſipida ſunt, oriq; ingrata? Rectius igitur putandum ea eſſe, quæ Neapoli *Ceraſa cannamele* dicuntur. Hæc Iunij fine maturantur, vel Iulij initio, ideoq; Iuliana dicuntur, dulci ſapore, melleo, ac plurimo ſucco prædita ſunt, adeoque mollia, vt non ſolũ geſtatum non tolerent, ſed vix parumper manibus pertractari licet, quin celerius marceſcãt. Principatũ duracina ſibi vendicãt. Hęc nobis *Toſtole* dicuntur, plurimaque horum ſunt genera, rubentia, callo prædura, guſtu præſtanti, carne nucleo pertinacius hærente: alia ſunt, quæ *Olmette* dicimus,

ulmus, alia *Cornole* vulgò, quia vtriusque magnitudinem, formam, & duritiem referunt, omniumq; maxime gestatum tolerant. Sunt qui legant Plinij verba sequentia cum præcedentibus annexa, sed mihi videntur separatim legenda. Et quæ Pliniana Campania appellat: in Bælgica Lusitanis. In ripis etiam Rheni. Tertius iis colos è nigro, ac rubenti, viridiq́ue, similis maturescentibus semper. Ea esse, quæ *Tostole verdadere* dicimus passim. Colore sunt mixto ex nigro, viridi, rubentéq; nec perfectè, albescentia ferè semper, vt maturescentibus similia videantur, Iunio maturantur, sępissime vno pediculo duos affert fructus: nam quæ Pliniana Campani vocent, nulla hodie sunt, fortasse nomen periit. Si quis verò hæc verba cum præcedentibus annexa legere velit, vltimum hoc genus illud erit. Minus quinquennio est, quòd prodiere quæ laurea vocát, non ingratæ amaritudinis, insitæ in lauro. Hoc genus ex lauri insitione ortum penitus nobis ignotum est, & si communi insitionis modo multoties expertum sit, multos fefellit experientia, maximo enim lauri amarore germen emoritur. Sed puto quæ Neapoli, *Visciole di Roma* dicuntur, id esse nobilissimum genus quidem cætera longe superans, magnitudine perspicua, colore sanguineo, succosum, inest in maxima dulcedine amariusculus quidam sapor, vnde fit vt nec nimia acerbitate respuantur, nec maxima dulcedine fastidium pariant, id genus nobis Roma aduectum est. Sunt & Macedonica paruæ arboris, raroq; tria cubita excedentis. Neapoli genus id non visitur, nam omnia in magnam excrescunt altitudinem. Minore etiamnum frutice chamæcerasi. De hoc videbimus in sequenti. Multa & innumerabilia ferè apud nos genera sunt, vt præcocia, quæ *Maiatiche* dicimus, quia Maio maturantur: sic serotina *Agustegne*, eadem ratione, sunt quæ vno pediculo terna, quaternaq; sint, & quæ racematim vuæ modo dependeant, aliaque, sed sat sit antiqua memorasse.

Plinius cerasa gaudere septentrione, frigidisq; dixit, ob id in Ponto abundare, & trans Oceanum in Britanniam quoque vecta, eadem in Ægypto nulla cura eualuit, vt prouenire possent, & iuxta Romam ægre prouenire. Palladius: Cerasus amat cœli statum frigidum. In tepidis regionibus parua prouenit. Calidum non potest sustinere. Montana, vel collibus constituta regione lætatur. Pamphilus cerasum frigida gaudere scripsit. Ob id Apulia nostra ob cœli caliditatem cerasis caret, sed si necessitas cogit his locis fortè eas plantare, saltem iugi rigatu adiuuentur. Cœlum.

Theophrastus vbi amnes, & rigua, & omnino vbi tilea, nasci scripsit. Plinius aquosis montibus gaudere. Palladius solum positionis humectæ desiderare. Pamphilus vda loca. In nostra Campania vallis ea, quæ prius Suessulanorum fuerat, quæ ad caudinas furcas protenditur, cerasis tota consita est, quarum poma adeo proba sunt, vt Cerasuntij potius à nobis petiisse, quàm ad nos misisse videantur, solum enim leue, humidumq; obtinent. Solum.

Palladius ex semine nasci probauit, immo ex eis plantaria creari posse: si Octobri, vel Nouembri spargantur poma, quæ summa facilitate nascentur. Seri- Sati.

Cerasa sine osse quemadmodũ nascantur, Græci Latiniq; demonstrauere. Democritus ita monet: Si quis tenellum cerasi caudicem radice tenus scindat, non vulnerata parte ima, medullamq; auriscalpio eruat, deinde lachrymam cyrenaicam aqua dilutam dummodo sapæ crassitudinem referat infundat, & humente charta diligenter obligata adminiculo fulciat, ne lachryma effluat, octauo die eadẽ lachryma perfundi præcipit, vt germina citet: sic exos, & enucleatus fructus exibit. Sed si scylla cõsita fuerit, præstabit, vt segmenta facilius iungantur. Palladius hæc eadem, quæ ex Democrito excepit, etiam in cerasis opus esse experiri dicit, cum de vite præcepisset. Sed quomodo aliter fieri posset à Martiale, docet. Arborem tenerã ad duos pedes recides, & eam vsq; ad radicẽ findes, medullã vtriusq; partis ferro curabis abradere, & statim vtrasque partes in se vinculo stringis, & oblinis fimo, & summã partem, & laterum diuisuras. Post annũ cicatrix ducta solidatur. Hanc arborẽ surculis, qui adhuc fructum non attulerunt, inseris, & vt asserit, ex his sine ossibus poma nascentur. Quod falsum esse demonstrauit experientia. Sed sunt apud nos earũ genera, quæ adeo molli osse prædita sunt, vt ferè cum carne mandantur, existimarem potius in salice insitum modo, quo persicum enatũ diximus, esse productum. Vt præcoces vuas habeat, Florentinus in cerasum vitem inserit: sic quo tempore cerasus fructũ afferre solet, eo tẽpore vuas afferet, hoc est vere. Pamphilus vuam nigrã ceraso inseri debere, quò vere afferat vuas. Plinius, Cerasos præcoces facit, cogitq; maturescere calx radicibus admota. Sed id antequã flores afferat, vel si calidam aquam sæpius radicibus infundis, etsi postea inarescat.

Cerasus, authore Plinio, cortice in orbem detracto non offenditur, si non simul incidatur corpus, alioquin corticem mittit, sed non vitalem, nec proximum corpori, verum eum, qui subnascente alio expellitur. Palladius: Cerasus si concepto humore putrescit, in trunco foramen accipiat, quo possit educi. Si formicas patitur, succum portulacæ debebis infundere, cum aceti media parte permixtum, vel vini fæcibus truncum arboris florentis adlinire. Si æstu canicularum fatigatur, trium fontium singulos sextarios sumptos post solis occasum radicibus arboris iubeamus influere sic, ne remedium Luna deprehendat. Vel herbam symphoniacam circa arboris truncum torquebimus in coronam, vel ex ea iuxta imum caudicem cubile faciemus. Sed symphoniaca, quæ herba fuerit, ambigitur. Apuleius symphoniacam eandem esse cum hyoscyamo scribit. Plinius symphoniam herbam alternis, viridibus roseisq; per caulem foliis describit, in posca sanguinẽ reiicientibus mederi, sed si floribus, non foliis diceret, credendum esset hyoscyamum esse, quod Dioscoridis descriptioni accedit, & ad sanguinis eruptiones laudatur. *Morbi & remedia.*

Condiendi ratio à Florẽtino rei rusticæ authore sic tradita est. Cerasia ante solis exortum arbore sua decerpta in vas, substrata in fundo satureia, coniiciuntur, dein cerasia superponuntur, iterumque alternis satureia adiicitur & nonnihil acidi mellis aliquantum dulcescentis. Seruantur itidem interiectis *Cõditura.*

arundinum foliis, & in eundem modum alternatim dispositis in cado. Plinius: Siccatur etiam sole, conditurq; vt oliua cadis. Palladius, Cerasa nō aliter, quàm in sole vsque ad rugas siccata seruantur.

Materies. Theophrastus: quia cortice similis est tiliæ, ob id cunas ex eo conficiunt, sicut etiam è corticibus tiliæ.

De pumila ceraso. Cap. XXV.

VISVM est præsens caput à præcedenti separare, cum genus id cerasi à cæteris longè distet, tum facultate, tum quòd diuerso indigeat cultu, vt quę à nobis præcipienda fuerint, clariora videantur. Quæ enim supra memorauimus, Galeni authoritate aluum subducunt, ac stomacho minus cōmoda sunt, at hæc acida contrario modo se gerunt; nam phlegmaticis & fluidis, superfluitantibus stomachis phlegma incidunt, & exiccant. hæc insolata reponuntur, ac viridia saccharo condita per annos asseruantur, commendanturque ad intinctus conficiendos, quibus non modo edulia sanis iucundissima prabentur, sed ægrotantibus biliosis febribus afflictis, & sitim sedant, & oris insuauitatem emendant, & cibi appetentiam inducunt.

Nomen. Videntur sub chamæcerasi nomine reponendę, cùm non in altum, sed in latum spatientur. Alij sub syluestri genere cerasiorum posuere, cùm neglectæ viuant. Græcis ὀξυκεράσια ab aciditate dicuntur. Itali *Marasche, Visciole*: Neapolitani *Amarendole* vocant.

Forma. Non frondium, & fructus effigies, quæ alioqui eadē cum superiori est, sed succus, vtpote qui acidus sit, diuersitatem inter genera facit. Præterea magnitudine, & humiliori corporatura à superiori distat. Fructus longiori pediculo dependent. Succus morosa laborantium morbo palata recreat, prægnantium etiam malaciis expetitus. Ab imo crure maxima soboles pullulat, vt arbor vna breui tempore totum pomarium expleat.

Cœlum. Vnumquodque cœlum fert, calidum, frigidúmve fuerit. In Apuleia, vbi difficile esset aliud genus prouenire, frequenter nascitur, & maxima generum varietate.

Genera. Infinitæ propemodum sunt huius generis varietates, quemadmodum alterius iam dicti. Differunt enim aciditate, forma, colore, nam alia diluto rubore matura, alia in nigrum vertuntur poma, sic magnitudine, temporis prouentu, aliisque diuersitatibus.

Solum. Sicco solo, leui, arenosoq; melius proueniunt, & optimos præbent fructus, etiam pingui leuiq;, humido verò fructus affert, qui nimia aciditate reiiciūtur.

Satio. Suis ossibus sata optime proueniunt. Quæ seminio destinantur, eligantur maiora, coloratiora, speciosiora, & quæ breuiori pediculo dependent. Sed tardè proueniunt. Nascuntur sobole, nascunturq; etiam surculo, sui enim natura maxime viuax, & omnibus ferè modis apprehendit. Densius serenda est.

Cultus. Arboris truncus sex pedibus assurgat. Fossiones continuas quærit. Degenerat,

nerat, decreſcitque arbos, ſi circa caudicem ſoboles nocitura pullulat, & non interlucetur.

Quæ inſitæ ſunt præcociorem afferunt fructum. Mutua inſitione meliorèſcũt, omnibusq; inſitionum generibus comprehendunt, ſi in ſylueſtrem ceraſum inſeremus, poma maioris magnitudinis producent. Si ceraſa in has inſeremus, & arbor & poma degenerabunt. Inſitio.

De Ziziphis. CAP. XXVI.

DEBVERAT ziziphus in ſyluis ſeri, ſed ſui iucunditate fructus, ſpecieq; decora pomaria cultiora ferè omnia colunt, vt rectè protulerit Plinius, In tecta iam ſyluæ ſcandunt. Peregrina eadem eſſe teſtatur, quæ non pridem in Italiam venere ex Africa. Sex. Papinius attulit diui Auguſti nouiſſimis temporibus. Dioſcoridi innominata eſt. Videtur à Theophraſto inter loti genera recenſeri, cùm plura eſſe deſcribat. Vnum enim Lotophagorum, cuius fructus prædulcis, ſuauis admodum, & intus ſine ligno, quod à Græcorum Poetarum principe miris laudibus Odyſſeæ nono celebratur.

Lotophagumq; ſolum ſubeunt, quod turgida loti
Semina dat mandenda viris, hi prorſus, vt haſit
Dulcis in ore ſapor, patriam de corde fugarunt,
Auelliq; noua capti dulcedine truncis
Haud poterant.

Alterum genus paliurum vocat, in Africa frequens, quippe quo Heſperides ad vrendum vtuntur, cuius deſcriptionem inferius afferemus: ſic Agathoclis, & Polybij teſtimoniis noſtram ziziphum Africanam eſſe paliurum affirmare non veremur. Columella de apum paſtionibus, Arbores, inquit, probatiſſimæ vtraque ziziphus, cùm mediocris guſtus ſint eius flores. Palladius ex eo: In arboribus ziziphus, pomiferæq; arbores, quibus nulla amaritudo reſpondet in flore, vel ſucco, apibus aptæ ſunt. Galenus parui ſucci poma eſſe dicit, nec concoctioni, nec ſtomacho facilia, namq; inſolentibus, & effrenatis pueris, & mulieribus cibi gratia tantum expetuntur, exiguumque præbent alimentum. De eius vi Palladæ Græci Poetæ extat epigramma, quam ſe inueniſſe in ziziphis fatetur. Is enim cùm quartana febri laboraret, & zizipha inſpexiſſet, ſubito conualuiſſe & ſanum, vt croto, factum.

ὐκ ἀλόγως; ἐν δίζυφοις δυνάμιν τινα θεῖαν
εἶναι ἔφην, χθὲς γοῦν δίζυφον ἐν χοινίκῳ
ὁ πάλαι κάμνοντι τεταρταίῳ πελᾶνα,
καὶ γέγονεν ταχέως οἷα κρότων ὑγιής.

Græcis ζίζυφα, & ζηζυφα, & ζιτζυφα, & aliquibus exemplaribus etiam δίζυφα: tot enim modis ſcriptura variare ſolet. Galenus σηρικὰ vocare videtur. Theophraſto videtur παλίουρος Africana. Latinis, vt Columellę, ziziphus fœminini generis, Plinio ziziphum. Officinæ Barbaros imitatæ, iuiubas dicunt, Itali *giugiule.*

Forma. Theophrastus de sua Africana paliuro: Fruticosior est Lotophagorum paliuro. Folio nostrati simili, sed fructu diuerso, non lato, sed rotundo, rubroque. Nucleo, qui nō simul mandatur, acinorum punici modo. Magnitudo fructus, quæ fructibus cedri, paulo amplior, iucundus per se, atq; suauior, etiam vino affusus, quin & vina succo suo commendans. Sed Græciæ paliurus cui huius Africanæ paliuri folia similia dicit, videtur nō altera arbor esse, quàm Dioscoridis rhamnum tertium, cùm sæpe rhamni, & paliuri nomina inter scriptores confundantur. Hic nanque frutex folia tam similia zizipho affert, vt nisi propinquius inspexeris, facile in vtriusque distinctione hallucineris. Distant maximè fructu, nam nostræ zizipho rotundus, magnitudine, qua cedri, paulo amplior, esu iucundus. Rhamno verò, siue paliuro in siliquis folliculari specie, verticillo similis. Agathocles item libro historiarum suæ patriæ tertio videtur hanc quoq; paliurum describere. Assurgit hæc arbor in Alexandria ad pinus, vlmique proceritatem, ramis frequentibus aculeatis, folio viridi, rotundo, tenui. Hæc bifera est, non tam vere, quàm autumno. Fructum profert oliuæ phauliæ vocatæ magnitudine: crudus manditur is, ac virens, vbi verò exaruit in farinam molitur, atq; ita estur nullo liquore subactus. Polybius Megalopolitanus libro historiarum duodecimo (referente Athenęo) se vidisse testatur hanc arborem spinis asperam, folio virenti, quale rhamno, tantùm profundiore, latioreque, fructu candidæ myrti per initia, sed processu puniceo, magnitudine oliuæ, sed rotundo. Eum cibo familiæ tundi cum nucleo, qui ei perexiguus est, seruari conditum eundem nucleum, herilibus mensis eximi, saporem fici & phœnicobalani inesse pomo, sed præstantiori odore, vinum, & acetum inde fieri. Plinius poma similiora baccis, quàm malis dixit, cypri foliis. Nos autē ita describemus: vt omnium collatione Africanáne paliurus fuerit possit iudicari. Arbor infra pruni magnitudinem subsidet. Caudice retorrido, nec satis recto. Ramis senticosis, multis aduncis intercalantibus spinis, è quibus surculi præduri, foliosi, spithamæ longitudine exeunt, frondes gerentes vtrinque per interualla impari exortu, lentisci modo per cubitū serratas, similes tertio Dioscoridis rhamno, qui hyeme cum frondibus vnà decidūt. Flore muscoso oleæ, sed odorato magis, pomo cornis baccis simili, dulci, primo viridi, vltimo phœniceo, vel rubello colore. Radicibus firmis, validisque.

Genera. Columella duplex affert genus ziziphi, rutilum & candidū. Neapoli vnum tantum genus visitur, rutilum. Sunt qui azadarat Arabum albam ziziphi speciem putent.

Cœlum. Palladius loca calida, & aprica amare scribit. In temperatis nostris regionibus etiam optime fructificat.

Solum. Palladius terram non nimis lætam, vel proximam tenui, & ieiunæ. Plinius: in castrorum aggeribus sata, & aggeribus præcipue decora.

Satio. Plinius granis seri debere scribit mense Aprili. Palladius ossibus suis seri in scrobe palmari, ita vt terna grana per scrobem cacuminibus ponātur inuersis,

quibus

quibus in imo, & summo affundatur lætamen, & cinis, & herbis adnascentibus manu planta liberetur erumpens. Cùm pollicis soliditati similis fuerit, transferatur in locum pastinatum, vel in scrobem Aprili mense.

Seritur etiam stipite, & planta. Crescit tardissimè, sed si plantam ponis Martio, magis in terra molli. Locis calidis Aprili mense ziziphum conseritur, frigidis verò Maio, vel Iunio. Nos omnes viuiradice serimus, cùm stolones circa eius crus facile fruticent, quod etiam à Didymo adnotatum reperimus.

Vindanionius, Didymi authoritate, ziziphum ramis plantari retulit, sed rami è media arbore accipiendi sunt. Quemadmodum quoq; & Palladius supra descripsit stipite seri posse.

Didymus etiam talea seri posse memoriæ mandauit, & transplantata meliora reddi. Et si tempus non præsignent, quando id faciendum sit. Nos Martio mense ponere poterimus, & optimè in frigidis, humidisq; Aprili.

Cultus. Palladius hæc de eius cultu. Per hyemem prodest illi, vt circa caudicem lapidum cumulus aggeretur, qui æstate auferri debet. Si arbor hæc tristis erit, terrea strigili subrasa hilarior fiet, vel si fimum bubulum radicibus modice, & frequenter affundas. Nos arborem formamus, vt vno stipite assurgat, cuius altitudo sex pedum erit.

Insitio. Facile inseri posse existimarem in oxyacantham, vel prunum syluestrem, cùm omnium ferè surculorum susceptrices sint, Februario, vel Martio mense. Hyeme fisso trunco, æstate verò emplastratione vti possumus.

Conditura. Zizipha collecta matura in longo vase fictili seruantur, oblito, & loco sicciore composito. Vel recenter lecta poma si guttis vini veteris perfundas, efficitur ne ea rugarum deformet attractio. Seruantur etiam decisa cum ramis suis, aut fronde sua inuoluta, atq; suspensa. Hæc Palladius.

Materies. Materies intus colorata est, solidaq;. Ideo ex ea citharæ conficiuntur.

De Mespilo. CAP. XXVII.

DIXIMVS de baccis singulari osse præditis, nunc de iis, quæ plura includunt. Plinius malorum, pyrorumque generi iure adnumerari mespila monet, nec eas in Italia fuisse Catonis æuo: cùm earum nusquam meminerit.

Nomen. Theophrasto μεσπίλη, Dioscoridi verò μέσπιλος, fructus μέσπιλον, Latinis arbor mespilus, cuius fructus mespilum. Itali *nespilo*.

Forma. A Theophrasto ita describitur. Arbor inter amplissimas est, & recta coma in gyrum, magna ex parte pineæ nucis formas vertice suo æmulatur, nisi quid impediat. Aculeis caret. Cortice læui, pinguiusculo, colore ad flauum albicante dum adolescit, scabro, nigroq; dum veterascit. Flore amygdalæ, non tamen rubenti, sed propemodum herbaceo. Radices nec multas, nec alte descendentes, validas tamen, & crassas, & incorruptibiles agit. Maxime viuax & aboleri contumax. Serò suos perficit fructus, cùm terrestris naturæ solidi, acerbiq; sint, vnde serò suum adipiscuntur humorem, & saporem. Et mespila syluestria

mitibus odoratiora sunt, & tam agrestium, quàm vrbanorum acerbiora sunt ne odoratiora minus acerbis. Cuius rei ratio libro de causis fusius explicatur: Quum sicciora sint, ea tamen siccitate, quæ non tollat, sed patiatur quantum humidi sit ad odorem necessarium in natura. Sed alia est nostra vernacula mespilus ab hac Theophrasti, cùm inter amplissimas illa sit, nisi nostra syluestris, vel chamæmespilus fuerit. Præterea corruptus textus Theophrasti, & hians, quid de generibus statuendum sit, difficultatem affert. Dioscorides ita depingit, Alterum mespili genus in Italia nascitur. Arbor foliis mali, sed minoribus. Pomum fert rotundum esui aptum, vmbilico latiore, quod astringit, seroq; maturescit. Plinius, putamen in mespilis mandi, scripsit, quod in aliis reiicitur, ac vasculis constare. Nostratem verò mespilum ita describemus, Arbuscula est similis syluestri pyro: Ramis in gyrum comosis, aculeatisq;: Folio mali, promissiori, angustiorique. Longo pediculo. Flore subherbaceo, amygdalæ forma. Pomo dum pubescit viridi, & duro, vbi maturuerit fuluo, & molli, vmbilicello superne extante, foliosis vnguiculis redimito, tribus, quatuórve intus nucleis. Radice numerosa. Politianus noster de cristato illo vertice ipsius ita meminit,

—— Regum imitata coronas
Mespila.

Genera. Theophrastus Idæorum secutus obseruationem tria genera tradidit: Anthedona, Sataneam & Gallicã. Sataneum, quod in præsenti memoramus, fert malum grandius, candidius, solutius, molliori intus acinorum ligno, verùm cæteris fugacius. De alio in sequenti capite. Dioscorides ex eo: Mespili hoc genus aliis σιτάνιον, vel ἐπιμηλίς. Pomum rotundum affert, vmbilico latiore, quod astringit, & serò maturescit. Ex quibus Plinius: Mespili tria genera, Anthedon, Setania, tertium degenerat, tametsi anthedoni simile est, quod Gallicum vocant. Setaniæ maius pomum, candidiusq;, acini molliore ligno. Sed nostratis mespili genus vnum est, grandiori pomo, vt ferè malum magnitudine peræquet, cuius rami carent spinis, quod videtur & cultu & insitione in pomariis commituisse, & syluestrem habitum exuisse. Alterum spinis horret, syluis & vepribus nascens, pomo paruo, acerbiorique, vt vix edendo sit, nisi prius per hyemem frigore mollescat: vulgò *Nespolo canino* dicitur. Est & tertium genus oblongiori pomo, tenuiorique, internis ossibus carens, quod cultu, humique frugalitate potius prouenisse credendum est, quàm quod genus diuersum sit, cùm vna, eademq; arbore, & rotunda cum ossibus, & oblonga sine ossibus poma habeat.

Cœlum. Theophrastus in montibus nasci scribit. Palladius calidis locis maximè gaudere, sed irriguis tamen, & frigidis quoque prouenire. Nos in calido, frigido & temperato cœlo vidimus, sed in calidis arbores paruæ sunt, paruosque ferunt fructus.

Solum. Theophrastus solum gelidum, atque humectum quærere dixit. Palladius in

in pinguis locis, & magis sabulone pingui, aut glareosa terra, cui arena permixta est, vel argilla cum saxis.

Satio.

Semine nasci Theophrastus prodidit. Plinius semine seri, sed tarda prouentu, & degenerantia, ac insito restituenda. Palladius etiam seri semine, sed in longiorem speratur ætatem.

Theophrastus viuiradice quoq; nasci scribit. Didymus ante diem calendarum aprilium seri, modo quo coronea malus.

Theophrastus item auulsione nasci retulit. Plinius: Auulsi ab arbore viuunt stolones, sed cum perna sua, & aliquid è matris corpore auferat secum fimbriato corpore: & hoc modo plantantur mespili. Didymus, Auulsione etiam nascitur mespilus.

Possunt etiam propagari, & optime concipiunt radices, quo transferre possis. Talea serendam esse Palladius retulit mense Martio, vel Nouembri, sed solo stercorato, & subacto, ita vt vtrunque caput taleæ stercus obducat. Sunt eius incrementa tardissima.

Cultus.

Palladius: Amat putari, & circumfodi, & parco humore inter siccitates sæpe refoueri. Formanda est arbor, vt à terra truncus duorum, vel trium pedum altitudine erigatur, ex quo spargantur rami.

Insitio.

Palladius docet mense Februario inseri in se, in pyro, & in malo. Surculum tamen eius de arbore media debere assumi, nam de summitatibus vitiosus est. In trunco fisso inserenda est, nam corticis macies ieiuna nil nutriet: ad Pasiphilum verò,

Æmula dura pyri despecti mala saporis
Mespilus admisso germine tuta subit.
Et geminus sese violentior inserit armis,
Atque auidas terrent robora sæua manus.

Nos in oxyacantham inseruimus fisso per medium trunco, & optime prouenit Ianuario mense. Inseuimus etiam in coroneam malum, ac fructum pulcherrimum, & supra magnitudinem assecuti sumus, & si quis insitionem iterauerit, maiorem habebit. Albertus magnus inserere docet in mala & pyra, vt fructus sine ossibus nascatur, quod falsum esse experientia nouimus.

Morbi & remedia.

Theophrastus vermiculationi arborem obnoxiam esse ait in senecta, vermesque prægrandes ei diuersiq;, quàm cæteris arboribus cernuntur. Eroditur & fructus à vermibus adhuc crudus in arbore, & si minus, quàm sorbus acerbus sit. Plinius ab eo: Mespilus in senecta obnoxia vermiculationi est, & vermiculationem quoq; poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt. Palladius: Si vermibus occupatur stylo æreo purgandi sunt, & amurca vel humana vetere vrina, vel viua calce profundendi, sed parcius propter arboris noxiam: Vel aqua decocti lupini. Si putatur, hinc arbor sterilis fieri. Fimus, & cinis vitium simul si radicibus infundantur, fertilem reddunt. Si formicæ molestæ sunt, rubrica cum aceto, & cinere temperata necabuntur.

Si poma labantur, frustum de eius radice præcisum in media trunci parte figatur.

Cōditura. Palladius: Mespila ad seruandum leguntur nec dum mitia, quæ in arbore diu durabunt, vel in vrceolis picatis, vel in ordinem suspensa, vel, vt quidam posca, vel sapa condita. Die serena legantur, ac media, & paleis obruantur discreta, ne ea vicissim tactus afficiat. Vel cum pediculis lecta semimatura, & salsa aqua, per dies quinq; macerata, postea sapæ infundantur, vt enatent. Seruantur & melle, sed si minus matura collegeris.

De Tuberibus. Cap. XXVIII.

ALTERAM mespili speciem prosequemur. Plinius æque peregrina esse zizipha, & tuberes scribit, nec pridem in Italiam venisse, atque è Syria Sex. Papinium attulisse in castrorum aggeribus satam. Hæc inter mespili species à Theophrasto descripta est, itemq; à Dioscoride. Plinius ex illis excipiens, & ignorans qui fructus fuerint, alibi postea tuberes vocat, quas prius mespili species vocauerat.

Nomen. Theophrasto videtur *μέσπιλος ἀνθηδὼν* ni fallor. Dioscoridi *ἀρωνία*, & ita à multis vocari refert, & *τρίκοκκος*. Galenus communi vocabulo *τρίκοκκον*, quasi triossium appellari ab aliquibus dicit, quum tria intus grana, aut ligna, seminis loco fructus contineat. Columella tuberes vocat. Ab eo Plinius, & Palladius. Itali corrupto vocabulo ex aronia *AZarolo* vocant.

Descriptio. Theophrastus suum anthedona ita describit. Arbor inter amplissimas habetur. Ramis in gyrum comosis. Lignum spissius, flauiusq;, cætera pruno simile. Folium scissum, extremitateq; apio simile, sed maioribus diuisuris promissum, rigens, neruosum, tenuius, quàm apium, longo & gracili pediculo, antequam decidat, vehementer rubescit. Fert pomum minus quidem, sed fugacius, astringentis ingenii, & vetustatis impatiens. Flos vt amygdalæ rubeus. Radix alta, numerosaq;, ideo longæua arbor, & inextirpabilis. Dioscorides verò. Aculeigera arbor est, folio oxyacanthæ, fert pomum suaue, & exiguum, paruo malo non dissimile, ternis intus officulis, qua ex causa nonnulli tricoccon appellant. Sera ei maturitas est, astringit, stomacho gratum est, aluumq; supprimit. Plinius quam excepit à Theophrasto descriptionem affert: Arbor ipsa de amplissimis est. Folia antequam decidant rubescunt. Pomum minus, quàm prædicto generi, sed odore præstantius, & quod diutius seruetur. Radices multæ, & altæ, & ideo inextirpabiles. Alibi verò tuberes describens ait. Poma baccis similiora, quàm malis, & aggeribus præcipuè decora. Florent post armeniaca. Apud nos est arbor mediocris amplitudinis, longè alterum mespili genus superans, cortice, & materie pruno similis, spinis non admodum acutis armata, foliis calabricis, floribus racematim coeuntibus, albis, odoratis, & in totum calabrici similibus, fructu rubenti, arctiore vmbilico, maturaturq; Septembri.

Plinius

Genera. Plinius duo eius genera describit, candidum, & à colore sericum dictum, vtroque genere nostra Campania scatet. Rubeum magis vulgare, candidum magnitudine malum æquat, odoratius, dulcius, & preciosius. Sed oxyacantha, cui Dioscorides assimilat, nil aliud est, quàm tuberum syluestre genus, ab eo nil nisi pomi magnitudine, & sapore distans, quod si quis hortis serat, ac colat, ac suomet surculo multoties inserat, affirmare non vereor in hoc domesticum genus mutari. Iam nostra villa seuimus, ac suomet surculo bis inseruimus, pomumq; maius produxit.

Cœlum. Nos calido, vel tepido cœlo gaudere credimus, cùm Syria, cui tale est, iis abundet, sic nostra Campania, Sicilia, & loca maritima. Sed à ventis tuta sit oportet: quippe cùm tempestiue floreat, hyemis sæuitia nondum sedata.

Solum. Palladius pingui terra gaudere ait.

Satio. Theophrastus semine nasci scripsit. Palladius nucleis seri. Nam pomis statim grana decussa, & sole siccata, pingui, & prope cribrata terra autumno tria simul ponunt, quæ feruntur in vnum coire virgultum: quod assidua rigatione iuuandum est, atque fossura, quæ solum leuiter scalpens teneritudini robur inducat. Post annum deinde, vel aliquando tardius, quæ fuerit de semine planta transfertur, & hoc genere fructus efficit dulciores. Theophrastus etiam auulsione nasci. Palladius: mense Septembri, circa calendas Octobres, vel Februario tuberes seremus sobole, cuius tenera diligenter nutriri debet infantia. Sumatur cum radicibus planta diuulsa, bubulo fimo linatur, ac luto statuatur pingui terra & subacta, subditis conchis, & marina alga, terris sui magna parte condatur.

Cultus. Palladius ait prodesse tuberibus, quæ malis prodesse memorauit.

Insitio. Plinius: Tuberes melius inseruntur in pruno syluestri, & malo cotoneo, & in calabrice, quæ spina syluestris est. Palladius, Inseritur malis omnibus, pyris, & prunis, & calabrici, melius trunco fisso, quàm cortice, desuper qualo, vel fictili vase munitur, repletis vsq; prope summitatem surculis, terra subacta cum stercore. In nulla alia arbore melius concipit, quàm supra calabricem, vt domestica arbor supra syluestrem.

Morbi & remedia. Morbus earum, vt Theophrastus ait, vt senescens vermibus erodatur. Vermes isti grandes, & alii, quàm qui in reliquis cernuntur arboribus.

Cōditura. Palladius, tuberes seruabuntur, ait, si obruantur in milio, vel vrceolis picatis & oblitis. Vesuuiani vsque ad Maium ita seruant: Decerptas ex arbore nondum perfectè maturas, & per hebdomada intactas relinquunt, vt tutius integræ à vitiatis separentur. Inde sabulonem è fluminibus, vel procurrentibus viarum aquis accipiunt, ac incerniculo minutum à lapillis secernunt, ne eorum occursu tenera fructuum cutis offendatur. Inde fictili vase sabulonem inspargunt, inde fructus, ne se contingant, ac vicissim vsq; donec vas compleatur: & opertum vas sicco loco reponunt. Si annus siccus fuerit, ferè omnes illæsæ asseruantur: si pluuius, multæ vitiantur.

Materies. Lignum spissum, solidum, nullamque putredinem sentiens esse prodit Theophrastus.

De Myrto. CAP. XXIX.

MYRTVS hortorum præcipuus decor, & deliciæ, ad plurimos mortalium vsus venit. Plinius succorum naturam præcipuam admirationem in myrto habere scripsit, quando ex vna omnium, olei, viniq; bina genera fiunt. Item myrtidanum. Et alius vsus baccæ fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonii nomine inde tracto, quòd etiam nunc myrtatũ vocatur. Eademq; origine aprorum sapor commendatur, plerunque ad intinctus additis myrtis. Cato docuit vinum fieri è nigra, siccata vsq; in ariditatem. In vmbra, inquit, arefacito, seruatoq; ad vindemiam. In vrnam musti contundito myrtæ semodium, id oblinito, vbi desierit feruere mustum, myrtum eximito. Si non siccentur baccę, oleum gigni docet. Postea compertum & ex alba vinum fieri album, duobus sextariis myrti tusæ in vini tribus heminis maceratæ, expressæq;. Oleo quoq; (mirum dictu) inest vini quidam sapor, simulque pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina saccis ante perfusis. Retinet quippe fæcem, nec præter purum liquorem transire patitur, datq; se comitem præcipua commendatione liquato. Virgę quoq; eius gestatæ manu viatori prosunt in longo itinere peditri. Quin & virgei anuli expertes ferri inguinũ tumori medentur. Prodest myrtus coturnicibus vescentibus, quippe veratrum depastæ (Didymo authore) non satis tutæ sunt cibo, nam & distentionem, & vertiginem inducunt. Vnde si quis ab earum esu infestabitur, myrti baccis ei subueniendum est. Præterea turdi in suis nidis myrtum ingerunt, vt abigant animalium noxas, Pamphilo scribente.

Fabulæ de myrto. De myrti planta fabulæ nonnullæ inueniuntur, quas huc adducere operæ precium esse visum fuit. Græci arborem Mineruæ dicant, commenti fabulam, quòd Myrsine Attica puella fuerit, pulchritudine ac robore insignis, amica Palladi, quam iuuenis ab ea cursu, & palestra superatus interemit, inuidia ductus, quòd elegantia, cæterisque naturæ dotibus reliquæ iuuentuti præstaret: arbuscula in demortuæ vicem succedens semper Mineruę chara remansit, refricans aspectu suo desiderium. Sed cur Veneri myrtus dicata sit, vnde *ἀφροδίσιον* dicta? Amat enim myrtus maris littora:

Littora myrtetis gratissima.

Seruius ait, quòd huius arboris in mulierum necessitatibus vsus multus, ac plurimus sit, vt ex medicorum libris patet. Alii ob arboris odorem: nempe Venus odoribus, & vnguentis delectatur. Odor quoq; arboris creditur nonnullis venerea suadere; & è baccis ipsius compositum fiebat, per quod libido excitabatur. Demonstrat id Poëta Furius, dum Digonem meretricem introducit, dicentem, *Myrrhinũ mihi affers, quod Veneris armis occursem fastidiuncula.*

Virgilius in Georgicis:

Formosa

Formosæ myrtus Veneri.

Et apud inferos syluã myrteã fingit, in qua essent, qui amoribus affligũtur.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi. sic illos nomine dicunt:
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylua tegit.

Myrtum etiam Paphiam vocant, ob insulam Paphum Veneri dicatam:

Solido Paphia de robore myrtus.

Plutarchus in Numa prodit, mense Aprili Veneri sacrificari, quòd is mensis huic deæ sacratus esset, ad cuius calendas myrto coronatæ lauarentur. Quęrit idem in quæstionibus, cur matronæ Bonæ deæ sacellum ornantes, myrtũ non inferant, cùm plantis & floribus cunctis studiosè tunc petantur: an quod puræ omnibus flagitiis, & præcipue venereis sacra peragunt, vt non solum maritos, sed omnes è domo mares expellant? itaq; myrtum, vt Veneri sacram abhominantur, nam quæ hodie murtia Venus dicitur, olim myrtia dicebatur. Etiam symposiorum primo ait, morem antiquis fuisse, vt omnes conuiuii initio pæanam Deo canerent: deinde singuli accepta myrto, quam ex eo asacon appellabant, quòd is caneret, cui tradebatur in eum finem, circumlata lyra qui peritus erat eam sumebat, & carmen illud concinne modulabatur, quod quoniam musicę rudes recusabant, scolion dicebatur. Alii dicunt myrtum non ordine solere circumduci, sed è lectulo in lectulum transmitti, ita vt qui primus cecinisset, primo in secunda mensa illam mitteret, is primo tertiæ, eodemque modo secundi secundis, vt hoc modo in circuitum iret. Veneri simulachrum ex pullulante myrto ad flumen Hermon fecit Pelops, vnde Hippodamiæ nuptias est consecutus. Myrtus quia Veneri, coniugio etiam sacra fertur: & inter myrti genera genus est vnum coniugale dictum à Catone. Traditur myrtea verbena Romanos, Sabinosq;, cùm propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant. Ignoratque Plinius an prima omnium in locis publicis Romæ sata sit, fatidico quidem, & memorabili augurio. Inter antiquissima nanq; delubra habetur Quirini, hoc est, ipsius Romuli, in eo sacræ fuerunt myrti duæ, ante ædem ipsam per longum tempus, altera patricia appellata, altera plebeia. Patricia multis annis præualuit flaccescente plebeia, quandiu senatus floruit, plebeia retorrida ac squallida. Quæ posteaquam eualuit, flaccescente patricia Marsico bello languida patrum authoritas facta est. Quin & ara fuit vetus Veneri myrteæ, quàm nunc Murtiam vocant.

Memorat Athenæus Apollodori authoritate, quòd Dionysius, qui author potionis fuerat, idem fuit adiutor, vt malis, quæ adinuenerat, præsidium afferret, nam ebrietate laborantibus, coronam ad aspectus, & odoris iucun- *De Coronis quæ ex myrta.*

diratem, è myrto astringentem donauit, vt vini vapores reprimeret. De corona itidem Naucratite hæc habet è Polycharmo. Herostratus mercator, cùm Paphum Cypri appulisset, Veneris simulachrum coemit, cùm naue in Naucratem contenderet. Iuxta Ægyptum cum hyems repente incidisset, nec vbi locorum esset, cognouisset, ad Veneris simulachrum confugit, orauitque vt omnes seruaret. Tunc dea myrtos omnes appositas virides fecit, nauemque odore repleuit, sic sol emicuit, & in Naucratem peruenerunt. Tunc Herostratus è naui egressus in Veneris templo simulachrum & myrtos deposuit, & sacrificia instituit, & singulis coronam myrteam donauit, vocauitq; Naucratitem, quæ Philonidis etiam testimonio vini vapores reprimit. Seleuci etiam traditione habetur, coronam ex myrto compositam Hellotidem vocari, & viginti vlnarum habere circumferentiam, & Helotum festo in pompam procedere, & Europæ ossa circumferri, quam Hellotiden appellarunt. Philetas asserit myrti ramum Lesbios Hypothymidas dicere, circa quem alios flores innectere consueuerunt. Bellicis quoq; rebus se inseruit myrtus, inquit Plinius, triumphansq; de Sabinis Posthumius Tubertus in consulatu, (qui primus omnium ouans ingressus vrbem est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris victricis coronatus incessit, optabileq; arborem etiã hostibus fecit. Hęc postea ouantiũ corona fuit. Massurius author est, curru quoq; triumphantes myrtea corona vsos. L. Piso tradit, Papyrium Massonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corsicis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. M. Valerius duabus coronis vtebatur, laurea, & myrtea, qui & hoc vouerat. In Hereis certaminibus, quæ Argis fiebant in honorem Iunonis, victores myrtea corona & æneo clypeo donari cõsueuerunt. Apud Eleos (etiam Theophrasto authore) pulchritudinis certamen fieri solitum, cuius victor arma, quæ Palladi offerebat, & myrteam coronam accipiebat, qua redimitus comitantibus amicis ad Palladis ędem ducebatur. Persæ, Herodoto authore, diis sacrificantes cinctã myrto tyaram gerunt.

Nomen. Græcis μυρσίνη dicitur, sed Galenus μυῤῥίνην vocauit, cùm soleant sæpius Græci ρ in σ commutare. Puto sic vocatam propter myrtæ quandam æmulam odore gratiam, qua pollent eius bacculæ. Nicander in Theriacis φιμώδεα μύρτα dixit, id est, constipantia myrta, vbi & scholiastes admonuit μύρτα pro fructu accipi debere, vt μύρτος arbor, & μύρτον fructus dicatur: μύρτον etiam ab Archilocho dicitur, ab Antiphane verò phibalcos. Sed adnascentia quædam myrti μύρτάδες, & μυρτίδεαι nominatur. Latinis myrtus dicitur, à Catone myrtum, & myrta masculino, & fœminino sexu. Varro murta dixit. Vnde murtatum genus farciminis. Itali *mirto*.

Forma. Vagam myrti descriptionem à Theophrasto afferemus. Myrti arbor in fruticem abit, nisi crebrò repurgetur. Medulla caret. Fronde semper virenti, angusta, crebra, & seriatim disposita, myrobolani arboris simili, sed breuiori. Flore supra fructum insidente, qui senescens in pappum vocatam conuertatur.

tatur. Cacumine, & latere germinat. Ex anniculis fructificat surculis. Sed contingit post Arcturi exortum, vt denuo concipiat, floreat, fœtificetque, sed fructum perficere nequeat, nam semiconditus remanet: adeo est ad supergeminandum propensa natura, cùm suapte natura affici facillime possit. Fructus aduersus inter sese, densusq; in ramis, vt lotus. Succo vinoso praditus. Sed vinosus myrti sapor perspicuus non est, minus etiam qui pinguis est in eodem: habet enim talem quoque humorem, qui vino cùm saccelatur, supra innatat, qui detrahitur, & ad lucernarum lumina vritur. Fitq; purior si detractis operimentis è mera pulpa extrahatur humor. Idem consequitur etiam procedente ætate: quia exhalat aqueum & terrestre subsidet. Breuis est vitæ: sed fertiliori breuior: & quæ molli sunt nucleo celerius moriuntur, quàm quæ duro: & nucleo vacans enucleatis. Sunt qui durissimam, & validissimã myrtum esse affirment. Nouelli fructus acerbiores, amarioresq; sunt, sed maturando dulcescunt, quia temperatur à natura humor aquosus, vnde dilutiores, dulcioresq; fiunt. Odorata sunt folia, flores, rami, & fructus. Ratio est, quia eis acredo & pinguedo insit, & vinosi sint. Myrtus suauius halat, si eã mulso prius maceraueris, quàm sola, quia dulcior, meliorque redditur temperata. Sero suos maturat fructus, quia licciores sunt, vnde leuiorem frigiditatem requirit, nimia enim exiccat, exacerbatque, media verò temperies, & austrini, & humidi flatus commodissimè alunt. Nec longa, nec numerosa nititur radice. Plinius ex eo: Fruticosi generis arbor. Folio angusto atque disposito, nunquam decidenti. Fert lateribus & cacuminibus. Bacca primo candida, mox viret, deinde rubet, vltimo nigrescit. Succo vinoso prædita, piperis gustu. Cito occidit, tamen antecedit diuitiis: nam in trimatu ferre incipit, ostendens & ante. Sed quę Theophrastus de myrti odore protulit, ab Aristotele excepit, quippe libro problematũ quærit, Quamobrem myrta collisa in manu dulciora sentimus, quàm integra. An quemadmodum racemorum acini vindemiati dulciores sunt, quàm non vindemiati: etenim musto, quod natura suaue est, excepti acini quasi condiuntur, quippe qui vel extrinsecus mustum resudent: at qui in racemo cohærent, vtique inconditiores constant. ergo myrta quoque naturâ dulcia, intusq; suam dulcedinem acinorum in modum vuæ continentia, vbi manu compressa, conflictataque sunt, diffusa intestina dulcedine, parte quoque exteriore inopplẽtur, itaq; dulciora nõ immerito sentiuntur. Quærit item Aristoteles, cur myrta enucleatiora sunt, quæ minora, & palmulæ nucleo penè carent, quæ minutæ adoleuerunt, & vuarum acini, qui passim constiterunt exigui, vinacea vel nulla continent, vel pauciora, minoraque. An quia minus perfecta sunt, quæ minora, iccirco semen continent indiscretum, cui perinde vt finis, nucleus depuratus est, quamobrem & minora sunt, vtpote surculi quidam agnati exteriores, partusque imperfecti, & minus dulcia, quàm quæ iustum continent nucleum: sunt enim minus concocta: concoctio autem nõ nisi perfectio est.

Aristoteles meminit albę, nigræq; myrtus. Alba domestica, nigra syluestris, Genera.

quæ crebriori folio est. Causam reddit in problematibus. Syluestrẽ esse, quod syluestribus locis proueniat, minimeq; ex cultu mutetur: humida autẽ omnia crebriore fronde condi, quodq; minus fructus suos decoquat, iccirco ad frondes alimentum se vertere. Theophrastus, myrti genera varia esse, & explorata communis vsus fecit. Meminit alterius myrti, sed ab hac diuersæ, oxymyrsinæ, quæ fructum supra frondem gerat. Aliam esse molliori nucleo, aliam duriori, aliam verò nucleo carentem, scribit. Præterea fructu nigro, alboque, & rubro etiam. Meminit præterea tenuifoliæ, videlicet coronarij generis. Columella albam, nigramque memorat. Plinius Catonis verba referens tria dicit esse genera, scilicet cõiugalem, albam, & nigram. Coniugalem putat dici à coniugiis ex illo Cluacinæ genere, ac coniugalem nostratem dici. Aliamq; adducit distinctionem satiuæ, & syluestris, & in vtraque latifoliæ, in syluestri propriam dicit esse oxymyrsinem. Satiuarum genera inquit, topiarij fecerunt: tarentinam folio minuto, nostratem patulo, exoticam densissimo, senis foliorum versibus: hæc non est in vsu, ramosa vtraque alia. Dioscorides diuidit in nigram, & albam, & satiuam, & syluestrem, quippe satiua nigra vtilior, quàm candida. Diuidit etiam in tenuifoliam, & latifoliam: nam capite de Tithymalis inquit, Dendroidem constare myrti foliis tenuioris. Celebris est Hyppolyti, & Phædræ amoribus Trœzenia, cuius folia, vt inquit Pausanias, prope delubrum Veneris satæ perforata nascuntur; iniuriam videlicet ferentia sæuientis vnguibus, & calamistris fœminæ. Nos hoc modo genera distinguemus. Primo in satiuum & syluestre. Syluestre in duo genera diuidemus. Primum est oxymyrsine dicta, quam etsi vera myrti species non sit, apposuimus tamen quia à Theophrasto, & Plinio apposita est. Aliud genus est, nostras Plinij, vel latifolia, Catonis coniugula, Græcis dicta πλατύφυλλος, ramosa, minus gracilis, cuius baccæ lagenulas efficiant, floribus albidis, ex quibus chymicis organis aqua extrahitur odoratissima, mire vnguentariis expetita, à nobis vulgo dicitur syluestris, cùm totius nostri tractus maritima, & colles aprici, & sepes hac scateant, ac sponte nascatur, & sine cultu viuat, & optime fructificet. Hæc in albam, nigram, purpuream, & inter hos colores, mediam diuiditur. Alba maiores efficit fructus, & magis vrbana videtur, sic nigra minores fructus, acutiores frondes. Putabat Matthiolus albam, & nigram myrtum dici ex frondium colore, quòd tum albos fructus, & nigros myrti non inspexisset, tum authores, qui horum meminerant, Theophrastum, Dioscoridem in vini compositione, Columellam, Plinium, reliquosque, nec considerasset locis siccis nigriora folia, tenuioraque vt fructus, cultis verò & humidis albidiora, maioraque. Plinius tria Catonis genera myrti commemorat, coniugulum & album, & nigrum, cum coniugulum album genus vnum sit, alterum nigrum, vt duo sint, nõ tria. Satiuam nos vocamus, quæ minuto folio est, hanc Plinius tarentinam vocat, & in opere topiario tonsilis. Theophrastus coronario generi accommodat. Huius species plures sunt, & quæ latiori, & quæ minutiori folio, & quæ

& quæ albos, nigros, & purpurascentes fructus afferat, prǽterea in surculis teretibus, & bini, & terni, quaternive frondium ordines distincti conuisuntur. Græci hanc στενόφυλλον, siue angustifoliam vocant. Fruticat hæc virgis tonsilibus, flexibilibus, nigricantibus, topiario operi accommodatis, folio buxi, sed minore, fructu minore, hederæ simili, copiosiore, in summitate pluribus vnguiculis redimito, vinosum succum presso remittenti, intus minutis, crebris, albicantibus ossiculis prædito, quo aues autumno saginantur, tantumq; odorem contrahunt, vt non exenteratas voremus. Neapolitani *Mortela gentile* vocant. omnes in arborem cultura commeant in viridariis. Exotica Plinij nobis infrequens, & nisi aliquis studij gratia asseruauerit, non visitur.

Inter ea, quæ frigidos odit tractus, nec iis mansuescere potest, myrtus est, argumento quòd omnino nulla in Olympo, nulla in Ponto prosilierit, & si summo studio, adhibitaque omni solertia, etiam religionis causa cõseruerint. In Propontide verò, & montibus, & locis multis prouenit. Fragrant suauissimo odore in Ægypto, causamq; perscrutatur Theophrastus. Primò vi & proprietate soli, & aeris id euenire putandum est, secundo ab ipsius plantæ natura. Nam & myrtus omnis sicca sua natura est, Ægyptia tamen cæteris siccior est, quod & frondium tenuitate, fructus exiguitate, ac nigro eius colore perspicitur, hæc enim omnia ex sicco proueniunt. Succus humoris parum habet, quod parum est facile excoquitur, suauitasq; odoris non nisi in excoctione cõsistit. Euenit autem soli & aeris opera, quippe solum siccum, & aer mollis, & placidus, quæ vtraque cocturam augent, alterum quia coquit, alterum quia humectat, ob id syluestria vrbanis odoratiora, & quæ in apricis, præcipuè meridie, iis quæ in vmbra degunt, suauius olent, quia minus alimenti hauriunt, & quicquid hauserunt, melius concoquunt. Vnde efficitur, vt non in longitudinem crescant, sed fruticosæ, & crassiusculæ euadant. Quæ circa Cisthũ, in longitudinem crescunt. Sed cur odor præcipuus myrti in Ægypto vbi cætera omnia prorsus hebescunt, causa est, quia cœlum roscidum est, & flores largius humefacit, vtpote natura humidiores: at quæ sicca sunt, vt myrtus, minus humefacit: validius enim humiditati resistere valet, & fructus ideo pusillus est, quia cœlesti aqua nõ fruitur. Plinius ex eo myrtum odoratissimã esse in Ægypto scribit, cætera sine odore. Subit & in montosa myrtus. Didymus editioribus locis seri præcipit, quod vicinia odoris suauitate repleat. Virgilius, Cœlum.

Littora myrtetis lætissima.

Theophrastus vt quædam animalia, ita myrtum ancipitem vitam degere, & littora amare, & terrestria loca prosequi asserit. Præterea Latinus ager, qui totus aquis abundat, & plana myrtum habent. Circæum promontorium, quod vocant excelsum, frequentissimè myrto scatere. Circem illud incoluisse tradunt indigenæ, & in Elpenoris inibi tumulo myrtum coronario genere nasci, in quo primũ visa traditur. Plinius: Arbor ipsa in Europæ citeriore cœlo, quod à Cerauniis montibus incipit, primũ Circęis in Elpenoris tumulo visa traditur. Solum.

Græcumque ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet. Nos solo sabuloso, siue arenaceo, sicco & leui optime prouenire conspeximus.

Satio. Semine satam myrtum interdum præstare, inquit Theophrastus, sed eam vt plurimum degenerare, ne colorem quidem seruare, sed fructum ex rubro fieri nigrum, vt in Antandro. Didymus ex baccis seminaria facit, quas leuiter tusas, & restibus butomo contextis inuolutas fossiculis obruit. Columella ab idibus Februariis myrti baccas in areolas disserere optimum præcipit. Plinius, Myrti genera omnia in Campania baccis seruntur. Democritus & alio modo seri docet, grandissimis baccarum tusis leuiter, ne grana frangantur, eaque intrita restem circumlini, atque ita seri, parietem fore densitatis, ex quo virgulæ differantur. Palladius Februario tempore ex myrti baccis seminaria facit, & facta excolit.

Seritur & plantis, & à trimatu tempestiuum est transferri, ex Plinio. Theophrastus crebras serere docet, nō plus, quàm nouenos pedes, & nisi frondibus obsepta sit, seruari non potest, cum sicca spissaque sit, fructum enim nucleosum vel humidum gerit, itaque soli expositus obarescit, in vmbra autem coalescens, & solem modice sentiens humorem suum seruare, atque coquere nimirum potest, quamobrem breui interuallo conserere oportet, vt se contactu operiant mutuo, vt solis nimios æstus aufugere possint, tum etiam, quod radice numerosa non sit, nullo alimenti mutuo raptu infestatur. Mutuo etiam amore coniunguntur olea & myrtus, Androtionis authoritate, qui eas mutuo amplexu radicum degere refert, & myrti virgas per oleæ brachia prorepere, fructumq; olea protectum, vt nullam vim solis, flatúsve pateretur, tenerum ac dulcem euadere, sed minorem, quàm locis Soli expositis. nec aliud est quod seri iuxta oleam velit. Seri myrtus sub pino cōmode poterit. Democritus tradit punicam & myrtum mutuo amore coniungi, & ex propinquo simul plantatas fructu abundare, & radices mutuò implicare, & si non valde vicinæ existant. Plinius, Quidam myrtos densiores seri iusserunt, in pedibus tamen nouenis. Theophrastus, In consitione amputari desiderat, & quo propius terræ fuerit, eo melius, sed plagas alleuatas contegunt, ne intrudatur sol, aut imber.

Didymus auulsione plantari posse docet, sed auellatur cum conspicua radicis parte.

Propaginibus etiam plantari posse docet idem, viuiradices faciendo. Plinius tarentinam Romæ propagine seri.

Ramis seri monet etiam Theophrastus, sed terra iugiter accumulāda, dum germinantes ramuli roborentur, & hic myrti satus proprius est. Didymus: Decerptus à cacumine termes, proceritate subrectus pangitur, qui solo stercore satiato, quousque ramulos emittat, exaggerari debet. Plinius: Seritur & ramo myrtus laxato prius meatu, longitudine trium pedum, crassitudine minus brachiali, cortice diligenter seruato, trunco exacuto. Myrtus etiam ligno conualescere potest, authore Theophrasto, cùm spissitate sui corporis, vitale illud, genita-

genitaleq; conseruare principium valeat, non tamen sine adiumento naturalis caloris. haud enim latis spissitas illa facit, si admodum sicca sit, & ad nepotum procreationem inhabilis.

Didymus tradit esse, qui cubitales taleas scrobibus oleatū more in obliquū mergant. Alij longe melius fructificare pollicentur, si in caput plantulæ figantur, & alibi trāsplātatas meliores reddi. Cassianus, Theophrasti authoritate, Aprili mēse myrtos in taleas sectas plantari posse humidis & riguis locis, quod in Eressio nusquam legitur. Plinius & taleis myrtum seri dixit. Virgilius,

Solido Paphiæ de robore myrtus.

Theophrastus, Androtionis authoritate, maximam purgationem quærere myrtum dixit: lætius enim germinat, à qua plura fuerint adempta, largioremque fructum ministrabit. Myrti luxuria ideo compescenda, quia sua natura stipata germinatione fœcunda est; adhæc facile exarescunt propter gracilitatem, ergo recisis crassescunt. Didymus. Gaudet arbor iugi repurgatu, in excelsam proceritatem adolescit, ad textile vasculorū opus vtilis. Plinius non annuam, sed alternam tonsuram quærit, quia celeriter fruticescit. Cum vetusta est, ramos ab ea decidere, & truncum deinde colere, tāquam denuo satum oportet, inquit Theoprastus. Androtionis etiā authoritate, acerrimo fimo, & rigatione copiosissima myrtum egere dixit, vehementissimo stercore, vti pellium fæcibus, & vrina ex syluestri genere in vrbanum habitum transire. Didymus delectari hominis vrina, & maxime ouilla. *Cultus.*

Didymus inseri ait, in suum genus, in albam, & nigram, & viceuersa, & in malum, & mespilum, & punicam. Diophanes in salicem. Tarentinus vitem recipere ait, & super ipsām arborem vitis sarmenta insita vuas producere, quæ imum fundum myrti baccas habebit. Myrtus punicam ferre visa est: quia maxime myrtus punica delectatur, vnde si punica in myrtum inseratur, aut vicissim myrtus in punicam, multo maiorem afferet fructum. *Insitio.*

Quomodo myrtus sine interno nucleo fiat, docet Theophrastus. Si feruēti aqua rigetur, in tantum melioreſcit, vt sine nucleo reddatur. Deprehensum id esse fortuito, cùm myrtus iuxta balneum staret neglecta: ab hac enim vacua nucleo reddita semina petentes serebant, atq; ita genus huiusmodi Athenis esse inceperat. Alium quoq; demonstrat modū: spurcitias pellium congerere, vrināq; adhibere, cùm germina prosiluerint, pręcipiunt: quasi fructus ita reddi sine interiori nucleo possit. Id enim genus stercorandi ex syluestri in vrbanum genus immutat. Didymus à Theophrasto: Baccas sine internis nucleolis creabit crebro aquæ tepentis imbre rigata. Lætiore coma virebit, vberioremque fructum pariet, si comes rosa coniungatur. Et cum myrto consortium iniens rosa fructuosior emicabit. *Ars.*

Theophrastus, Androtionis authoritate, nec medullā habere, nec vllo modo sub terra infestari, tradit. A gelu facillime lædi, imbecilla & gracilis cum sit, ipsiusq; rami tenues, tenellique, totaque arbor minus calida. *Morbi & remedia.*

Conditura. Cato docet, Virgas myrteas si voles cum baccis seruare, cum foliis inter se alligato, fasciculos facito, eos in amurcam demittito, superstet amurca facito, sed ea, quæ dimissurus eris, sumito paulo acerbiora. Vas quo condideris oblinito planè. Didymus: Myrti baccas diutissime virentes seruant vase non picato, & diligenter operculato conditas. Alij cum eius ramulis reponere malunt. Aristoteles quærit, Cur fructus myrtorum nō conditarum magis, quàm folia defluant, conditarum autem, reseruatarumq; alga, vt fit, folia defluant, fructus adhæreant? An ita euenit non conditis, quoniam natura sancitum est, vt fructus peracta decoctione flaccescant, ac decidant, quæ quidem decoctio in repositis agi non potest, sed eatenus tantum efficitur, vt algæ vapor prohibeat, ne humor fructus immutetur: folia contra cùm siccent decidunt: algæ autem, vt salsa, exiccandi vim habent. ergo non idem foliis accidit arbori adhærentibus, & conditis, modo quo dictum est.

Materies. Virgilius de eius materie,

At myrtus validis hastilibus.

Claudianus,

Et pastoralem præfixa cuspide myrtum
Gerit.

De vua spina. CAP. XXX.

HABETVR frutex pomariis frequens, topiario operi accōmodatus, veteribus, vt spero, indictus. Quia ciborum condimentis omphacij modo expetitur, nec non mulieribus vtero gerentibus, nobis non erit silentio prætereundus.

Nomen. Cùm nomen Gręcum, vel Latinum quo appellemus, non subueniat, vulgari, & omnibus vsitato contenti erimus. Vuam spinam, vel crispam nominant ab acinis, quos affert vuæ modo effigiatis, & à spinis, quibus frutex toto suo occursu horret: vel crispum à foliis apij modo crispantibus.

Forma. Fruticosi nanq; generis arbuscula est, ramulis crebris, vietis, crebrisq; horrētibus spinis, aculei mucrone sæuientibus. Foliis circinatæ rotunditatis, æmula facie apium, vel oxyacantham exprimentibus. Flore ex herbido candicante. Granis primo viridibus, acerbisq;, mox flauescētibus, dulcibusq;, & pellucidis, à pediculo ad vmbilicum striatis, non racematim, sed baccarum more dependentibus. Veris initio puber, dein flores, nec diu pòst vuas aciditate astringentes affert.

Genera. Duorum est generum, satiua altera, syluestris altera, quæ baccas pilosas frutetis, & vepribus affert.

Cælum. Temperato viuit cœlo.

Solum. Solo tenui, soluto, & pingui.

Satio. Seritur semine, sed rectius ramulis ad radicem crebrius fruticantibus.

De ma-

De malo punico. CAP. XXXI.

DEMOCRITVS, aliiq; Agriculturę scriptores malum punicum inter nuces, non inter mala reponendum censent, cùm foris duro tegatur cortice, intus verò habeat, quod esui sit, ea Gręci ἀκρόδρυα vocant. Plinius verò inter mala, inquiens: Mala appellamus, quamquam diuersi generis, persica, & granata. Nos in hoc loco reposuimus, rati omnibus satisfactum iri, nam & à malis vltimum est, nucum verò primum. Varro ex malo punico cibum apes solum capere scripsit. Africanus affirmat punicæ ramos serpentes arcere, quapropter in locis amœnis tutaminis gratia deponi consueuere. Plinius etiam in manibus ramos punicorum serpentes fugare scripsit. Quod mihi ridiculum admodum videtur, cùm cuiusque arboris rami in manibus gestati serpentes fugent, neque vnquam serpentes peiores me vidisse memini, quàm sub vmbra, & punicarum cespitibus. Sed ad Poetarum commenta veniamus.

Mercurio punicæ fructum antiquitas dicauit, nam veluti in eo quamplurimæ latebræ sunt, ita in oratione, quam Mercurio ascripserunt, vt apud Græcos eruditus Clemens Alexandrinus prodit. Apollonius verò Tyaneus malum punicam in honorem Iunonis plantari dixit. Habetur etiam ex Græcorum fabulis satam primò in Cyprum malum punicam à Venere, nullam aliam ob caussam reor, nisi ob eius pulchritudinem. Insuper Hereum templum in Eubœa memorabile fuisse Iunonis simulachro ex ebore, & auro facto, Polycleti opere, cuius manuum altera malum punicum, altera sceptrum gestaret. Cur verò malum punicū gestaret, Pausanias secretius esse dicit, quàm vt alicuius sermone possit explicari. Ideoque prætermittendum. Darius Xerxis pater, cùm malum punicum haberet præ manibus, à quodam interrogatus, cuiús nam rei tantum numerum desideraret, quanta granorum illorum esset multitudo? Respondit tot Zopyros, erat enim hic vir probus. Sed Herodotus Darium ab Artabano de eo percontatum tradit respondisse se optare tot Magabizos potius, quàm Græciam subditam. Fuit & punicum maxime laudatū in sacris Hebræorum cerimoniis. Sacerdos enim tabernaculum ingressurus vestem gerebat, à cuius ambitu alternatim mala punica, & tintinnabula pendebant, nō sine mystica ratione, vt à sacris interpretibus edocemur. Quemadmodum extimus cortex plura continet grana, sic fides vna innumeros populos sacræ ecclesiæ conseruat. Alij dicunt hoc malū concordiam significare. Ferunt etiam Milonem Crotoniatem inter egregia suæ fortitudinis facinora malum punicum manu ita continuisse, vt nullis conatibus inde eripi permiserit, & quod mirum, pomum ipsum premendo non collidebat. Proserpinam à Plutone raptam Ceres diu perquisiuit, tandem resciuit, & à Ioue impetrauit, vt sibi communis filia restitueretur, hac lege si nihil apud inferos degustasset: sed inuentum est, eam tria mali punici grana comedisse. Ouidius in Fastis,

Fabulæ de malo punico.

Rapta tribus, dixit, soluit ieiunia granis
Punica, quæ lento cortice poma legunt.

Aliubi ſeptem fuiſſe cecinit.

——— *Et cultis dum ſimplex errat in hortis;*
Puniceum curua decerpſerat arbore pomum,
Sumptaq; pallenti ſeptem de cortice grana
Preſſerat ore ſuo.

Sed poſt multas matris querelas indultum eſt, vt ſex menſes apud illam maneret, totidemque cum Plutone. Sed id non ſine myſtagogica ratione. Proſerpina enim luna eſt, quæ ſex menſibus creſcit, totidem decreſcit, videlicet, vt per menſes quindecim diebus creſcens apud ſuperos, quindecim aliis deficiens apud inferos videatur. Sed de punicę ortu Arnobius fabulam cótexit: In Phrygiæ finibus ingens ſaxum fuit Agdus dictum, ex quo Deucalion & Pyrrha ex Themidis præcepto ad humanum genus renouandum poſt diluuium lapides ſumpſerunt, ex quorum iactu deûm mater effecta fuit, quam in Agdo obdormientem Iuppiter inceſtis cupiditatibus appetiit: diu obluctatus, cùm quod optauerat, obtinere nequiſſet, ſperma in lapidem fudit, ex quo Agdeſtis natus fuit, qui ſua immani efferitate, cùm nec deos, nec homines timeret, à diis de eius temeritate imminuenda conſtitutum eſt, vt Liber in eum animaduerteret, cui cùm merum potui Liber appoſuiſſet, grauiſſimoque ſomno oppreſſus eſſet, Liber ſetis complicatis laqueo plantas nexuit ex vna parte, ex alia teſtes cum pene, qui ſomno ſolutus extenſis pedibus membrum virile ſibi amputauit, cuius cruore mali punici arbor cum ſuis pomis nata eſt: quæ cum Nana legiſſet, ac in ſinu repoſuiſſet, Atym concepit.

Nomen. Græcis ῥοιὰ, & ῥοὰ dicitur. Hippocrati, & Nicandro σίδη. Menandro, Athenæo authore, ῥοΐδια. diminitiuum autem eſt ῥοΐδιον, veluti puniculum dicas. Bæti σίδαν vocant, nomenq; ſibi vendicauit ex Side eorũ loco, qui frequentiſſimam hanc habet plantam. Idemque ex Agatharchidis authoritate declarat, quòd inter Athenienſes & Bætios orta contentione de Sida regione, Epaminundas protinus ex dextra conditum depromens punicum, ſciſcitatus ſit, quonam modo malum hoc vocatis? qui Rhoan reſponderunt. ſed nos, inquit ſidam vocamus, & ita Athenienſes victi memorantur. Latinis malum punicum dicitur, quòd è Pœnorum regione primum in orbem noſtrum ſit tranſlatum, ob id Plinius, E Carthagine nomen ſibi vendicant, creſcunt enim ibi laudatiſſima. Aliquãdo & punica Columella mala granata vocat, & granata. Sic etiam Plinius, quod numeroſis intus acinorum granis infarctum ſit. Eſt & vna pars Bęticæ regionis in Hiſpania, quę ab eorum copia Granata appellata eſt. Itali *Melo granato* vocant.

Forma. Punicæ deſcriptionem membratim diſcerptam à Theophraſto in vnũ colligemus. Exurgit punica haud adeò procero caudice, ſed breui, & cõtorto. Medulla ligni carnoſa. Fruticoſa eſt, ſuæque exilitatis cauſã multiplici caule diffuſa relinquenda. Ramoſa, ſuperiore coma multo fuſiore. Folio anguſto, euomini arbori ſimili, quemadmodũ & magnitudo, nitidiq; viroris. Flore cõtra quàm

cæteris arboribus puniceo, excipiendo amygdalarum genus quoddam, quod subrubicundum florem substinet: qui creber, copiosusq; erumpit, amplitudinemq; sui pomi, quadamtenus æmulatur, is in fructum incumbit, qui subrus attollens se colligit, & ambitu congruo sinuatur, calatiq; effigie. Pomo quod corio, prætenuiq; membrana tegitur, numerosis intus acinorum granis infarcto, qui constant cute, & humore, vel succo vinoso, acidoq;, modo nuclei paliuri. Acini principium annexus proprium habere videntur, euidentissimumq;: vnde expresse discernitur. Germinat latere, & cacumine. Germinatio, quæ ad ortum Arcturi post vernum æquinoctium fieri solet, & si vrbanis omnibus communis, peculiaris est tamen punicæ. Anniculo fructificat surculo, quamquam suo caudice fructificasse nonnunquam prodigiose fertur. Quod remotius à ratione videtur, cùm ex crassioribus brachiis, aut ex caudice fructus erumpat: sed caudex, & rami non differunt, nisi materiæ crassitudine propter ætatem, edito enim ramo ex parte noua, & iam via facta, facile per iam institutas laxitates subit ad fructum succus: facile germinat, quia viribus valet, alimentoq; abundat. Nec est ad germinandum solùm propensa, sed ad supergerminandum, nam secundo turget, etiam inchoata fructus ostentatione, qui non solum prioribus specie cedunt, sed fructificandi impetus ad perfectionem vsq; non peruenit. Cuius causa est, quia facillime afficitur. Cytini eius serius exeunt, quia operosiores sunt, cum sint corpulenti. Parum sua vicinia arbores lædit, verasq; obtinet innocentiæ conditiones, cùm non numerosa radice nitatur, & modico leuiq; egeat nutrimento, & breuis vitæ sit, cùm citò senescat. Auctu facilis, quia natura humidiore, solutioreq; constat. Breuis est vitæ, ratione fœcunditatis, ac concretionis raritate, quippe partium laxitas obnoxiam reddit externis impressionibus, fœcunditas autem exhaurit vitæ fundamenta, cùm robore careat, quod sibi, & fœtui sufficiat. Et acidæ punicæ non ita, vt dulces putrescunt, & magis quæ nucleo carent interiori. Et si senescit putrescitq;, velocius arbor suo latere germinat. Breuibus innititur radicibus, & angustis, prolemq; suam sursum generat. Sed non solum propè stipitem, sed procul fœcundat noua sobole: quacunq; enim radix per summum solum graditur, illic germen formam stipitis induit, quò enim succus confluxerit, eò facile vi solis coit coquiturq;. Fisso caudice nō moritur. Plinius ex eo ita depingit: Punicæ arbor angusto folio comatur. Flos eius balaustium vocatum, & medicinis idoneus, & tingendis vestibus, quarum color inde nomen accepit. Pomi partus florere incipientis cytinus vocatur Græcis. Pomum membrana tegitur. Acini sub cortice intus. Angulosi soli, structura eorum, *vt in fauis*, communis. Corticis maior vsus ex acerbis ad perficienda coria. Et quia vulgus coria perficere maxime illo nouit, ob id malicorium appellant Græci. Germinat præter quàm vere, etiam Canis ortu, & Arcturi. Fert è lateribus ramorum, & cacuminibus. Decidentibus foliis poma tantum est aspici in matre. Breuissima eius vita, ex his breuior dulcibus, quàm acutis. Velociter

ſeneſcit, ſed è radicibus repullulat. Velox naſcitur, cito occidit, in trimatu ferre incipit, oſtendens & ante. E radicibus pullulat denſa ſoboles. Hæc Plinius. M. Varro ait: Quæ laxiora, ea & fœcundiora, vt malus punica propter mollitiem, ad creſcendum prona.

Genera. Theophraſtus plura genera punicarum connumerat. Durum, & enucleatum: aliud inſuper genus, cuius acini glauci, aliud cuius viles. Item acidum, dulce, vinolentum, ſic & ſylueſtre. Eſt & genus punicæ, quod fructum perficere nequit, ſed ad florem vſq; eius generatio tantum prouenit. Plinius verò diuiſit & in genera, apyrinon vocando, cui lignoſus nucleus abeſt, ſed candidior ei natura, & blandiores ſunt acini, minuſque amari, diſtincti membranis. Nucleos habentium quinque ſpecies, dulcia, acria, miſta, acida, vinoſa. Samia, & Ægyptia diſtinguuntur erythrocomis, & leucocomis. Et alibi, Punici mali nouem genera, dulcia, apyrina alio nomine appellantur; paruum nucleum habentia acida. Eſt & ſylueſtre punicum à ſimilitudine appellatum. Dioſcorides tres ſpecies appoſuit, acida, dulcia, vinoſa. Nos ex his ita diſtinguemus: Punica in duo primum genera diuidemus, ſylueſtre & vrbanum. Sylueſtri generi accõmodabimus, quæ fructum vſq; ad florem producunt. Vrbanum in duo genera diuidemus, alterum ἀπύρηνον Græcè dictum, quod priſci medici dulce granatum vocarunt. Sed nos Græcam etymologiam ſequentes, ἀπύρηνον, vt Dioſcorides explanat, cui lignoſus nucleus abeſt. Seneca, Non cui nulla nucleorum durities ſit, ſed cui minima. Nucleos habentium ſpecies quinque. Dulcia, acida, acria, miſta, vinoſa.

Cælum. Florentinus feruente cœlo gaudere retulit. Palladius regionem illi aptam eſſe, quæ calida ſit, memoriæ mandauit. Ob id frigidis regionibus, vt in Germania Flandriaq;, minime viſuntur.

Solum. Florentinus loca illi minime aquoſa conuenire dixit. Apuleius aridioribus locis vehementer vberes prouenire experimento didicit. Palladius ſolum cretoſum, & macilentum amare, ſed in pingui etiam prouenire ſcripſit. Plinius in montibus non temere videri, atque in Africa Carthagine laudatiſſimas. Theophraſtus in Thmolo Olympoq; Myſio copioſiſſimas, & in Ponto amplę opacitatis haberi. Athenęus Sidam Bœtiæ regionem frequentiſſimam hanc plantam habere ſcripſit. Imò & loca ſunt, quæ eorum priuatam naturam conuertunt. Refert Theophraſtus, Si ſata punica fuerit acida, in Ægypto in dulcem, & vinolentam conuertitur. In Cilicia verò circa Solos iuxta Pinarum amnem, vbi cum Dario conflixit Alexander, præter ſuauitatem naſcuntur ſine ligno interiori, & viſenda acinorum ſpecie. Quanquam alíubi punicum acidum edere dulce, vel dulce acidum, oſtentum aruſpices exiſtimauerint. Sed punica cur mutetur, in cauſa eſt ſua raritas, & imbecillitas, quæ nanq; huiuſmodi ſunt natura, obnoxia ſunt mutationi. Cur verò ſapor illius peculiaris in Lycia excellit, cauſa eſt amnis vicinitas, ac illius aquæ qualitas. Eſt enim punica aquarum præauida; & rigatione fit dulcior, imò ex profluentis

amnis

amnis rigatione magnitudinem acquirere, & ex acida in dulcem mutari, mirum esse non debet. Nos arenosis pinguibus locis lætas prouenire conspeximus, quales Africæ esse retulerunt. Consurgunt enim lapidosis locis: sed humidis etsi magna quidem poma producantur, insipida tamen, vel maxime acida, & parum durabilia sunt. Conuenienti solo vnumquemque situm sufferunt, montes. colles, plana, & valles.

Theophrastus, punica semine sata omnino degenerare contendit, & ex acinis glaucis vilia, & ex enucleatis dura, & plerumque acida oriri, nisi in Ægypto, & Cilicia, vt diximus. Sunt qui dicant ex satis seminibus, paucas nasci, & natas tarde crescere, & fructus inutiles, & insipidos ferre, & non nisi insitione meliores euadere. Nos tamen in Stabiarum seminariis, humidis in locis minimè vilia enata granata conspeximus. Palladius viuiradice seri locis temperatis Martio mense, vel Aprili, calidis, & siccis Nouembri asserit. Plinius in satione radices inflexas poni melius esse docet, arboremque ipsam ita locari, vt media sit totius scrobis, necessarium est. Florentinus seri iubet comite scylla. Theophrastus crebras esse serendas, non plus, quàm nouem pedes distantes præcipit. Ratio est, quia opacitatis amatrices sunt, earumque fructus sicci, & nucleosi sunt, quippe si pluscul um solis experiantur, tantundem acerbitatis accipiunt, quantum soles excessere. Ideoq; propter earum infirmitatem mutuis opacationibus vmbram cõsequi necesse habent, vt à nimio frigore, æstúve se defendant. Vnde facillima, & innocentissima cunctis est punica, nec arbores vicinas fatigat, tum quia breuioribus constat radicibus, adeo, vt nullus radicum decursus, nullus complexus, rixatusque improbus infestet, neq; intolerabili egeat pabulo, tum quia cito senectam experitur, nec diu queat molesta esse. Ab eo Plinius: Quidam punicas densiores seri iusserunt in pedibus tamen nouenis. Sed Empedocles (vt refert Plutarchus in symposiacis) punicam malum ὀψιχυίτην dixit, quòd scilicet sub autumni exitum calore eneruato, hęc arbor suum excoquit fructum. Imbecillum enim, & tenuem humorem sol non sinit coire, nisi arbor incipiat frigidior fieri, ob id Theophrastus hanc arborem in vmbra rectius, & celerius fructum maturare dixerit. Democritus testatur punicam, & myrtum mutua consuetudine mirum in modum oblectari, quòd si inter se consortio iungantur, fertiliores reddit: radices quoque si non longo distent interuallo mutuo complexu exhilarari. Aristoteles ait punicas inter oleas plantatas prohibere ne decidant, & maturentur. Palo seri Plinius punica monstrat laxato prius palis meatu. Sed in taleas sectos ramos plantari locis humidis, & rigatis Cassianus docet ex Quintiliis. Palladius autem, Quamuis, ait, multis generibus seratur, melius tamen ramus eius cubitalis incisus manubrii crassitudine, & capite vtroque acuta falce leuigatus, scrobi veluti obliquus immergitur: prius tamen porcino stercore, & in capite, & in parte, quæ ima est, oblinatus, vel in crudo solo malleo cogatur ad inferiora defigi. Melius

Satio.

proueniet, si ponendus ramus gemmata iam matre sumatur. Nos has taleas decidimus, quas diu fœcundas conspeximus, si malleo adigitur, pars ea, quæ terræ adigitur, acuatur, vt facilius ad inferiora descendat, & quatuor digitis supereminear. Melius tamen proueniet, si scrobem pastino aperiemus, ac ipsi apte collocabimus: habeat pars ima à matre aliquid, ac circumcirca optime calcetur terra, caput taleæ in nodum finiat, vnde spes futuri germinis. tempus huic aptum ver erit, eoq; modo optime prouenisse conspeximus. Prouenire ex virga etiam Theophrastus prodidit, sed ramo prius infixo foramen fiat, ratione suæ infirmitatis. Quidam in contrarium seri præcipiunt, ea ratione, vt subinde se valeat inclinare, nec in altum excrescat, ne flores in altum erecti suscipiant humorem, indeq; excidant. Palladius curandum esse ne inuersa virgulta ponantur dicit: contra prædictum Theophrasti præceptum. Apud nos virga sata etiam optime apprehendit.

Cultus. Inter cæteras, Theophrasto authore, punica maximè coli desiderat, nam nisi cultus adhibeatur, syluestris omnino redditur, & si neglecta degenerat, non solum cultu mitescit, sed etiam mutatur. Androtionis etiam authoritate, purgatione maxime indigere, nec medullam habere, nec vllo morbo sub terra infestari, sed cùm arbor vetusta est, ramos cædere, & truncum deinde colere, tanquam denuo satum oportere. Præterea frequentium aquarum copiam desiderat. Palladius credit acidum fieri si rigetur assidue, nam siccitas in eo & suauitatem præstat, & copiam, cuius tamen nimietati aliquid debet humoris apponi. Circumfodi autumno debet, & tempore verno. Plinius ait punicas præcipuè riguis ali.

Insitio. Punicam, & quæ ea sicciores sunt, protinus à sectione inserere iubet Theophrastus. Ex quo Varro: In malo punica, & si qua etiam horum natura aridiora, continuo postquam desecata fuerit, inseri debet. Punicam, Plinius ait, quamquam altàs sicca sit, recrastinare minime vtile. Florentinus verò diuerso à cæteris arboribus modo inseri docet. Caudicem eligi præcipit flexilem, qui possit vsq; ad terram deduci, ipsumq; sub corticem inseri, deinde vinculis distringi, & obrui, ne possit in suam sedem resilire, sic vt insita pars supereemineat, domum amurca suffundi. Est & aliud scitu non indignum. Punicæ surculus iam oculis gemmascens accipi debet, in aliis prius, quàm germinet. Lætatur hæc myrti coniugio, vt refert Didymus, ideo insita myrto punica, aut contrà myrtus punicæ, multo plurima poma largietur. Item salici inseritur. Recipit etiam citrium, vt idem testatur. Punicam variis gaudere adulteriis Diophanes retulit, inseri in salicem, & pyrum recipere. Plinius omnis generis arbori inseri posse punicam autumat. Palladius verò ex Martialis relatione inseri posse affirmat ramorum connexione, vt medulla vtriusq; diuisa se iungat: in se tamen inseri potest, circa Apriles calendas, mense Martio vltimo, sed secto trunco surculus recentissimus statim debet inseri, ne mora exiguum, qui inest, siccet humorem. Ad Pasiphilum verò,

Punica

Punica non alios vnquam dignata sapores
Mala, nec externis associata comis.
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,
Et sibi cognato picta rubore placent.

Nostrates agricolæ fisso trunco Februario inserunt, emplastrant verò Majo, sed difficillime omni modo comprehendit, nec recipit, nec aliis inseritur. vanitatis potius Græcos redarguerem, quàm laudarem, cùm punicam variis gaudere adulteriis dixerint.

Punicarum mutationes culturæ ratione exultant. Vt ex acidis amarísve in dulces transeant, docet Aristoteles libro de plantis. Mala granata stercore porcino radicibus iniecto, ac frigida aqua dulci rigata, meliorescunt, & dulcia fiunt. Ex quo Theophrastus eius discipulus, Earum radicibus ingeratur vrina, vel pellium fæces, non tamen multum. Earum enim radices remorderi desiderant, idque diutius, vt in amygdalis tertio quoque anno diximus, nam radices punicæ plus temporis persistunt. Ratio, qua fructus permutatur, est, cùm alimentum magis percoquitur: tunc verò alimentum percoquitur, cùm radix qualitatem quandam cepit, sic mutato principio, totius naturæ mutatio sequitur. Alimentum immutat, si diutius sequetur. Sed in Ægypto, & Cilicia totarum arborum permutatio fit & sponte, vnde effectio, & vis illa naturæ agri tribuenda est: sed si non arbor tota mutetur, ex alimento & habitudine causa petenda est. Theophrastus granata dulciora molloraq; aquationem facere docet, nam acerbitas, atq; duricia, tale auxilium desiderat. Sed peculiaris in primis mollities, quæ radicibus exhibetur, apparet, stercus enim suillum, vel quod vim proximam illi obtinet, radicibus punicarum superiniectum dulcorat succum, quin etiam copia, & frigiditate aquæ mutationem afferri aliquam dicitur. Paxamus radices arboris circumfodi iubet, & stercus suillum inici, ac superiniecta terra hominis vrina irrigari. Columella, si punica acidum, aut minus dulcem fructum ferat, hoc modo emendari iubet. Stercore suillo, & humano, & lotio humano veteri radices rigato, ea res & fœcundas arbores reddet, & primitiuis annis fructum vinosum, postea verò & dulcem, & apyrenum faciet: Ipse verò exiguum admodum laseris vino diluit, & ita cacumina summa arboris obleuit, ea res emendauit acorem malorum. Ex quo Plinius: Si mala punica acida nascantur, ablaqueatis radicibus fimum suillum adhibent, eo anno vinolenta, proximo dulcia futura. Alii vrina hominis aqua mista riganda censent quater anno singulis amphoris, aut cacumina spargi vino lasere diluto. Ex quibus Palladius: Si acida nascatur, modicum laser cum vino tritum per summa arboris cacumina oportet infundi vel ablaqueatis radicibus tedæ clauus infigi. Alii algam marinam obruunt ad radices, cui nonnulli stercus miscent asininum, atque porcinum. Sed quomodo magnitudo pomorum arte possit comparari, docet Theophrastus: Cytini, vbi formati sunt, in pertusam

Ari.

eos transmittunt ollam, deorsum absque noxa deflexo ramo, terra obruunt, eoq; modo in miram crescunt magnitudinem. Ratio est, quia defendit eos olla ab iniuria caloris populantis. Item à terra nonnihil suppeditatur humoris, vnde fiat accessio magnitudinis ex alimento. Arbor enim fructui non præproperum distribuit alimentum, quare acini non euadunt maiores aliis, qui nulla terra obruti adolescunt, sed eis crassius corium fit. Succus proprius in tantum naturali conficitur, & excoquitur: iccirco sapor malorum dilutior, ac deterior, cortex autem extrinsecum recipit alimentum, vtpote, qui minus alimentum conficiat. Quod Palladius ex Martiali recitat. Locis calidis, Maio mense, mala punica florere incipiunt. Ramus ergo cum flore, si obruto circa arborem fictili vase claudatur, & ne resiliat ligetur ad palum, pro vasculi magnitudine pomum reddit autumno. Itemque Martio mense miræ magnitudinis poma fieri, si olla fictilis obruatur circa arborem punici, & in ea ramus, cum flore claudatur, ne resiliat ligatus ad palum. Tunc cooperta olla, contra aquæ muniatur incursus. Autumno patefacta, suæ magnitudinis poma redhibebit. Etiam Iunio mense fieri potest. Nos tutius, & melius id facere consueuimus. Accipimus vetus lætamen, cui æquales adiicimus partes suilli stercoris, ac vini fæcium, itemque ordeaceum furfurem, locoque ab aquis tuto commixta seruamus per annum, singulis quoque mensibus remiscendo, his demum acetum adiicimus, ac in vnguenti formam reddimus, & Nouembri, vel Octobri mensibus radicum partes punicæ disco operimus, ac misturam circum accommodamus, inde terram inducimus. Sic suo tempore miræ magnitudinis poma euadunt, & singulis quoque annis idem faciendo, maiora semper producemus. Quomodo varios punica fructus ferat demonstrat Theophrastus. Malleo castigant virgarum duriciem, vt contusis partibus facilius admittantur ad vnionem, mox arctissime colligatas pangunt. Tunc arbor vna, ex compositarum virgarum coitu exurgit, sed vniuscuiusque pars sibi facit, & suum ius tuetur, & suum quemque succum trahunt, & coquunt, nec aliud inter se commune habent, quàm mutuum illum complexum, coalitumque. Sed vt acini sine nucleis nascantur, superius ex Theophrasto vidimus nucleorum duriciem aquatione tolli. Sed sine nucleis Africanus nasci promittit, si dempta, vt in vite, medulla, fissum surculum obrues, & dum comprehenderit, recidas, quod emerserit. Democritus ramuli medullam auriscalpio eradit alte, quantum fieri possit sarmento non fisso, & laseris cyrenaici succum aqua dissolutum ad sapæ spissitudinem coctum infundit, & erecta sarmenta ad ridicas illigat, ne succus effluere possit, singulis deinde hebdomadibus succum eundem sarmento infundit, donec germen emittat. Rubra fieri mala Diophanes scriptum reliquit, si ex lixiuio balneorum arboris radices rigentur. Sed Didymus aquam cum lixiuio permisceri iubet. Candida in punicis grana fieri pollicetur Palladius, Martialis authoritate, si argillæ, & cretæ

quartam

quartam partem gypsi misceas, & toto triennio hoc genus terræ radicibus eius adiungas. Vt dicere possis, quot grana punicum habeat: Acinos granati totidem numero in singulis affirma, & si magnitudo variat, modo ex eadem arbore legantur. Nam quod plures, aut pauciores acinos habeat, id ex magnitudine mali non euenit, inde enim est, quod acini maiores, aut minores existant. Sed tam insigne mendacium ferre nequeo, cum magnum paruum centum, ne dum decem acinis vincat. Vt ex vno acino punicum facias: In syluis vbi corni proprius natalis locus, earum viuaciorem eligas, vltimo Nouembri per medium seca, & cera circunda plagam, & à trunci parte illa, per quam surculus descensurus est, post decem circiter dies amoue ceram, & finde truncum, & imprime fissuræ punicæ surculum, vtere agricolationis arte, vt optime apprehendat, ostendet opportuno tempore fructum vnum acinum continentem.

Morbi & remedia.

Theophrasti testimonio punicæ ante maturitatem flores, & fructus facile labuntur. Ratio est, quia debili pediculo pendent, facile iacturam patiuntur, cum enim cœlestes imbres decidunt in cytinos, eos subeuntes humectant, ideoque facilè dilabuntur. Contra hæc ars parat præsidia. Non concedunt arbores elatiores fieri, sed breues ac subductas, sic imbecillitate exilium ramorum nutant cytini, ita vt os auersum à cœlo non excipiat humores. Par quoq; eorum consilium, qui virgas depangi iubent, vt ob tenuitatem subrectos nequeant cytinos substinere. Ex quo Plinius: Punica roribus nimiis, & pruinis flores amittit, qua de causa inflectunt ramos eius, ne subrecti humorem infestum excipiant, atque contineant. Palladius: Si florem punica non continet, vrinam veterem cum pari mensura aquæ temperabis, & per annum radicibus infundes, vni arbori amphora ingesta sufficiet. Vel amurcam mittes insulsam, vel algam radicibus iunges, & bis rigabis in mense. Vel arboris florentis truncum plumbeo circulo debebis includere, vel corio anguis inuoluere. Theophrastus ait, punica quæ dulcia sunt, celerius putrescere: etenim succus eorum imbecillior est, & mutationem facilius recipit. Plinius: Vermiculationem poma ipsa per se quibusdam annis sentiunt. Palladius: Si vermibus laborant, tanges radices felle bubulo, & continuo moriuntur, aut clauo æneo si vermes eorum punges, difficile nascentur, vel asini vrina stercori admista porcino vermibus obuiabit. Ne punica dehiscant: Africanus in excauatos scrobes cum pangerentur silices ingerebat. Si arbor prius plantata fuerit, scyllam iuxta plantabat, quippe cæca quadam naturarum discordia, nec dissilire mala, nec rupta fatiscere patiuntur. Similiter nec dehiscẽt, si secundum caput plantata fuerit. Columella: Mala punica ne rumpantur in arbore, remedio sunt lapides tres, si cum seres arborem ad radicem ipsam collocaueris. At si arborem iam satam habueris, scyllam secundum arboris radices serito. Alio modo, cùm iam matura mala fuerint, antequam rumpantur, petiolos quibus pendent intorqueto, eoq; modo seruabũtur, etiã toto anno.

Plinius ait: Quidam punicis malis substrato lapide non rumpi pomum in arboribus tradunt. Palladius, Si crepant mala, lapidem in media arboris radice supponas, vel squillam circa arborem seras. Et si dum pendent poma, tenacibus, sicut in arbore habentur, intorseris, in totum annum sine corruptione seruabis. Sed qui in scrobe deponit, si tres lapillos in ipsa radice constituat, prouidebit, ne poma findantur. Copiosa in punica mala nasci Democritus asserit, si tithymali, & portulacæ succo bene commixto arboris truncus antequam germinet adlinatur. Læta, & fructuosa reddi Palladius arbusta dicit, si cinis cum lixiuio, circa punici truncum frequenter imponatur. Si fructus crudos creabit, Theophrastus nimiam humoris vbertatem detrahendo eam castigat. Ab auibus non impeti Florentinus scribit, si cucurbita & rapum, quæ nullo antea humore maduerint, apponantur. Languentes arbusculæ fuco in mari scaturiente recreantur, si parte ima caudex radice tenus inuoluatur, ex Florentini placitis. Et si punica inualida est, quia rara, non ob id laborat gelu, raritas enim facit, vt transmittat gelu, in solidis verò validius inhæret.

Conditura. Speciosum hoc pomum, & vtile, quomodo diuturnius custodiatur incolume, tum ob ipsius erga ægrotos facultatem, præsertim in extinguenda siti, tum ob alios mortalium vsus, non pauca excogitarunt, & adinuenerunt maiores nostri præsidia, nos ea primum, quibus in arbore vegeta permaneant, mox quibus decerpta seruentur recitabimus. Beritius hoc modo in sua parente hærere patitur: Arente flosculo singillatim inuoluta mala funiculis obstringunt, ne tumescentia dehiscant in rimas: sic tamen munita relinquũt. Potest & hoc in aliis malis obseruari. Alii in singulis fictilibus ollulis singula collocãt, & diligenter opertas ita stabiliunt, ne vel caudicis occursu, vel mutuo eorum collisu possint confringi, ita & vberius, & adultis semper potientur. M. Varro: Punica immatura cum hærent in sua virga si dimiseris in ollam sine fundo, eamque si conieceris in terram, & obteres circum ramum, sic ne extrinsecus spiritus efflet, non modo integra eximi dicit, sed etiam maiora, quàm in arbore vnquam pependerint. Columella: Quidam pediculos punicorum, sicuti sunt, in arborem torquent, ne pluuiis mala rumpantur, & hiantia dispereant, eaque ad maiores ramos religant, vt immota permaneant, dein se sparteis restibus arborem cludunt, ne aut coruis aut cornicibus, aliisve auibus pomum laceretur. Nonnulli vascula fictilia dependentibus malis aptant, & illita luto paleato, arboribus hærere patiuntur. Alii fœno, vel culmo singula inuoluunt, & insuper luto paleato crasso linunt, atq; ita maioribus ramis alligant, ne vt dixi vento commoueantur. Sed hæc omnia sereno cœlo administrari sine rore debent, quæ tamen, aut facienda non sunt, quia læduntur arbusculæ, aut certe non continuis annis vsurpanda, præsertim cum liceat etiam detractæ arboribus eadem innoxia custodire. Granata autem lecta, quæ custodire cupis ad hybernos vsus. Beritius: Poma leni manu, ne tactu

asperiore

aſperiore vitientur, aut vulnus ſentiant, interlegi debent, nam ea putrilaginis originem afferunt, & incocta pice mergi, refrigerataque ſuſpendi. ſunt qui in ſcrobe querna, ſuffuſo prius aceto, compoſita obruant. Alij integra in feruente aqua marina, vel muria demergunt, vt combibant, dein ſole reſiccant, & loco ſuſpendunt frigido, & cùm vti volunt, aqua dulci pridie macerant. Longo cuſtodiuntur tempore, ſi in feruentem aquam intingantur, & protinus erepta in arena ſicca componantur, aut tritici cumulo in vmbra, dum rugas contraxerint, recondantur. M. Varro mala punica demiſſis ſuis ſurculis in dolio arenæ iam decerpta, ac matura condit. Columella ita ſeruat: Sub tecto foſſulæ tripedaneæ ſicciſſimo loco fiunt, eoque cùm aliquantum terrę minutæ repoſitum eſt, infiguntur ſambuci ramuli. Deinde ſereno cœlo granata leguntur cum ſuis pediculis, & ſambuco inſeruntur, quoniam ſambucus tam apertam & laxam medullam habet, vt facile malorum pediculos recipiat, ſed cauere oportebit, ne minus quatuor digitis à terra abſint, & ne inter ſe poma contingant, tum factæ ſcrobi operculum imponitur, & paleato luto circumlinitur, eaque humo, quæ fuerat egeſta ſuperaggeratur. Hoc idem in dolio fieri poteſt, ſiue quis volet reſolutam terram vſque ad dimidium vas elicere, ſeu, quod quidā malunt, fluuialem arenam, cæteraque eadem ratione peragere. Pœnus quidem Mago præcipit aquam marinā vehementer calefieri, & in ea mala granata, lino ſpartóve illigata paulum demitti, dum decolorentur, & exempta per triduum in ſole ſiccari, poſtea loco frigido ſuſpendi, & cum res exegerit, vna nocte, & poſtero die, vſque in eam horam, qua fuerit vtendum, aqua frigida dulci macerari. Sed idem auctor eſt, creta figulari bene ſubacta recentia mala craſſe illinire, & cùm argilla exaruit, frigido loco ſuſpendere. Mox cum exegerit vſus in aquam dimittere & cretam reſoluere. Hæc ratio tanquam recentiſſimum pomum cuſtodit. Idem iubet Mago in vrceo nouo fictili ſubſternere ſcobē populneam, vel iligneam, & ita diſponere, vt ſcobs inter ſe calcari poſſit. Deinde facto primo tabulato ruſus ſcobem ſubſternere, & ſimiliter mala diſponere, donec vrceus impleatur, qui cum fuerit repletus operculum imponere, & craſſo luto diligenter oblinire. Omne autem pomum, quod in vetuſtatem reponitur, cum pediculis ſuis legendum eſt, ſed, ſi ſine arboris noxa fieri poſſit, etiam cum ramulis, nam ea res plurimum ad perennitatem confert. Multi cum ramulis ſuis arbori detrahunt, & creta figulari cum diligēter mala obruerunt, in ſole ſiccāt, deinde ſi quam rimā creta facit, luto linunt, & aſſiccata frigido loco ſuſpēdunt. Plinius ex eo, Punica aqua marina feruēte indurari, mox triduo ſole ſiccata, ita ne nocturno rore cōtingantur, ſuſpēdi: cum libeat vti, aqua dulci perlui. M. Cato in doliis arenæ ſeruari iubet. Palladius ab his: Punica mala ſeruantur, ſi picatis pediculis ordinata ſuſpendas. Aliter, Lecta integra in aqua marina, vel muria feruente mergantur, vt combibant. Poſt triduum ſole ſiccentur, vt ſub dio nocte nō maneant, poſt in loco frigido ſuſpendantur. Cùm volueris vti, aqua dulci pridie macerabis. feruntur hęc pomis recentibus æmu-

lari. Item si tactu inuicem separata paleis obruantur. Item fossa fit longa, & cortex eiusdē magnitudinis paratur, cui mala acutis surculis suis affigūtur. Tūc inuersus cortex supra fossam ponitur, vt mala sine terræ tactu subter pēdentia ab humore defendant. Item si induantur argilla, & ea siccata loco frigido pendeāt. Item si seriola sub dio obruatur, quæ habeat arenas vsq; ad mediū, & mala cum tenacibus lecta imprimantur cannis singulis, vel sambuci virgulis, & ita separata in arenis figantur, vt ipsa quatuor digitis emineāt ab arena. Hoc & sub tecto in scrobe bipedanea fieri potest, & vtilius est ad seruandum si cum ramo longiore tollantur. Aliter: In seriola, cui ad mediū aqua mittatur, suspenduntur mala, ne humorem tangant, & seria clauditur, ne ventus irrumpat. Item in dolio intra ordeum sic ordinantur, ne se inuicem tangant, & dolium desuper operitur. Hęc de punicorum conditura maiores prodidere, quæ referre non piguit, & si eadem proferant, aut si alter ab altero aliquid immutat, ex diuersa, quæ successit, experientia descripserunt, vt & lector sibi melius consulat.

De pinu. CAP. XXXII.

DIXIMVS de malis, de nucibus dicturi auspicabimur à pinu, cùm & fructus omnes coni magnitudine superet, & perpetuo vireat folio, cuius proprius locus licet sit in syluis, Theophrastus tamen & Plinius inter vrbanas arbores recensent, sic etiam Virgilius:

Fraxinus in syluis pulcherrima, pinus in hortis.

Fabula de pinu. Pitys (vt Græci fabulantur) puella fuit olim perquam illustris, quam vnicè Pan adamabat, hanc quoq; deperibat Boreas, puella vtriq; adducta potius Pani adhæsit, propterea zelotypia irritatus riualis Boreas, Pityn in saxa propulsans, neci dedit, cuius mortem tellus dolens, in eius nominis arborem cōmutauit, mutatoq; vitæ genere apud eos mansit. Pana virens coronat, lugetq; indignum facinus arbor collachrymans, quòd Boreas eam immeritam proteruo spiritu impulerit. Huius fabulæ inuolucro Poetę mirā arboris naturā innuunt, nam flet arbor, vbi Boream afflantem percipit. Cybelæ deorum matri pinum dicauit antiquitas, vnde pini nuces à Martiali Cybeles poma dicuntur:

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Cybelæ iccirco sacra propter Atym ab ea adamatum, atq; in hanc arborem transformatum. Fuit Atys speciosus puer, qui sacris magnæ matris præfuit, à suæ ciuitatis Rege perditè dilectus, qui cùm ab eo sibi vim inferri intelligeret, in syluas ad Cybelem profugit. Rex autem inuento quum vim inferre conaretur, dea stupratoris verenda abscidit, qui moriens, & facinus vlcisci cupiēs, puero eadem perscidit, quem quum sub pinu semianimem iacentem Cybeles antistites inuenissent, in templum deportarunt, nixiq; sunt, verùm frustrà, reficere, mortuumq; sepelierunt. Pinum arborem, sub qua ille iacuerat, tutelæ suæ dea adscripsit, sed vt eius in perpetuum memoria remaneret, edixit deorum

rum

rum mater, vt singulis annis defleretur, eiusque cultores castratentur. Ouidius.

——Mollesq; ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Alii Atym cùm per mare Phrygium nauigaret, ad flumen Gallum vsq; peruenisse memorant, cuius potu ad insaniam versus, silice testes sibi amputarit. Iuuenalis,

Seminir obscœno facies reuerenda minori,
Molli qui rupta secuit genitalia testa.

Sed Arnobius hâc fabulam aliter describit. Fuit Atys Nanæ Sangarii amnis natæ filius. Hæc autem illum hircino lacte enutriuit. Hunc deorum mater ardenter amauit, sed perditissimè Acdestis: quod Midas Rex sentiens, vt illum à nefanda coniunctione tutum faceret, filiam suam ei matrimonio destinauit, & nequis nuptialia munia violaret, intra oppidum eos recludit, illudque muris, turribusque circummunit. Cybele Atys resciens fatum, ciuitatem ingreditur, turribusque spoliat, vnde postea turrita cognominata: sciebat enim non aliter inter mortales liberum quemquã esse, quamdiu matrimonii fœdere vinctus esset. Acdestes verò amore & ira æstuans propter puerũ à se alienatum, conuiuantibus furorem ingerit, vnde orta est inter eos non parua rixa. Postremo Atys sub pino arbore se proiiciens, genitalia sibi desecat, quæ in Acdestim iaculatur, & cum sanguine vitam efflat. Abscissa autem deûm mater veste inuoluit, & in terra recondidit: flos viola è sanguine nascitur, ex qua arbor redimitur, cœptumq; postea sacras pinos hoc flore velarier, ac coronarier. Acdestis enim Iouem deprecatus, vt Atys reuiuisceret, non obtinuit: tamen assecutus est ne putresceret, sed semper in virides comas cresceret, & minutissimis foliis. Ouidius in sua Metamorphosi,

Et succincta comas, hirsutaq; vertice pinus,
Grata deûm matri, siquidem Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoq; induruit illo.

Ida mons Phrygiæ pinis refertissimus est, quamobrem matri magnæ attribuunt. Fraudi verò consecratam pinum Seruius ait, quòd eius poma per fraudem interimant. Panes, & Satyri è pino coronas factitatas gerunt. rationem affert Pharnutus, quod montanum quid, ac syluestre hæc habeat. Lucretius,

Et genus agricolum lare sentiscescere, cum Pan
Pinea semiferi capitis velamina quassans.

Propertius:

Et Arcadio pinus amata deo.

Plinius author est apud Isthmos pinea corona coronari victores. Miletus vrbs Cariæ vetustiore vocabulo Pityusa dicebatur, cuius incolæ φθῖρες, quia pinnorum sylnis abundauit, quarũ flores vel fructus φθῖρες dicũtur: ab eadem pinu Pityodes, vel Pityulæ insulæ in mari Balearico. Lampsacus, Hellesponti

vrbs Troianis temporibus Laomedontea, & Pityusa, & Homero Pityus dicebatur.

Nomen. Theophrasto πεύκη dicitur, cùm omne quod de πεύκη tractet, pino adaptari possit. Theodorus optime interpretatus pinum vertit. Bellonius, quia viros etiam acutissimos πεύκη, & πίτυς dictionum affinitas fefellit, litem dirimere gestiens, πεύκην piceam vocat, πίτυν pinum, magisque tenebras offundit. Idemque sentit Leonicenus. Sed hi mea quidem sententia Pliniũ secuti facile lapsi sunt. Plinius πίτυν pinum vertit, nam πιτυοκάμπας Græcas, Latinè pinorũ erucas vertit, ac toto suo volumine πίτυν nunc pinum, nunc piceam indifferenter vertit. At quomodo Dioscorides vocauerit, vix è paucis ipsius verbis elici potest. Theophrasto pini nuces στρόβιλοι dicuntur, sic Pindaro. Galenus κῶνον commune facit pino, piceæ, & pinastro. Simeon Sethi κονάρια vocat strobilos. Mnasitheus Atheniensis pinearum nucleos, & conos ἰσχάδας vocat. Ab Hippocrate id totum κόκκαλος dicitur ex Athenæo. Latini pinum vocãt à pinnato foliorum cacumine, cuius lignosos fructus frequenti nucamento in turbinatã effigiem compactiles, conos & strobilos vocant. Itali *pino*.

Forma. Theophrastus ita suam peucem depingit. Assurgit procero, & recto caudice, nodosoque. Folio perpetuo, in extremitate pungenti. Medulla carnosa, succo pingui, & resinaceo. Quidã florere existimant, alij minime, sed nucamenta quædam proportione præciduis grossis respondere. At Macedoniæ incolæ ne illas quidem florere arbitrantur. Eius germinatio intermissa, ter turgens, térve germina edens: ideo id genus arboris τρίσοζον dicunt, quod ter inchoatum opus, intermissumq; repetat. Prima germinatio Februario ineunte, quãquam in monte Ida serius ac ferè idibus. Secunda mense Martio, germinans ab extremo surculo, vsque ad proximum antecedentis & quædã sursum, quædam in latera, circumquaq; emittunt, veluti geniculo facto surculo primi germinis, vt fieri prima germinatio solet. Tertia Aprili mẽse diebus circiter quindecim interiectis, forte id diebus sex, vel septem absoluitur, quò cum ventum sit, non amplius in longitudinem, sed in crassitudinem incrementa vertuntur, & si omnium germinationes conspicuæ sunt, in pino maximè videntur, nam germina in versus rectos porriguntur, ramiq; ex æquo conditi spectãtur. Conis adhuc pendentibus semina prosiliunt, vasaque relinquunt inania. Semen nuceum est. Amentum profert, hyphear & stelis in ea nascitur. Radice singulari, & prægrandi, & ad ima descendente, paruæ autem cõplures ab ea exeunt, sed ab ea nulla soboles procreari potest. Vecte sollicitatam quo transferretur, longiorem, quàm octo cubita radicem habere quidam vidisse retulit, quamquam non totam refossam, sed abruptam. Radicibus abruptis numquam amplius repullulat, vt in Lesbo accidit incenso nemore Pyrrheo. Auctu difficilis. Plinius, quæ ex Theophrasto: Pinus habet folium capillamenti modo prætenue, longumque, & mucrone aculeatum, perpetuo virens. Fructus grandissimus pineis nucibus, altissimeq; suspensus, intus exiles nucleos lacunatis includit to-

dit toris, vestitos alia ferruginis tunica, mira naturæ cura molliter semina collocãdi. Larix intermittit tripartito, & terna germina ædit, & ideo ter squamas cortici spargit, quod omnibus arboribus in germinatione euenit, quum prægnantium rumpitur cortex. Est autem prima earum incipiente vere, circiter quindecim diebus. Iterum germinant transeunte Geminos Sole. Sic fit vt prima cacumina impelli secutis appareat, geniculato incremento. Tertia est earundem ad solstitium breuissima, nec diutius septenis diebus, clareque & tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio. In maxima etiam admiratione pinus est, habet fructum maturescentem, habet proximo anno ad maturitatem venturũ, ac deinde tertio, nec vlla arborum auidius se promit. Quo mense ex ea nux decerpitur, eodem maturescit alia, & sic dispensatur, vt nullo non mense maturescat. Quæ se in arbore ipsa diuisere, lamiæ vocantur, læduntque cæteras, nisi detrahantur. Nullo flore exhilaratur, natalesque pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittit. Vstis radicibus larix non repullulat, vt in Lesbo accidit incenso nemore Pyrrheo. Præmonendos tamen lectores diximus Theodorum in Theophrasti versione lapsum, nam vbi ipse τριολιτης, Theodorus ter squamosas vertit, quasi τριοχίμορυς, quum ter turgere Theophrastus intelligi voluisset, cuius erroris causam Plinius præbuit. Præterea Plinius larici tribuit, quæ Theophrastus pino, de vstarum radicum repullulatione, & de germinatione.

Theophrastus pinorũ alteram vrbanam, alteram syluestrem dicit. De syluestri in syluis diximus. Plinius vrbani generis alteram Tarẽtinam dicit, digitis fragili putamine, auiumq; expositam furto in arbore. Apud nos duo obseruantur genera, syluestris, & vrbani. Vrbani duo tantum, duro & molli discrimine. Durum contumaci tegmine occluditur, vt nisi lapidis ictu frangatur, vesci non possis. Alterum fructus affert adeo molles, vt digitorum compressu aperiantur. Vulgò *pigne mollese*. Hoc genus à Plinio Tarentinum dicitur, & coni ramis affixi Solis ęstu dehiscẽtes, nucleos emittũt, qui & ab auibus deuorantur. *Genera.*

Theophrastus frigida loca concupiscere scripsit, montes, & loca aprica, opacis verò nullo modo, aut prauè exurgere. Mnestorisq; sententia calidam esse, argumento, quod locis algentibus perdurare valeat, sui caloris ratione, nec super eam niues insistant, sed eas excutiat hyeme. Sensu etiam probari posse, quod pinguis, & acris, odorata sit, & quæ facile ignem concipiat. Humidã quoque esse, argumento ex picis generatione tracto. Imò adeò frigoris amatrix, vt feruidis locis prouenire posse multis sit dubium. *Cœlum.*

In Latini agri montuosis passim obuiam pinus retulit Theophrastus. Apuleius arenosis in locis. Palladius locum gracilem amare, & sæpe maritimum scripsit. Inter montes, & saxa vastior, & procerior inuenitur. Ventosis, & humidis arborum fiunt incrementa lætiora, sed siue montes conserere velis seu spatia quæcunque huic generi deputabis, quæ alteri vtilia esse non possunt. Ob id M. Varro in prędii finibus seri iubet, ne familiæ rixentur cũ vicinis, ac limites ex *Solum.*

litibus quærant iudicem, vt eius vxor habebat in Sabinis. Nos in sterilibus, & inutilibus locis passim serimus.

Satio. Id genus non nisi seminio nasci, vt omnes coniferę, prodidit Theophrastus, solamque nõ degenerare satu. Didymus legi strobilos iubet Iunio antequam Etesiæ spirare cœperint, & dehiscentes tegumẽto exiliant, & ab Octobri mense vsq; ad Ianuarium, vt amygdalus suis seri nucleis. Cato nuces pineas seri, vt cupressi, & ad eundem modum tanquam allium. Plinius nucleis septenis ferè in ollas perforatas additis. Tempore à kalendis Martii ad idus eiusdem. Palladius: siccis regionibus mense Octobri, vel Nouembri: frigidis & humectis Februario, vel Martio, seritur nucleis suis. Exarabis ergo loca diligenter, atq; purgabis, & frumenti more semen asperges, ac leui sarculo curabis operire, nec enim plusquã palmo debet abscondi. Defendenda est tenera arbor à pecore, ne calcetur inualida. Proficiet si nucleos aqua triduum macerabis. Dicũt pineum fructũ translatione mitescere. Sed plantas hoc modo procurãt, vt prius. Multa semina in calyculis terra & fimo repletis obruunt, quę vbi processerint, relicto eo quod solidius est, auferunt alia, vbi iustũ cœperit incrementum, trimã plantam cum ipsis calyculis transferunt, quibus fractis in scrobe, indulgent radicibus largitatem. Terræ tamen equæ stercus admiscent, facientes straturã alterno ordine subinde crescente. Seruandum est tamen, vt radix eius quæ vna & directa est, vsq; ad summitatem suam possit integra, & illæsa transferri. Pinus benigna omnibus arboribus esse putatur. cùm enim singulari radice nitatur, circa se non fugit, eaq; alte descendit è profundo sibi hauriens alimẽtum, non defraudat superficiarias adsitarum arborum radices. Vnde patitur myrtos, & lauros prope satas bene habere, ex quo manifestatur radices maius incommodũ afferre, quàm vmbræ. Plinius: Quibusdam satis vmbra, aut nutrix, aut nouerca est, pinorum quęcunque attigere, non dubie venenum est. necat & germina pinus, nocet & stillicidio. Palladius: Pinus prodesse videtur omnibus, quæ sub ea seruntur. Vbi semel sata est pinus transplantari non patitur, nam si quis fibrillas aliquas fregerit, exarescit. Vnde qui agris, vel pomariis serere cupiunt, vasculis primo, inde scrobibus confractos deponunt. Nos etsi maxima diligentia transplantare conati simus, raro comprehendit.

Insitio. Pinus, vt cæterę resiniferę omnes, alterius sobolem aspernãtur, nam vt pingues picem, resinamq; illachrymant, diffissoque libro hiant, quasi de proprio lare saniem contrahant, quocirca aliis generibus immisceri recusant.

Cultus. Palladius expertus est nouellas arbores putationẽ promouere, vt quæ sperauerat incrementa duplicentur. Omnes neglectam viuere, nec cultu indigere putarunt: tamen quæ campis seruntur, & coluntur, in vastam amplitudinem crescunt, & conos maiores, vberiores, & sapidiores proferũt. Crebri rami interlucandi sunt, & vt melius arbor increscat, & vt ordinata speciosior videatur.

Morbi & remedia. Pini morbus est, vt Idæi incolæ tradunt ex Theophrasto, vt teda fiat, tam parte

parte caudicis externa, quàm corde, id quod ex abundantia succi, & vbertate larga luxuriantis naturæ prouenit, isque morbus naturalis est: non enim vllo morbo afflictata, sed optimæ habitudinis causa emoritur. Radices enim crassescẽtes in tedá abeunt, quod euenit ex succi copia, ac nutritionis excessu, cùm alimentum, quia pinguedine obstructę sunt viæ, transmittere nequeant, sicuti animalia quædam, quæ supra modum crassescunt: cùm enim auram attrahere nequeãt, nec spirationis vsu frui possint, quoniam venarum oscula pinguedine sunt angustatæ, obductaq; suffocantur. Iccirco nõ inepte rusticide pino dicunt, pinum obesitate strangulari, omnia nanq; spirituum egent solutione, & meatuum libertate. Alibi verò: Cum tota radix abierit in tedam, pinum morituram. Ratio est, quia alimenti pars excocta, purissimaq; insidet, ex eo insessu pinguedo fit, quod verò ad cæteras partes superiores pertinere deberet fertur ad earum quæ super terram sunt alimentum, non per pingues partes, sed per alios meatus, non enim amplius suppeditabit ad alendum, occupatis aditibus, obsessisq; viis à pinguedine illa, interclusoq; sic spiritu, vt amplius commeare non possit, extinguitur. Aliis autẽ arboribus quibus nulla pinguedo, aut si inest non multa, id nõ euenturum. Plinius ab eo: Aliæ verò obesitate, vt omnia, quæ resinam ferunt, nimia pinguedine in tedá mutantur, & cum radices pinguescere cœpêre intereunt, vt animalia nimio adipe. Decacuminatione moritur, quod non sine ratione accidit, quia cũ humore nõ abundet, & meatu condatur rectissimo, & singulari radice inhæreat, vulnus infestat, facitq; vt frigus & ardor facilius subeat, prȩsertim cũ vndiq; inferatur, cùm meatuum rectitudine non pigrè ad radices deueniat. Plinius ab eo: Quibusdã debilitas sterilitatem, non necẽ affert, vt si quis pino cacumen auferat, sterilescit enim, nec moritur, detracto cacumine piceæ, aut ignibus adusto interit. Pinus detracta teda seruari potest, pinguedo enim huic pro morbo habetur. Sed hęc non nisi bene adulta sufferre potest, & hinc quamuis putruerit, seruari ac viuere potest, nam non semper tedificare consueuit, sed cum viget, & ætate adulta est. Nouella teda caret, quum nutrimentum ad germina, incremẽtaq; altitudinis absumit, cùm dilatare cœperit, statim tedæ habitudo consequitur. Cortex in orbem detractus in pino mors est, sed refert anni tempus, scilicet in germinatione. Cum enim cortex turget Februario, vel Martio mense si quis ei detraxerit statim morietur. Hyeme diutius durat. Refert & anni tẽpus. Pino si quis detraxerit corticem, sole taurum vel geminos transeunte, cum germinat, statim moritur; eandem verò iniuriam hyeme passæ diutius tolerant.

Huius pineæ, Palladius ait, vsq; ad mensem Nouembris in arbore esse possunt, & maturiores legentur, prius tamen legendæ sunt, quàm patescant. Nuclei nisi purgati durare non possunt, tamen alii in vasis fictilibus nouis, & terra repletis in testis suis missos asserunt custodiri. Cõditura.

De resiniferarum omnium arborum materie diximus in cædua sylua, & de pice. Materia.

De nuce iuglande. CAP. XXXIII.

A NVCIBVS pineis locum amplitudine vendicauerunt, quæ cessere authoritati, nuces iuglandes (inquit Plinius) multum pineis minores vniuersitate, eædemq; portione ampliores nucleo. Peregrinas esse arbores, & à Regibus è Perside translatas indicio sunt Græca nomina. Creditum est hoc genus nucis Ioui sacrum esse, eò quòd hæc arbor inter omnes nuces suauissimum ferat fructum. Fuit enim glans apud antiquissimos maximo in honore, antequam mortales se ad delicias conuerterent, vt qua sola innocuæ vitæ atq; simplici alimenta præberent, quapropter quum nucem veteres illi egregiam existimarent, decorare eam digna appellatione volentes, iuglandem quasi Iouis cibum nuncupauêre. Hæc inter nuces primum obtinet locum, & per antonomasiam nux appellatur. Prisca etiã ætas nuptiis religiosas fecit, spargebantur enim eæ nuptiis, cuius rei rationẽ Seruius Varronis authoritate narrat, vt Iouis omine matrimonium celebraretur, vt nupta matura sit, sicut Iuno. Festus autem: Nouæ nuptę mariti domum intranti fiat auspicium secundum. Nam illud vulgare est spargi nuces, vt à rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ virginitatem deponentis vox exaudiatur. Ad id allusit Virgilius:

Nouas incide faces, tibi ducitur vxor,
Sparge marite nuces.

Plinius: Quamquam & ipsæ nuptialium Fescenniorum comites. honor his naturæ peculiaris, geminato protectis operimento, puluinati primum calycis, mox lignei putaminis; quæ causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito, quod est verisimilius, quàm quia cadendo tripudium sonúmve faciãt. Tinguntur cortice earum lanæ, & ruffatur capillus primum prodeuntibus nucleis, id compertum infectis tractatu manibus. Vim, quam contra venena habent, iam diximus in ficu.

Nomina. Theophrasto καρύα περσικὴ id est nux persica. Dioscorides κάρυον βασιλικὸν, εὐβοϊκὸν, & περσικὸν vocat, id est nucem basilicã, siue regiam, euboicam, & persicã. Democritus Grecus vocabula declarãs βασιλικὸν κάρυον dicit esse nucẽ regiam, vel quæ simpliciter nux dicitur. Sed Διὸς βάλανον castaneam esse dicit. Plutarchus in Symposiacis κάρυον dictam putat, quod spiritum grauem, ac soporem inducentem profundum exhalans lædat eos, qui sub ea recumbunt, ἀπὸ τοῦ κάρου id est odoris grauedine. Macrobius verò iuglandem nucem secũdum aliquorum opinionem dictam à iuuando, & glande existimat. Ex C. Bassi opinione Iuglãs arbor dicta inde est perinde ac Iouis glans. Nam id arboris genus nuces habet, quæ sunt suauiore sapore, quã glans est. Hũc fructum antiqui illi, qui egregiũ ipsum, & ipsam arborẽ Deo digna existimabant, Iouis glandẽ appellauerũt, quæ nunc literis interlisis Iuglans nominatur. Ex Cloatii autẽ opinione in Iuglans d pretermissum est, quasi diuglãs, id est Διὸς βάλανος. Caryatides, de quibus Vitruuius tractat libro primo, ait Lactantius apud Statium in Thebaide à nuce arbore nominatas esse, quòd virginũ chorus has arbores propter hostiũ-

metum

metum cõſcendiſſet. Plinius has à regibus tranſlatas indicio eſſe Græca nomina, quippe optimum genus perſicum, & baſilicum vocant, & hæc fuere prima nomina. Caryon à capitis grauedine propter odoris grauitatem conuenit dictum. Etenim arborum ipſarum, foliorumq; vires in cerebrum penetrant: hocq; minore momento, ſed in cibis nuclei faciunt. Sunt qui honoris nomen interpretantes, & Iouis glandem eſſe dicunt. Videntur hæ à Catone nuces caluæ dici, & ſi Plinius galuas dicat. Inquit enim, Nuces galuas, præneſtinas, Græcas: cùm calua nux non niſi iuglans eſſe poſſit. A M. Varrone iuglans dicitur, quòd hæc antequam purgetur, glãdi ſimilis ſit, & ideo nux dicta, quòd eius ſuccus corpus atrum faciat, veluti nox eſt. Aliquibus nux dicitur à nocendo, quòd & corpori nocet, vt diximus, & ſatis, vt dicemus. Itali vocant *noce*.

Forma. Deſcriptio hæc à Theophraſto adducitur. Germinat non cacumine, vt maxima pars arborum, ſed lateribus impulſo priore pullulo, qua forma & caudices toti, & prægrandes rami creſcunt, vt quibuſdam aliis, in foliorum vnum procumbunt, idque optima ratione prouenit, quum deſit initium, vnde germẽ erumpat. Non floret, ſed villum affert, quod præciduis groſſis proportione reſpondere exiſtimatur. Maturè germinat, paulo ante æquinoctium, & ætate fructificat. Semen protinus poſt ligneum tegmen eſt. Plinius, Honor his naturæ peculiaris gemino protectis operimento, puluinati primum calycis, mox lignei putaminis, ſolum hoc pomum natura compactili operimẽto clauſit. Nanq; ſunt bifidæ putaminum carinæ, nucleorumq; illis quadripartita diſtinctio, lignea intercurſante membrana. Fructus pingui ſucco præditus, cuius extra geminantur vitia. Fauonio inter primas germinat. Inferiore ſui parte fertilior eſt. Fructus vetuſtate pingueſcit. Et ſi apud nos notior ſit, quàm vt repræſentari debeat, cùm à ſummo viro prætermiſſa ſit, non relinquemus. Arbor aſſurgit prægrandi, & procero caudice, multis ſummatim ramis ingentibus brachiato, latitudine ſpatioſa, ad binûm ternûmve cubitorum complexus ſæpius craſſeſcente. Cortice hiulco, & in rimas altas dehiſcente. Frondibus neruoſis, latis, oblongis, terebintho, vel fraxino maioribus, è iucundo grauiter ſubolentibus, patulamq; iactantibus vmbram, & inſalubrem, per autumnum deciduis, verni temporis initio panicula prælonga protuberat, ſtatim quàm frondem facere cœpit, caduca prolabitur. Multis, prælongiſque nixa radicibus. Fructus multis occulitur inuolucris, calloſo primum, herbaceoq; cortice, quem guliocam dicunt, hinc compactili carinarum loculo, mox tenui tunica, quæ nauci aliquibus dicitur. Criſpi intus nuclei quadripartitè digeruntur, lignoſa intercedente membrana.

Genera. Theophraſtus è ſylueſtri genere eſſe ait, cùm cultu manſueſcat. Sylueſtria enim deteriorem fructum pariunt, & foliis, ramis, totaq; forma breuiora efficiuntur, ſpiſſiora, contortiora, durioraq;. Plinius, Optimum quidem genus earum, perſicum atq; baſilicon vocant. ſola differentia generum in putamine duro, fragilive, & tenui, & craſſo, loculoſo, & ſimplici. Et Tarentinarum

duo genera, fragili putamine, ac duro, quæ sunt amplissimæ, & minimè rotundæ. Præterea molluscæ putamen rumpentes. Insuper consularem virum audiuit iuglandes nuces & biferas habere se profitentem. Sed Macrobius Saturnalium libro, nux tarentina, dicit, quæ ita mollis est, vt vix attrectata frangatur. De qua in libro Fauorini sic reperitur: Itemq; quidam tarentinas oues, vel nuces dicunt, quæ sunt Terentinæ à Tereno, quod est Sabinorum lingua molle. Vnde Terentios quoque dictos putat Varro. Quam in culpam etiam Horatius potest videri incidere, qui ait,

Et molle Tarentum.

Nux mollusca quæ fuerit, ab eodem declaratur.

Plautus in Calceolo sic eius meminit:

Molluscam nucem super eius dixit impendere tegulas.

Sed persicum, quod vulgo vocatur, molluscam esse nucem ait, quòd cæteris omnibus nucibus mollior sit. Cuius rei idoneus assertor est Sueuius in suo moreto, qui inter cætera, quæ eò mittit, hoc pomum mitti ait, his verbis,

Admisce in Acca basilicis hac nunc.
Partim persica: quod nomen sic denique fertur,
Propterea quòd qui quondam cum rege potenti
Nomine Alexandro Magno fera prœlia bello
In Persas retulere suo: Post deinde reuentum,
Hoc genus arboris in prælatis finibus Graiis
Disseruere, nouos fructus mortalibus dantes,
Mollusca hac nux est, ne quis forte inscius erret.

Sed Macrobius aperte hallucinatur, quòd persicum vulgò dictum molluscam nucem esse putat. Quippe Sueuius in suo moreto persicas nuces, id est, molluscas basilicis, & congeneribus esse miscendas dixit, nomenq; persicis inditum refert, quòd post bellum ab Alexandro aduersus Persas gestum, eæ ad Græcorum fines delatæ, satu inuisos antea fructus dedere, & basilicæ, & persicæ nuces dictæ fuere. Sed Macrobii erroris causa fuit, quod putauerit idem esse malum persicum & nucem persicam. Sed persicæ hæ nuces, vel, vt Plinius ait, molluscæ, nobis afferuntur ex oppido, quod vulgò *Castelluccia* dicitur, corio adeo fragili vestitæ, vt crescendo illud rumpant, auiumq; furto exponantur. Sed paruæ sunt, nobis dicuntur *mollese*, duræ verò *maschie*, quas moracias, & moracillas dictas à frangendi mora sunt qui dicant.

Cælum. Nux, Theophr. authore, montibus ꝓpria, in planis nasci recusans. In Thmolo Olympioq; Mysio plurima nascitur. E syluestri genere esse videtur, q̃a frigoris cupida mõtanaq; potius sit, sed cultu mitescit. Plin. ex eo. Nux in montibus nõ temere visa est. Damageron Græcus in frigidis potius quã calidis gaudere ait. Pallad. amare loca mõtana, humida & frigida, plerumq; lapidosa, potest tamẽ & locis tẽperatis iuuante humore nutriri. Antiphanes, ex Athenęo, optima cuiusq; regionis laudans, nuces è Paphlagonia optimas afferri dicit:

Paphla-

Paphlagonumq́; Iouis & glandes.

Apulia his caret, vbi calidum cœlum, & si ibi aliqua forte seratur, degenerat arbore, & fructu. Petrus Crescentius quocunque cœlo viuere scripsit, quod tantorum virorum doctrinæ, & experientiæ repugnat, cùm calidis locis, si nascantur, non fructificent.

Solum.

Damageron siccis gaudere ait. Plinius: aquas odere iuglandes. Nos qui temperatis degimus regionibus multas habemus consitas, & optime fœtificantes iuxta aquarum decursus, in conuallibus, vel montium radicibus, soluta terra, nigraq́;. Sed maxime argillam reformidat. At si quis argillosis locis serere eas cogatur, scrobem profundam excauet, prædictaq́; repleat terra, & in medio eas conserat. Idem faciendum est reliquis locis, in quibus soli natura arboris naturæ repugnet.

Satio.

Damageron iuglandes plantari ait tempore, quo & amygdalæ, ac sæpius transplantatas fieri lætiores. Columella ante calendas Martias ait iuglandem serere oportere. Plinius, Iuglandi à calendis Martii ad idus eiusdem satio distribuitur. Palladius lætiorem fieri tradit, si sæpius transplantetur: in locis frigidis bima, in calidis trima transferri debet. Radices plantarum sicut in aliis arboribus solemus, in hoc genere resecare non debes. Fimo bubulo ima planta tingenda est, sed melius cinis aspergatur in scrobibus, ne calore stercoris aduratur, nam cinis creditur vel corticis teneritudinem procreare, vel fructuum densitatem afferre. Altis scrobibus delectatur pro arboris magnitudine, & desiderat interualla maiora, quia stillicidiis foliorum suorum, proximis vel sui generis nocebit arboribus. Columella ait: Omnis nux vnam radicem mittit, & simplici stylo prorepit. cùm ad solum scrobis radix peruenit, duritia humi coercita recuruatur, & extensa in modum ramorum alias radices mittit. Nos eas transplantamus, quæ à sua arbore caducæ seipsas serunt, atq; limitibus, iuxta vias, locaq́; inutilia serimus, cùm sua vmbra vicina lædat. Ouidius de nuce,

Sponte mea facilis contempto nascor in agro,
Parsq́; loci, quo sto, publica penè via est.
Me, sata ne lædam, quoniam sata lædere dicor,
Imus in extremo margine fundus habet.

Quercum & iuglandem tam pertinaci odio dissidere dicit Plinius, vt iuxta nucem iuglandem depacta, moriatur. Etsi hanc nonnulli in quercum senio transmutari dicant. Interualla sint quadraginta, vel quinquaginta pedum. Nasci etiam auulsione Damageron scripsit.

Ramo etiam depacto vitalis fuit satus. Euellitur à radice ramus, cum aliqua trunci corporis parte fimbriata, & scrobibus accommodata calcari debet validè terra. In calidis regionibus Ianuario, in frigidis Februario.

Cultus.

Erigatur truncus à solo decem, vel quindecim pedes. Omniq; abdicato cultu ferax est. Vnde Ouidius,

Non mihi falx nimias Saturni deputat vmbras,
Duratam renouat non mihi fossor humum.
Sole licet, siccaq; siti peritura laborem,
Irrigua dabitur non mihi sulcus aqua.

Insitio.

Posteritati memoriæ mandarunt rei rusticæ periti, neq; iuglandem, neque resiniferas arbores vllo insitionis inter se, aut cum aliis pignore iungi posse, ita vt iuglans aliam non admittat arborem, & suum etiam surculum respuat: si pangantur nullo fœderis nexu coalescant. Sed ii planè, vt Damageronti placet, à veritate sunt deuii, experientiaq; docuit iuglandis surculum resinosæ terebintho, aut pistacio insitum comprehendisse, & in grandiorem sua sorte arborem euasisse. Terebinthus, & iuglans surculum pistacii recipiunt, qui conceptus persæpe conualuit, & licet forsitan non facile coëat, non ideo tamen negligendum, si res semper suum non sortiatur effectum. Sunt qui hoc insitionis vtantur genere: Nucem obruunt, & vbi adoleuerit, bimam aut trimam radicibus eruunt, radicique surculum iuxta carnem infigunt, & iterum terræ religant, alii ramulum anniculum eligunt, & inuertunt, quia medullam pleniorem habet, & rasuram facilius sustinet, sic insita melius comprehendet. Diophanes nucem in arbutum solam inseri dicit. Quod Virgilius confirmat,

Inseritur verò & fœtu nucis arbutus horrida.

Plinius: Quippe cum Virgilius insitam nucibus arbutam dicat. Palladius: Inseritur, vt pleriq; asserunt mense Februario in arbuto sed melius in trunco, vt alii, & in pruno, & in se. Ad Pasiphilum,

Arbuteas frondes vastæ nucis occupat vmbra,
Pomaq; sub duplici cortice tuta refert.
Cætera, quæ solers processu temporis vsus
Exprimet, exemplis instituere nouis.

Nos Aprili vltimo nuces digitali insitione mutuo inserimus, & optime comprehendunt. Sunt qui dicant in castaneam inseri posse. Inoculamus & vere, & concipit.

Ars.

Nuces nudas, & sine putaminibus ædent iuglandes, vt pollicetur Africanus: si fractis vtrinq; carinis integer nucleus illæsa prorsus carne, lana, vel vitigineis foliis recentibus, aut platani foliis obuoluatur, quo minus à formicis enucleatus erodatur fructus, dein terræ mandetur. Hoc etiam modo, Florentinus asserit, in amygdalis venturum, si cinis scrobibus aspergatur. Damageron ait: Si quis terebro per medullam arborem traiiciat, & foramini parem vlmeum adigat cuneum, nodosam duritiem nux exuet. Lætioremque fieri affirmat, si quis cuprinum clauum imprimat arbori, qui vsq; ad medullam penetret. Cinis etiam iugiter caudici, vel radicibus affusus, & teneritudinem affert, & fragiliorem nuclei carnem efficit. Palladius: Si dura nux erit, vel nodosa: cortex vulnerandus non circumcidendus erit, vt vitium mali deducat humoris. Alii radicum summam præcidunt. Alii terebratæ radici palum

de buxo imprimunt, vel cuprinum clauum, vel ferreum. Si Tarentinam facere volueris, solam nucis carnem lana propter formicas inuolutam in seminario debebis obruere. Si ferentem iam in hoc genus velis mutare, lixiuio per annum continuum ter rigabis in mense.

Morbi & remedia.

Nux fructum non abiiciet, Damageron ait, si quis verbasci radicem, vel coccinium è sterquilinio pannum amuleti vice suspendat. Si senectæ vitio cauetur, Palladius ait, longus canalis à summo trunco ad imum debet excludi, sic beneficio solis, & venti distlantur, & durescunt, quæ in marcorem transibant. Arcebitur etiam hiantis carinæ vitium si frequenter ablaqueetur. Democritus scriptum reliquit, Si quispiam ieiunus lentis grana mandat, atq; dum adhuc mansum in ore versat, quum flore pubet iuglans, eius ramum demordeat, arbor distabescet. Item si flagrans igni clauus radicibus imprimatur, aut si in traiectam terebro arborem puerile lotium indatur, aut si quis iuxta ablaqueatam radicem dictamnum, fabas, vel pannum menstruo sanguine mulieris imbutum deponat, arborem ariditate tabida conficiet.

Cõditura.

Theophrastus nuces perraro seruari, quia præraro minimeque continuo putamine obteguntur. M. Varro ait, nucem iuglandẽ quanto citius promes iucundiore vtere, quod vetustate nux fiat aridior. Palladius: cortex in nuce demissus maturitatis indicium est, qualis debet & poni. Nuces seruantur vel paleis obrutæ, vel arena, vel foliis suis aridis, vel arca ex suo ligno facta inclusæ, vel cæpis mixtæ, quibus hanc vicissitudinem reddunt, vt eis acredinem tollãt. Martialis asserit, & expertum se ait: virides nuces tantum liberas putaminibus suis melle demergi, & post annum virides esse, & ipsum mel ita medicabile fieri, vt ex eo facta potio arterias curet, & fauces. Fertur apud nos prouerbium, nucem rusticorum naturam sortitam esse, quo enim immitius eius rami perticis feriantur, eo vberiores fructus sequenti anno proferre. Si leni manu colligas, minus fertilem futuram. Ouidius hoc versu exprimit,

At cùm maturas fisso noua cortice rimas
Nux agit ad partes, pertica sæua venit.
Pertica dat plenis immitia vulnera ramis,
Ne possim lapidum vulnera sola queri.

Vbi collectæ sunt nuces in cumulos rediguntur, vt biduo, vel quatriduo corticibus denudentur, dein eiusdem temporis spatio areis relinquuntur, quo sole resiccentur, vt commodius seruari possint. Priusquam reponantur, eligantur integræ, vitiosæ separentur, rumpanturq; vt nuclei ad oleum seruentur, nam si cum testis diutius immorauerint, à vermibus erodentur. Maximus est apud nos vsus conditarum sacchato, vel melle nucum. Albę hoc modo die vna condiuntur. Teneræ nucis putamen antequam lignescat, cultro deglubitur, testæ albæ tenues illico ne nigrorẽ contrahant, in aquam proiiciuntur, coquuntur vsq; dum mollescãt, inde cinamomo, & garyophyllis traiectę sacchato perfecte cocto bulliunt tribus quatuórve bullitionibus, cú quo saccharũ bi-

bant, triduo aut quatriduo inibi ſinuntur, & quia ſaccharū recrudeſcit, propter humorem imbibitum, idem per ſe denuo coquitur, & bis térve ſic repetitur.

Vtilitas. Theophraſtus eius materiem amplam eſſe dicit, eiusq; vſum ad tectorium opus, ſed frangi ſe ſonitu prænunciat, ita vt præſentire homines poſſint, quod in Antandro contigiſſe, omnesque è balneis terrefactos profugiſſe traditum eſt. Sub terram obruta à putredine immunis durat, quinimo omnium præcipua operi ſubterraneo redditur. Etiam carbones iuglandis experi ſolent ferreis metallis, cùm iam exarſerit. Plinius ab eo: Cariem vetuſtatemque tardiſſimè ſentit iuglans. Non improbatur iuglans in aqua, hæc quidem in his, quæ defodiuntur, vel principalis. Colos mire adulteratur iuglande tincto, atque in medicamine decocto. Facile pandatur iuglans. Fiunt enim ex eo trabes, frangiq; ſe prænunciant ſtrepitu, quod in Antandro accidit, cùm è balneis terrefacti ſono profugerunt. Apud nos arcis, & menſis, & vtenſilibus lautis dicatur, materie vndatim criſpa.

De Amygdalo. CAP. XXXIIII.

TERTIVM ab his locum amygdalo Plinius aſſignat, cui nos aſſentire volumus. Hæc arbor an fuerit in Italia Catonis ætate dubitare ait, quoniam Græcas nominat, quas quidem & in iuglandium genere ſeruant. Legitur apud Arnobium fabula de Amygdalo: Ia Mydæ regis filia fuit, quæ mortuo Aty ſponſo ſuo exanimati pectus mitioribus lanis velat, illachrimans cum Acdeſte, qui mortis cauſam dederat, ſeſeque interficit. Cruor in purpureas violas vertitur, corpus à deûm matre ſepelitur, vnde amara amygdalus naſcitur, amaritudinis cauſam ſecum afferens. Virgilius de futura frumenti copia, ex amygdalo prognoſticon deſumit.

Contemplator item, cum ſe nux plurima ſyluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.

Ebrietatem arcere putauit Plutarchus in Sympoſiacis, qui apud Druſum Tiberii Cæſaris filium quendam medicum comeſſari ſolitum retulit, qui omnes bibendi certamine prouocabat, neminiq; cedebat in vini potu, is tandem deprehenſus eſt, antequam biberet, quina, ſenave comeſſe amygdala, quominus temulentia tentaretur. Porro cum deuorare vetuiſſent, ne pauxillum quidem in huiuſcemodi potu reſiſtebat. Hoc idem Athenæus retulit, cuius cauſam amaritudinis vim dicit, quæ reſiccet & humores depaſcat. Sunt qui amygdala putent facultate mordendi, detergendæque carnis donari, ſic vt faciei fuſcas & contractas ſole maculas obliterent. Ergo cum præſumpta fuerint, amaritudine ſua meatus vellicant, & quodam laceſſunt morſu, qua de re vaporem

vaporem, quem humor in cerebro creauit absorbent. Sic itaque non ab re amygdalarum amarulentia contra meri iniurias pollet, interanea resiccans, sic vt non sinat venas impleri, quarum, vt tradunt, distentione, & perturbatur temulentiam contrahi volunt, effluuiis obsessa mentis arce. Peruidens argumentum est mori vulpes amarorum pastu, si non cõtingat è vicino aquam lambere, intestino humore affatim exucto. M. Varro ex nuce Græca triplex ministerium fieri ab apibus, cibum, mel, ceram, earumque florum pastu cæliacos fieri. Columella probatissimam arborem amygdalum vocat ad apes. Ex his Palladius: Ex amygdalis apes mel conficiunt.

Græcis arbor ἀμυγδαλῆ dicitur, fructus ἀμύγδαλον. Sed Pamphilus, Athenęo authore, de pronunciationis tono loquens ait: ἀμυγδάλης in fructu grauari oportet, sicut in ἀμυγδάλῃ, at arborem vult circumflecti, vt ἀμυγδαλῆ. Aristarchus & fructum & arborem indifferenter posuit accentu acuto. Philoxenus vtrumq; circumflectit. Triphon Atticus amygdalam fructum cum graui profert, quod nos neutro genere amygdalum dicimus, sed amygdalam arborem: nam cum nomen à fructu sit deductum, videtur merito circumflecti oportere. Lacones muceros vocãt amygdalas, vt Seleucus scribit. Amerias mycerum dicit. Nicander in suis Georgicis amygdalum dicit neutro genere. Herodianus Alexandrinus inquit amygdalas dici, quod post viride putamen multos scarificatus ostendat, & hiulcas rimas, quas Græci amychas vocant. Dicitur etiam amygdala nux Thasia, quemadmodum declarat Democritus Græcus. Macrobius amygdalam dicit nucem Thasiam, & Græcam ex Cloatii doctrina. Cato è Latinis nucem græcam vocat, nuces omnes commemorans, caluam, auellanam, prænestinam, & græcam. M. Varro nuces Græcas vocat. Columella etiam nuces Græcas amygdalas vocat. Argumento quòd omne, quod de nuce Græca scripsit, à Theophrasto excepit de amygdala loquente. Vnde maximè miror Hermolaum doctissimum virum ambigere, an Græca nux Columellæ sit amygdala. Plinius, & Thasiam, & Græcam nucem amygdalam vocat. Palladius etiam nucem Græcam vocat. Nomen.

A Theophrasto ita formatur: Arbor vestitur folio fœminicoruo simili, sed minus pingui crassove. Inter arbores soli peculiare est, quòd ante foliorum ortum floreat, vel cum flore folium promat, vel paulo post. Flore foliato, candido, quamquam & amygdalarum quarundam subruffus exeat. Aroniæ mespilo forma simili. Germinat præmaturè, sed non præmatura folia dimittit, cùm multis serior sit. Facilè germinat, quia viribus præualet alimentoq; abundat. Facileq; afficitur, & nisi siccitas suæ naturæ foret impedimento, ad supergerminandum propẽsa esset. Fructificat ex annotinis surculis. Fructu perseæ simili, vel fraxini semini. Cuius semen sub regmine ligneo est, ambiẽtiaq; plura habet. Succo pingui pręditio. Principio succus aquosus, quandiu viridis est, atq; recens, sed senescens crassiusculus redditur. Cuius putamina acerba, acutaq; sunt: Vnde sordes omnes, terræq; partes eo vis naturæ fecer- Forma.

nes expellit. Sed cur cito floreat, fructus verò serò maturet, causa est, quòd flores, & folia sunt faciliora, vtpote quæ crassiore constent materia, fructus verò purgatiore succo consistunt, quòd maioris paratus indigeant, præsertim cùm lignosus, pinguis, siccusq; natura sit fructus, tales igitur difficilius confici necesse est. Visitur aliquando fructum sine foliis afferre, quod non aliunde euenire credibile est, quàm ex nimia fructus frequentia, & ob id folia minus frequentia: absumpta enim naturæ vi in fructu, folia parua, imbecilliaque remanent, & casui obnoxia prolabuntur, vt nuditatis speciem in arbore relinquant. Prima quidem specie fructum abunde parit, sed quos peperit sæpenumero educare non potest, quippe cùm in perficiendo potissimo labore sit opus. Et si fœcunda sit, non ob id breuis vitæ eam censere fas est. In senecta enim fertilior euadit. Cuius ratio est, quòd ætate viribus detractis detrahitur & alimenti vbertas, itaque fit, vt facile quod reliquum est concoquatur ad fructus confectionem. Singulari radice firmatur, prægrandemque ac altè defixam agit. Pingui succo turget, lachrymamq; rimosa plorat, quæ concrescit in gummi. Plinius ab eo. Amygdala folia rubentia habet. Floret prima omnium mense Ianuario, Martio verò pomum maturat. Nec interest maturius germinasse, cùm prima germinet, & inter nouissimas nudetur. Messibus reddit semen: Fructus tenuiore, sed simili iuglandium summo operimento, item secundo putaminis: nucleus dissimilis latitudine, & acriore callo. Extra geminantur vitia. Succo pingui prædita. In senecta fertilissima. Sed valde miror Theophrastum in re arboraria diligentissimum virum soli amygdalæ inter arbores tribuisse, vt prius flores, quàm folia promat, cum contra eum testentur Neapolitana pomaria, vbi præcox, armenia, persica, cornus, cerasus, prunus, malus, populi, vlmique, quæ ante folia florent, vt videantur arbores frequenter albo linteo coopertæ. Plinius item Ianuario florere. Martio maturare, cum præcox amygdalus Iunio suos maturet fructus, serotina autumno. Dioscorides amygdalum rhododendri foliis esse. Palladius etiam in vetustate plus afferre scripsit. Apud nos nouellis amygdalis folia hyeme non cadunt, adultis cadunt.

Genera. Theophrastus syluestris, & domesticæ, dulcis, & amaræ, duræ, & mollis meminit. Athenæus Cypriæ meminit, quæ reliquis longior, & extremitatem aduncam habet, item Naxiæ, & in pretio habitæ, quia erat mollis, vt ex Phrynici testimonio patet apud eundem, qui se molares dentes sibi rupisse dicit, vt ne Naxiam quidem amygdalam frangere posset. Plinius à Theophrasto dulcis, & amaræ. Nos autem ita diuidemus. Amygdalarum duplex genus, syluestre, & vrbanum. Syluestres amygdalæ amaræ sunt, & salubriores, quippe in remediis magis quàm dulces valent. Vrbanum genus in duo itidem diuidemus: Molle & Durum. Molles amygdalas tarentinas dicimus, quæ tam fragili putamine sunt, vt manibus attrectatæ frangantur, & arboribus furto auium exponantur, nam hiascunt, & decidunt, vel aues

nostro-

roſtro frangunt, & vorant, à mercatoribus ſpernuntur, quia fragiles ſunt, non ita à mulieribus & pueris, qui manibus preſſis, vel dentibus ruptas edunt. Harum duæ ſpecies, altera maior, altera minor. Neapoli *amendule pomegne* dicimus. Atheneus has Naxias vocat. Durum genus in tria diuidemus, maximum, medium, & minimũ. Maximum quatuor digitorum longitudine fructus eſt, cuius apex veluti hamus incuruatur: Athenęus Cyprias vocat, Plinius falcatas. Apuli *amendolagne*. & ab eis pro vili pretio habitæ, quia earum arbor paucas producit, nec continuo fœtificat, nec exportari tolerant, ſed ſecundis menſis apponuntur, ac ſaccharo condiuntur. Medium genus communes vocát, à pice ſunt retuſiori, folia arboris maiora. Sed minimum genus pręſtantius eſt. Incolę *ambroſine* vocant, hæc exportantur in diuerſas partes, geſtatum tolerant, maximoque habentur pretio à mercatoribus. Hoc genus in duas ſpecies diuidemus, maiorem, & minorem. maior non dicitur, quod cum cæteris conferri poſſit, ſed reſpectu alterius ſpeciei, quæ minima eſt. Fructus rotundus eſt, paruuſque, totam ſuæ teſtę cauitatem replet. Arbor tenuior, & delicatior eſt. Folium anguſtius breuiuſque. Hæc ſingulis annis vberiores fructus producit, vt nimio onere frangantur rami, ni ſubdita furca ferat opem.

Theophraſtus ei cœlum ſerenum apricumque tribuit. Columella calidum. *Cœlum.* Plinius calido cœlo, & meridianis partibus gaudere dixit. Palladius: amant cœlum calidiſſimum, quia mature florere conſuerunt. Ita ſtatuendæ ſunt, vt arbores ad meridiem ſpectent. Florentinus: gaudet calidioribus locis hæc planta, ob id inſulis plantant, vt vberius adoleſcát. Naxia ab inſula Naxo veteribus Græcis amygdala maxime commendabatur, ex Athænei authoritate: ſecũdas ſibi vendicat Cypria, quæ præter cæterorum morem, quæ gignuntur alibi, repando cacumine prodit. Ex Hermippi ſententia, ex Paphlagonia, & primitus ibi venerunt. Plinius ait Thaſias & Albenſes celebrari. Eſt enim Thaſus Thraciæ inſula. Apud nos qui temperato degimus cœlo minus fructificat, frigido verò aut perit, aut ſterileſcit, nec ſemine ſata pullulat, ita aquilonium odit cœlum. Aiunt in Anglia interdum nuces maturare.

Theophraſtus amygdalis gracile ſolum tribui vult, quoniam ſi pingue, vel *Solum.* altum nanciſcatur, nimia pabuli vbertate ſterilitate afficietur. Adeò virium ſoliditate valet, vt ex nimio alimento in germinum luxuriam proruat. M. Varro: deorſum fertiliores nuces græcæ, id eſt in planis conſitæ, vt ſupra diximus. Columella agrum durum, & ſiccum deſiderare ait, nam ſi in locis diuerſis natura eiuſmodi poſueris nuces, protinus putreſcẽt. Plinius ex Magonis ſententia ait gaudere dura terra, in pingui, aut humida ſterileſcere. A quib[9] Palladius: Amat agrum durum, ſiccum, & calculoſum. Ob id Apuliæ ſolum totius noſtri regni accommodatiſſimum eſt amygdalis, calido enim fruuntur cœlo, vbi patentiſſimæ planities conſitæ, & ſolum, cui poſt duorum, vel trium pedum altitudinem calculi ſubſunt, vel perpetuus tophus. Prohibet hic enim, ne vnica amygali radix in profundum deſcendat: ſed alimentum in fructus conuertat.

tur. Ideo Italia Apulas laudat. Et nobis inuidendæ parum sunt Cyprus, Naxus Thasusq;.

Satio.

Satam semine amygdalam Theophrastus exurgere posse ait, sed degenerare sapore, duramq; ex molli reddi. Iccirco aut adultã inserere, aut sæpius transferre præcipiunt. Cuius ratio seminis infirmitas est: deuincitur enim ab influxu copiosioris alimenti, quod digerere nequeat. Sic durior euadit. Ob id Thasii amygdalas inoculant, ex mollibus enim præduræ post satum reddũtur. Didymus semine seri ait, & transplantatas meliores fieri. Florentinus Græcus seminio pãgi posse docet. Nuces, quæ seri debent, pridie liquido fimo macerentur, alii aqua mulsa madefaciunt, in eaq; noctem solam esse patiuntur, ne germen extinguat mellis mordacitas. Cacumina in terram rectè figuntur, sic vt lignosior pars sursum spectet. Tradunt vegetiores enasci, si in scrobiculos, quibus obruuntur, ferula coniiciatur. Columella, Antequã nuces deponas in aqua mulsa, nec minus dulci macerato, ita iucundioris saporis fructum, cùm adoleuerit, præbebit, & interim melius & celerius nascetur. Ternas nuces in trigonum statuito, parsq; durior inferior sit, quia inde radices mittit, nuxq; à nuce minimo palmo absit, & anceps ad Fauonium spectet. Plinius ex Magonis sententia, qui in nucibus operosus fuit: Serendas quàm maximè falcatas, & è nouella, fimoq; diluto maceratas per triduũ, aut pridie quàm serãtur, aqua mulsa. Mucrone defigi, aciem lateris in aquilonem spectare: ternas simul serendas trianguli ratione, palmo inter se distantes, denis diebus adaquari, donec grandescãt. Palladius nihil vtilius, ait, quã seminarium facere. Fodiemus ergo altam pede vno semis aream, in qua obruemus amygdala, non amplius quatuor digitis, ita vt acumina figamus in terra spatio inter se binorũ pedum separata. Sed ipsa amygdala ad ponendum, & noua legamus, & grandia, quæ antequam ponamus, pridie mulsa aqua, ita vt nimis maceremus, ne germẽ extinguat ex multo melle mordacitas. Alii prius fimo liquido per triduũ nuces eas macerãt. Deinde die, ac nocte esse patiuntur in mulsa, sed quæ suspicionẽ tantum possit habere dulcedinis. Cũ in seminario amygdala disponimus, si siccitas intercesserit, ter in mense rigemus, & herbis nascentibus circũfodiendo sæpe purgem⁹. Terra seminarii lætamen debet habere admistum: seruandæ sunt à pecore, quia si rodantur, amarescunt. Seri debent Ianuario & Februario, locis calidis Octobri, & Nouembri. In Baro aliquando satæ amygdalæ degenerare conspiciuntur, quippe si eas seras, quas ambrosinas nominari diximus, eæ proueniunt, quas communes diximus, si communes seremus, prouenient syluestres, si molles, duriusculæ nascuntur, ob id ex sobole, quæ circa matris crus nascitur, plantatur. Qui Neapoli seminaria facere velint, ex Apulia semina exportari curent, nam meliores nascuntur, quàm ex iis, quæ nostra regione nascuntur, nam si nostratia seueris, plerunque euanida fiunt. Viuiradix ab autumno ad Brumam, vt Florentini fert opinio, commodius seritur, verno satu difficilius comprehendit, quòd arbos ea præcoci partu germinet. Columella serit Arcturi

cturi signo, vel circa kalendas Februarias, quia prima gemmascit. Mago, Plinio referente, amygdalas ab occasu Arcturi ad Brumam seri iubet, statuitque tempus. Palladius: Seritur Ianuario & Februario, calidis locis Octobri & Nouembri. Cum in seminario adoleuerint, relictis ibi, quæ spatio sufficiant plantis, alias transferemus mense Februario. Amplo distent inter se interuallo, cum & numerosam radicem habeat, & vires solidas hauriendi. Sunt qui inter vites serendas censeant, tanquam innoxias, & cibo mediocri contentas, & simul quòd maturè fructificent, nec latè adumbrent, minime graues, sed Theophrasti opinione hi non recte existimant. Vmbra enim & sera feracitas, non tam infestant, quàm vites radicū. rapiunt enim alimentum suo amplo discursu, implexuq; enecant. Amygdalis ampliora distribuenda sunt interualla, quàm malis, pyris, sed minora quā fico. A quo Plinius: Amygdalas seri iusserūt distantiores, quàm malos, & pyros. Palladius: Spatia inter arbores viginti, aut viginti quinq; pedū dedisse sufficiat. Didymus auulsione nasci amygdalas scripsit. Florētinus etiam pangi posse auulsione vel stolonibus. Palladius seri posse plantis, quæ de maiori radice tolluntur. Theophrastus ramo prægrandi depositis germen erumpere raro solere. Florentinus ait, Nonnulli ramulos, qui de cacumine sumerentur, non infelici successu deposuerunt. Didymus nō solum ramo, sed etiam taleis nasci posse scripsit.

Cum amygdalam semper sererent semine ob nascendi facilitatem, opus e- *Insitio.*
rat, vt bonos fructus afferret, vt eam insererent, ob id Theophrastus Thasios semine satas, & adultas amygdalas inoculasse dixit. Paxamus autumni exitu amygdalas inserere iubet non iuxta summitates, sed in ramis iuxta mediū excurrentibus. Florentinus verò etiam autumno inserendam præmonet, cùm vere germinet, sed inserendos surculos non summatim legēdos esse, sed è media arbore. Quintilii verò Ianuario inserendam præcipiunt. Plinius: statutum tempus habere suæ insitionis amygdalas circa brumam. Palladius: Mense Decembri, vel Ianuario circa idus amygdalus inseritur, locis verò frigidis & Februario. Si tamen surculos condias antequàm germinent vtiles sunt, qui de summitate sumuntur. Inseruntur & sub cortice, & in trunco: inseruntur in se & in persico. In versibus verò,

Phyllis odoratos primæuis floribus artus
Discißi pruni cortice fissa tegit.
Pomaq; permutat velamine persica misto,
Duritiemq; docet tegminis esse loco.
In modicam tornat siliqua tendente figuram,
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Castaneamq; nucem depulsis cogit echinis,
Mirari fructus lema poma sui.

In Baro Apuliæ Octobri, & Nouembri inserunt. Inserendas arbores Augusto iuxta medium detruncāt, ne frondibus & germinibus arboris succus ab-

sumatur. desitis mox caloribus, vbi cœlum frigescere cœperit, truncum præcidunt, & inter lignum, & corticem inserunt, acuunt surculum, ne dum intruditur corticem rumpat. Surculum ex Austrina arboris parte desumunt, & è ramorum summitatibus, non trunco supernascentibus, Luna decrescente postremis diebus, nam si crescente id fieret, materiam multam, fragilemq; produceret arbor, fructus verò paucos. Nos in Campania in prunum inoculamus, & optime concipit, difficilius trunco fisso, medio modo inter lignum & corticem in persicum inserimus. Ipsa recipit persicum, præcocia, chrysomela & cerasia, & tempestiua proueniunt, contra rusticorum opinionem, qui pertinaciter serotina prouenire affirmant. Sed si subdita amygdalus amara fuerit, tantillum fructus cortices amaroris sapiunt.

Cultus. Nihil æque degenerat vt amygdalus, vnde sæpius plantam transplantare licet. Amygdalam, Theophrastus ait, dum fructus parit, neque rigandam, neq; stercorandam, neque purgandam præterquàm aridis, neque vlla cura tractandam existimant, ne plus æquo validior facta fructum in flore amittat. Plinius, Amygdalæ si colantur, fossione florem amittunt. Palladius: putandę sunt Nouembri mense, vt superflua, & arida, & densa tollamus. Seruandæ sunt à pecore, quia si rodantur amarescunt. Circumfodi non debent, quoties florẽt, quia inde flos eius excutitur. In vetustate plus affert. Theophrastus: Cultu mitescit amygdala, vnde neglecta amara ex dulci, & dura ex molli redditur.

Art. Amara amygdala quomodo esculenta fieri possit, multa Gręcorum, & Latinorum extant experimenta. Aristoteles docet clauum confixum amygdalæ, vt gummi per multum tempus destillet, vrbanam reddere, & per hoc artificium syluestres arbores fiunt domesticæ. Theophrastus amygdalam cultura maxime immutari posse multis in locis profitetur sui operis. Vnde si quis stipite circumfosso, & ab ima parte perforato mensura dodrantali, vndique lachrymam affluentem in idem defluere sinat, hoc tam ad bene sapiendum, quàm ad fructificandum conferre creditum est. Amygdala perforatu castigatur. Si paxillo deciso humorem influentem abstergas, idq; biennio, vel triennio facias, dulcẽ ex amara efficies. Amaror enim ex nimia alimenti copia prouenit, humorisq; vbertate, quod perforatu castigatur: nã illo liberata humore, in meliorem & suauiorem fructum transit. Reliquus humor facilius concoqui potest, sic dulcescit. Amygdalam mutari posse ex toto procul à ratione est, cùm arbor sit satis robusta; sed diminutam meliorescere verisimilius est. Præterea si stercoribus nonnullis ex validioribus vtemur, ceu suillo, amygdalæ ex amaris in dulces transeunt. Sed amygdalæ triennio post mutãtur, cultum enim per tantum temporis adhiberi par est. Africanus ex amaris dulces fieri affirmat, si circumfosso stipite quatuor digitis à radice cauernula imprimatur, per quam noxium desudet humorem. Vel si circa radices apertas vrina, vel suillum stercus diffunditur. Quintilii ex Aristotele, Martio mense amygdalarum radicibus suillum stercus imponunt, nam ex amaris faciunt dulces, maiores, &

res, & delicatiores. Plinius: amygdalæ ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite, & ab ima parte circumforato, defluens pituita abstergatur. Palladius ex his, Ex amaris dulces fiũt si circumfosso stipite tribus digitis à radice fiat cauerna per quam noxium desudet humorem, vel medius truncus terebretur, & cuneus ligni melle oblitus imprimatur. Vel circa radices suillũ stercus affundas.

E ducis molles reddere etiã docet Theophrastus. Africanus ita pollicetur: Si radicibus ante florem ablaqueatis aqua calida frequenter ingeratur. Palladius ex Martiali: Teneras nuces amygdalus creabit, si ante florẽ radicibus ablaqueatis per dies aliquot calida aqua ingeratur. Nucem græcam tarentinam facere hoc modo docet Columella: In quo scrobe destinaueris nuces serere, in eo terram minutam pro modo semipedis ponito, ibiq; semen ferulæ repangito: cùm ferula fuerit enata eã findito, & in medullam eius sine putamine nucem græcam abscondito, & ita obruito, hoc ante kalendas Mart. facito, vel inter nonas & idus Mart. Sed Florentinus amygdalam suis operimentis spoliatam facere promittit, si solam amygdalæ nucis carnem vitis recentis, vel platani folijs propter formicas inuolutam terræ obruas, sed cinis assiduè aspergatur trunco, & radicibus. Vt amygdalæ testa tenuior fiat, intestina verò ampliora fiant, docet Theophrastus, si continua fossione exhilaretur arbor, nam alimento meliori vberioriq; cùm ipsæ arbores vigent, tum fructus meliores creantur: nam alimenti copia humefacit, pulpamq; fructus auget. Africanus nasci scriptam asserit, si eius testam fregeris integro nucleo, & in eo quicquid libuerit descripseris, mox papyro religatam, ac luto circumlitam, ac suillo stercore congesto obrueris. Palladius: Græci asserunt nasci amygdala inscripta, si aperta testa nucleum suum tollas, & in eo quodlibet scribas, & iterum luto, & porcino stercore inuolutum reponas.

Si lasciuit arbor frondibus, & germinibus, nec ferax fuerit, castigandi modum docet Theophrastus, sic copiosiorem fructum dari affirmat, si ferreus palus adigatur arbori, impressoq; foramini querneus inferatur paxillus, & hoc modo in eam animaduerti volunt. Vel si posthac fructus abunde nõ dabit, radices refossas spoliatasq; hybernis frigoribus dabunt, & reliqua puniendi genera. Sublata enim nimia alimenti copia, calor insitus amplius in residuo valet. Ab eo Africanus. Si ferax non est amygdalus, hyeme radices ablaqueabis, & iuxta terram terebrato trunco tedæ præpinguis adactum cuneum, infuso prius humano lotio, immergemus. Plinius: cuneo è robore adacto fissa radice fertiles fiunt, si germinant, nec fructum ferunt. Palladius, Si ferax non est, tedæ cuneum terebratæ radici mergamus, vel salicem sic inseramus, vt libro tegente claudatur. Sed Theophrastus querneum, Africanus è teda, Palladius è salice paxillum arbori adigunt, & alij diuersum, ex quo perspici licet non cunei materiem, sed duritiem & incorruptibilitatem quæri, quo diutius arboribus infixi durent. Perdit facillime amygdalus fructus ante maturitatẽ, dicit Theophrastus, quia nexu infirmo dependent, cùm mole grandiuscula cõstent: nam *Morbi & remedia.*

quodlibet humefacere, atq; debilitare eos facile potest. Tũ etiam flatus interdum vehementes inuadũt, vt nil resistere valeant: imò etiã si non pluat, dummodo aer austrinus, nubilusq; sit, amittũt flores & primos fruct⁹, si illico postquàm defloruêre illud acciderit. Plinius ab eo: Si amygdalæ cũ defloruere, protinus sequantur imbres, in totũ poma depereunt, etiam si omnino nubilũ fiat, austrinúsve flatus, amittunt fœtus. Perdit facillime ante maturitatem fructus amygdala etiam si non pluat & fiat austrinum cœlum aut nubilum, amittunt florem, & primos fructus, si cũ defloruêre tales dies fuerint. Apud nos à Martio mense vsq; ad medium Aprilem gelu timent, quia tunc flore & fructu pubent, & si noctu pluit, in flosculis insidente aqua, gelu torpebũt, & caduci fiũt flores, hoc elapso tempore tutius viuũt. Amygdala non solũ plagam, sed etiam discissionem caudicis sustinere potest (& si permultæ fisso caudice pereant). Ratio est, quod disiectas partes celerrime comprimere potest, & coagmentare. Vredine non infestatur. Aliquando gummosus humor efficitur. Mutilatione deterior euadit, quippe ex dulci amara efficitur. Ratio est, quod principio alterato, finis quoque alteratio sequitur. Palladius: Locis frigidis vbi metus est de pruina, Martialis dicit hoc remedio subueniri. Antequã floreant, radices nudantur, & albi lapides minutissimi misti arenis cógeruntur, & vbi iam tempus videbitur, vt debeant germinare, effossi iterum lapides submouentur.

Conditura. Amygdalæ, Florentinus ait, ad legendum maturitatẽ fatentur, quũ fuerint spoliatę corticibus, quæ si muria lauentur, & candidæ fiunt, plurimum durant, mox siccatæ ad vsum seruantur. Si difficulter corium exuant, paleis obrutæ continuo relaxabunt. Semina, quæ mollia, Theophrastus ait, carnosaq; sunt, vt amygdala, putamine ambiente optime seruantur, omniaq; diutius seruantur putaminis circundantis præsidio. Sed minus perdurat, quã auellana, quum pinguiuscula illa sit. Palladius: amygdala maturitatem fatentur ad legendum, cum fuerint spoliata corticibus. Hæ sine cura hominis seruantur in lõgum. Si difficulter corium dimittent, paleis obruta continuo relaxabunt. Item decorticata, si aqua marina lauemus, aut salsa, & candida fiunt, & plurimum durant. In Baro septem, vel octo diebus insolata cum putaminibus earũ sicco loco per triennium, vel quadriennium asseruantur.

Materies. Arboris cinerem, ad lixiuiamque probauit Theophrastus vim acerrimam. Ad fornaces, artesque aliquas non incommoda materies.

De auellana. CAP. XXXV.

ETSI montes, & nemora corylis vestiantur, vt syluestribus arboribus, nos tamẽ tum ob eorum fructuũ gratiam quã apud omnes adeptæ sunt, tum quia facile cultu mitescunt, in pomarium transtulimus. Plinius esse in ipso nucum genere ait. Habent eæ facultatem non minimam aduersus venena, præcipitq; Cato in suburbanis hortis conserendam. Plutarchus scribit appensam in laquearibus nucẽ scorpiones prohibere, ne in domicilia irrepant, lectorum etiam pedibus adligatam, scorpiones ne cubantes adoriantur inhibere nec ad equilia,

equitis, si præsepibus affixa sit, irrepturos. Nec omittemus, quę simplex obseruauit rusticitas: serpétem coryli virga, vel caudice ictum obtorpescere, & tandem emori. Metallicorum etiã experientia compertum est tantam cũ metallis coryli arborem sympathiam habere, vt si illius recta virga per montes & loca, vbi metalla lateant, deferatur, illico flectatur in absconditi metalli indicium, cũ cæteris locis recta maneat. Hæc nux inter felices arbores à Macrobio enumeratur. Nec prætereũdum duximus ridiculum Alberti experimentũ: Coryli virgæ veru instar accommodatæ regulus parua auis figatur, virgæ extremitatibus lignum, vel quoduis aliud subiiciatur, supra quod facile possit circumuerti, mox prunæ subiiciátur, fiet vt calescente colurno verruculo, non sine astantium risu, se ipsam vertat, dum coquatur, auis. Sed putat ipse eam vim inesse aui falsò, sed corylo, quæ per se sola conuertitur obiecta igni.

In magnis est ambagibus auellana ob sui nominis varietatem. Theophrasto ἡρακλεωτικὴ dicitur, id est nux Heracleotica ab Heraclia Ponti ciuitate dicta. Nomen.
Dioscorides λεπτοκάρυον vocat, id est tenuem, & exiguam nucem, respectu iuglandis. Hermonax, & Timachidas auellanam nucem iuglandem vocant ex Athenæo. Macrobius prænestinã nucem vocari ait, à loco vbi luxuriat. Est autem natio hominum iuxta agrum Prænestinum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρύων, à nucibus, inde scilicet prænestinæ nuces. Hanc autem nucem etiam à Græcis vocari ait κάρυον ποντικόν, cùm vnaquæq; gens indiderit huic nuci nomen ex loco, in quo nascitur copiosior. Putat idem, Oppii opinione, heracleoticam nucem non auellanam, sed iuglandem dici, falsò. Didymus ponticam nucem vocat. Plinius: Auellanas antea abellinas patrio nomine vocabãt, & in Asiam, Græciamq; venere è Ponto, ideo ponticæ nuces vocantur. Seruius ab Auellano Campaniæ oppido. Sed nunc duo oppida in Campania vulgò *Auello* & *Auellino* distant sex millia passuum; circa ea *Corigliano* vulgò, quæ optimas, copiosas & varias affert. Neapolitani respectu maioris nucis *nocelle* vulgo dicunt. Arbor Græcis κόρυλος dicitur, Latinis etiam corylus.

Rara admodum videtur fuisse Theophrasto, quòd tã anxiè eius historiam Forma.
prosequatur. Auellana assurgit caudice multis infernè stolonibus fruticáte, superne ramis brachiato. Virgis sine alarũ sinu enodibus, breuibus, crassisq; nõnullis. Foliis per ambitũ serratis, vtiq; alno similibus, tamẽ latioribus. Materie admodum lenta. Cortice summo tenui, pingui, maculis albis & variis. Medulla tenui & subflaua, quæ dematur. Florere hanc nonnulli inficiantur, sed floris vice præludia quædã ostentare, quæ iulos vocant: Siquidem fructu iam caduco, squamosum quiddam minutis squamis racematim compactum, veluti prælongus vermis, erũpit, quod singulari fultum pediculo pensile nititur. Is nucis pineę viridis, & nouellæ rudimentũ exprimit, nisi quod tereti crassamẽto propemodum tendit, tripollicari longitudine, crescens hyeme, vere dehiscens, & flauescens defluit, cũ folia prosiliunt, tunc calyculacea tegumenta totidẽ, quot iuli supra pediculũ exeunt, eorũq; singulis singulę nuces insunt. Germinat & à

lateribus ſe fundentibus ſurculis,& ipſum quod præſit propellitur, ſic caudex & rami ſua proſequuntur incrementa, vt ea quorum germina in ſingulare folium finiuntur. Radice altiſſima, tenui, & robuſta,& ob id diuturnioris vitæ. Plinius: Has nuces molles protegit barba, ſed putamini, nucleisq; ſolida rotunditas ineſt. Vmbilicus illis intus in ventre medio. Ferunt & auellanæ iulos compactili callo ad nihil vtiles. Macrobius ait: Pontica nux & baſilica,germina & flores agunt, ſcilicet eiſdem temporibus,quibus græcæ nuces.

Genera. Theophraſtus ait: Duo eius genera: ſylueſtris, & vrbana. Sed ſylueſtris prorſus vtriuſq; naturę nec vrbanæ fructus magnopere,quàm indomitæ præſtantior,folium vrbanæ maius, & caudex procerior. Ambæ bino genere conſtant:quædam rotundam,quędam oblongam nucem largiuntur, vrbanæ candidiorem fructum. Didymus: eſt alia rotunda,alia oblonga. Apud nos ſylueſtres,& vrbanæ copioſiſſimæ ſunt. Sylueſtres putamine duriori, minores, & ſapidiores. Vrbanę fructu rotundo ſunt & oblongo,ſed oblongus fructus cute tegitur rubra,præcocior eſt,& calyx ſummatim magis fimbriatus.Rotundę altera præcox,altera ſerior.

Cælum. Hyemis vtraq; patientiſſima,& montibus magna ex parte proueniũt,cùm natura ſylueſtres prorſus ſint, vt ait Theophraſtus. Deſcendit in plana corylus,dixit Plinius.Palladius verò frigido cœlo gaudere ſcripſit.

Solum. Theophraſtus aquoſis locis vrbanas gaudere retulit. Didymus argillaceis, & vliginoſis. Palladius loco humido, macro, & ſabuloſo. Tale eſt Abellinum ſolum,vbi in planis,& montibus optime, copioſiſſimeq; fructificat.

Satio. Seritur,vt Didymus tradit,eo quo amygdalæ modo, & tépore eodem deponitur. Palladius: Auellanæ ponendę ſunt nucibus ſuis,nõ amplius ſuprà terra ducenda eſt,quá craſſitudine digitorũ duorum. Viuiradice Plinius ſeri iubet à kalen. Martiis ad idus eaſdem. Palladius plãtis, & ſobole expertus eſt melius prouenire. Menſe Februario ſeu planta,ſeu ſemen exponitur. Cato propagari poſſe docet. Plinius auulſione naſci, ſed cũ parte corporis matris, quam ſecum auferat fimbriatam. Nos ſationis modum,& cultus, quibus in Abellino vtuntur exponemus. Nucibus raro,vel nunquam,ſed ſobole frequentius ſerũt. Effodiũt ſcrobes altitudine quatuor pedum,latitudine trium,inde virgas quinq; circa matris crus fruticantes trimas,vel quatrimas euellunt,panguntq;, vt ſingulis ſcrobiũ angulis.& in medio vnam ſtatuant Octobri,vel Nouembri,terrá iniiciunt,& optime calcant,cacumina obtruncát,& vinculis ſimul religant, vt ſimul creſcát,nec ſe in latitudinẽ fundant. Interualla viginti pedũ ponũtur, vt cũ ad iuſtá proceritatem increuerint, cacumina ne ſe obũbrent. hoc modo ingentia auellaneta in Abellino cõſpiciuntur. Sed à vitib⁹ lõge abſint oportet. Virgilius, *Néve inter vites corylos ſere.*

Ex quo Plinius: Vites odit corylus,& ni procul abſit,triſtis & ęgra.

Cultus. Theophraſtus maxime coli iubet. Tranſlatu miteſcit ſylueſtris. Prægraciles eius virgæ deſquamãtur,craſſioresq; deraſæ interpolantur. Fructũ meliorem,

rem, & copiosioré afferre traditur, si plures virgas reliquerit, vt quę naturę suę proprietate fruticosa sit. Arborem si quis frequenter collucet, fœcundiorem reddi, quare tonderi, resecariq; præcipiunt, alioqui si arborescere patiatur aliquis, in corpulentiam alimentum omne sumptitabit. Plinius ex eo: Nux auellana fruticosi generis, quinimo melior est, & copiosior fructu in plures dispersa ramos. Abellini populi ita colunt: singulis annis ablaqueant, ager bis aratur, optant Iunio aquas pluuiales: tunc enim repleri nuces dicunt. Si defierint, semiplenas & paruas procreabit, neglecta commeat in fruticem.

Apud nos non inseruntur, & cùm sæpius inseruissem rarò comprehendit, ferunt tamen per sicum emplastrari, & inseri posse fisso trunco in eam, immo fructus producere, qui amygdalam intus dulcem habeant, nec ingeniosius, quàm hac arbore fructus posse duplicari. *Insitio.*

Columella nucem auellanam tarentinam fieri posse docet, si ferulæ medulla seratur, quemadmodum diximus in amygdala. *Ars.*

Cato nuces prænestinas recentes in vrceo in terra obrutas condere docet. Palladius mense Iulio circa nonas auellanam maturam esse in locis calidis, ait. Abellini populi arenis obrutas, vel sub terra coopertis locis vsq; ad Aprilé virides asseruant, inde tunc eximi oportet, nam cœlo incalescente cõtinuo pullulant. Iunio fumo suspendunt in cratibus, vt assiccentur, vel furno, vt breuius assequantur. Sunt qui nucleos nudent, ac filo traiiciant globulorum precariorum more, ac suspendunt locis siccis. Maturitatis signa, cum sponte è calyculaceis suis tegumentis exiliunt. *Cõditura.*

Hastilibus præcipua est, vnde colurna hastilia F. Pompeio sunt, quæ ex corylo facta erant. Materies fragilis: ob id Ouidius, *Materies.*

Et coryli fragiles.

Plinius. Erat corylus olim facibus familiarissima. Cædua est, sed tardius nascitur, terræq; defixa vix tolerat, non modo humorem. Apud nos circuli fiunt ex ea ad vasa vinaria constringenda, & ex eius virgis bimis vel trimis carbones ad pyrium puluerem conficiendum aptissimi.

De pistaceis. CAP. XXXVI.

IN nucum genere etiam pistacea nota esse Plinius dixit, quæ prodesse aduersus serpentum traduntur morsus, & potu, & cibo. Vitellius in Italiam primus intulit, eodem tempore, simulq; in Hispaniam Flaccus Pompeius eques Romanus, qui cum eo militauerat.

Theophrasto πρέβινθος dicitur, vt paulo post in eius descriptione dicemus. Nicander Colophonius, authore Athenæo, pittacia vocat, & phistacia. Possidonius Stoicus bistacia: Fratres Georgici bistacia. Damageron ψιττακία. Dioscorides πιστακία. Latini pistacia vocant. Neapolitani *pistacchi*. Siculi *festuchi*. *Nomen.*

Theophrastus ita suam terebinthum Indicam describit. Ferunt Indiam terebinthum habere, vel, vt alii, arborem similem terebintho, foliis, ramis, & reliquis omnibus, fructu tamen diuerso, amygdalarum similitudine, nam & *Forma.*

in Bactris terebinthum hanc esse, ferreq; nuces amygdalarum magnitudine non magnas, sed visu similes, suauitate verò amygdalis præstantiores, & ideò incolas eis potius vti. Plinius ex eo. Est & terebintho similis cæteræ, pomo amygdalis, minore tantum magnitudine, præcipuæ suauitatis. In Bactris vtiq; hanc aliqui terebinthum esse proprii generis potius, quàm similem ei putauerunt. Possidonius Stoicus ex Athenæo ait, Arabia, & Syria affert pistaciũ vocatum. Fructus racematim cohæret vuę modo, longus, cortice albo, & lachrymis simillimus. Et Fratres, qui Georgica conscripserunt, inquiunt: Terebinthum pistacia Syri vocant. Nos hanc Indicam terebinthum Theophrasti, pistaciorum arborem esse haud temere affirmamus, cùm vtraq; similis, & resinifera sit. Præterea super terebinthum insita, vtpote in proprium genus mirè coalescit, & fructificat, nec pistaciorũ aliter Theophrastus meminit, cùm suo tempore nondũ in Gręciam essent allata. Nos ad horum maiorem declarationem pistacii arborem conscribemus. Planta tota est terebintho similis. Folio maiore, quàm lentisci, ita in ordinem vtrinq; disposito, distantioribus frondium interuallis, subrufo. Arbor omnino nuda præterquàm ramorum cacuminibus: nam supra comatur densiore folio. Nuces racematim pendent ex ramorum extremitatibus, facie vnguentariæ glandi simili, internus nucleus cuticula tegitur rufa, medullæ sapor pineæ nucis proximus, sed odoratior, vt terebinthi.

Genera. Palladius duo genera dicit, marem, & fœminam: marem cui sub corio velut ossei longi videntur latere testiculi.

Cœlum. Theophrastus terebinthum Indiam ferre, & Bactrum. Dioscorides pistacia Syriæ esse. Galenus Alexandriæ magnæ nasci pistacia scripsit, verum in Beroea Syriæ municipio copiosissime. Damageron quærere locum soli expositum dicit. Plinius in Syria nasci. Palladius loco calido, & sole gaudere. Sicilia pistaciis scatet.

Solum. Palladius humectum solum, & rigationem desiderare ait.

Satio. Pistacia Damageron seri ait Aprilibus calendis, sexum vtrumq; matrimonio coniungendo, eo ordine tamen, vt mas deorsum in Fauonium spectet: ita connexæ largiorem, vt asserit, fructum dabunt. Diophanes nucem integram, suisq; putaminibus illæsam terræ dabat. Pistacia, Palladius inquit, seruntur autumno, & mense Octobri. Qui diligentius facere volet, pertusos calyculos, & stercorata terra repletos parabit, & in his pistacea terna constituet, vt ex omnibus germen qualecunq; procedat, quod vbi conualuerit, planta hinc facilius transferetur mense Februario. Nos Neapoli Aprili seruimus in calyculis, Maio prosiluerunt, foliis sui generis, & caducis, tardeq; crescebant. Si viuiradices plantare necesse fuerit, Paxamus docet, scrobes locis apricis, & iugiter insolatis elaboratos excauari, & viuiradices vegetas recentes vna colligatas infuso stercore luna secunda demergi, iisq; plantulis ab imo solo ad ramos vsq; vinculo constrictis, terra in gyrum accumulata scrobiculos implere, dareque operam, vt rigatione, potuq; satientur, ab octauo die rursum vinculis vt committe-

mitterentur, coirentq́; comprimere. Sed vbi caudices trimatum agerent, ablaqueatione facta, effoſſisq́; ſcrobibus, fimum inſpargere, & impulſo altius trunco aggere terræ munire; arbor enim in vaſtam creſcens proceritatem, hoc munere firmius hærens, impetu ruentis venti non deturbabitur.

Damageron Aprilibus calendis inſerit in ſui generis arbores, & terebinthum, vtq; idem arbitratur, in amygdalum. Didymus in ſuis Georgicis piſtacium in amygdalum inſeri dicit. Palladius, Inſeritur terebintho menſe Februario, & Martio, at alii amygdalo inſeri poſſe firmarunt. Ad Paſiphilum, *Insitio.*

Quin & amygdaleos ſubeunt piſtacea ramos,
Et debitum maius de breuitate petunt.
Hac & cognato cingens terebinthus amictu,
Nutrit adoptiuis nobilitanda comis.

De caſtaneis. Cap. XXXVII.

VLtima omnium accedit caſtanea, etiam nucum generi connumeranda, duro enim tegitur corio, quod proiicitur, intus verò quod eſui eſt. Virgilius nuces vocat,

Caſtaneaſq́; nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Heraclion Epheſius etiam nuces vocat, Athenæo authore, ſic Mnaſiteus nuces & caſtaneas. Nicander, & Theophraſtus etiam nuces vocant: quamquam Dioſcorides iuglandium, & glãdium generi accommodatius tribui exiſtimet. Sic Plinius ab eis, cæteriq;. Etiam Diui Tiberii nominum impoſitione, qui glandes nominare fecit. Torrere has in cibis gratius. Moluntur etiam, & præſtant ieiunio fœminarum quandam imaginem panis.

Græcis κάστανον dicitur: à Caſtana Magneſiæ oppido, vnde primum aduecta eſt, nominatam eſſe conſtat. Theophraſto κάρυον εὐβοϊκόν. Nicander ait in Georgicis ſuis, referente Athenæo, Euboicos nucem caſtaneam vocare: Agelochum amotas appellare. Dioſcoridi σαρδιαναὶ βάλανοι, & διὸς βάλανοι, & λόπιμα dicuntur. Plinius reddit rationem, cur Græci Sardianos balanos appellent, quia Sardibus eæ prouenêre primum. Iouis glandes, quia glandibus præſtabant, adeo vt Ioue dignam exiſtimarent. λόπιμα à cortice, quæ Græcè λέπος nominatur. Diphilus etiam caſtaneas ſardicas glandes nominat ex Athenæo. Vocatur etiam & nux Heracleotica, vt Macrobius ex Oppii authoritate teſtatur. Heracleotica nux, quam quidam caſtaneam nominant. Democritus διὸς βάλανον ait caſtaneam deſignare. Apuleius caſtaneas eodem nomine vocat. Sic etiam Damageron. Latinis caſtanea dicitur. Italis *caſtagna.* *Nomen.*

Theophraſtus quorundam opinione caſtaneam florere exiſtimat, alii minime, ſed villum proportione groſſis præciduis reſpondere. Germinat ineunte vere, ſeriusque, Virgiliarum obitu fructificat. Amentum profert, id ante germinationem verni temporis initio gignitur, fit veluti foliorum conceptus, dehiſcit poſtea, & ſquammata illa flaueſcunt, & in longitudinem vel tripolli- *Forma.*

carem increſcunt, cùm vere folium exit, iſta decidunt. Fructus glandeus in calyce echinato, ſimilis glandi fagi dulcedine, & ſucco, ſed illi leuis, & placida, non hiſpida vt caſtaneæ. Plinius ab eo. Armatum iis echinato calyce vallum, quod inchoatum glandibus. Mirumque, viliſſima eſſe, quæ tanta occultauerit cura naturæ. Trini quibuſdam partus ex vno calyce, cortexq; lentus: proxima verò corpori membrana, & in his ſaporem, ni detrahatur, infeſtat. Germinat vere cœpturo. Virgilius hirſutas vocat,

Sunt & iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ.

Genera. Plinius plura eius genera deſcribit. Tarentinæ faciles, nec operoſo ſunt cibo, planæ figura. Hæ Neapoli *caſtagne piatte* dicuntur à figura. Facillimè purgantur membrana, imò corio inhærent. Plinius. Rotundior, quæ balanitis, purgabilis maxime, & ſponte proſiliens. Neapolitani vulgò vocant *caſtagne palombelle*. Glandis figura ſunt, acuminatæ, dentibus frangendo proſilit albus fructus, & ob id experuntur, corio flaueſcenti. De Salariana, quæ puta, & plana eſt. Multa ſunt apud nos genera, quæ his accommodari poſſunt, prima præcox eſt, quæ Auguſto maturatur, figura eſt plana, ac facile decorticatur. Laudatior Corelliana. Adhuc antiquum retinet nomen, nam vulgò *Cordegliana* dicitur, quòd cordis ſpecimen gerat, cùm ignoret Corellium, à quo nomen acceperit. Materana vulgo *marroni* dicuntur, corrupto à materana vocabulo. Hæc maximo eſt apud nos pretio, quia magnitudine ferè malum æquat. Cortex ex flauo rubeſcit. Hanc Campania laudat, & ſerior eſt. Triangulas, & populares ſyluæ affatim producunt, ſcrupuloſa corticis intra nucleos quoq; ruminatione, quæ ſuum pabulo gignuntur, minore corporis tuberculo.

Cælum. Quia caſtanea è ſylueſtrium genere eſt, etſi cultu vrbana, non ob id ſylueſtrem habitum exuit. Theophraſtus, montibus exultat, ait, quia frigoris auida, atq; adeo montibus gaudet, vt in plana non deſcendat. Septentrionalium locorum incola, vt in Thmolo, Olympioq; Myſio, in Eubœa, & circa Magneſiam Euboicæ. Ab eo Plinius: Montes, & valles diligit caſtanea. Damageron frigidis lætari ait. Columella: Opaco, & ſeptentrionali cliuo lætatur. Plinius iterum ab eo: Gaudet opaco, ſeptentrionalibus, & præfrigido ſitu, vel etiam decliui. Palladius: Diligit cœli ſtatum frigidum, ſed & tepidum non recuſat, ſi humor aſſenſerit. Delectatur cliuis, & opacis regionibus, ac maxime in Septentrionem verſis. Apulia caſtanetis caret, quia calida regio, & plana eſt: ob id etiam puto iuxta Romam ipſam caſtaneas ægrè prouenire, vt refert Plinius. Sic apud Allobroges caſtaneæ multæ, generoſæq;. Pariſius ager non niſi paucas, & degeneres habet.

Solum. Apuleius caſtaneas in locis aſſiduam pluuiam excipientibus deponi monet. Damageron in arenoſa terra. Plinius: patria laudatiſſimis Tarentum, & in Campania Neapolis. Columella, Pullam terram, & reſolutam deſiderat, ſabulonem humidum, vel refractum tophum non reſpuit. Spiſſum ſolum, & rubricoſum reformidat. Plinius ab eo, Quærit ſolum facile, nec non arenoſum,

ſum,

ſum, maximeq́ue ſabulum humidum, aut carbunculum, vel tophi etiam farinam. Recuſat eadem gallicam, rubricam, cretam, omnemq́; terræ fœcunditatem, qua ſeri nuces diximus. Palladius: Amat ſolum molle, & ſolutum, non tamen arenoſum. In ſabulone proueniunt, ſed humecto. Nigra terra illis apta eſt, & carbunculus, & tophus diligenter infractus. In ſpiſſo agro, & rubrica vix prouenit. In argilla, & glarea non poteſt naſci.

Satio.

Damageron ſemine plantari docet, verùm fructu, amygdalo, & nuce longe ſecus, ſurſum mucronem habente. Decembri menſe caſtaneá plantari poſſe docet Caſſianus. Columella de eius ex ſemine ſatione hæc habet: Caſtaneę in repaſtinato nux poſita celeriter emicat. Seritur ab Nouembri mẽſe per totam hyemem ſicca terra, & repaſtinata, in altitudinẽ dupondii & ſemiſſis. Nuces in ordinem ſemipedalibus, ordines autem quinum pedũ ſpatiis dirimuntur. In altitudinem dodrantis caſtanea depreſſis ſulcis cõmittitur, qui vbi nucibus ſunt conſiti, prius quàm cõplanentur, breues arundines ab latere caſtanearum pangũtur, vt per hos ſationis indices tutius fodi, & runcari poſſint. Simulatq; ſemina ſtillauerint, & iã bima transferri queunt, interuelluntur, ac bini pedes arbuſculis vacui relinquuntur, ne denſitas plantas emaciet. Spiſſius autem ſemen propter varios caſus deponitur, nam interdum priuſquam enaſcantur, aut ſiccitatibus nux inareſcit, aut aquarum abundantia putreſcit, & interdum ſubterraneis animalibus, ſicuti muribus & talpis infeſtatur, propter quę ſæpe nouella caſtaneta calueſcũt. Plinius ab eo: Non niſi ex maximis prouenit, nec niſi quinis aceruatim ſatis. Perfringi ſolum debet ſupra ex Nouembri menſe in Februarium: quo ſolutæ, ſponte cadunt ex arbore, atque ſubnaſcuntur. Interualla ſint pedalia vndiq; ſulco dodrãtali. Ex hoc ſeminario transferuntur in aliud, bipedali interuallo, plus biennio. Palladius à Columella: Serenda eſt ergo ipſis caſtaneis, hoc eſt ſeminibus ſuis menſe Nouembri, & Decembri, item Februario. Eligendæ ſunt caſtaneę ad ponendum recẽtes, grandes, maturæ, quas ſi Nouembri menſe ſeramus, facilem ſe præſentia fructus ipſius pręſtat. Si verò Februario ponamus, vt vſq; tunc durent, ita faciendum eſt. In vmbra caſtaneæ ſiccentur expanſę. Tunc in anguſtum, & ſiccum locum tranſlatæ cumulum faciant, & eas omnes fluuialis arena diligenter operiat. Poſt dies triginta eas, remota arena, in aquam frigidam mittis. Quæ ſanæ ſunt, merguntur, ſupernatat quæcunq; vexata eſt. Item quas probaſti, ſimiliter obrues, & poſt triginta dies æque probas. Hoc cùm tertio feceris, vſq; ad veris initium ſerere debebis, quæ manſerint illibatæ. Aliqui in vaſculis ſeruant arena pariter miſſa. Paſtinari ergo locus debebit, qui huic deſtinatur arbuſto, altitudine pedis vnius ſemis, vel duorum: vel totus, aut ſulcis in ordinem deſtinatis, aut certe aratris reſolui hinc inde findentibus. Qui fimo ſatiatus aut redactus in puluerem caſtanearum ſemen accipiat, non amplius pedis dodrante demerſum. Vnicuiq; ſemini propter notam ſurculus debet affigi. Ipſa ſemina ſingulis locis ſimul terna, vel quina ponantur, & inter ſe quatuor pedum ſpa-

tio ſeparentur. Quibus transferre placuerit, bimas plantas transferre debebunt. Locus tamen deductoria liquoris accipiat, ne humor inſidens limo, germen extinguat. Seritur & plantis, ſed quæ radicibus exempta, & depoſita eſt, biennio reformidat: (dicit Columella) ob id cómodius nucibus, quàm viuiradicibus ſyluas inſtitui cópertum eſt. Plinius ex eo: Tranſlata neſcit hoſpitari, pauetq; nouitaté, biennio ferè poſtea proſilit, ideo nucibus potius, quàm viuiradicibus plantaria cædua impleantur. Tempus ſerendi à Calendis Martii ad idus eiuſdem. Palladius. Quibus transferre placuerit, bimas plantas transferre debebunt. Seritur & plantis quæ ſponte naſcuntur, ſed quæ plantis ſeritur ita ægra eſt, vt biennio de eius vita ſæpe dubitetur. Columella propagare docet: Vbi frequentáda ſunt, melius ex vicino, ſi competit (mergi more) pertica declinata propagatur, quàm exempta reſeritur. Hęc enim velut immota ſua ſede vehementer germinat. Plinius: Sunt & propagines nulli quidem faciliores, nudata enim radice tota in ſulco proſternitur, tunc ex cacumine ſuper terram relicto renaſcitur & alia ab radice. Palladius ex his: Cui placet, poteſt caſtaneæ ducere in propaginem ima virgulta, quæ in radice naſcuntur. Damageron viuiradice ſeri docet, qui modus longè tutior eſt, & bima fructum reddit. Pangitur etiam auulſione, & ſtolone ab æquinoctio. Quintilii caſtaneam à palo, ſiue talea in frigidioribus, vel humidioribus locis plantant.

Insitio. Diophanes ait, Aprili menſe inſeri incipit caſtanea. Recipit morum. Inſeritur in nucem, quercum, & fagum. Plinius ſuomet ſurculo inſitam longe meliorem fructum reddere ſcripſit. Corellius eques Romanus Ateſte genitus inſeruit caſtaneam ſuomet ipſam ſurculo in Neapolitano agro: ſic facta eſt caſtanea, quæ ab eo nomen accepit inter laudatas. Poſtea hæres eiuſdem libertus Corellianam iterum inſeruit: hæc eſt inter eas differentia, illa copioſior, hæc Corelliana melior. Palladius. Inſeritur in ſe, & in ſalice, ſed ex ſalice tardius maturat, & fit aſperior in ſapore. Inſeritur, vt ipſe probauit, ſub cortice menſe Martio, vel Aprili, tamen genere vtroque reſpondet. Poteſt & inoculari. Ad Paſiphilum,

Flumineam ſalicem fœcundant ardua membra
Caſtaneæ, & multo paſta liquore vigent.

Nos Martii fine inſerimus fiſſo ligno, ſed melius inter lignum, & corticem, aliquanto verò ſerius emplaſtramus, & ad modum digitalis, & optimè comprehendit.

Cultus. Columella. Cultus eiuſdem eſt foſſionis, poſitioniſq;, qui vineæ. Supputari debet bima, quin etiam trima, nam bis ferro repetenda eſt veris principio, vt incitetur eius proceritas. Plinius: Cultura non alia quàm ſupra dictis fodiendis, ſupputandiſq; per biennium ſequens: de cætero ipſa ſe colit, vmbra ſtolones ſuperuacuos enecante. Palladius: Nouum caſtanetum circumfodi debet aſſiduè, menſe Martio, & Septembri, incrementum maius acquirit, ſi putationibus adiuuetur.

Palladius ita condit: Castaneæ seruantur, vel in cratibus dispositæ, vel intra sabulonem, ne inuicem tangantur inuersæ, vel in vasculis fictilibus nouis conditæ, & loco ficciore defossæ, vel inclusæ virgeis ex fago receptaculis, & lutatæ vt spiracula non relinquas, vel ordei paleis minutissimis obrutæ, vel palustri vlua figuratis densioribus sportis reclusæ. Cōditura

Castaneæ deinde, priusquam cineribus credantur, ferro, vel dentibus vulnerari debent, vt plagæ hiatu spiritus igne citatus euadat, alioqui flagrantes flamma magno cum crepitu prosiliunt, assidentium periculo: flatus enim in angustiis elisus à noxa vindicabit, impetu in sibilum eunte.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER SEXTVS
SIVE
OLIVETVM.
PROOEMIVM.

POMARIVM meum clausum iam, firmoq; munimento vallatum putaram, & in vineam progredi accingebar, sed memini de olea me dicturum, ob id lectores ne tædeat proximum montem subire, vbi oliuetum constitutum. Decreueram enim prius oleam ipsam apud bacciferas arbores in pomario locare, sed deliciæ, & diuitiæ huius plantæ, & accurata, diligensq; eam serendi ars, quæ amplam, exactioremque commentationem exposcebant, me ab instituto proposito auerterunt, vnde hic proprius erit oleæ locus: hoc libro eius historiam pressius, quàm quisquam author designauerit, cōplecti decreuimus. M. Cato oleto quartum locum dedit. Varro sui rustici operis principio Mineruā deprecatur, cuius procuratio oleti est. Stirpium nobilissima, & mortaliū sorti vtilissima, vt qua animalium princeps homo ferè victum trahat. Virgilius ob suas dotes viti pręposuit: quòd si vitē dignitate superabit, quæ ex nascētibus planta erit, quæ ei conferri possit? Fenestella tradit (Plinio referēte) omnino non fuisse in Italia, Hispania, atq; Africa, Tarquinio

Prisco regnante, ab annis populi Romani 183. quæ nunc peruenit trans Alpes quoq; & in Gallias, Hispaniasq́, medias, vrbis quidem anno quingentesimo quinto Appio Claudio Cæci nepote, L. Iunio coss. olei libræ duodenæ assibus veniere. Et mox anno sexcentesimo octogesimo M. Seius T. F. ædilis curulis olei denas libras singulis assibus præstitit populo Romano per totum annum. Minus ea miretur, qui sciat post annos 22 Cn. Pompei IIII consulatu oleum prouinciis Italiam misisse.

Quòd olea Mineruæ dicata sit. Cap. I.

MINERVÆ oleam sacram dicunt tum Græci, tum Latini scriptores omnes, quòd illius inuẽtrix fuerit, aliasq; multas ob rationes. Virgilius,

——— Oleaq; Minerua
Inuentrix.

Plinius etiam scripsit: Olea Mineruæ dicata seruatur. Primo quod olea virginea manu sata, & exculta, vberiores præbeat fructus: puritatis siquidem amantissima, labisq; nescia, ob id virgini Mineruæ dicata. Addit Florentinus Græcus; quòd quum pura sit olea, puros etiam esse vult suos collectores, & iurare, quòd à sola propria vxore veniant, & non ab alieno cubili, & sic insequenti tempore plurimum fructum exhibebit. Ferunt etiam in Anazarbo Ciliciæ pueros castos oleam colere, & propterea oleam apud ipsos fertilissimam & fructuosissimam esse. A quo Palladius: Græci iubent oliuam, cum plantatur & legitur, à mundis pueris, atque virginibus operandum, credo recordati arbori huic esse præsulem castitatem. Martianus Capella oleam Mineruæ sacram dicit, quod artes & disciplinæ, quarum illa dea est, oleo lucernarum lucubrationibus perdiscantur, inquiens libro sexto;

Hinc iam vernicomæ frondent tibi munera oliuæ,
Artes cura vigil per te quòd discat oliuo.

Demosthenes demonstrare quærens, quòd sobrius multas noctes vigiliis absumpsisset, & lumen, & oleum multum triuisset, dixit, plus olei, quàm vini absumpsisse. Phurnutus olei munus Mineruæ esse dixit, quòd semper in virore sit, & glaucum colorem præ se ferat, & adulterari alio liquore nequeat: sed semper in sua sinceritate permaneat. Sed de olearum origine ita Græci scriptores fabulantur. Cúm à primordio tellus aquis emersisset, primum Athenis emicuisse dicunt: cúmq; Minerua & Neptunus amore loci capti, de ciuitatis sibi nomine dicando contenderent (vt Cicero pro L. Flacco dixerit, de quorum vrbis positione propter pulchritudinem inter deos certamen proditum est) Iuppiter eorum controuersiam dirimere cupiens, tulit sententiam, Eum oppidi principatu potiturum, qui hoc meliori possessione donaret: Neptunus itaq; portu, & naualibus exornat, Minerua in Acropoli cum lętam, & virentem, tum fructiferam oliuam edidit: cuius ramum in coronam cõtorquens capiti suo imposuit, omniumq́ue calculo vicit, & ciuitatem suo nomine

ae nuncupauit: nam Minerua ἀθλωὴ dicitur: victus itaq; Neptunus ad consueta munia secessit. Higinius verò ait, inter deos decertatum fuisse, qui primus in Attica terra oppidum conderet, & secundum Mineruam à Ioue, quòd in ea oleam seuisset, iudicatum. Alii verò inquiunt, Post deorum longam dimicationem, etiam vsq; ad succumbentis vindictam, placitum est, vt eius nomine ciuitas appellaretur, qui munus mortalibus melius protulisset: sic Neptunus percusso littore effecit vt tellus equum, animal bellis aptum proferret: Minerua autem iacta hasta oleam procreauit, quæ res melior comprobata, quòd pacis insigne foret. Sunt qui dicant Neptunum arcem percussisse tridente, & inde aquarum salsos haustus prosiluisse, vt inde fons in arce fuerit, qui Neptunius diceretur, & Mineruam oleam euocasse hasta, quæ omnibus vtilior visa est, atque ita vt ei Athenæ cederent arbitratum. Alii dicunt: post longam altercationem in id conuentum fuisse, vt ambo simul Athenis præessent. De hac contentione Statius,

Ipsa quoque in pugnos vacuatur collis, vbi ingens
Lis superum, dubiis donec noua surgeret arbor
Rupibus, & longa refugum mare frangeret vmbra.

Et Virgilius Georgicorum primo,

——— Tuq; ô cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti.

Plinius ad sua vsq; tempora oleam durare tradit in certamine editam à Minerua. Sed hanc fabulam M. Varro ad veritatem ita traducit. Ædificatis autem Athenis, & ibi imperante Cecrope: in arce sponte nata olea, & ibidem alio loco aquarum scaturigo: his prodigiis perterritus Rex, formidans ne hæc portenta futurarum calamitatum præsagia forent, Apollinem Delphicum sciscitatum misit, qui respondit, ostentum illud nihil mali portendere, sed deorum cōtētione binorum de vrbis nominis impositione decertantium, per oleam Mineruam, & per vndam Neptunum significari, liberumq; esse Atheniensibus ex vtrius dei appellatione ciuitatem denominare. Cecrops mares, & fœminas ad conferenda suffragia conuocat, mares pro Neptuno, mulieres pro Minerua sententiam tulere, & quia fœminæ numero plures, vt ferè semper vbique, pro Minerua vicerunt: indignatus Neptunus Atheniensium terram inundauit: quare vt supplicio mulierum vacarent, Athenas quidem vocarunt, sed edixerūt ne nascentium vllus materno nomine censeretur, & demum ne mulieres suffragia ferrent. Sed Plutarchus in Themistoclis vita ait ex re ipsa fabulæ locum fuisse, etenim cùm reges Atheniensium (vt ferūt) studerent efficere, vt ciues omissa nauigatione arbores consererent, & fertiliorem eorum regionem redderēt oleis, quarum ager Atticus apprimè ferax esset, atq; ex earum fructu non minimum quæstum facerent, sermonē illum vulgarūt, quòd Neptuno de regione contendente, Pallas oliuam iudicibus obtulerit, ac vicerit. Vel Athenienses primos fuisse, qui hanc plantam &gnouissent, & studio co-

luissent. Theophrastus refert Athenis oleam antiquissimam fuisse. Sed de oleæ inuentione alii alia tradunt. Quippe Diodorus Mercurium inuentorem, non Mineruam fuisse, huicque olei educendi, exprimendique inuentum tribuit: nam ante Mineruam, hæc cum cæteris syluestribus immista, ignotaque erat, vilisque habebatur. Et Cicero libro de natura Deorum, Aristeum Apollinis filium oleæ inuentorem fuisse scribit. Tacitus refert Latonam partu grauidam apud Cenchrum amnem, prope Ortygiam, oleæ adnixam Apollinem & Dianam enixam. Sed hæc poetarum figmenta sunt, qui sub fabularum inuolucris vim & plantæ naturam demonstrarunt, secus autem nostra fides sentit: Immensus enim omnium creator Deus iussit, vt terra plantas omnes produceret, quæ nulla penitus intercedente materia, quod est supra hominis captum, plantas, stirpesque omnes produxit: solius Dei honos & gloria est.

Quanto honore habiti fuerint, qui in ludis, solemnitatibus, & victoriis corona oleaginea coronarentur.

CAP. II.

EX prædicta Palladis victoria super Athenarum vrbis nominis impositione, tanti Athenienses oleam fecère, vt in eorum victoriis, solemnitatibus, ludisq; oleaginea corona donum & gestamen fuerit, & victoriç signum apud eos esse cœperit, vt ex Halicarnasseo habetur. Scribit in artibus Dionysius, In oleæ laudibus illud meritò recenseri, non modò, quòd illa sit Palladi sacra, sed quòd veteribus ex ea cõstituebantur trophæa, quodq; sit victoriæ symbolum: nam & Neptuno superato, hac primum dea est coronata. Cassianus Græcus ab hac victoria scribit non solum certaminum victores, sed inspectores etiam, & arbitros ex oleastro apud Athenienses coronari. Ex Plinio quoq; habetur Athenis victores olea coronari. Seneca oleam gentilem Atheniensium frondem vocat in Hercule furente,

Teramus oleæ fronde gentili tegat Theseu.

Et Athenienses patriam coronam vocarunt. Græcos Achilli, & Aiaci ob hostium victoriam prædamque coronam ex olea donasse memorat Dictys Cretensis. Et in bello, quod Græci cum Xerxe gesserunt, Themistocli & Euribiadi eandem coronam sunt largiti. Idem Dionysius Halicarnasseus ait, Romanos idibus quintilibus, quæ dies cladis Latinorum fuit, Castori, & Polluci sacra facere, & milites, quibus equi è publico donati sunt, tributim curiatimque, ac cateruatim olea coronatos incedere, ac si è pugna, & victoria redirent, ab æde Martis vsque ad eorum ædes progrediendo. Plinius ad id: Oleæ honorem Romana maiestas magnum præbuit, turmas equitum idibus Iuliis coronando, item minoribus triumphis ouantes. Qui etiam pro republica aliquod egregium facinus peregissent, eadem oleaginea corona donabantur. Thrasibulus occupato loco, cui Phila nomen, & quum triginta Atheniensium tyrannos sustulisset, & ciuitatem in pristinam liber-

tatem vindicasset, prædicta corona insigniri requisiuit. Hac enim donare bonos ciues Athenienses consueuisse Valerius Maximus est author, quæ ex duobus ramulis complicabatur, eaque Periclis caput incinctum fuisse. Panathenæa, quæ Athenis magna sacra dicebantur, singulis annis celebrari solita, quæ Theseus in Mineruæ honorem primus instituit. Erant solum pueri certatores, quorum victoris præmium corona oleagina fuit, & oleum, quod ex sacra olea pressum erat. Instar huiusmodi ludorum Æneas ludos curules fecit, in quibus victores oleaginea corona coronabantur. Virgilius,

——Tres præmia primi
Accipient, flauaque caput nectentur oliua.

Quòd olea veniæ, & pacis index sit. CAP. III.

OLEAM Græci ἐλαίαν vocant ab ἔλεος, id est misericordia, est enim supplicantium, & pacis symbolum, vt qui has petant, oleam manibus gestent. Athenienses contra Timocratem sordidati, & oliuam gestantes supplicare soliti fuerãt, vt narrat Demosthenes. Artaxerxi, vt author est Siculus in vita Philippi, Sidonem obsidenti, quingenti primores ciuitatis oleæ ramos gestantes obuiam fiunt, pacem petentes. Deuicti item Carthaginenses, consulente Annibale, ad Scipionem ad deprecandam pacem & misericordiam decem è ciuitatis principibus seligunt, quos nauis oleæ ramis velata deferebat. Romani quum bellum cum Perseo Macedoniæ Rege gererent, Alexandrini legati sordidati, barba, & capillo promissis, & oleæ ramos ferentes, in Romanam curiam progressi ad miserationem procubuerunt, Liuio scribente. Eodemque Rege deuicto, Rhodiorum oratores, habita prius oratione, veniam deprecantes, & ramos oleæ gestantes, vniuersi prociderunt. Et apud Apuleium mulieres propter homicidium viduę, iudicibus sui commiserationem mouere cupientes, ramos oleaginos ferunt. Æneas ad commiserationem implorandam ob tempestatem, Æneidos quinto,

Ipse caput tonsæ foliis euinctus oliuæ,
Stans procul in prora pateram tenet, extaq; salsos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.

Et libro septimo.

Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes:
Donaq; ferre viro, pacemq; exposcere Teucris.

Sed lugentes non coronatos, sed manibus tantum ferre decet.

Paciferaq; manu ramum prætendit oliuæ.

Et Statius Thebaidos duodecimo,

Vittatæ laurus, & supplicis arbor oliuæ.

Ouidius Metam. sexto,

Circuit extremas oleis pacalibus oras.

Et columba post commune omnium animantium naufragium à Noa ex Arca tertiò emissa, rostro oliuæ ramum pertulit, generi videlicet humano à Deo summo pacem redditam significare volens. Immò cum nos meliorem aliquem significare volumus, oleæ ei ramum porrigimus: quod etiam expressit Virgilianus Æneas,

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

De Oleæ laudibus, & quanta antiquitus habita sit veneratione. CAP. IIII.

TANTA erat apud Athenienses olea dignitate, vt si quis aliquam oleæ plãtam vel subriperet, vel discinderet, in iudicium vocaretur, ac pro sacrilego condemnaretur. Erantq; magistratus deputati pro huius oleæ cultura. Et quum Lacedæmones ad Atheniensium expugnationẽ venissent, eorumq; regionem ferro, & igne deuastassent, oleas solum non attigerunt, tum plantæ veneratione, tum pœnæ timore: Nam Athenienses & hostes, & amicos diris blasphemiis persequebantur, qui oleam violarent. In profanis vsibus, authore Plinio, oleam pollui fas non erat, vt ne propiciandis quidem numinibus accendi ex ea altaria, araeve deberent. Plutarchus in Solonis vita narrat, quòd Athenienses cum ciuitatem sollicitam haberent ostentis, & piacula appeterent, ad expiandam eam Epimenides Phæstius ex Creta Athenas venit accersitus, cumq; se Athenas contulisset, in multis Soloni adiutor fuit, ad legum condendarum rationem, & quod maximum fuit, placationibus, expiationibusque ad mysteria, & religionem vrbem instituens, iustitię obnoxiam, & ad concordiam proniorem reddidit. Magna is igitur admiratione habitus, opes multas, & honores largientibus Atheniensibus, non aliud, quàm ex sacra olea ramos poscens, atque accipiens decessit. Erat & Athenis celebritas, quam εἰρεσιώνην vocabant, à Theseo instituta, qui è Creta Athenas incolumis reuersus, supplicationem Apollini Delphico pro facili reditu peregit, eresionem offerens. Erat enim ramus è sacra olea, alba lana implexus, ἔλεον Græcis dicta, in quo plurimarum arborum fructus, quos acrodrya vocabant, circũpendebant. A Theseo pòst Athenienses annuatim Apollini votum persoluerunt, hunc enim ramum puer in Apollinis foribus affigebat, singuli verò post ante ędium ianuas, eademque die, vt meminit Plutarchus in Theseo, ὀσχοφορία celebrabantur, ac si ramalia dicas, à ramis ferendis: ὄσχος enim ramus est. Sophocles in OEdipo Coloneo in Atticæ terræ encomio, sacras sibi oleas fuisse dicit, quarum Iuppiter cognomento Morios custos erat. Hæc olea morias dicta erat à cęde Halirrhothii Neptuni filii, qui cùm eam in odium Palladis victoriæ excidere tentasset, sibimet securim cùm aberrasset impegit, vt inde occumberet, vt à casu hoc o-

lea

les nomen desumpserit. Tantaque est huius plantę pulchritudo, vt princeps poetarũ Homerus, cùm egregiam aliquam speciem iuuenum describere quærit, oleæ comparet, quæ humi lætitia, cœli clementia, ac ventorum benignitate nitida vigoreque plena è solo surgat. Euphorbus cùm à Menelao cæderetur, comparat eum casum oleæ, quæ ventorum vi deturbata humi procumbat: vbi verò iuuenum formam non memorat, eos quercui, vel pinui assimilat. Et in sacra pagina vbi necesse est perfectæ alicuius speciei meminisse, olea commemoratur: Quasi oliua speciosa in campis: cùm virginalis pudoris, & puritatis specimen quoddam præ se ferat.

De olea necessitate, & vtilitate. CAP. V.

OLEARVM vsus tantus, & tam multis in rebus varius est, vt multiplices eius vtilitates arduum sit enarrare, sed paucas, vel nonnullas in medium afferre non inconcinnum est visum. Ad rei medicæ necessitatem nulla res ea maior inueniri poterit. Plinius inquit: liquores duo sunt humanis corporibus gratissimi, intus vini, foris olei, amborum è genere ambo præcipui, sed olei necessarius. Olei liquor recreans membra est, cuius etiam potestas tepefacere, & contra algores munire. Veteri oleo vsus est ad quædam genera morborum. Existimatur & ebori vindicando à carie vtile esse. Certè simulachrum Saturni Romæ intus oleo repletum est. Interrogatus Democritus qua ratione homines inoffensa valetudine degerent, atque animi illum vigorem custodirent, respondisse fertur, si corporis externa oleo, interna melle linirentur. Celebris etiam Pollionis Romuli exemplo: centesimum annum excedentem eum diuus Augustus hospes interrogauit, quanam ratione maxime vigorem illum animi, corporisq; custodisset. At ille respondit, intus mulso, foris oleo. Diuus Ambrosius in Hexamero prodit ægrotantem ceruum sanum fieri mansis oleæ ramusculis, & locustas ab ægritudine liberari, arrosis oleæ foliis. Illud non omittam perquam vtile, vt qui ferrum remollire cupiant, oleo tangant, qui obdurescere, in aquam ignitum mergant. Contra vespas remedio est oleo aspergier ore. Pix oleo extrahitur, quando vtrunque pinguis naturæ est. Thracius lapis aqua accenditur, oleo restinguitur. Oleo quidem non apes tantum, sed omnia insecta exanimantur, præcipuè si capite vncto in sole ponantur. Ad venenorum haustus oleo succurritur ad vomitiones ciendas, ne lædantur præcordia. Vrinantes oleum ore sub aquis spargunt, & clarius omnia patescunt. Ad victum necessarius est olei vsus. Diuinus psaltes ait: à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. Memorabile est, quod Plinius scribit, Alpibus coercitas, & tam inexuperabili munimento Gallias, hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiæ, quod Elico ex Heluetiis ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum siccam, & vuam, oleique, ac vini præmissa remeans secum tulisset. Oleum suo lumine tenebras discutit, ac noctem in diem vertit. Nec prætereundum, quod eius vsus er-

Circuit extremas oleis pacalibus oras.

Et columba post commune omnium animantium naufragium à Noa ex Arca tertiò emissa, rostro oliuæ ramum pertulit, generi videlicet humano à Deo summo pacem redditam significare volens. Immò cum nos meliorem aliquem significare volumus, oleæ ei ramum porrigimus: quod etiam expressit Virgilianus Æneas,

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

De Oleæ laudibus, & quanta antiquitus habita sit venerατione. Cap. IIII.

TANTA erat apud Athenienses olea dignitate, vt si quis aliquam oleæ plãtam vel subriperet, vel discinderet, in iudicium vocaretur, ac pro sacrilego condemnaretur. Erantq; magistratus deputati pro huius oleæ culturã. Et quum Lacedæmones ad Atheniensium expugnationẽ venissent, eorumq; regionem ferro, & igne deuastassent, oleas solum non attigerunt, tum plantæ veneratione, tum pœnæ timore: Nam Athenienses & hostes, & amicos diris blasphemiis persequebantur, qui oleam violarent. In profanis vsibus, authore Plinio, oleam pollui fas non erat, vt ne propiciandis quidem numinibus accendi ex ea altaria, aræve deberent. Plutarchus in Solonis vita narrat, quòd Athenienses cum ciuitatem sollicitam haberent ostentis, & piacula appeterent, ad expiandam eam Epimenides Phæstius ex Creta Athenas venit accersitus, cumq; se Athenas contulisset, in multis Soloni adiutor fuit, ad legum condendarum rationem, & quod maximum fuit, placationibus, expiationibusque ad mysteria, & religionem vrbem instituens, iustitię obnoxiam, & ad concordiam proniorem reddidit. Magna is igitur admiratione habitus, opes multas, & honores largientibus Atheniensibus, non aliud, quàm ex sacra olea ramos poscens, atque accipiens decessit. Erat & Athenis celebritas, quam εἰρεσιώνην vocabant, à Theseo instituta, qui è Creta Athenas incolumis reuersus, supplicationem Apollini Delphico pro facili reditu peregit, eresionem offerens. Erat enim ramus è sacra olea, alba lana implexus, ἄελον Græcis dicta, in quo plurimarum arborum fructus, quos acrodrya vocabant, circũpendebant. A Theseo pòst Athenienses annuatim Apollini votum persoluerunt, hunc enim ramum puer in Apollinis foribus affigebat, singuli verò post ante ędium ianuas, eademque die, vt meminit Plutarchus in Theseo, ὀσχοφορία celebrabantur, ac si ramalia dicas, à ramis ferendis: ὄσχος enim ramus est. Sophocles in OEdipo Coloneo in Atticæ terræ encomio, sacras ibi oleas fuisse dicit, quarum Iuppiter cognomento Morios custos erat. Hæc olea morias dicta erat à cęde Halirrhothii Neptuni filii, qui cùm eam in odium Palladis victoriæ excidere tentasset, sibimet securim cùm aberrasset impegit, vt inde occumberet, vt à casu hoc olea

lea nomen deſumpſerit. Tantaque eſt huius plantę pulchritudo, vt princeps poetarũ Homerus, cùm egregiam aliquam ſpeciem iuuenum deſcribere quærit, oleæ comparet, quæ humi lætitia, cœli clementia, ac ventorum benignitate nitida vigoreque plena è ſolo ſurgat. Euphorbus cùm à Menelao cæderetur, comparat eum caſum oleæ, quæ ventorum vi deturbata humi procumbat: vbi verò iuuenum formam non memorat, eos quercui, vel pinui aſſimilat. Et in ſacra pagina vbi neceſſe eſt perfectæ alicuius ſpeciei meminiſſe, olea commemoratur: Quaſi oliua ſpecioſa in campis: cùm virginalis pudoris, & puritatis ſpecimen quoddam præ ſe ferat.

De oleæ neceſſitate, & vtilitate. Cap. V.

Olearvm vſus tantus, & tam multis in rebus varius eſt, vt multiplices eius vtilitates arduum ſit enarrare, ſed paucas, vel nonnullas in medium afferre non inconcinnum eſt viſum. Ad rei medicæ neceſſitatem nulla res ea maior inueniri poterit. Plinius inquit: liquores duo ſunt humanis corporibus gratiſſimi, intus vini, foris olei, amborum è genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius. Olei liquor recreans membra eſt, cuius etiam poteſtas tepefacere, & contra algores munire. Veteri oleo vſus eſt ad quædam genera morborum. Exiſtimatur & ebori vindicando à carie vtile eſſe. Certè ſimulachrum Saturni Romæ intus oleo repletum eſt. Interrogatus Democritus qua ratione homines inoffenſa valetudine degerent, atque animi illum vigorem cuſtodirent, reſpondiſſe fertur, ſi corporis externa oleo, interna melle linirentur. Celebris etiam Pollionis Romuli exemplo: centeſimum annum excedentem eum diuus Auguſtus hoſpes interrogauit, quanam ratione maxime vigorem illum animi, corporiſq; cuſtodiſſet. At ille reſpondit, intus mulſo, foris oleo. Diuus Ambroſius in Hexamero prodit ægrotantem ceruum ſanum fieri manſis oleæ ramuſculis, & locuſtas ab ægritudine liberari, arroſis oleæ foliis. Illud non omittam perquam vtile, vt qui ferrum remollire cupiant, oleo tangant, qui obdureſcere, in aquam ignitum mergant. Contra veſpas remedio eſt oleo aſpergier ore. Pix oleo extrahitur, quando vtrunque pinguis naturæ eſt. Thracius lapis aqua accenditur, oleo reſtinguitur. Oleo quidem non apes tantum, ſed omnia inſecta exanimantur, præcipuè ſi capite vncto in ſole ponantur. Ad venenorum hauſtus oleo ſuccurritur ad vomitiones ciendas, ne lædantur præcordia. Vrinantes oleum ore ſub aquis ſpargunt, & clarius omnia pateſcunt. Ad victum neceſſarius eſt olei vſus. Diuinus pſaltes ait: à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt. Memorabile eſt, quod Plinius ſcribit, Alpibus coercitas, & tam inexuperabili munimento Gallias, hanc primum habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quod Elico ex Heluetiis ciuis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam, & vuam, oleique, ac vini præmiſſa remeans ſecum tuliſſet. Oleum ſuo lumine tenebras diſcutit, ac noctem in diem vertit. Nec prætereundum, quod eius vſus ex-

gi deos, eorumque sacrificia frequentissimus sit. Sed ne illotis manibus ab ea discedamus, scriptum reperimus, quòd luctaturi oleo perungebantur: cuius vnctionis & ludorum olympicorum inuentor Hercules extitit, vt ex Lucano habetur,

Ille Cleonei proiecit terga leonis,
Antæus Libyci perfudit membra liquore
Hospes olympiaca seruato more palæstra.

Et Philostratus in Palestræ icone, oleagineum ramum in Palestræ Mercurii filiæ luctæ inuentricis nudo sinu locauit. Vngebantur luctaturi tum vt eius vnguinis lubricitate difficilior foret mutua brachiorum connexio, tum quòd validiores euadebant. Author est Polybius, victoriæ causam, qua potitus est Annibal in Italia contra Tiberium, fuisse milites prius oleo perunctos. Propterea Anacharsis Scytha oleum insaniæ pharmacum esse dicebat, quoniam eo peruncti athletę feruentius inuicem insultarent. M. Varro dicit, Olea corpus non solum intus vngit, sed etiam extrinsecus, itaq; dominum & ad balneas & ad gymnasium sequitur. A quo Plinius, Vsum eius ad luxuriá vertere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando. Notum est, magistratus honoris eius octogenis sestertiis strigmenta olei vendidisse. Porphyrius Essæos è Iudæorum genere vngi oleo non pati scripsit, quòd si quis oleo tactus fuisset, tanquam à magna corporis macula, diligenter abstergebatur, quòd eos corpore aridos, & duros, non molles esse oporteret. Odores oleo optimè seruantur, ex Plinio habemus, quod diuturnitati eorum táto vtilius est, quanto pinguius: & ipsa vnguéta vetustate meliora. Mirumq; dulcem succum bibere, & alieno infici sapore, etiam si oleum absq; odore sit, vt ideo vnguéta, ad quæ frequens vsus, nullo modo inficiat; quod testatur Lucretius.

——— *Cum primis quærere par est,*
Quod licet & potis es reperire, inolentis oliui
Naturam, nullam quæ mittat naribus auram,
Quam minimè vt possit mistos in corpore odores,
Concoctosq;, suo contactos perdere viro.

Oliua hyeme secundis mensis libenter vescimur, & sua amaritudine, & sale potum sapidiorem efficit, condit dapes, suauiorem efficit cibum, vbi imponitur. Diogenes cùm vidisset iuuenem in diuersorio oleas esitantem, inquit, Si sic prandisses, non ita cœnares. Idem etiam cùm Platonem in lautissimo conuiuio degustantem oleas intuitus esset, illum percunctatus est, quamobrem in Siciliam huiusmodi mensarum gratia profectus, appositis modo non frueretur? Cui ille, At Hercules ô Diogenes, illic & oleis & reliquis huiuscemodi pluribus vescebar. Cur igitur, respondit ille, Syracusas adnauigare te oportuit? An Attica tunc oleam non ferebat? Quibus verbis Platonis nauigationem subarguere videbatur. Tam longæuæ arbor est vitæ, vt propè immortalis videatur. Multiplici modo seritur, citò comprehendit, & fructificat maxima vbertate.

Et

Et quia frondosa, æternaque pubet coma, solet hyeme à ventis agitari, & sæpissimè deturbari, & ne tam vtili bono priuaremur, effecit Dei benignitas, vt detruncatis brachiis, & denuo effosso scrobe sata, comprehẽdat, & citò etiam fructificet, vt quæ tam humanæ vitæ vsui inseruiat. Facilè colitur, nec neglecta deperit, vt Columella inquit. Longè ex omnibus stirpibus minorẽ impensam desiderat olea, quæ prima omnium arborum est: nam quamuis nõ continuatis annis, sed ferè altero quoq; fructum afferat, eximia tamẽ eius ratio est, quòd leui cultu sustinetur, & cùm se non induit, vix vllam impensam poscit, & si quam recipit, subinde fructus multiplicat, neglecta compluribus annis, nõ vt vinea deficit, eoq; ipso tempore aliquid etiam interim patrifamilias præstat, & cùm adhibita cultura est, vno anno emendatur. Florentinus ait, quòd non solum securos, & firmos reditus habet ex olea prouentus, sed & maximũ bonum est, & ad omne vtile. Id præterea pręcipuum, & consideratione dignũ habet, quòd non sicut ficus fructus deprædantur eo tempore, quo maturantur, nã ab omnibus colliguntur ficus, nec ferè alio tunc rustici cibo victitant, quod de oleis non euenit, cum ab omnibus sua amaritudine tunc respuantur, & non nisi ad oleum, vel ad condituram expetantur. Præterea M. Varro apes ex olea arbore ceram conficere dixit, etsi Plinius scripserit oliuæ florem ab apibus nõ attingi, ideoq; hanc arborem procul esse melius fore. Sed idem in arbustum non sperni dixit, si non sit vmbrosa ramis. Plinius spõtè nasci in maritimis Syriæ dixit, quod elæomeli vocãt. Manat ex arboribus pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci. A scriptoribus etiã accepimus, Galliæ locis quibusdã ex vulgari olea emanare manna verè melleũ, sapore, colore, & incorruptũ durare. Manat è tenellis ramis, & stipitibus, & rimosis corticibus, vel etiam scalpello incisis, oliua nigricante, vel purpurascente, Nouembri mense, ingruente hyemis sæuitia. Sectis etiam maioribus truncis initio melle liquidior glutinosus latex emanabat, postea frigore densior euadebat non tam mel, quàm manna præseferens.

De oleæ prodigiis. CAP. VI.

EX Theophrasto multa, quæ de oleæ prodigiis dicuntur, afferemus, inquit enim, Olea aliquãdo visa est delapsis foliis vberes fruct⁹ protulisse. Quod & Thessalo Pisistrati filio accidisse proditum est. Folium enim imbecillius est, & frigoris violentiæ magis obnoxium, ideo abit: sed fructus non nisi maturus cadit, ante id tempus in permanendo pertinax est, ob id perticis decutiunt. Videntur quidem hæc naturæ leges exire, non tamen pro monstris accipienda. Sic recisa oleæ ligna, obiecta & reposita terræ, fotu omni destituta, spõte pullulasse. Sunt enim hæc natura viuacia, propensaq; ad germinandum, suæ densitatis, humiditatisque causa, quæ cùm extrinsecus liquoris aliquid senserint, quàm primum germina edunt. Simile in statuis ligneis, cùm sudant. Ratio: Quoties adblanditur eis austrina tempestas tepore suo, suaq; humiditate: haud tamen omnia, sed quibus modo pinguis succus inest; hæc inter o-

ſtenta relata habent: Sic etiam olea penitus aliquando aduſta, regerminauerat tota. Bætiæ verò germinibus omnibus à locuſtis deroſis iterum germinauit. Sæpè etiam pars arboris comprehenſa ab altera proxima eſt, atque in eiuſdem corporis coagmentata magnitudinem: & ſi lapidem, aut aliquid ſimile arboris alæ inculcaueris, demum inſinuabitur, atq; occultabitur amplexu auctionis obductæ, quod etiã in oleaſtro, qui Megaris in foro ſtabat, euenisse accepimus, quo ſucciſo vrbem capi, ac dirimi oraculum erat, ſicuti actum eſt: in hoc enim perſciſſo, repertæ ocreæ ſunt, & alia quædam Attici ritus, parte qua primum affixa fuere, ad ramorum ambitum concauata. A Theophraſto Plinius: Inter arborum vitia eſt & prodigiis locus. Inuenimus oleas folia amiſiſſe baccis hærentibus. Sunt & miracula fortuita: oliua in totum ambuſta reuixit, & in Bætia eroſæ à locuſtis ficus, iterum germinauere. Prodigio autem fiunt graui oſtento: cum in deteriora mutantur, vt olea in oleaſtrum. Et Laodiceæ Xerxis aduentu platanus in oleam. Super omnia, quæ vnquam audita ſunt, erat prodigium in noſtro æuo Neronis principis ruina factum in agro Marrucino, Vectii Marcelli è primis equeſtris ordinis, oliueto vniuerſo viam publicam tranſgreſſo, aruiſque inde è contrario in locum oliueti profectis. Herodotus author eſt, In arce Athenarum templum Erechtheo terrigenę fuiſſe, & in eo oleam Mineruæ, & mare Neptuni, teſtimonium quòd de regione decertaſſent. Hæc cum in Athenarum à Medis facto incendio conflagraſſet, eodem die duorum cubitorum altitudine repullulauit. Pauſanias author eſt, Cum Xerxes Græciam inuaſiſſet, milites oleam exuſſerunt, & altera ab incenſionis die cum Athenienſes ad rem diuinam miſſi templum aſcendiſſent, fructificaſſe inuenerunt, edito à ſtipite virgulti inſtar. Illud quoque ex hiſtoria ſuccurrit, Auguſti temporibus è taberna meritoria trans Tyberim oleum terra erupiſſe, ac toto fluxiſſe die, nulla intermiſſione, quo ſignificatam interpretantur Chriſti gratiam in gentes.

De olea nomine. CAP. VII.

Ἐλαῖς & Ἀθηναῖς Græca appellatio, Illain enim primum vocauit Minerua, quæ vt vidimus oleæ munere Atticam ditauit. Aliis ἐλαία. Latinis olea, & oliua. Caper Grammaticus oliuam arborem eſſe dicit, oleam verò fructum. Sed hęc differentia vana eſt apud claſſicos authores. Virgilius arborem oleam & oliuam vocauit Georgicorum ſecundo:

Sed truncis olea, melius propagine vites.

In Eclogis.

Incumbens Damon tereti ſic cœpit oliuæ.

Ἐλάα fructus eſt, Latinè olea, & oliua dicitur. Varro oleam conditiuam vocat, quæ ad condituram adſeruatur. Columella, Sic curata oliua tertio die poſſis vti. Incipientes baccas nigreſcere Græci dryperas, Latini drupas dicunt, authore Plinio. Sic oleæ liquor dicitur oleum, & oliuum, oleum ab olea, oliuum ab oliua. Virgilius Georgicorum ſecundo,

——— *Liquidi corrumpitur vsus olivi.*

De oleæ descriptione. Cap. VIII.

ETsi notior sit, quàm vt debeat explicari, tamen è Theophrasto hinc inde distractam historiam colligemus, diuersis quippe capitibus eiusdem doctrinam distrahit, vt Absyrtus ille Medeæ non tam membratim fuerit conquirendus. Arbor est, caudice ab radice surgens ramoso, surculoso, non facilè dissolubili, nodoso, & simplici, nisi quis multiplici caudice diffusam relinquat. Medulla in ea tam incerta spectatur, paruaque, vt sint, quibus non in medio ligno haberi, sed per totum lignum spargi videatur, vt nullus sit certus medullæ locus, nec desunt, qui ea omnino carere existiment. Gongros à quibusdam vocatos habet, eoq; morbo plusquam cæteræ laborare videtur: premnum nonnulli appellant, alii crotonam, alii alio nomine vtuntur, quia contorta, & plantigera esse solet, sic etiam concauitate laborare videtur. Ex vrbanis perpetuo viret. Frondibus angustis, quæ tam breui nituntur pediculo, vt quasi defixæ cohæreant. Illud sanè peculiare euenire videtur, quod frondium supinas partes vertit mox post æstiuum solstitium, eoq; argumento rustici confectum solstitium intelligunt, cùm supina foliorum contra, quàm cęterarum, candicant magis, quàm prona, minusq; sunt læuia. Cuius causa est, quia eo tempore foliorum agitur profluuium, & cuncta affici necesse est, & infirma, & quasi senio confecta exarescunt & decidunt, reliqua circumaguntur tantummodo. Omnibus igitur illud euenit magis, vel minus, sed conspectius in iis est, quia summo coloris discrimine pars prona discrepat cum supina: hæc enim viridis, illa aquosa. Flore pusillo quidem, sed foliato, vno folio conformato, sed ita implicato, vt plura videantur, vt flos iasinoes: conceptaculo auersa parte non indiget, sed postrema eius in angulos exeunt. Fructum in medio flos ambit, & tunc probè defloruisse præbet augurium, cùm cadiui, velut perforati spectantur, nam si exaruerint, aut madefacti cum fructu defluãt, nullatenus perforantur. Fructificat annotinis surculis, tam cacumine, quàm lateribus, & quando cacumina ferunt, copiæ indicium esse dicitur. Congestum vuæ modo fert fructum, vt Syriæ, aliisq; locis ob fertilitatem, feracitatemq; soli. Baccæ carnis callo & nucleo interiacentibus constant, & caro in nucleo est: tamen ligno natura operuit. Radice parua, & velut lacinia ex medio tendente firmatur, cæteris grandioribus & contortis, inæqualibus, nodosis, & villosis. Quod vsu venit, quia breues & tenues illas permultas atq; ꝓmiscuas fundunt, nam etsi omnibus paruæ è grandibus exeãt, tamen non omnibus eodem modo congestæ, frequentesq;, quod naturæ ipsius proprium est. Summo cespite hærent, non solum loci ratione, cùm recto tramite progredi nequeant, sed ipsius proprietate. Auctu difficilis: sed viuax postea, & diutissimè durat. Caudice & laterali germine, nepotumque procreatione, atque etiam stirpe incorrupta. Viuere ducentos annos tradit Theophrastus. Cum

myrto amore coniunctam esse, mutuoq; radicum coniugio, & amplexatione gaudere, Androtion refert, virgasq; myrteas per brachia oleæ subire, & versari, & fructum olea protectum dulciorem producere, oleamque ab cuiusuis alterius arboris vicinia remouendam. Sed Plinius, quæ ex Theophrasto accepit, habet. Oleæ folia non decidunt, angusta, & pediculo breui, superne candidiora, & minus leuia. Mirum id, quod oleis euenit: circumaguntur enim folia earum post solstitium, nec alio argumento certius intelligitur sydus confectum. Florentibus aliis germinant. Paulo serius solstitio florere incipiunt, concipiunt Vergiliarum exortu. Hoc sydus illarum est. Succus earum pinguis. Baccis intus lignum, extra caro, & caro adhæret ligno. Pediculis, & ramulis adhæret. Alternant fructus, quibus siccius lignum, vt olea, magis, quàm quibus carnosum. Radices inæquales, & ramosæ, per summa cespitum recto meatu incedentes. Familiare eis, quòd plurimum ventorum concipiant, propter densitatem ramorum, quibus amputatis leuatę onere in sua scrobe reponuntur. Tardè crescit. Hesiodus negauit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenquam. Longæ est vitæ. Durabant ad tempora vsque Plinii oliuæ in Liternino Africani prioris manu satæ. Et Argis olea etiam, ad quam Io in vaccam mutatam Argus alligauerit. Firmissimæ ad viuendum oleæ, vt quas durare annis 200 inter authores conueniat. Athenis quoque olea durare traditur in certamine ædita à Minerua. A Virgilio describitur pallido folio, trunco tereti, tarde crescenti, pingui, viuaci, & semper viridi,

Lenta salix quantum pallenti cedit oliua.
Incumbens tereti Damon sic cœpit oliua.
Virgulta, & procul tarde crescentis oliua.
——— *Et pingui Pallas oliua.*
Palladia gaudet sylua viuacis oliua.
Consequitur viridi Mnestheus euinctus oliua.

M. Varro ait, Admiranda discrimina naturalia sunt, quòd ex foliis propter eorum versuram, quod sit anni tempus, dici possit, vt olea, cuius folia cùm conuertant se, solstitium dicitur fuisse. Sed Aulus Gellius de eo item: vulgo & scriptum, & creditum est folia olearum arborum brumali, & solstitiali die conuerti, & quæ pars eorum fuerat inferior, atque occultior, eam supra fieri, atq; exponi ad oculos, & ad solem: quod nobis quoq; semel, & iterum experiri volentibus, ita esse propemodum visum est.

De olearum generibus, & primo de oleastro. CAP. IX.

THEOPHRASTVS oleam primo in duo genera distinguit, in vrbanam, & syluestrem. Dicemus primo de syluestri, post modum de vrbana. Prima oleastri apud Græcos origo sic ducta est, si Pausaniæ credendum est, homini doctissimo quidem, sed alioquin iis in rebus superstitioso: Nam & clauam Herculis ex Hyperboreis reuersi ex oleastro volunt fuisse, prius ignoto

Græciæ,

Græciæ, quæ terræ defixa sponte effloruit apud Trœzenios, aut certè iuxta amnem Alpheum, in qua gente locus est versus mare oleastris frequẽs: quemadmodum ab intorta specie olea celebratur cognominata Strepte, circa Epidaurum, adiecta ab eodem authore fabula, euenisse circumacta manu ab Hercule illac permeante. Ouidius aliam eius originem tradit: Appulus pastor saltantes nymphas irridẽs, & rustica cõuitia addens, in oleastrũ commutatus est,

Arbor enim est, succoq; licet cognoscere mores:
Quippe notam linguæ baccis oleaster amaris
Exhibet, asperitas verborum cessit in illas.

Celebrabantur apud Olympiã Græciæ vrbem ludi, quorum victor olympices dicebatur, cuius præmium erat ex oleastro corona, quòd primum Hercules, in cuius honorem inuenti, hanc arborem ex Hyperboreis attulerit, authore Pausania. Antè Olympiam templum fuit, & ante illud lucus oleastris consitus, ex quibus victores contextis ramis coronabantur. Hoc genus oleæ, ex quo corona donabatur, elæa callistephanos vocabatur. Plutarchus in Catonis vita, ait ipsum M. Fauonii ædilitate spectaculum in theatro edidisse, in quo victoribus ex oleastro coronas, veluti in Olympicis proposuerit. Plinius, Græci Olympiæ oleastro coronant victores. Ex quo primus Hercules coronatus est, & nunc custoditur religiosè. Elephas chamæleonte deuorato concolori fronde, huic suo veneno occurrit oleastro.

Græcis cotinos dicitur. Gadir Hispaniæ ciuitas, aliquando Tartessum, & Cotinusa ab oleastri vbertate, qui cotinos dicitur, dicta est, si Eustathio credimus. Et syluestris olea, si domesticæ inseratur, fiet, quæ vocetur cotinod s. Dicitur & agrielæa, id est, syluestris olea. Apud Lacedæmonas, authore Suida, agrippus dicitur. Deputato oleastro, quod inde gignitur phaunos vocatur. Streptos dictus oleaster, cui implicitæ fuerunt Hippolyti habenæ, currusque eius euersus. Latinis oleaster dicitur. Virg. Nomen

Indicio est tractu surgens oleaster eodem.

Et oleastrum oppidi est nomen in Bætica Hispaniæ, Ptolemæo authore.

Theophrastus ita describit. Oleaster satiua fœcundior est, quod ferè syluestres omnes habent, ceu cura fertilitatem minuente. Nascitur ex satiuæ nucleo. Sed mansuescere cura, vel sata surculis, vel translatione vix potest adduci, vt credat. Olea incuria fit oleaster, sed si ex oleastro olea fieret, pro ostento haberetur. Vita longior quàm oleæ: sed Olympiæ longissima. Plinius: Quadam æternitate consenescunt, proxima adoptioni virga emissa, atq; ita alia arbore ex eadem iuuenescente, iterumq; & quoties opus sit, vt æuis eadem oliueta constent. Nos autem ita describimus. Olea distat ab hoc non nisi magnitudine, & habitiore corporatura: est enim ipse rigidiusculus, impexo atque horridiore aspectu, senticosus si in saxis nascatur, qui alioqui cum satiua idem esset, perennis viroris, fructus numerosior, par myrto maiori, flosculi racemosi, candidi, odorati, & foliati. Descriptio

Locus. Plinius oleastrum in montibus nasci tradidit.

Insitio. Africæ quidem peculiare est oleastro inserere, inseritur autem calamo, & inoculatione, eodem authore, & cotinodis vocatur, vt diximus.

Materies. Cariem, vetustatemq; non sentit.

Oleum. Oleum ex oleastro tenue est, multoque amarius, quàm oleæ, tum ad medicamenta vtile.

De domesticarum olearum generibus. CAP. X.

VRBANARVM Theophrastus plura genera esse inquit. Vetus Cato multorum generum meminit, eademq; ab eo M. Varro, Virgilius, Columella, Plinius, & Palladius mutuantur. Sed Columella olearum, sicut vitium, plura genera esse inquit, sed in suam notitiam decem modo peruenisse, quæ in duo partiuntur, scilicet quæ ad escam, & quæ ad effusionem, vt de vitibus dicemus. Omnis olea maior ferè ad escam, minor verò oleo aptior: & vt à Catone incipiamus: Cato meminit conditiuæ oleæ. Sed ab eo M. Varro non conditiuam, sed conditaneam dicit. Sed Columella & Plinius huiusmodi non meminere. Ego potius olearum genus existimarem, quæ condiuntur, quàm olearum speciem: nam idem M. Varro conditiua mala vocat struthia, cotonea, & reliqua: quæ apta condi, & asseruari, quemadmodum postremo quæ apta condi sunt, manifestabimus. Orchitis Cato meminit, & eiusdem ab eo M. Varro, & Virgilius Georg. secundo,

Nec pingues vnam in faciem nascuntur oliuæ,
Orchites, & radii.

Columella ait. Orchis melius ad escam, quàm ad liquorem stringitur. Orchites Cato optimè condi dixit, vel virides in muria, vel in lentisco contusas. Et ab eo Plinius eadem refert. Et post pausiam colligi, non naturæ vitio, sed operæ, cui plurimum olei, & quia tenerrima amurca cogit decidere. Dicitur orchitis, vt Seruius inquit, ab obscœna & Græca etymologia, id est, à testiculo, qui orchis dicitur. Probus à magnitudine appellatas dicit, quòd testibus ferè pares sint, nam grandes sunt, vt à nonnullis archemoræ vocentur. Has ergo ipse existimarem certo esse, quas Hispania nobis, vel Caieta mittit: sunt enim nucis iuglandis ferè magnitudine, testiculorum similitudine ouatæ, ad escam condiuntur, toto orbe insignes, vt Columella in sampsa, epityro, & nigræ oliuæ conditura docet. Vocat & vetus Cato radium maiorem: eadem verba recenset ab eo M. Varro. Virgilius plures radios esse demonstrat suis versibus,

Orchites, & radii.

Columella enim radium ad escam idoneum magis, quàm vt liquescat dicit. Plinius ab autumno post pauseam, & orchitem radium colligi tradit, quia tenerrima amurca cogit decidere. Columella: radius neq; specie, neq; oleo tam grata est, quàm licinia, & pausia. Minorem radium in sampsa radiolum vocat,

vt videbimus. Seruius radium dici ait à longitudine, quod oblongæ sint. Apud nos *pizzutelle* vulgò dicimus, quasi acutiusculas dicas, quod oblongæ, & vtrinque acutę sint. Columella regiam speciosissimam facit, & potius escæ, quàm oleo idoneam tradit: sed si licinianæ, pausię & orchiti comparaueris: neq; specie, neq; cibo est tam grata. Plinius ad hæc: Omnino in vita error est publicus, tumore oliuæ oleum crescere existimantium, præsertim cùm magnitudine copiam olei non constare, indicio sunt, quæ regiæ vocantur, ab aliis maiorinę, ab aliis phauliæ, grandissimę, alioquin minimo succo. Et in Ægypto carnosissimis olei exiguum: Decapoli verò Syriæ perquàm paruæ, nec cappari maiores, carne tamen cõmendantur. Theophrastus phaulias dicit, quibus caro multa, nucleus paruus, & parcissimè pręstat oleum, & iis acerbum oleum fieri. Polluci phaulia est, quam hic collimidam, & trobellum vocat, & apud eundem Pherecrates trambellos in oleastro insitas oleas vocabat. Nobis vulgò dicuntur, *oliue rotonde*, quia rotunda specie sunt, magnæ, & pulcherrimæ, & ad escam conditis vtimur. Poseam oliuæ speciem Cato dicit, ita etiam Varro. Virgilius Georgicorum secundo non poseam, sed pauseam dicit,

Orchites, & radii, & amara pausia bacca.

Cato posias optimè condi dixit, vel virides in muria, vel lentisco contusas, quæ eadem ab eo Plinius recenset. Columella: Ex iis pausiæ iucundissima bacca est, cuius oleum saporis egregii dum viride est, vetustate corrumpitur, & optime vapores sustinet. Eam in Sampsa nominat pauseam, & posiam, & in epityro, & in nigræ oleæ conditura. Plinius ad hæc: Prima ab autumno colligitur pausia operæ vitio non naturæ, cui plurimum carnis: hanc etiam ocyssimè occupatam, quia est tenerrima, amurca cogit decidere. Purpureæ sunt & in iis, vt vuis in nigrum colorem transeuntibus, pausiæ. Probus possiam appellat, fortasse ex literarum cognatione: Seruius pausiam à pauiendo, id est, tundendo, dictam autumat, aliter enim oleum ex se non facit. Alii à sapore nominatam dicunt, quòd fiat pausi, sunt enim eius baccæ amarissimi succi, ob id incomestibiles. Ego ipse puto pauseam Apuliæ vulgo vocatam *pasola*, cuius callus immaturę virescit, maturæ ex purpureo punicat, nitidiore cuticula: orbicularis, communi maior, virescens amarissima, matura iucundissima, optima oleo, escáve. Sunt & oleæ, quæ ad effusionem. Cato Liciniam nominat, & ab eo Varro: sed Columella ait, optima oleo licinia, vel liciniana: & vbi de oleo conficiendo loquitur, maximè ad oleum licinianam peti post regiam, & si hæc desit, culminiam. Plinius etiam differri ad Martium mensem, quia callosæ, & contra humorem pugnaces, ob idq; minimæ, vt licinia, non ante fauonii flatum nigrescentes. In agro Venafrano, licinianum habetur oleum, vnde & liciniæ gloria præcipua oliuæ. Vnguenta hanc palmam dedere, accommodato ipsis odore. Dedit & palatum delicatiore sententia. De cætero baccas liciniæ nulla auis appetit. Hodie vulgò *oliue pollinole* dicuntur, quia paruæ, vel corrupto liciniæ vocabulo. Cato etiam culminianam nominat. M. Varro ab eo

culminiam dicit. Columella post liciniam & regiam vltimo loco culminiam baccã probat. Plinius cominias vocat, & vsq; ad Martium differri ait, quia callosæ, & contra humorem pugnaces, ob idq; minimæ. Cato sergianam nominat, & ab eo Varro. Sed Plinius sergiam baccam à Sabinis regiam dici ait. Sed Cato & Varro, qui sergiam nominant, regiæ non meminerunt. Sed Columella & sergiam, & regiam nominat, & plurimum olei afferre dixit, ac optimè frigus sustinere. Meminere etiam Cato, & Varro salentinæ, omissæ à Columella, & Plinio. Ego eam familiarem existimo Salentinorum regioni in hoc nostro regno, vbi ingentia oliueta sunt, & maxime fruct fera. Atq; etiam à regione Plinius picenas, & sidicinas in Italia. De picenis Martialis,

Si mihi picena turdus polleret oliua.

Meminerunt iidem albiceræ, à Plinio & Columella prætermissæ: sed eius loco Columella algianam, næuiam, circitem, & myrteam nominat, & næuias conuiuiorum epulis præparari, vt in eius conditura dicemus. Plinius cotinas nominat, & in Maium mensem differri, quia callosæ, & contra humorem pugnaces, non ante 6 idus Februarii nigrescentes. Suntq; & superbæ, & prędulces præter iam dicta genera, per se tamen siccatæ, vuisq; passis dulciores, admodum raræ in Africa, & circa Emeritum Hispaniæ. Sunt & apud Pollucem olearum genera hæc, drypetes, balmades, nectrides; cotinades, trambelos vocauit Pherecrates. Est & proprii generis olea dicta callistephanos, de qua Aristoteles, huius folia contrario modo se habent, quàm in aliis, extra siquidem non intus albent, ramos mittit, vt myrtus, ad coronas peraccommodos.

De cœlo, & situ oleæ conuenienti. CAP. XI.

THEOPHRASTVS, vt ab eo initium sumamus, neq; frigidis, neq; calidis locis optimè oleam prouenire posse memoriæ scriptum reliquit, quòd per summa terræ radice cohæreat, facilè nanq; gelu concrescit, frigiditas enim eximit humorem, & ad conuenientem cocturam perducere nequit: hinc olearum aliæ fructũ nulla carne, sed oleo refertum profundunt, aliæ carnosum sine oleo præstant, nam plus caloris ad oleum concoquendum requiritur. Gelidioribus locis oleas succo carere (nõ sapore, vt perperã vertit Theodorus) tradidit libro de causis, cùm succus ad conficiendam carnẽ intendatur, & calor deficiat, qui oleo conficiendo necessarius; quamobrem vere nullum fit oleũ, quia calor exiguus: æstate non bonũ, quia non regnauit satis: at autumno fit, quia calor inualuit, & si in æstate vigor, in autũno diuturnitas: quãobrem oleum æstate fieri solet, neq; frigus oleosum succum coquere potest. Aquæ tam cœlestes, quàm per rigua demissæ pulpam augent, oleum nil se carni permiscet, sed per se manet. Sunt olearum ægyptiarum species, altera oleo faciundo inepta, altera vtilis, & pinguis. Cæteri verò agricolæ variis olearum generibus varias cœli qualitates statuerunt. Cato: in calido agro conditiuã oleam, radium maiorem, salentinam, orchitem, poseam, sergianam, colminiã, albicerem:

bicerem:

diceret: Si ager frigidior, ibi oleam liciniam seri oportet, nam si in calido seueris hostus nequam erit, & ferundo arbor peribit, & muscus ruber molestus erit. M. Varro eadem ab eo recenset, sed ipsius abstrusa vocabula interpretatur: Ait enim hostū vocari, quod ex vno facto olei reficitur, factum dici, quod vno tēpore conficiunt, quem alii centum sexaginta aiunt esse modiorum, alii ita minus magnum, vt ad centū viginti descendat, & exinde, vt vasa olearia, quot, & quanta habeant, quibus conficiunt illud. Columella: Nulla ex iis generibus, aut perferuidum cœli statum patitur, aut gelidum, itaq; æstuosis locis septentrionali colle, frigidis meridiano gaudet, optimè vapores sustinet pausia, frigus sergia. Plinius, quod ab his habet, refert: Fabianus negat prouenire in frigidissimis oleam, neq; in calidissimis, & sine dubio in his solum maxime, cœlūq; refert. In Thessalia circa Larissam emisso lacu frigidior facta est regio, oleæq; desierunt, quæ prius fuerāt. In India sterilis, præterquam oleastri fructu. Principatum in hoc quoq; bono obtinuit Italia toto orbe, maximè agro Venafrano, eiusq; parte, quæ licinianum fundit oleum: reliquum certamen inter Istriæ terram, & Bæticæ par est. Vicina bonitas prouinciis, excepto Africæ frugifero solo. Reliqua ex Catone refert. Horatius de venafrana olea,

Pressa venafrana quod bacca vetustas oliua.

Herodotus, In Assyria inferuidis locis ficus, & olea nequaquam de principatu contendit, cæteris vsq; adeo ferax, vt ducenta reddat, & trecenta. M. Varro præfert, quæ in Agro Cassinate nascuntur. Virgilius idem,

——— *Atq; olea magnum vestire Taburnum.*

In Sabinis laudatissimæ. Bætica Hispaniæ regio oleis fertilis. Silius.

Palladio Bætis ornatus cornua ramo.
Nulla palladia magis sese arbore tollit.

Sed Florentinus sic loquitur. Calido, siccoq; cœli statu gaudet, vt in Libya, & Cilicia videre est. Sed de situ nunc videndum. Id peculiare in oleis adnotauit Theophrastus, quod trecentis à mari stadiis prouenire non posse videtur. Huc spectant locorum differentiæ ad arborum habitudines. Apud Tarentum oleis id accidit: silēs enim spiritus sensu perspicuus est, quippe pleraq; aduruntur, & cum flatus ex mari talis occurrerit, inuecta salsugine corrodit flores, ac populatur. Caligo quoq; sine vllo vento quædam egredi videtur, quæ vbi flores inuaserit, exurit. Cato: ager oleto conserundo in fauonium spectet ventum, & soli ostentus sit, alius bonus nullus erit. Columella, Sed neq; depressa loca, neq; ardua, magisq; modicos cliuos amat, quales in Italia Sabinorum, vel tota prouincia Bætica videmus. Hanc arborem pleriq; existimant vltra miliarium sexagesimum à mari, aut non viuere, aut non esse feracem, sed in quibusdam locis rectè valet. Ouidius de Sabinorum agro,

Primus oliuiferis Romam deductus ab agris.

Plinius, Negauit Theophrastus nisi intra xl. millia passuū à mari nasci. &

Cato ait: spectare oleta in fauonium debent, loco solibus exposito. Palladius: Amat hæc arbor arduo locorum situ mediocriter ab humore suspendi, scalpi assiduè, lætaminis vbertate pinguescere, feracibus ventis clemẽter agitari. Sed Florentinus accommodatè de situ loquitur: Auxiliantur ad aeris commoditatem terræ situs accliui, & alti. In iis enim solis ardor ventorum proflatu refrigeratur, quare optimum exhibent oleum, planis verò, & campestribus locis oleæ minus impetu ventorum agitatæ, atq; insidenti æstu ambustæ spissius oleum mittunt, siquidem cum omnes stirpes, tum oleæ maximè aduerso flatu roboratæ vigent, argumento, quòd oleas læuiores, & virentiores offendes locis, qui ventis patent, tristiores iis, qui à flatu silent, nec spiritus nouitate recreantur, modo id intercedat spatii, quo liberę peruagẽtur aurę. Igitur accliuibus, & arduis locis oliuæ lætantur, quod proprium nactæ ventum, nil præterspirant, sed in omnes partes æqualiter insinuans ventus arborẽ excitat & auget.

De solo oleæ debito. CAP. XII.

NON minus in soli electione, quàm cœli, veteres agricolæ diligentes fuere. Theophrastus albicantem argillam oleis fertilem esse dicit, quę multum vaporis, flatusque contineat, quod olearum natura desiderat. Exoptat præterea solidum, siccumq; solum, quia oleæ alimentum siccius, callosumque quærunt. Ad summum campestre solum oleis maximè conuenire statuit. Cato diuersis olearum generibus diuersas soli differentias distribuit. Crasso agro oleam conditiuam, radium maiorem, salentinam, orchitem, posceam, sergianam, colminiam, albicerem, vel quam earum in his locis optimam dicunt esse, eam maximè serito, macriori oleam licinianam. M. Varro eadem ab eo refert. Vergilius secundo Georgicorum oleis his versibus solum statuit,

Difficiles primum terræ, collesq; maligni,
Tenuis vbi argilla, & dumosis calculus aruis
Palladia gaudet sylua viuacis oliuæ.
Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, & strati baccis syluestribus agri.

Columella aptissimum genus terræ esse oleis dicit, cui glarea subest, si superposita creta sabulo admista est. Non minus ꝓbabile est solum, vbi pinguis sabulo est, sed & densior terra, si vuida est, & læta, commodè recipit hanc arborem. Creta ex toto repudiãda est, magis etiam scaturiginosa, & in qua semper vligo consistit. Inimicus est ager sabulo macer, & nuda glarea. Nam si non emoritur in eiusmodi solo, numquam tamen conualescit. Potest tamẽ in agro frumentario seri, vel vbi arbutus, aut ilex steterat. Gaudet etiã collibus siccis, & argillosis, at humidis campis & pinguibus lętas frondes sine fructu affert. Plinius omnia, quæ Cato habet, transfert. Præterea glareosum solum oleis aptissimum in Venafrano, pinguissimum in Bætica. Palladius libro primo. Terra profunda (quod Græci asserunt) oleæ grandes arbores efficit, fructus

minores,& aquatos, ac feros,magisque amurcæ proximos. Aer oleas tepidus iuuat,& ventus mediocris fine vi,& horrore perflabilis: cætera ex aliis habet. Florentinus ad hæc: Porrò solum vuidum, & lætum commodè recipit hanc arborem, vberioresque dat oliuas, quapropter id præferendum fuerit:secundum sibi locum vendicat,cui argilla alba subest, tertium argilla dura. Profundum, & rubricosum repudiatur, quòd suo æstu stirpes exurat:sed longè magis salebrosum, & scatuiginosum, in quo semper vligo consistit, damnatur, quippe quòd strigosas, & minimè altiles baccas, vliginosósq; partꝰ creat,ieiunior paulò terra,vt Attica testatur,accommodatior. Apuleius,Oleas in aridioribus locis vehementer vberes prouenire experimentum docuit. Apud nos amœnissimi colles,& tepidiores planicies oliuetis virent: iuxta Casinatium arua adiunguntur Venafrana, montium imæ partes oliuis conuestiuntur, glareosa terra gaudentibus, & meridiano sole, quarum oleo ob purum succum palmam vnguenta dedere. M. Varro connumeratis aliquot Italiæ locis, vbi quædam ad victum humanum cæteris præstantiora nascuntur, ad oleum agrum Cassinatem prætulit. De Venafro Horatius,

——Viridique certat
Bacca Venafro.

Et Martialis,

Hæc tibi Campani sudauit bacca Venafri.

Turditanum oleum bonitate præcipuum aliqui dixerunt. Ouidius de Pepareto Metamorphoseos septimo,

Et Gyaros,nitidaq; ferax Peparetos oliua.

Samos etiam oliuetis fœcunda: Sycion vrbs Achaiæ. Ouidius in Ibin.

Aut vt oliuifera quondam Sycione profecto.

De Mitisca Virgilius Italiæ vrbe, Æneidos septimo,

Ereti manus omnis,oliuiferaq; Mitisca.

De Eurota Statius libro quarto, & duodecimo de Lycabeso.

——Et oliuiferi Eurota
Dura manus.
——Et pingui melior Lycabesos oliua.

Cassinas ager apud nos olei, quàm frumenti feracior, magnumque vectigal ex eo comparant agricolæ,& non procul ab eo montana Calatia,cuius colles oleta distincta oleastris habét, quarum baccæ reliquarum dulcedine commendantur. Surrentini colles lętis etiam olinetis conuestiuntur,in maris prospectu,quibus viuum saxum,lætumq; subest solum.

Quibus modis nascatur olea. & primum de semine.

CAP. XIII.

NON parui momenti est hæc inter eas, quas primo explanauimus dotes, quòd olea modis omnibus enascatur sola, quibus omnia terræ nascentia

ferè generantur, nam ita facilius oliueta comparabimus, olearumque copiam nanciscemur, dempto modo vno, quem recenset Theophrastus libro de causis, scilicet, quòd summis surculis prodire nequeat, cuius causam affert, quòd surculi, qui in summo nouelli nuper extant, inepti sint ad radicum conceptionem, ob eorum siccitatem, & tenuitatem, in ea enim tenuitate haud multo succo abundare possunt, qui germinationi fauet. Et si in historiis scribat, nonnunquam adminiculo ad hederam defixam vitam egisse communem, & arborem factam, id verò raro accidit, sed id scribendum, quod maiori ex parte à natura factitatum videmus. Nec nobis raro in vineis, summis oleæ surculis, virgisque pro palo depactis, & radicasse, & ad iustam magnitudinem deuenisse, vidisse contigit. Sed olea nascitur semine, ramo, taleis, trunco, ligno, radice, aliisq; modis, quos recensebimus. Sed sationis per semen modus ab omnibus improbatur, tum quia seculorum turba indigemus, dum fructum afferat, tum quòd fructus deteriorescit. Theophrastus e nucleo oleę syluestrem nasci ait, & ex olea oleastrum fieri posse, sed ex oleastro oleam raro euenire. M. Varro ait, Oleæ semen, cùm sit nucleus, quòd ex eo tardius enascatur caulis, quàm ex taleis, ideo potius in seminariis taleas, quàm nucleos serimus. Antonius Venutus non in prima satione nucleum deteriorescere scribit, sed sexta, vel septima, quod magis veritati consonum reor, sic à syluestri habitu in vrbanum, non nisi æuis euenire. Si quis tamen semine serere velit, eligat oliuam magis oleosam, & optimè maturam, quam pulpa mundet, ac liquidiore stercore ammistam scrobiculis palmum profundis obruat, & singulis hebdomadibus irriget, tertio deinde anno transferat, immo quo pluries transfertur, meliorescit, vbi optimè comprehenderit, inserat sub terra effosso scrobe, paulatim vbi crescit, terram aggerando.

Oleæ plantatio per ingentes ramos. CAP. XIIII.

EX multiplici oleæ serendę ratione, non in vltimis ponenda est ea, quæ per ingentes fit ramos. Theophrastus in historiis, & libro de causis scribit oleam ramis exurgere posse, cùm oleæ rami prægrandes humore non vacent, scilicet pinguedinis, spissitatisque causa, vnde exiccatu difficiles sunt. Intelligit Theophrastus per grandiores, siue grossiores ramos oleæ brachia, quæ non in summo, sed quæ iuxta truncum sunt: sunt enim humor, pinguedo, & spissitas præsentis vitæ sedes, & futuræ auspicia. Leontius Græcus huiusmodi sationis modum edocet. Nonnulli crassiores ramos ex arboribus adimunt, & ex iis partes præcidunt, quæ binûm cubitorum proceritatem impleant, dein in rectum constitutas adobruunt. Alii insignes ramos quinûm, aut quaternûm cubitorum longitudine à caudicibus serra præcisos solo committunt, sed rubrica partes notant, quibus obuersæ steterant, vt quemadmodum in scrobe cohærebant, ita parte ima terram, & cacumine cœlum spectantes deponantur, vt celeriori proficiant incremento, celerioremque fructum largiantur.

giantur. Hoc modo ſatum Moroni iuxta Capuam oliuetum vidimus. Erant enim rami prægrandes, vt vtriuſque manus indicibus, & pollicibus in orbem diductis vix cingeretur: erant ſcrobes trium pedum altitudinis, & latitudinis, in ima parte rami acuti, ſtercore vitulino obducti, intus infixi, terra cooperti, ac vectibus calcati, ſenis vel ſeptenis pedibus ſupra terram extantibus, ſuprema pars nodoſior, ex qua ſperabantur germina. Sunt qui infimam partem ſcindant, ac lapidem indant, & ſic citius radices elicere dicunt. Superior cæſura fimo, lapide, vel aliquo munimine cooperitur, ne gelu, vel calor intus intrudatur, & exareſcat ramus, ſic tertio, vel quarto à ſatione anno fructus attulerunt.

Quòd etiam ligno, vel ſtipite per longum diſciſſo olea exurgere poſſit.

CAP. XV.

NVNC etiam naſcendi modum ferè prodigioſum oleæ proferemus, ad facilem huius plantæ propagationem demonſtrandam, vt non ſolum ramis, & taleis, & trunco ſine radicibus, ſed ligno id eſt trunco in plures partes per longũ diſciſſo (quod nulli, niſi ſoli oleæ contingit) exurgere poſſit. In hiſtoriis Theophraſtus ligno oleam naſci poſſe ſcripſit, etſi inepta videatur ad germinationem ſubſtantia. In libro verò de cauſis rationem affert: Nam denſitate ſui corporis vitale illud, genitaleque ſemen, præcipuè non ſine adminiculo naturalis humoris ſeruare diutius poteſt, at ſi denſitas ſiccitati comes ſit, ſufficere nequit, & ſi vel vniſtipites ſint: Sectam nanque non ſolum depactam arundinem, ſed etiam ſectæ partem prodire videmus, ſicut & oleam. Ligna enim oleæ è truncis abſciſſa ſeruare ſuum vitale principium poſſunt, vt ad excitandum germen mouere ſe valeant. Modus autem eſt. Ligna oleæ palmo minora diuidi haudquaquam oportet, neque corticem detrahi. Nec minori admiratione dignum videtur, quod vna omnium germinat in opere, vt Theophraſtus dicat: oleaginea materies tum rudis, tum ſæpè elaborata, ſi humorem nacta fuerit, locumque adipiſcatur humectum, germen potiſſimum citabit, ita vt iam cardo valuæ, & poculum limo immerſum prodantur regerminaſſe. Ob id Virgilius, qui omnia, quæ de plantarum generatione carminibus mandauit, ex Theophraſto excepit, id non prætermiſit, inquiens in Georgicis,

Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno.

Sed reor quòd per ſiccum lignum caudices intelligat in plures partes per longũ diſciſſos, vt ligna ſcindere ſolemus, quæ igni deſtinamus, non quòd verè ſiccũ ſit lignum, ſed poſt lõgam moram humore ferè omni orbatum, ſiccum videatur. Didymus ſationis modum demonſtrat. Non deſunt, qui ſecta ab imis radicibus ligna, quę apud Syros gorphia appellantur, plantariis depenunt, poſtea quũ comprehendiſſe ſic videbuntur, vt mutationi ſit locus, transferũt.

Multi non in plantariis, ſed propria terra deponentes ipſa, non aberrarunt. Leontius etiam ad hæc. Non deſunt, qui reciſa ab imo caudice ſegmenta ſeſquipedalia, ita vt ne corticem quidem aut vllam alia partem, quam ſerra præciderit, lædant, in defoſſam ſcrobem lapide ſubiecto deponunt, & aggere ſic obruunt ad palmi altitudinem. Meminiſne vidiſſe oliuetum deputantes, ramos, truncos, & imos caudices igni deſtinatos ſecuri ſcindentes in congeriem accommodaſſe, vt cùm occaſio daretur, aliò tranſmitterent, ac per annum ibi ſtetiſſe, captumque poſtea ex iis lignum vnum, & arenis in littore malleo validis ictibus infixum, cuius ope ergata nauigia ad ſiccum traherentur, poſt annum pullulaſſe, & ramos emiſiſſe, vt quod de oleæ viuacitate noſtri maiores ſcripſerint, procul dubio ſit credendum.

Quòd etiam trunco exurgat olea, & propagine. CAP. XVI.

TRVNCO etiam naſci poſſe oleam Theophraſtus libro de hiſtoriis tradidit. Leontius Græcus & credidit, & docuit, inquiens. Quidam reciſos è caudicibus maiores truncos, & relicto ſuperius cortice, cacumine tenus adobruunt, ſic tamen, vt quatuor alte digitis ſuperemineat. Cato quomodo olea propagetur docet, vt cæteræ plantæ, Ab arbore abs terra pulli qui naſcuntur, eos in terram deprimito extollitoq́; primorem partem, vt radicem capiat, inde biennio poſt effodito, ſerito q́;.

Vſitatus per ſobolem oleæ ſerendi modus. CAP. XVII.

QVOD ſobole naſcatur olea, reticuit Theophraſtus, vtpote triuialis, frequens & vſitatiſſimus modus, eos deſcribens, qui mirabiliores, ac incredibiliores viderentur: non tacuit tamen oleam prolificam eſſe, & radice ſummæ terræ hærentem, vnde iuxta caudicem plurima proles exurgat. Virgilius peculiarem credidit oleæ ſationem per ſobolem, vocans ſtipites illos ramis ſpoliatos truncos,

Sed truncis oleæ melius propagine vites.

Plantas enim, quibus cacumina, & germina præciſa ſunt, truncos vocare ſolemus, ſic etiam Priami corpus capite mutilatum, truncum vocauit. Ab eo etiam Columella truncos vocat, vbi libro de arboribus inquit: Melius autem truncis, quàm plantis oliuetum cõſtituitur. Sed quinto libro vbi de plantarum tranſlatione è ſeminario in oliuetum loquitur, ait, Optimum eſt omni fronde priuare truncum, atque leuatis plagis, fimoq́., & cinere oblitis in ſcrobem, vel ſulcum deponere. Truncus autem aptior tranſlationi eſt, qui brachii craſſitudinem habet. Poterit enim longè maioris incrementi, & robuſtioris trãſferri, quem ita cõuenit poni, vt ſi non periculum à pecore habeat, exiguus admodum ſupra ſcrobem emineat, lætius enim frondet. Si incurſus pecoris vitari non poterit, celſior truncus conſtituetur. Quod Leontius Græcus non omiſit. Alii ſobolem cum radice ſerunt. Alii reſidem adhuc caudici plantulam deciſis

deciſis falce capitibus & brachiis, in truncum redigũt, & terræ foſſæ circa Arcturi ortum defigunt. Palladius è ſobole oliuetum conſtitui docet: Februario enim menſe, temperatis locis, qua in paſtino ponuntur, radicatæ plantæ deciſis capitibus, & brachiis, & in truncum redactæ, vſq; ad menſuram cubiti vnius, & palmi in fermento terræ foſſæ defigũtur, locum palo antea deprimente, ordei grana ſubteriaciantur, & amputetur iis quicquid putridi inuentũ fuerit aut arentis, & tunc amputata capita luto velentur, & muſco vlmeis vinculis, vel tenacibus quibuſcunq; conſtricta. Sed maximũ beneficium eſt, vt proficiant incremento, ſi rubrica partes notentur, quibus obuerſæ ſteterunt, & contra eas ſimili ratione ponãtur. Hic eſt vſitatiſſimus, & principalis apud nos oliueta conſtituendi modus, quippe antiquis arboribus adnatos ſtolones, qui trimi vel quadrimi ſint, pauco negotio ſecuri diſſecamus, etſi paucis, minimiſque radicibus muniantur: ſed eò meliores fuerint, quò longius à trunco orti ſint, & pluribus radicibus fulti fuerint: hos ſcrobibus mandamus, vt ſeptenis pedibus ſupra terram emineant, ſic tertio, vel quarto anno fructum præbent, & ſi Heſiodus negauerit oleæ ſatorem fructum ex ea percepiſſe quenquam. tam tarda res tunc erat, nunc autem in plantariis ſerunt, translatarum altero anno decerpuntur baccæ. Sunt qui modum ſationis per taleas huic pręferant, cùm hic expeditior, & paratior ſit: nam ſi deputantur rami, & plantariis deponuntur, quinto anno transferuntur, & primo inde, vel ſecundo anno fructus proferunt, cùm ſtolones, vt tranſplantationi apti ſint, per decennium immorentur apud matricem, & quinto anno fructus proferãt, ſed id falſum eſt. nam & ſi nulla cura, induſtriáve rami apud truncum, ita & ſtolones apud parẽtem creſcunt, & ſecundo anno fructus proferunt apud nos. Præterea multum obeſſe arboribus dicunt, quibus detruncãtur, cum vulgaris ſit apud colonos ſententia, niſi abradantur interficere parentem. Si verò dicent, hoc tẽporis ſpatio, dum creſcunt, fructum arbori adimere: reſpondemus eos eliciendos eſſe, qui ab arbore longiuſculè abſunt, ſemper ſuprà terram adaggerando, vt ſuis radicibus impetratis parenti non officiant.

Quomodo ex radicum oculis exurgat olea. CAP. XVIII.

RADICE etiam naſci Theophraſtus tradidit oleam. Sed Columella ſationis modum docet: Quidam melius exiſtimant ex radicum oculis ſylueſtrium olearum hortulos excolere, & chorda ſimili ratione diſponere, ſed vtrunque debet poſt vernum æquinoctium ſeri. Palladius ab eo excipiens dicit. Scio pleroſque, quod facilius, & vtilius eſt, radices olearum, quæ in ſyluis plerunque ſunt, aut in locis deſertis, in cubitalem menſuram reciſas, aut in ſeminario, ſi placuerit, aut in oliueto ſolere diſponere, & admiſtione ſtercoris adiuuare. Quare proueniet, vt ex vnius arboris radicibus numeroſa planta naſcatur. Sed Plinius Columellæ placita confutat, & recitat verba Catonis, cum ſuperius dixiſſet, vbi de olearum plantatione agit, gemma, vel oculo ſeruato,

ait ipse oculos serito. Sed sæpius ego animi causa expertus sum, cum superuacuas radices à plantãdis truncis resecarem; eas in plures partes dissecui, & scrobibus disposui, vbi æstate ingruente ex eis virgarum sylua pullularit. Sed ego non possum satis admirari doctissimum Columellam, expertissimumque agricolam præcepisse, dissecandas radices ex oleastris desumendas esse, cum plantæ, quæ ex iis nascuntur, & tardè crescant, & syluestres proferant fructus. Sed si aliquis responderet fieri posse per insitionem, vt in vrbanum habitum mutentur, magis veniret irridendus, cùm multis annis id accideret, & contra Virgilium peccaret, qui syluestres oleas inseri vetat, nam cum sæpè accidat comburi oliuetum, germina, quæ imo repullulant trunco, syluestres iterum producunt oleas, vbi si vrbanæ radicibus plantatæ essent, idem restituerent oliuetum. Sed sunt, qui non integras radices, sed oculos quosdam, seu tumores dicas, vbi eleuata pars rũpere nititur ad termites procreandos, plantent, quos è veterum olearum radicibus euellunt, hos aliqui oua, ab ouorum similitudine vocãt, hac dixerim Columellam, & Palladium per radices intellexisse, nam si eiusmodi oculos ex imo stipite, vel radicibus securi euellis, & scrobib⁹ committis, non plus quatuor digitis altis, subtili supra iniecta terra, miraberis ex eis germina læta, & felices plantulas prouenire. Nec oculos illos eligas, qui turiones foras emittunt, nam trunco sublati, humoris egeni, vi caloris facile marcescunt, sed qui iamiã germina parituri sunt. Nec pertimescendum id arboribus obesse, ex quibus huiusmodi oua diuelluntur, si bina solum ex singulis arboribus demas, nam quodammodo arbores sollicitantur, & iuuenescunt. Possumus etiam sine veterum arborum noxa hisce oculis nostra olineta multiplici sobole replere, inspiciendo veteres arbores, quæ duplici, vel triplici stipite humo surgunt, duos abscindere, solum vnum relinquere, nam sequẽti anno, qui reliquus est, obtruncati damna rependet, nam & vberius fructus afferet, & lætius germina producet, vacuumq; locum replebit, & ex obtruncati radicibus, caudice & læuioribus brachiis, vbi nitidiores partes conspicientur taleas & oua secare. Hunc oleas serendi modum sunt qui præferant taleis, primo quia & breuiori tempore radicantur, quàm taleæ, præterea quia è seminario in plantarium transferuntur, faciliori negotio effodiũtur, & facilior erit cum sua terra in suos scrobes translationis ratio: nam taleæ, cùm profundius hæreant, in earum effossione radiculæ non sine læsione transferuntur.

De modo serendi per taleas, & de seminario olearum faciendo.

CAP. XIX.

VERAM, & præcipuam olearum sationem Theophrastus per taleam statuit. Ait enim, Ex ramo præciso taleas deorsum versus sectura inuersa serere oportet, nec palmo minora præcidere, corticemque minimè detrahere. Seruntur autem ex his rami, quibus germinantibus terra semper assiduè

duè accumulanda, quoad satis roborentur. Cato inter Latinos ita primus docuit, seminariumque hoc modo instituit. Taleas oleaginas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas excidito, diligenterq; tractato, ne liber laboret, cum dolabis, aut secabis: quas in seminario saturus eris, pedales facito, easque sic inserito. Locus bipalio subactus siet, beneque glutus fiet. Cùm taleam demittes, pede tantum opprimito, si parum descendit, malleolo, aut mateola adigito, cauetoque ne librum scindas, cùm adiges. Palo locum prius si feceris, quo taleam dimittas, & si ita seueris, vtilis fiet talea, meliusq; viuet. Taleæ vbi trimæ sunt, tũ deniq; tibi curæ sint, vbi liber sese vertet. Si in scrobibus, aut sulcis seres, ternas taleas ponito, easq; diuaricato supra terrã, ne plus quatuor digitis transuersis emineant, gemma, vel oculo seruato. Sed si voles olea cito crescat, quã seueris, semel in mense sarrito, & circum capita oleagina vsq; donec trimę erunt fodere oportet. Plinius eisdem verbis eadem recitat, sed aliqua sunt verba in eius textu corrigenda. Nam Cato ait: gemma, vel oculo seruato. ipse ait, oculos serito. Quod ibi tale præcipiendum non erat. M. Varro ad hæc. In seminario quæ surculis consita sunt, vt olea, & quorum erunt molliora natura cacumina, ea summa integenda binis tabellis, dextra ac sinistra deligatis, herbęque elidendæ, & dum teneræ sunt vellendæ, nam aridæ factæ rixantur, & celerius rumpuntur, quàm sequuntur. Demum in oleagineis seminibus arbores videndum, vt sit de tenero ramo ex vtraq; parte æquabiliter præcisum, quas alii clauolas, alii taleas appellant, ac faciunt circiter pedales. Columella etsi verbosius, præcisius tamen docet: Primo seminarium instituito. Libero cœlo præparetur, terreno modicè valido, sed succoso, neq; denso, neq; soluto solo, potius tamẽ resoluto, id genus terræ ferè nigrę est, quã cùm in tres pedes pastinaueris, & alta fossa circũdederis, ne aditus pecori detur, fermentari sinito. Tum ramos nouellos nitidos, quos comprehensos manus possit circumuenire, ex feracissimis arboribus adimito, & ex his taleas recidito, ne corticem lædas, id cauebis si prius varam feceris, & partem eam, supra quam ramum secaturus es, stramentis texeris, vt sine noxa corticis superpositæ taleæ secentur. Taleæ deinde sesquipedales præcidantur, & vtraque parte falce leuentur, & rubrica notentur, vt quemadmodum in arbore steterat ramus, ita ima parte terram, & cacumine cœlum spectans deponatur: nam si inuersa mergatur, & difficulter comprehendet, & si conualuerit sterilis erit. Sed talearum capita & imas partes misto fimo cum cinere oblinire, & ita totas immergere oportet, vt putris terra quatuor digitis altè superueniat. Sed binis indicibus ex vtraque parte humantur: hoc facere vtile est propter fossorum ignorantiam, vt cum seminarium bidentibus colere institueris, taleæ non lædantur. Id debet post vernum æquinoctium fieri, & frequentissimè seminarium primo anno sartiri, postero, & sequentibus, cum iam radiculæ seminum conualuerint, rastris excoli, biennio à putatione abstineri, tertio anno singulis seminibus binos ramulos relinqui, quarto ex duobus ramis infirmior

amputandus, sic excultæ quinquēnio arbusculæ habiles sunt translationi. Palladius eadem quæ Columella habet. Didymus autem suadet, vt oliuetis plantulæ serantur citra moram, quæ in seminariis contingit: quia verò è seminariis translatę tutiorem habent generationem, etiam seminarii modum tradit. Solum in quo stirpes pangentur, qualitatem non modo, & figuram seminarii, sed & cœli quoque conditionem referre debet, ne quod in eo pangitur, noua loci peregrinatione tentetur, maximeque profecerint, si rubrica partes notentur, quibus obuersæ steterunt, vt simili ratione ponantur. Porrò legi debent, qui seminario destinabuntur, non stolones caudicibus adnati, sed summatim decerpti rami, longitudine cubitali. Danda est opera ne cortex sectione violatus collidatur, sed falcula, quæ acie polleat, vulnus vndique læuigetur, seruata stirpis integritate. Stylus parte ima bubulo fimo cum cinere liniēdus. Scrobes concamerato sinu, vt imbrium sint capaces, excauandi, ramulus non in verticem, hoc est inuersus, humandus, qui tamen palmo à terra extet, arundo affigenda, vt à cultoribus cognoscatur, singulis mensibus vsque ad septimū mensem moueatur. Extirpari debet arbuscula trimatu altilis, & vegeta, quadrima iá collucari debet, & superuacui termites putari, & sic transferantur in terram, quam plantare instituisti, sublata cum plantis terra propria, & hic præstantior est oleæ plantandi modus. Nos eodem die, quo plantare taleas destinamus, ab arbore recidimus, & in taleolas diuidimus, ne nimia supra terram mora resiccentur. Et si aliqua præpeditus occasione sator, quo reciderit die plantare nequiuerit, melius inhumare, quàm sub dio resiccari sinere compertum est. Id tamen admonendum, cùm plantantur, si humiditatem terræ aliquam contraxerint, resiccantur; quod videtur Plinius adnotasse. Non inhumare taleas, aut siccare prius quàm serantur, vtilius compertum.

De olearum plantatione. CAP. XX.

CVM è seminario in locum, in quem oliuetum instituere cōstituisti, transferes plantulas, hæc obseruabis maiorum nostrorum præcepta. Et primò Theophrastus ait: Olea in consitione amputari desiderat, vt arbores omnes, quæ ampliorem magnitudinem capiunt, plagas alleuatas contegunt, ne intrudatur sol, aut imber, nam si id acciderit, contrahendi morbi periculum imminebit. Circumlinunt alii luto, alii subdita scilla lutum superimponunt, testamque superadiiciunt, scilla plantam viridem seruat, lutum scillam, testa lutum. Cato plantare ita docet: Oleas cùm seres benè cum radicibus eximito, cum terra sua quamplurima, circumligatoq; vti ferre possis, in alueo ferri iubeto. Caueto cùm ventus, aut imber fiet, effodias, aut seras, nam id maximè præcauendum est. In scrobe cùm pones, summam terrā subdito, postea operito terram radicibus fimi, deinde calcato pedibus benè, deinde fistucis, vectibusque quamoptimè poteris, id autem erit rei primum. Post hæc arbores crassiores digitis quinq; quę erūt, eas pręcisas serito, oblinitoq; fimo summas,

& foliis

& foliis alligato. Columella de eius consitione hæc habet. Scrobes quaternûm pedum præparantur anno ante, vel si tempus non largitur, prius quàm deponantur arbores, stramentis incendantur scrobes, vt eos ignis putres faciat, quos sol & pruina facere debuerat. Antequam explantes arbusculam, rubrica notato partem eius, quæ meridiem spectat, vt eodem modo, quo in seminario erat, deponatur. Deinde vt arbusculæ spatiũ pedale in circuitu relinquatur, atq; ita cum suo cespite planta eruatur, qui cespes ne resoluatur in eximendo, modicos surculos virgarum inter se connexos facere oportet, eosq; pilæ, quæ eximitur, applicare, & viminibus ita innectere, vt constricta terra, velut inclusa teneatur, tum subruta parte ima, leuiter pilam commouere, & suppositis virgis alligare, atque plantam transferre. Antequam deponatur oportebit solum scrobis imum fodere bidentibus, & terram aratro subactam immittere, & ordei semina substernere, & si constet in scrobibus aqua, ea omnis haurienda est, antequam demittantur arbores. Deinde ingerendi minuti lapides, vel glarea mista pingui solo, depositisq; seminibus latera scrobis circumcidenda, & aliquid stercoris interponendum. Quòd si cum ea terra planta non conuenit, tunc optimum est omni fronde priuare truncum, atq; leuatis plagis, fimoq; & cinere oblitis, in scrobem, vel sulcum deponere. In libro verò de arboribus inquit: Omnes arbusculas, prius quàm transferantur, rubrica notare conuenit, vt cùm serentur easdem cœli partes aspiciant, quas in seminario conspexerant, alioquin frigore, vel calore laborabunt ab iis partibus, quas pręter consuetudinem sub alio tractu expositas habuerint. Arbusculam in scrobe deponere ita rectam oportet, vt quod à scrobe exriterit, in medium sit, arbusculam autem à tempestatibus tueri diligenter oportet adminiculando, & terræ quæ in scrobe reponitur stercora immiscendo. Plinio adiiciendum videtur, vt scrobes fiant ex arborum natura, vt altius demittantur eæ, quæ summa tellure gaudent, vt olea. Didymus: Locus, quem oleis dicaueris, runcandus est, omniq́ue alterius generis frutice extirpandus, maceriis, & viuis sepibus cingendus, ne aditus pecori detur. Scrobes ante sationem fodiendi, vt sole, ventis, & imbribus terra reddatur fragilior, stirpesq; iaciant vltro, citroq; radices. Vno, aut altero mense minimum aridis fruticibus, cremiis, & iis, quæ ignem facile concipiunt stramentis, scrobes adurantur, qui tricubitali altitudine, aut minimum sesquicubitali cauentur. Id etiam omittendum non duxi, quod tantopere monent veteres agricolæ, & primò M. Varro, quod multum refert ad fundi fructus, quemadmodum vicinus in confinio consitũ agrum habeat: si enim ad limitem quercetum habet, non possis rectè secundùm eam syluam serere oleam, quod vsque eo est contrarium natura, vt arbores non solum minus ferant; sed etiam fugiant, vt introrsum in fundum se reclinent. Columella autem ait, quòd olea seri potest, vbi arbutus, aut ilex steterat: nam quercus excisa radices noxias olieto relinquit, quarum virus enecat oleam. Plinius: Olea, vbi quercus effossa sit, male ponitur, quoniam ver-

mes, qui raucæ vocantur, in radice quercus nascuntur, & transeunt. Et alibi. Quercus, & olea tam pertinaci odio dissident, vt altera in alterius scrobe depactæ moriantur. Palladius verò in Februario. Potest olea seri, vbi arbutus, aut ilex steterat, nam cerrus, & esculus excisas radices noxias relinquit, quarum virus oleam necat. Sed in Arcadia spectari solitam arborem Pausanias affirmat, è cuius radice vna ilex, & olea nascerentur in quodam fano. Serendarum autem arborum interuallum indicandum. Cato in viginti quinq;, aut triginta, pedes serit. A quo Plinius: Oleam maximo interuallo, de qua Catonis Italica sententia est, in viginti pedibus minimum, plurimum triginta. Sed hoc variatur locorum natura. Non alia maior in Bętica arbor. In Africa verò (fides penes authores erit) miliarias vocari multas narrant à pondere olei, quod ferant annuo prouentu: Ideo 75. pedes Mago interuallo dedit vndiq; etiam in macro solo, ac duro, & ventoso, cum minimum 45 Bætica quidem vberrimas messes inter oleas metit. Columella verò: Spatium inter ordines minimum esse debet pingui, & frumentario solo sexagenum pedum in alteram partem, atq; in alteram quadragenum, macro, nec idoneo segetibus quidem, & vicenum pedum. Libro verò de arboribus addit: Oleam decet inter sexagenos pedes disponi, vt spatium in latitudinem crescendi habeat, nam quæ in proceritatem extenduntur, euanidæ fiunt, parumque fructus ferunt. Didymus: Sed liberale quinquagenum cubitorum interuacet spatium, vt & caudices perflatu venti fruantur, & intercedens locus seri possit, alioqui si sementis subtus neglectui habeatur, tanto ramorum stipatu luxuriabunt, vt in sese mutua vmbrarum beneficia non conferant.

Nunc de tempore statuendum. Tempus autem plantationis Theophrastus vernum statuit, & præcipuè oleas: nam quæ autumno seruntur, post sationem hyems secuta corticem detrahit. Cato sic tempus præfinit. Si quis quærat, quod tempus oleæ serendæ siet, Agro sicco per sementim, agro læto per ver. M. Varro: inter vernum æquinoctium, & Vergiliarum exortum oleam seri oportet. Dicit Columella, Plantæ oliueto disponuntur optimè siccis, minimeque vliginosis agris per autumnum, lætis & humidis verno tempore paulo antea, quàm germinent. Libro de arboribus: Magoni autem placet, siccis locis oliuam, aut mox post æquinoctium seri, aut ante brumam. Nostræ ætatis agricolæ ferè vernum tempus circa calendas Maias seruant. Plinius: Mago in colle, & siccis, & argilla inter autumnum, & brumam seri iussit, in crasso, aut humido, aut subriguo à messe ad brumam, quod præcepisse eum Africæ intelligitur. Italia quidem nunc vere maximè serit, sed si & autumno libeat, post æquinoctium 40 diebus ad Vergiliarum occasum 14 soli dies sunt, quibus seri noceat. Sub Etesiarum flatum conserunt oleam in Laconia. Florentinus autem Græcus inquit, Seritur ab succularum occasu ad brumam, item vere, quando hæc duo tempora sese imitentur, calidam, humidamq; sortita naturam. Autumnus calorem adhuc retinet pristino solis illustratu, conceptum

ceptum humorem à caducis eo etiam tempore imbribus contrahit. Ver autem præcedentibus pluuiis humorem, ab accessu solis calorem concipit. Cassianus Theophrasti authoritate, Aprili mense oleam plantari posse scribit, sic etiam oleas in taleas sectas humidis, & riguis locis.

De olearum cultu. CAP. XXI.

IAM olearum sationum rationem descripsimus, nunc autem præcepta tra-demus, quibus iam consitum, constitutumq; oliuetum colamus, etsi Plinius dicat, cæterique, nec desiderare rastrum, aut falcem, vllámve curam. Et primò de aratione loquemur, & maximi viri Catonis inter Latinos præferendam semper sententiam audiamus Quid est agrum bene colere? Primum bene arare. Quid secundum? Arare. Quid tertium? Stercorare. Qui oliuetum sæpissimè, & altissimè miscebit, is tenuissimas radices exarabit, si male arabit, radices suctum abibunt, crassiores fient, & in radices vires oleæ abibunt. A quo eadem Plinius ꝓfert. Columella: Optimum est constitutum iam, & maturum oliuetum in duas partes diuidere, quæ alternis annis fructu induantur, neq; enim olea continuo biennio vberat. Cùm subiectus ager consitus non est, arbor coliculum agit, cùm seminibus repletur, fructum affert, ita sic diuisum oliuetum omnibus annis æqualem reditum adfert, sed id minimè bis anno arari debet, & bidentibus alte circumfodi: nam post solstitium cùm terra æstibus hiat, curandum est, ne per rimas sol ad radices arborum penetret. Palladius Gaudet hæc arbor assidue scalpi. Omnis subinde circa eas herba vellatur, & quoties imber se infuderit, breuissimis & frequentissimis fossionibus sollicitentur, & subinde ducta à trunco terra, atque permista in aliquanto altiores cumulos congeratur: idq; mense Februario.

Prodest etiam pulueratio. Cassianus iubet Augusto mense glebas dissoluere, quo puluis excitetur: hic enim vbi in fructum inciderit, citius eum maturum reddit, quapropter oleæ iuxta viam sitæ vberiorem, & pleniorem fructum ferunt, propter excitatum à prætereuntibus puluerem.

Ablaqueatio necessaria est. Theophrastus: Postquam pactæ sunt oleæ, curandum est de ablaqueatione, vt altè descendat radix, & in profundum mergatur, ob id radices luxoria, & auiditate supra excurrentes amputandæ, & præcipuè dum nouellæ sunt. Olea enim suapte natura superficiarias radices habet, & in sublimi euehuntur, vnde prohibere oportet in coactam profunditatem. Cùm adultæ fuerint, auferendas eas iubet, quæ temerè effunduntur, quo plures fiant, & firmiores, & ne matrem exhauriant, lædanturq; à quauis intemperie, quia obex terræ debilis est, nec à frigore, vel calore tueri valet. Cato: Circum oleas autumnitate ablaqueato, & stercore addito confoueto. Si locus siccus erit, per sementim oleas ablaqueato. Columella, Post æquinoctium autumnale, ita sunt arbores ablaqueandæ, vt à superiore parte, si olea in cliuo sit, incilia excitentur, quę limosam aquam ad can-

dicem deducant. Omnis deinde ſoboles, quæ ex imo ſtipite nata eſt, quotannis extirpanda eſt. Palladius: Octobri menſe ablaqueandæ ſunt arbores oleæ prouinciis ſiccioribus, ac tepidis, ita vt eis à ſuperiori parte humor poſſit induci. Omnem ſobolem conuelli Columella præcepit, mihi autem videtur paucas dimitti ſemper, ac ſolidas, ex quibus vel in vetuſtate, matris loco ſuccedat delecta, vel melius nutrita, & aggeſtæ terræ beneficio, & iam ſuas habens radices, ad oliuetum inſtituendum ſine cura ſeminarii transferatur arbuſcula. Plinius. Circumfodi autem omnibus annis à ſolſtitio duûm cubitorum ſcrobe, pedali altitudine.

Theophraſtus de ſtercoratione putat lotium, & pellium ſtrigmenta maxime oleis prodeſſe ad lætè fructificandum. Columella tertio quoq; anno fimo pabulandas eſſe oleas cenſet, atq; eadem ratione ſtercorari oliuetum, qua in ſecundo libro propoſuit, ac ſi ipſis inquit tantummodo arboribus ſatis ſeruaueris, ſingulis ſtercoris caprini ſex libræ, ſtercoris ſicci modii ſinguli, vel amurcæ in ſingulis congius. Stercus autumno debet iniici, vt permiſtum hyeme radices oleæ calefaciat, amurca valentibus infundenda eſt, nam per hyemem ſi vermes, atq; alia ſuberunt animalia, hoc medicamento necantur. Plinius: Nuper repertum oleas maxime gaudere cinere, è calcariis fornacibus. Stercorari oliueta tertio anno melius inuentum. Hedui, & Pictones calce vberrimos facere agros, quæ ſanè & oleis vtiliſſima reperitur. Palladius Octobri menſe. Intermiſſo triennio ſtercoranda ſunt oliueta, locis maxime frigidis Octobri menſe. Caprini ſtercoris ſex libræ vni arbori, vel cineris medii ſinguli ſufficient. Amat hæc arbor lætaminis vbertate pingueſcere. Poſt ablaqueationem fimi aggere lætantur, vt Sotion ſcriptum reliquit, ſed locis vliginoſis longe minus ſtercorari debent, ante tamen ſuperfluorum repurgationẽ ſtercore ſatiari conuenit, vt aduerſus noxam, quæ putatione contrahitur, fimi iuuamen opponatur. Siquidem repurgati quoq; caudices reſegminum cauſa vitio laborant, quibus celeriter ſtercoratu ſuccurritur, ſed ſtercoris aggeſtionem, & multitudinem, & altitudinem iuxta truncos, iuxta terræ, & arborum naturam facere oportet. Quæ enim germinibus luxuriant, & loci humecti, pauciore indigent ſtercore, & per ſpatium plurium annorum. Aggeſtione autem terræ vtendum eſt, ne à ſole exurantur. Didymus autem ait: omne ſtercus aptum eſſe oleæ præter humanum. Conuenire autem ad radicem non iniicere ipſum ſtercus, ſed paulo longius à trunco. Stercorationem quarto aut quinto quoq; anno fieri.

Semper poſt ſtercorationem ſequitur irrigatio, nec ſtercorare debemus, niſi irrigare valemus, tantoq; vberius irrigandum, quanto vberius ſtercus inieceris. Palladius. In ſiccis verò prouinciis, cum pluuiæ deſunt, rigare cõuenit.

At demum de putatione agendum. Theophraſtus, Androtione authore, ſcribit maxime purgatione oleas indigere: etenim quo pauciora reliqueris, lætius germinant, fructusque copioſius ferunt. Putationis modum, & tempus

breuiter

breuiter maximus Cato docet. Oliuetum diebus quindecim ante æquinoctium vernum incipito putare, ex eo die dies quadraginta quinque rectè putabis. Id hoc modo putato: qui locus ferax erit, quæ arida erunt, & si quid ventus interfregerit, ea omnia eximito, qui locus ferax non erit, eo plus concidito, aratoq; bene, enodato, stirpesque læues facito. M. Varro inter æquinoctium vernum, & vergiliarum exortum oleam interputari oportere dicit. Columella: Plerunq; etiam locis siccis, & humectis arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris, nec fructum, nec lætam frondem olea inducet. Quin etiam compluribus interpositis annis oliuetum putandum est. nam veteris prouerbii meminisse conuenit, Eum qui aret oliuetum, rogare fructum, qui stercoret, exorare, qui cædat, cogere. Quod tamen satis erit octauo anno fecisse, ne fructuarii rami subinde amputentur. Nonnunquam etiam in olea vnus ramus cæteris aliquanto lætior est, quem nisi recideris, tota arbor contristabitur. A kalendis Martiis vsq; in idus Septembris, vbi prægelidum, & pluuium cœlum est, oleæ putantur, & emuscantur. cæterum tepidis regionibus duobus temporibus anni facere istud oportebit. Primò ab idibus Octobris, vsq; in idus Decembres, iterum ab idibus Februarii, vsq; in idus Martias, si tamen arbor librum non remittit. Palladius ab eo: Octobri mense muscus eradatur, & putetur octo annorum ætate transacta. Videtur mihi vnoquoq; anno sicca, & infructuosa, cum aliqua debilitate nascentia debere recidi. Plinius eadem, quæ Cato habet, sed illud, aratoque bene, non habet, quod mihi certè superfluum videtur. Præterea vetus oliuetum ab æquinoctio verno intra vergiliarum exortum interradi alternis annis melius inuentum. Veruntamen tondentur oleæ cum & vites, atq; etiam interradi gaudent. Sotion Græcus & putare & formare eas docet. Adultarum olearum putationem moliri occasu Pleiadum, vt in reliquis arboribus oportet, quia illo tempore primùm medius humor in germina & in fructus alimoniam consumptus est. Secundo ob æstatis ardorem reliquus humor exiccatus est. Tertio hybernos imbres nō dum hauserunt: horum omnium gratia autumno temporius hanc putationem fieri volunt, quòd cum reliquæ arbores, tum oleæ maximè robustiores sint. Superuacuis arbor exonerata lætius fruticat. Resecare autem oportet & marcida, & sicca, & media, vt liberalius diffletur: itèm ramulos detrahere, qui inuicem incumbunt, itidem inflexos, & recuruos amputare, præsertim cùm in nimiam longitudinem exeūt, & alia etiam, quæ in difformem proceritatem tendunt, vtpote cùm suapte natura notentur infertiliora, quapropter inter omnes rei rusticæ prudentes conuenit, incommodam esse longitudinem olearum, quæ denos excedit cubitos, amplius etiam incrementum omnibus parere noxis addiderunt, quòd & rami ventorum impetu frangantur, & flores quoque succussi intempestiue procidant. Ideo complures ramos versus terram trahunt, vt humiliorem redditam arborem cogant in solum procumbere. Conuenit etiam stolones, & adnatos caudicibus nepotes ad-

huc molles, & teneros quotannis eximere, ne his onustus caudex fatigetur. Cassianus etiam Græcus monet oleas post decerptum fructum putare tempestiuum esse: nam copiosior fructus ex nouellis ramis prodit: Et mense Aprili oleas purgare oportere, vt purgatæ meliorem fructum producant. Neque esse cogitandum ablatis manifestis, & conspicuæ magnitudinis ramis pauciorem fieri fructum, nam multo copiosiorem fructum ex recentium ramulorum vbertate feres. Sed quod Sotion apposuit maximam afferre vtilitatem in purgatione, & si cæteris in arboribus, in oleis maxime animaduerti, si adnati caudicibus ramuli abscindantur locis incongruis: nam si circa truncum magnus, & antiquus ramus detruncetur, exarescit non solum cæsura, sed nerui, & ligna, & cortices è trunci corpore progredientes vsque ad radices, quod olea inter cæteras arbores peculiare habet: quod in veteribus oleis apparet, cùm caro exiccata est, nerui, & ossa conspiciuntur, vt in humano corpore, & apparebit experienti, quòd à cæsura per corpus vsq; ad radices, quibus pars illa incumbit, sicca erit. Debet ergo putator in oleæ efformatione à principio ramos illos decidere, qui incongruo loco nati videntur, ne cogantur, vbi adultiores fuerint, detruncare.

De oleæ insitione. CAP. XXII.

EX Theophrasti præceptis oleam in oleastrum inseri, & inoculari posse perbelle patet, nam si mite in agreste inseratur, valido surculus proficiet incremento, robustiores sunt arbores ferè domesticis, atq; ab subministrante solo plus rapiens alimenti radix, sic vt probè fœcundet arborem. Sed in olea serius proficiet insitio, quia serior est oculorum prouentus. Hoc vltimum collegit Plinius, verno tempore esse inserendum, cum tempus viget, incitantibus se gemmis, præterquam in olea, cuius diutissime oculi parturiunt, minimumq; succi sub cortice habent, qui nimius insitis nocet. Africæ peculiare est inserere oleastro, inseriturq; calamo, & insitione. Cato noster oleam per ver inseri iubet, luna sitiente, post meridiem, sine vento austro. Inoculatur, inseriturq; inter lignum, & corticem. Plinius eius verba recitat, declaratq; luna sitiente, id est, sicca. Miraturque Catonem inoculationem docuisse mensura præfinita secundum reliquam diligentiam suam. Virgilius oleam in oleastrum inseri vetat, non quòd mire non coalescat, & fructificet, sed ne casu aliquo incendatur oliuetum, quod facile contingere potest, & ambustis igne stipitibus, radices imæ oleastrum repullulent. Georgicorum secundo:

—— Neve oleæ sylvestres insere ramos;
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus, &c.
Hoc vbi: non a stirpe valent, cæsæq; reuerti
Possunt, atq; ima similes reuirescere terra,
Infelix superat foliis oleaster amaris.

Sed

Sed Palladius, ne oleæ in oleastrum inserendi vtilitas, & commoditas deperdatur, remedium affert. Aprili mense inseratur olea inter corticem. Sed vt oleastro inseras, contra illud, quod ex oliueto insito, & casu incenso renascatur oleaster infelix, sic prouidendum erit. Positis prius oleastri brachiis in scrobe, in qua disponemus inserere, scrobes ita replebimus, vt mediæ vacuæ sint. Cùm comprehenderit oleaster, inseremus in infimo, vel insitum ponemus, & insitionem propè infra terram nutriemus. Deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus. Ita commissura in profundo latente, quisquis vrit, aut cædit, oliuæ locum non aufert pullulandi, quæ & apertam redeundi felicitatem de olea, & occultam valendi feracitatem de oleastri connexione retinebit. Aliqui oleas in radicibus inserunt, & vbi comprehenderint, cum aliqua parte radicis auellunt, & transferunt more plantarum. Græci oleas ab octauo calendarum aprilium die, vsque in tertium nonarum Iulii inseri debere præcipiunt, ita vt locis frigidis serius, calidis maturius inserantur. Et in suis versibus,

Robora Palladii decorat syluestria rami,
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingues oleaster oliuas,
Et quæ non nouit munera ferre, docet.

Sed Hispanus oleam in ilicem inseri posse iudicat, Palladii authoritate, quia per syluestria robora ilices interpretatur, sed hæc admodum difficilis, dissimilisq; esset insitio, cùm in suis mensibus nil habeat Palladius de huiusmodi insitione, cùm in versibus ea canat, quæ prosa oratione dixerat prius, & potius per syluestria robora syluestres oleastri truncos intelligendum, quàm ilices. Crescentius oleas vindemiæ tẽpore inserendas dicit, suæq; insaniæ Catonem authorem facit, qui nil tale vsquam habet. Columella inseri debere monet circa æquinoctium vernum vsq; ad idus Aprilis, atq; luna crescente, & calidis regionibus Maio mense inseri, & emplastrari, si iam librum remittunt. Florentinus Græcus hæc addit, Ex oleis, quæ crassum librum habent, vdumque, iuxta corticem inseruntur: quæ tenuem & aridum, in ipsum lignum. Tempus à decimo calendarum Iunii vsque ad Iunias calendas. Sed insitæ oleæ multoties, quippe aridæ existentes, rigandæ sunt. Plutarchus Chæroneus oleas tradit ex lentisco pullulasse in hortis Soclari, quos Cephitus amnis ambiebat.

Sed oleosæ arbores, vt diximus, insitiones difficillimè, vel nullo modo admittunt, cui rei argumento est, si plantam quamlibet oleo inunxeris, demoritur protinus: proinde aliis permisceri nequeunt, sicut nec oleum ipsum. Sunt qui aliam causam refundant, scilicet corporis tenuitatem, cuius imbecillitas cum ariditate sedem insitis præbere nesciat. Nos hic Martii calce oleam inserimus inter lignum, & corticem, & optimè apprehendit. Inoculamus verò aliter, quàm in cæteris. Truncum serra præcidimus, inde à summo corticem scindimus, deglubimusque trium digitorum latitudine, longitudinę duorum,

& eiusdem magnitudinis scutulum, cum sua gemmæ pupilla, ex qua fructum speramus, imponimus, labra luto munimus, & vinculis alligamus. Quo etiam modo vtitur Apulia. Saltem si oleastros inserere nolumus, oleas ipsas inseramus, quas masculas vulgus vocat, quæ ramos viridiores, frondes arctiores, carnosioresq; habent, habitiorem truncum, minusq; fructificant, & fructum paruum afferunt, cuius os magnum, caro minima est: hæ enim optimè apprehendunt, concipiuntq; feliciter.

Quid arte, paratúve in olea fieri possit. Cap. XXIII.

NON est silentio prætereundum, quod de vitis, & oleæ naturalis concordia Florentinus memoriæ mandauit. Oleam, si viti inseratur, non vuas modo, sed oleas quoque parere. Addit visam arborem à Mario Maximo, qui quum fructum eius degustasset, negauit vnquam se quidpiam comesse, quod magis oleum, vuamque resiperet, tam exactè simul vtriusq; sapor linguæ repræsentabatur. Nascuntur huiusmodi arbores in Libya, gentilique ac vernacula regionis voce vbolima vocant. Perticæ subiiciendæ, quæ possint brachiorum onus fulcire: si verò alio modo quouis inserantur, longuriis non erit opus. Ergo prope terram vitem terebramus, & oleæ ramulum imponimus, simul vt à vite dulcedinem, simul vt ab humo vernaculum alliciat nutrimentum, vt tandem eius iucundiore cibo fruamur. Postremo si nondum ferentis viticulæ sarmenta fructuaria transferantur, misturam progenitorum seruabunt. Porrò fructus à promiscua parentum conditione, insitoris vtriusque nomen adoptauit, elæostaphylos Græcis, quasi dicatur vuolea, nominatus. Columella præterea docet, quomodo omnis arbor, omni arbori inseratur, exemplumque apponit, in ramum fici oleam inseri posse, quod nos iam libro de insitione recitauimus. Audiui ab amico se vidisse in iuglandem insitam oleam, & fructum insignis magnitudinis, & ferè sui fructus protulisse & egregii saporis.

Olearum fertilitatis, & caritatis prognostica. Cap. XXIIII.

SVNT & prognostica, ex quibus olearum fertilitatem, & caritatem præscire poterimus, nec nobis parum erit emolumenti, si rem optime cognouerimus, vt olim insignes philosophos fecisse legimus. Ferunt Democritum, (inquit Plinius) qui primus intellexit, ostenditque cum terris cœli societatem, spernentibus hanc curam eius opulentissimis ciuium, præuisa olei caritate ex futuro Vergiliarum exortu, magna tum vilitate propter spem oliuæ, coemisse in toto tractu omne oleum, mirantibus, qui paupertatem, & quietem doctrinarum ei sciebant in primis cordi esse. Atq; vt apparuit causa, & ingens diuitiarum cursus, restituisse mercedem anxiæ, & auidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cũ vellet, fore. Hoc postea Sextius è Romanis sapiẽtiæ adsectatoribus Athenis fecit ea-

dem ratione. Futuram olearum penuriam Thales Milesius philosophus per astrologiam præsciuit. Hic enim vnus è septem Græciæ sapientibus, cui quum obiiceretur paupertas propter studium philosophiæ, tanquam inutile, parum pecuniæ simul coegit, vrgenteq; adhuc hyeme, in Mileto, & Chio insulis paruo pretio olearia cōduxit, arrasq; dedit, nemine plus offerente, secutaq; olearum caritate, innumeras pecunias sibi comparauit, ostenditq; facile esse, philosophum contemnentem diuitias ditari, si velit. Sed iam ad prognostica veniamus. Scribit Diophanes, Luna existente in Leone, si canicula exorietur, magna erit olei abundantia: si verò in libra, raritas: si in Capricorno, vel Ariete, fertilitas olearum. Zoroaster verò Iouis stellam existentem in Cancro & Leone olearum fertilitatem causare dixit, sic etiam in Scorpione. Si recte floruerit olea optimum erit præsagium. Ouidius fastorum libro,

Si benè floruerint oleæ, nitidissimus annus,
Poma quoq; , euentum temporis huius age.

Sed oportet flores, quos fructus sequuntur, bene cecidisse. Theophrastus, Intempestiui imbres pessimi sunt, atque ex toto inopportuni, qui circa floris exortum accesserint, omnia nanq; imbecillia redduntur, & omnia ferme, aut certe plurima pereunt, deciduntque partim rubigine, partim nimio humore, oliuæ autem germinibus omnino intereunt, cùm alimentum deducatur ad germen. Olea florem circa fructum ipsum producit, cuius prostrati flosculi perforati spectantur, idque argumento capitur probe arborem de floruisse, nam si exaruerint, aut madefacti fuerint, vnà cum fructibus defluent, atque ita nullatenus perforabuntur. Plinius de prognosticis hæc. Pessimum inter omnia, cùm deflorescentem oleam percussit imber, quoniam simul defluit fructus. Circa Vergilias quidem pluere inimicissimum est oleæ: quoniam tunc coitus earum est. Hoc est illud quatriduum oleis decretorium. Hic articulus austrinus nubili sputci, quod diximus. Serotinæ aquæ oleis vtiles sunt, quoniam fructus suos diutius contineant, longioresq; desiderant cibos. Olearum conceptus exortu Vergiliarum incipit ad 6. Idus Maii. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sydus Arcturi postridie occidens: & multo minus plenilunium incidere. 4 nonas Iunii iterum aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis, si plenilunium in eum incidat. Nos autem optimam abundantiæ spem concipimus, cum oleam optimè concepisse videmus, id est primos florum conceptus profert vberrimos, quibus mox se aperientibus oleam florere dicimus: spem nostram confirmamus, si deinde optime florebit, & deflorebit, vt diximus. Certius erit signum si non solùm ex summitate surculorum, sed etiam ex lateribus flores, & fructus proferant.

De morbis oleæ, & remediis, & primo de nimia fertilitate, & vermiculatione. CAP. XXV.

MORBI sunt (vt superius diximus libro de insitione) vel intrinseci, vel extrinseci, & intrinseci vel copia, vel inopia alimẽti eueniũt, vt est corruptio plantarũ ex nimia fertilitate. Oleę, authore Theophr. nouellæ ob nimiam fertilitatem intereunt. Causaq; est, quod succus, qui trunco debetur, in nimiã fœturã absumitur. Ob id Plinius ab eo: Nocet oleis nimia fertilitas. Extrinseci morbi vel secundum naturam, vel præter naturã sunt: qui pręter naturam, aut maximè violenti sunt, vt vulnera: aut minus, aut minimè, vt corruptiones. Sed hi morbi, vel corruptiones, vel sunt omnibus cõmunes, vel plurib. vel particulares. Dicamus de cõmunibus, vt de vermiculatione. Sed vermiculatio si est in ipso fructu, Theophrastus ait, Vermis oleæ natus sub cute fructũ adimit, sed in ipso nucleo erodens prodest: ꝓhibetur pluuiis, quę post arcturũ sequantur. Et in drupis quoq; oleis vermes nascuntur, qui ad lacturã peiores certe deprehẽduntur, vt marcidi, putresq; omnino videantur, hinc & austrinis nascuntur, & riguis magis. In caulis verò. Oliuæ, si sub cute vermiculi nascũtur, pereũt: quoniã penitus adimũtur, sed si ipso nucleo, augentur. Caro enim non tangitur: ꝓhibet illos flatus, & pluuiæ quę fiunt sub arcturũ, facit enim refrigeratio, vt fugiant omnes Sed vermiculorum species multæ, discrimen ꝑcipuum in his, ꝙ in alia arbore, fructúve alio nati, trãslati in aliud gen⁹ seruari nequeunt, sed peculiare notatur de eo, quẽ cerastem appellãt, in olea creari, & in fico parere asseuerant. Plinius quæ ex Theophr. excepit, habet: Vermiculationẽ & poma ipsa ꝑ se quibusdã annis sentiũt, sed in oliua anticipiti euẽtu, quãdo subeunt nati, fructũ adimunt, augẽt, si in ipso nucleo fuere erodentes eũ. Gigni illos prohibent pluuiæ, q̃ fiunt post arcturũ. Eędem si austrinę fuére generãt, in drupis quoq;, quę maturescentes tunc sunt pręcipue caducę. In riguis magis euenit, & si non ceciderint fastidiẽdis. Aiunt Quintilii. Si radices siccas, & velut morbo languẽtes offendas, huic acceptũ causæ feres, vermiũ progeniẽ interno sinu delitescere, quos cũ pluribus; vt dictum est, modis, tum circumsita scilla demolieris.

De particularibus oleæ morbis. CAP. XXVI.

NVNC de morbis particularib. Olea lichenes paritur, Chelidemo authore, fructus enim prætenuis fluxusq; creatur. remediũ erit, vt ei alimenti vbertas detrahatur, vt amygdalas & punica castigare solemus, & arbor firmior robustiorq; reddetur. Oritur & oleis peculiaris morbus, arachniũ dictus, nascitur enim hoc, & fructum absumit, proficiscitur q; ex humiditate, generatur anniculis ramis, cùm imbres secuti sunt, qua germinatione fructus absumitur, cũ eò pabulũ trahatur, quandoquidẽ & fructus nondum vires conceperint, & aggregato humore ꝓsilit germen. Plinius ad id, Est etiamnũ peculiare oliuis, araneũ vocant, cum veluti telæ inuoluunt fructũ & absumunt. Columella: Solent quãuis lætæ arbores fructũ non afferre, eas terebrari terebra gallica conuenit, atq; ita in foramẽ viridem taleã oleastri dimitti. Sic veluti inita arbor fœcundo semine fertilior extat. Quintilii: Si sterilitate laborãt oleę, ad fertilitatẽ adduci poterũt hac ratione. Ab radice cubitali spatio caudicẽ terebra gallica ꝑforabis, parte qua spectat in Austrũ, impresso foramine digiti maioris amplitudinem

dinem capiête. Hinc duos frugiferę arboris ab australi parte ramos tolles, crassitie, quæ hiatū foraminis explere possint, & strictè in ipsum cōiicies, detractis vehemēter palorū cacuminib. abscissoq; eo, quod superabit: aceroso vel paleato luto curabis occulere. Hoc veluti coitu steriles arbores vberātur, & quales volueris oleas adipisci, tales fructuarios indes surculos. Ita melius oleum dabit, impressis foramini ramulis eius à cœli parte lectis, quæ ad austrū dirigitur. Eadem Africanus promittit, & restibilem oleis adferre fœcunditatē, si semel in excauatū terebro foramē, duos feracioris oliuę ramulos in cacumina vtrinq; adegeris, sic vt traiectu penetrent, manibusq; vehementer transactas partes traxeris: dūq; veluti impacti cuneoli strictim adhæserint, exertū vtriusq; taleę verticē, hoc est extātes foramini stylos resecueris, lutoq; cū aceribus, aut paleis oras foraminis, & hiātem sinū illeueris, hoc veluti initu, grauida arbor, vberiorem partū enitetur. Palladius, In Octobri mense, si fructus arbor lætos nō affert, terebra gallica terebretur vsq; ad medullā foramine impresso, cui oleastri informis talea vehementer arctetur, & ablaqueatæ arbori amurca insulsa, vel vetus vrina fūdatur, hoc enim velut coitu steriles arbores vberātur, quas tamē durāte malitia oportebit inserere, sed si sine fruge luxuriāt, oleastri palū radicibus eius infige. Si verò oleæ fructificant, sed non maturant, quod ex soli vitio euenire solet, Columella huic vitio medetur. Altis gyris ablaqueat eas, deinde calcis ℘ magnitudine arboris plus minus circūdat, sed minimæ arbori modicū donat. Hoc remedio si nil fuerit effectū, ad remediū consitionis confugiat. Ad hęc Quintilii: Solent enim, quāuis lætę arbores fructū copiosum adferētes, ad maturitatē non producere, aut largū florē induentes, perperam exuere, quod vitiū abigetur, si ablaqueata arbore, maiusculo caudici fuci corbes duos cōduxeris, minori singulos, dein amurcā aquę mistā infuderis. ꝙ si fuci non erit occasio, solius amurcæ vsu eris cōtentus. Vel si parū fructuosæ, vel cacuminib. retorridæ frondis, magnis arborib⁹ quaternos modios stercoris caprini circumspargere oportet. Democritus autē docet: ne baccas abiiciat olea, fabā peduncolū intus continentē, obstruso cera foramine, in gleba radicib⁹ hærēti cōdes, sic labās fructus firmabitur. Ad luxuriantes verò sine fruge oleas, scilicet, quæ nimia ramorū petulantia syluescūt, earum multiplex lapsus, erratiusq; furor sic cohibetur. In foramē, quod gallica terebra excauauerit, viridem taleā oleastri, vel pini, vel quercus palos, vel lapidē immittis, sic velut inita arbor fœcūdo semine fertilior extabit. Quod etiā ab eo Palladius recēset Martio mense. Plinius. Oleę si parum fructus promisere, nudatas radices hyberno frigori opponito. Olea si fructū non ferat ex Catone: Ablaqueato eam, postea stramen circūponito, postea amurcam cū aqua cōmisceto æquas partes, deinde ad oleam circumfodito, ad arborē maximam amphoram vnā cōmisti satis erit, ad minores arbores pro ratione indito, & idē hoc facies ad arbores feraces, hę quoq; meliores fient, ad eas stramēta ne addideris. Columella, Sed & sine ablaqueatione inuādata est amurca insulsa cū fuilla, vel nostra vrina vetere, cuius vtriusq; modus seruatur. Nā maximę arbori, ni tantundē aquę misceatur, vrna abundē

erit. Palladius ab eo: Martio menſe oleis laborantibus circum radices inſulſa amurca fundetur. Maximis arboribus ſex congii, mediocribus quatuor, cæteris pro æſtimatione ſufficiunt. Alii paleas fabæ binos per maiorem arborem qualos. Alii veteris vrinæ humanæ trunco, quantum ſatis videtur, affundunt, & arbori mortarium ſtatim faciunt, maxime locis ſiccis, trunco ante cooperto. Quintiliorum agricultura docet: Lætiores, & virentiores plurimũ fructum afferent, ſi circum radices ablaqueatas inſulſa amurca aquæ mixta fundatur, vtriuſque ſextarius ſufficit. Acus quoque fabaginum, vel fraces ſatis eſt indidiſſe, vel etiam humanæ vrinæ, quantum ſatis viſum fuerit, affunditur, aut argilla bubulo ſtercori permixta imponitur, aut marini fuci tantundem: ſed poſt hæc confeſtim adaggeretur terra circa radices dodrantali altitudine, ſinu in orbem fornicato, vt imbres pluuii retineantur, & cùm ſe infuderint, breuiſſimis, ac frequentiſſimis foſſionibus ſollicitentur. Id genus etiam auxilii adhibere licet, cùm caniculæ incendiis arbores deflagrant, quo tempore, & etiam quum ſiccitates inceſſerunt, rigationem deſiderant. Patitur etiam clauum, quidam fungum appellant, olea, inquit Theophraſtus, alii ollam, hæc eſt veluti ſolis exuſtio: quæ verba etiam recitat Plinius. Et nocere ait Cato eis muſcum rubrum. Columella: Plerumque locis ſiccis & humidis arbores muſco infeſtantur, quem niſi ferramento reſecueris, nec fructum, nec lætam frondem olea inducet.

De morbis, qui ex aeris exceſſu veniunt locorum proprietate, & ab animalibus. CAP. XXVII.

MORBI verò extrinſecus venientes, qui ſunt minus violenti, ſunt aeris exceſſus. Olea gelu facile aduritur, quod eius radices per ſumma ceſpitum natent, vt frigus deſuper inuadere poſſit, & oleaſtrum ea magis laborat, quod robuſtius eſt, ob id frigus denſis magis inſidet, atque immanet, quàm raris. Et olea tum fronde, tũ toto corpore arefacta apparẽs regerminauit. Haud equidem arefactio fuit, ſed eſſe quidem apparuit ex ſiccitate, atq. colore, quæ vim genitalem frondis non attigit. Adurunt & æſtus quidem oliuas, adurit & flatus, vt in Chalcide Eubœæ Olympias cum flauerit frigidus ante ſolſtitia, aut poſt ſolſtitia hyberna, arbores enim exurit, quocirca vredinem vocant. Id Archippo Athenis magiſtratu anno quadrageſimo facta vehementiſſima proditur. Laborãt maxime loca concaua vicina fluminibus, & loca, quæ ab omni flatu ſilent. Et oleaſter magis infeſtatur, quàm olea. Deprehenduntur quædam ſtatim in germinatione: olea, quòd ſemper vireat, tardius. Affert etiam Theophraſtus propria locorum vitia, vt quod apud Miletum, atque Tarentum oleis euenit, quippe apud Miletum cum florent, ſi aer auſtrinus, ſerenuſque ſit, erucæ varium genus creatur, quarum aliæ frondes erodunt, aliæ florem. Iuuat contra hoc ſi æſtus ſit conſecutus, omnes etenim diſrumpuntur, atque intereunt. Apud Tarentum cum florent, aliàs de ſiderio flatus ærugine

infestantur, aliàs habitu quodam ex mari caliginoso, crassóve floribus residente odorem florum amittunt, & ob id etsi arbores pulcherrimæ fructu carent. Plinius ex eo: Sunt & ex eadem causa nascentes erucæ, dirum animal, erodunt que frondem, aliæ florem, oliuarum quoque, vt in Mileto, ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc malum tempore humido, & lento. Fit aliud ex eodem, si sol acrius insecutus inussit ipsum vitium, ideoque mutauit. Quædam temporum causæ, aut locorum, non propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necant, vt flatus alicuius regionis proprius; vt est in Apulia atabolus, in Eubœa olympias. Hic enim si flauerit circa brumam, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus recreari possint. Hoc genere conualles, & apposita fluminibus laborant, & præcipue olea. Quod cùm euenerit, detegitur statim in germinatione, in oliua tardius. De noxa ex ventis Ouidius,

Florebant oleæ: venti nocuere proterui.

De ea, quæ ex æstu, Horatius,

——— haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus.

Sunt autem & ex animalibus noxæ. M. Varro: Quædam enim pecudes culturæ sunt inimicæ, ac veneno, vt capra; hęc enim omnia nouella sata carpendo corrumpit, & non minimum oleas, quòd eas, quas læserit, fieri dicunt steriles, eius enim saliuam esse fructui venenum. Plinius: Quin & oleam si lambendo capra lingua contigerit, depaueritque primo germinatu, sterilescere author est Varro. Hinc & nomen sortitæ: quippe F. Pompeio dictæ, quòd virgultum carpant, & M. Varroni, carpa, & omnicarpæ capræ, non solum vulnere, sed & dentium veneno plantis pestiferæ. Rustica iuuentus capram excoriabat, & in vtrem eius per vicos exiliebat. pereuntem verò videre gestiebat Liber pater. At contra Minerua videre præ odio nolebat. Quare antiquitus prohibitum ne illi quid ex caprino genere sacrificaretur, propter oleam, quam reperit. Quare Athenis in arcem non ducebatur, præterquàm semel ad necessarium sacrificium, ne olea ibi primum nata ab hoc animali tangi possit. Plinius huic deæ capram immolari dixit. Sed vbi animalia huiusmodi plantulas depasta fuerint, his nos hoc remedio succurrimus, vt cultro sub morsu, vbi modus erit, detruncetur abrosa pars, nam ex nodis noua germina pullulabunt, & lætius crescent, quòd si depastas ita relinques, ex morsus veneno diutius ægrotabunt.

De præparandis ad oliuitatem necessariis vasis, & instrumentis.

CAP. XXVIII.

NVNC de cõficiendo oleo verba faciemus. Sed multa sunt, inquit doctissimus Columella, quæ ante oliuitatem, sicut ante vindemiam, præparanda sunt, ne cùm res desideratur, operæ auertantur: velut copia lignorum,

quæ multo ante apportanda est, scalæ, corbulæ, decemmodiæ, trimodiæ satoriæ, quibus districta bacca suscipiatur, fisci, funes cannabini, & spartei, conchæ ferreæ, quibus depletur oleum, opercula quibus vasa olearia cõtegantur, spongiæ maiores & minores, vrcei, quibus oleum progeritur, canneæ tegetes, quibus oliua excipitur, & si qua sunt alia. Cato ad cogendam oleam multa paranda esse inquit, vt vimina matura, & salices per tempus legãtur, vt siet vnde corbulæ fiant, & veteres sarciantur. Salix enim, vt Tarẽtinus Græcus habet, ad olei pulchritudinem multum facit. Docet etiam Cato quomodo olearia dolia imbui debeant. Amurca impleto dies septem, & quotidie suppleas, inde eximito, & arefacito, vbi arebit, cuminum pridie in aquam infundito. Ea postridie diluito. Postea dolium calefacito. Minus, quàm si picare velis, tepeat, satis est. Leuibus lignis facito calescat. Vbi temperate tepebit, tum cuminum indito, postea linito. Si recte liueris, in dolium quinquagenarium cumini pedum quatuor satis erit. Columella, dolia, & seriæ, vbi oleum reponitur, quomodo curanda sint, monet, idque non solum cùm necessitas cogit, sed vbi euacuata fuerint. Si fæces, vel amurcæ in vasorum fundis subsederint, emundẽtur, non calida lixiuia, ne vasa ceram remittant, sed semel atque iterum eluantur, & tepida aqua manibus defricentur, & spongia humor assiccetur. Alii vbi lauerint, figularem cretam aqua resoluunt, & intus oblinunt, & arescere patiuntur, & cum res exigit, aqua eluunt. Alii amurca, deinde aqua perluunt, & assiccant, ceraq; perlinunt. Nam sexta quaque oliuitate cerari debere antiqui dixerũt, quod fieri haud leuiter potest, nam noua quidem vasa calefacta ceram recipiunt, sed vetera ob olei succum ceraturam non patiuntur. Sed melius alii liquida gummi perlinunt, siccataque alba cera suffumigant, eamque suffitionem faciunt, cùm noua, vel vetera vasa curantur. Alii cùm crasso gummi liuerunt, vna illa gummitione in perpetuum contenti sunt, nam testa olea perlita gummitionem non recipit.

In oleo eliciendo quinque instrumentis maiores nostros vsos scribit Columel. scilicet mola, trapeto, canali, solea, & tudicula. Sed molæ meliores sunt, quàm trapetum: trapetum, quàm canalis, & solea. Molæ quàm facillimam patiuntur administrationem, quoniam pro magnitudine baccarum submitti, & eleuari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur. Rursus trapetum facilius, & plus operis, quàm solea, & canalis efficit. Est & organum erectæ tribulæ simile, quod tudicula vocatur, idque non incommode opus efficit, nisi quod frequenter vitiatur, & si baccæ plusculum ingesseris, impeditur. Pro regionum consuetudine prædictæ machinæ exercentur, sed est optima molarum, tum etiam trapeti. Torcular, & trapetum quomodo conficiantur, docet Cato. Sed quia alias & optimas nostra ætas adinuenit machinas, consulto omisimus. Hæc omnia, & multo plura prius præparari debent, quoniam in vsu depereunt, & pauciora fiunt, quorum siquid suo tempore defuerit, opus intermittitur.

De oliuitatis tempore. CAP. XXIX.

IN Libro de causis Theophrastus scrutatur causam, cur in æstate oleũ comparetur, quoad arcturus oriatur, tunc enim ossis duritia superuenit, & in os abit succus, non in oleum, abiit enim æstiuus calor cum æstate, & superueniente frigore, nequit fructus elaborari, ob id introrsum ad os adigitur, nam et si accedant imbres, repleanturque fructus succo, adueniente hyeme, non concoquitur in oleum, quia deest calor: olea enim prius quàm nigrescat, oleũ purius habet. argumento est illud, quod ex phaulius exprimitur; illud autẽ, quod fit post imbrium accessionem, impurius est, multam enim trahit amurcam secum. Statuit igitur ipse, quod ante arcturum excoquatur humor à multo calore, & fit oleum, & minuitur pulpa, post verò ęstatem crescit pulpa: olei enim copia non ex imbribus accidit, argumentum, quod pluuio anno, vel si rigetur oliuetum, minuitur oleum. Et alibi. Calori datum est, vt oleũ, & succi pinguedinem præstare possit, sed si vehementior sit, vim succi impellens ad carnem, corpus increscere cogit, quod etiam imbrium accessu accidit: nam caro excrescit, & oleum alimenti nimietate absumitur, nisi secuta serenitas corpus exiccet, sic amplius exuberare potest, quod magistratu Nicodori obtigisse memoriæ proditum est. A quo Plinius: Augetur oleum ab arcturi exortu, 16. Calendas Octobris, postea nuclei increscunt, & caro. Cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. Huius color oliuam cogit nigrescere, ideoq; incipiente nigritie minimum amurcæ, ante eam nihil. Et error hominum fallus, existimantium maturitatis initium, quod est vitii proximum. Deinde quòd oleum crescere oliuæ carne arbitrantur, cùm succus omnis in corpus abeat, lignumq; intus grandescat. Ergo cùm maxime rigantur (quod vbi cura multa, siue imbribus accidit) oleum absumitur, nisi consecuta serenitate, quæ corpus extenuet. Omnino vti Theophrasto placet, est olei causa calor, quare & in torcularibus, & iam in cellis multo igne quæritur. Virgilio hyeme stringendas esse oleas videtur his versibus,

Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamq; cruentaq; myrta.

Columella, Media oliuitas est plerunq; initium mensis Decembris. Nam & ante hoc tempus acerbum oleum conficitur, quod vocatur æstiuum, & circa hunc mensem viride premitur, deinde postea maturum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne à domesticis pecudibus, ferisve consumatur. Viridis autem notæ conficere vel maxime expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditũ. Ab eo Plinius: Olea prima omnium cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis, hæc sapore præstantissimo. Quin & ex ea prima vnda præli laudatissima. Quanto maturior bacca, tanto pinguior succus, minusq; gratus. Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam, bonitatemque, incipiente bacca

nigrescere. Cætero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis; rigua fuerit arbor, an suo tantum baccæ succo, nihilque aliud, quàm rores cœli biberit. Tempus oliuitati statuit idoneum Paxamus, quando parte plus dimidia bacca nigricat: accelerare autem olearum collectionem decet, antequam gelent frigora, sic largiores partus matres ministrabunt, & baccæ copiosius fundent oleum. Crescentius dicit, quod quantò diutius in arbore immorauerint baccæ, eò perfectiorem maturitatem consequentur, & quò nigriores, eò perfectius, & copiosius oleum profundent, suæque ineptiæ Aristotelem, & Plinium authores facit, quod nusquam in eis reperitur, ex quo reor Latinam linguam ignorasse. Sed quia ob variam locorum naturam, anni & syderum variationes, certa oleitas præscribi non valet, vno omnium consensu euenit optimum esse ad decerpendum baccam, quum variare cœperit, & quædam nigræ, plures tamen albæ, quas Græci drypetas vocant, nostri drupas.

De leguli, custodis, capulatoris, & factoris officio. Cap. XXX.

POSTQVAM maturitatis tempus designauimus, qualis collectio esse debeat manifestemus, in qua præcipua versatur vtilitas, maiorque, quàm in reliquorum fructuum collectione, propter olei accessionem, & decessionem, quæ ex tempestiua, & intempestiua strictione fit, vt oleæ strictio longe difficilior, quàm olei confectio fuerit. ob id legulos in hac re prudentiores esse oportet, quàm aliis in rebus, vt hanc rem diligentissime tractent. M. Varro optimè de olea legenda sentit, quem omnes sequuti sunt. Inquit enim: Oleam, quam manu possis è terra tangere, aut scalis, legere oportet, potius, quàm quatere, quòd ea, quæ vapulauit, inarescit, nec dat tantum olei, quæ manu stricta, melior ea, quæ digitis nudis legitur, quàm illa, quæ cum digitalibus. Duricies enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos: quæ manu tangi non poterunt, ita quati debent, vt arundine potius, quam pertica feriantur. Grauior enim plaga, medicum quærit. Qui quatiet, ne aduersam cædat: sæpe enim ita percussa olea secum defert de ramulo partem, quo facto, fructũ amittunt posteri anni, vt hęc nõ minima causa, quòd oliueta dicantur alternis annis nõ ferre fructus, aut nõ ęque magnos. Cato inter Agriculturę iura, hęc habet: Oleá ne stringito, néve verberato iniussu domini, aut custodis. Oleã qui legerint, omnes iuranto ad dominũ, aut ad custodem sese oleam non surripuisse. Leguli volunt, vti olea caduca quamplurima sit, quo plus legatur, sed olea, quę diu fuerit in terra, inde minus fit olei, & deterius. Legulos, & factores, quot opus erunt, præbeto. Factores volunt, vt in sabulato diu sit, vt fracida sit, quo facilius oleum efficiant. Columella sereno cœlo baccas distringi manibus præcipit, & substratis tegetibus cribrari, & purgari debere. Plinius à Varrone hæc habet: Tertia culpa est in parsimonia, quoniam propter impendium decerpendi expectatur, vt decidat oliua. Qui medium temperamentum in hoc seruant, perticis decu-

decutiunt, cum iniuria arborum, ſequentiq́; anni damno. Quippe oliuantibus lex antiquiſſima fuit: Oleam ne ſtringito, néve verberato. Qui cautiſſime agunt, harũdine leui ictu, nec aduerſos percutiunt ramos. Sic quoq; alternare fructus cogitur, decuſſis germinibus. Nec minus ſi expectetur vt cadat. Hærendo enim vltra ſuum tempus abſumunt venientibus alimentum, & detinent locum. Argumentum eſt, quòd niſi ante fauonium collectæ, nouas vires reſumunt, & difficilius cadunt. Paxamus non inutilia his addit: Collectio ipſa ſereno cœlo fiat, minime cùm pluuius imber inceſſit, quia profuſus ramulus imbecillitate languens, facile diſrumpitur, qua de cauſa neq; rorulenta die ramuli concuti manibus, neq; baccæ decerpi debent, prius quàm omnis arborum humor ſole diſcutiatur. Si lutum ſubeſt, caniſtri & tegetes ſubſternendę, quæ ſi defuerint, immundæ baccæ, & inquinatæ, & obſitæ luto, & quæ tempeſtatibus deciduæ ſublegantur, calida perluantur aqua. Caduca, quæ puluere ſit obſita, terreſtrius dabit oleum. Longè ergo ſatius fuerit ſcalas in triangulum actas ſubiicere, & latos aſſeres ſuperimponere, quibus inſidentes leguli, manibus baccas diſtringant. Nunc de capulatoris, & cuſtodis officio dicendum, quod ex Catone mutuabimus. capulator eſt, qui capulis oleum deplet. capulæ Varroni vaſa ſunt, à capiendo dicta, quod capi facile poſſint, quod anſata ſint. Quam mundiſſimo, puriſſimoq; fiat vaſe aheneo, neq; nucleis ad oleum vtatur: nam ſi vtetur, oleum male ſapiet. Cortinam plumbeam in lacũ ponito, quò oleum fluat. Vbi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum quàm diligentiſſimè poterit, tollat, nec ceſſet. Amurcam caueat ne tollat. Oleum in labrum primum indito. Inde in alterum dolium indito. De iis labris fraces amurcamque ſemper ſubtrahito. Cum oleum ſuſtuleris de cortina amurcam dehorito. Oleum frequenter capulet. Factoribus det in ſingulos factus, olei ſextarios, & in lucernam, quod opus ſiet. Fraces quotidie eiiciat, amurcam commutet vſq; adeo, donec in lacum, qui in cella eſt, poſtremum peruenerit. Cuſtos ſeruet diligenter cellam, & torcularium. Caueat quamminimum in torcularium, & in cellam introeatur. Quæ in torculario vaſa erunt, pura habeat, curetque vti olea bene perficiatur, beneq́; ſiccetur. Ligna in torculario ne cædat. In torculario, & in cella caueat diligenter, nequid olei ſurripiatur.

Acerbi, vel viridis olei faciundi ratio. CAP. XXXI.

TRIA olei genera apud authores traduntur, acerbum, viride, & maturum. De acerbo oleo Cato hæc habet. Quàm acerbiſſima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Columella: Ante Decembris menſem acerbum oleum fieri debet, quod vocatur ęſtiuum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, niſi bacca tempeſtatibus in terram decidit, & neceſſe eſt eam ſublegere, ne à domeſticis pecudibus, feris ve conſumatur. Et alibi: Nouembri olea diſtringenda eſt, ex

qua velis viride oleum efficere, quod sit optimum, ex varia oliua, cùm incipit nigrescere: nam acerbum nisi ex alba olea fieri non debet. Plinius ab his Oleum quàm acerbissima oliua optimum fieri. Sed media oliuitas plerunque authore Columella, initiũ mensis Decembris, & circa hunc mensem viride premitur. Viridis autem notæ conficere, vel maximè expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditum. Cato ita facere docet. Oleum viride sic facito: Oleam quamprimum ex terra tollito. Si inquinata erit, lauito, à folijs & stercore purgato. Postridie, aut post diem tertium, quàm lecta erit, facito. Domino de matura olea oleum fieri maximè expediet. Si gelicidia erunt, cum oleam coges, triduum, aut quatriduum pòst oleum facito. Eam oleam, si voles, sale inspergito. Quàm calidissimum torcularium, & cellam habeto. Olea vbi lecta fiet, oleum fiat continuo, ne corrumpatur. Cogitato quotannis tempestates magnas venire, & oleam deijcere solere. Si cito sustuleris, & vasa parata erunt, damnum nihil erit ex tempestate, & oleum viridius, & melius fiet. Ex quauis olea oleum viridius, vel bonum fieri potest, si tempori facies. Sed Columella exactius docet. Necesse est, vt vniuscuiusq; diei fructus molis, & prælo statim subijciatur, sed quia aliquando accidit, vt multitudo baccæ torculariorum vincat laborem, necessarium est tabulatum, quo feratur olea, & habeat lacusculos tam multos, quàm postulauit oliuæ modus, vt vniuscuiusque diei coactura separetur. Lacusculorum solum lapide vel tegulis construi oportet, & ita decliue fieri, vt omnis humor per canales defluat: est enim amurca oleo inimica, quæ si remansit in bacca, olei saporem corrumpit. Super lacusculorum solum asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis ponito, & cannas spissè textas iniicito, vt pondus sustinere, nec baccam transmittere possint. Sub ipsis canalibus concauum pauimentum esse debet, in quo defluat, & exhauriri possit, quicquid defluxerit. Sed modum exequamur. Baccas diligenter purgatas in torculari deferri, & in fiscinis nouis includi, prælisq; subiici oportet, vt paulisper exprimantur. Postea resolutis corticulis emolliri debebunt, adiectis binis sextarijs integri salis in singulos modios & sampsæ exprimi. Quod primum defluxerit in rotundum labrum capulator depleat, & inde in fictilia labra defundat. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, vt vnus primæ pressuræ oleum recipiat, alter secundæ, tertius tertiæ; Nam refert non miscere iterationem, longe enim melioris est saporis, quod minore vi præli, quasi lixiuium, defluxerit. Cum paululum in primis labris constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debet, & inde in sequentia vsq; ad vltima, nam quanto sæpius ventilatur, tanto fit liquidius, & amurca liberabitur. Singulis ordinibus tricena sint labra. Si verò frigoribus cum amurca oleum congelabitur plusculo sale cocto vtitor: ea enim res resoluit oleum, & purum facit. Nec verendum, ne salsum fiat, nam quantumcunq; adieceris, eius saporem non recipit. Si nec hoc modo resoluatur, tostum nitrum inspergitur, & commiscetur. Alij integram baccam prælo non subijciunt,

uni, existimantes aliquid olei deperire, nam præli pondere non solum amurca exprimitur, sed secum pinguitudines attrahit. Caueto ne fumus, aut fuligo, dum id cōficitur in torculari, admittatur, aut in cellam, nam est vtraq; res huic rei inimica, & vix ad lucernam opus fieri permittitur, & ob id ad eum cœli statum torcular & cella construenda est, qui maxime à frigidis ventis auersus est, vt ne ignis desideretur. Palladius aliqua de nouo addit. Octobri mense olinam quàm recentissimam, cùm varia est, colligis, si diebus aliquot collegeris, expandis ne calefiat. Si qua ibi putris, vel sicca est, remoues. Vbi compleueris modum factorii, sales tritos in eandem mittis, per decem modios tres salis, & molis primo, & sic salitam in nouis canistris esse patieris, vt pernoctet cum salibus, ac mane premi incipiat, olei meliorem fluxum reddistura, salis sapore concepto. Focos non propius admouebis, ne olei saporem fumus inficiat. Plinius ex his omnibus breuissime colligens describit, quod quum nil noui habeat, consultius omisimus. Apuleius omphacinum oleum ita conficit. Viride oleum ex acerbis oliuis, quas omphaces Græci appellant, fit. Decerptas oleas viminea crate expandito, quò aquositas ex ipsis remittatur, & ne ex mutua caliditate noxa accedat. Segreganda sunt earum folia, & virgulta ipsis admista: nam si remanent, olei diuturnitati obsunt. A vespere acceptas sale conspersas molæ iniicito, leuiterq; molito, ne nuclei conterantur: nam oleum corrumpunt, sed solum caro, & cutis, quod molitum est, paruis peluibus in torcular transportato, leueq; pondus superponito, nam quod ex leui cōpressione profluit, & tenue & iocundum est, ac in vasa transfusum seorsum adseruabis. Reliquas violentiore pondere exprimes, ac priuatim recondes, nam semper dehinc deterius profluet. Vtrisq; parum salis, & nitri adiiciatur, & rude oleagina permisceto, & quiescat: nam pingue supernatabit, aquosum subsidebit. Separa, & serua vase vitreo, quo gaudet oleum, quia frigidum est, vel fictili gypso sublinito, locisq; siccis ad arctum versis repone.

De maturi olei conficiendi ratione. CAP. XXXII.

POST viride oleum, fit maturum. Quum enim vasta sunt olíueta, necesse est vt aliqua pars earum maturo fructui reseruetur. Cato: Olea vbi matura erit, quamprimum cogi oportet, quamminimum & in terra, & in tabulato esse oportet, quia putrescit. Nolito credere oleum in tabulato crescere posse. Quàm citissimè conficies, tam maxime expediet, & totidem modiis collectæ, plus olei efficient, & melius. Oleum si poteris bis in die depleto. Nam oleum quàm diutissime in amurca & fracibus fuerit, tam deterrimū erit. Columella de eo: Post mensem Decembrē, circa calēdas Ianuarias distringenda est olea, & statim exprimēda, nam in tabulatū reposita celeriter cōcalescet, quoniā hyemalibus pluuiis amurcæ plus concipit. Si ex ea fieri oleū cibarium volunt, primus illata de agro bacca, cōmolita, & expressa sit. Plerique credidere oleū in tabulato crescere, quod tam falsum est, quàm frumēta in area crescere.

Idq́; mendacium vetus Cato refellit. Ait enim in tabulato corrugari oliuam, minoremq́; fieri, propter quod rusticus, cùm facti vnius mensuram sub tecto reposuerit, & post multos dies eam molere voluerit, oblitus prioris mensuræ quam intulerat, ex alio aceruo, quantum mensuræ defuit, supplet, ob id videtur plus olei quieta, quàm recens bacca reddere, cum longe plures modios acceperit. Vnde si quid ponderis, aut mensuræ oleo accedit, si portionem velis in factum adiectæ baccæ computare, non prouentum, sed detrimentum senties. Quapropter non verendum lectam oliuam subito commolere, præloq́; subiicere. Si vermiculis exesa, aut tempestatibus oliua decidit, & in lutum defluxit, calida aqua eluantur baccæ, quo commodior gustus olei fiat, non feruenti, nam vermiculorum, & immunditiarum saporem contraheret. Cibarium, & improbum oleum non iisdem fiscis premi oportebit, nam veteres ad caducam oliuam, noui autem cibario, oleo aptari debent, & cum expresserint facta, feruentissima aqua bis, térve elui debent, & profluentibus aquis immorari. Palladius eadem habet. Nos hic oleas trapeto confractas in saccum indimus ex cannabino filo contextum, ac calida aqua superius iniecta pedibus calcamus, comprimendosq́; oleum cum aqua exprimimus, facit enim calida aqua, vt defluat, inde aheneo vase incoquimus, & quod supernatat clarum, & purum tollimus.

Purgandi modi à vitiis oleum. CAP. XXXIII.

OLEVM, vt cæteri liquores, quamplurimis vitiis obnoxium est, tum in ipsa confectione, tum postquam confectum fuerit, cui, vt in reliquis, eandem operam impendimus, vt medeamur.

Si sordet oleum.

Tostos, & adhuc calentes sales Tarentinus iniicere iubet, ita mundum post exiguum tempus pollicetur. Purgat idem nux pinea igni candens, si oleo restinguatur. Emendat & citri radix in oleum demersa. Et fæx olei torrefacta oleum limpidius reddet. Quod ab eo etiam Palladius habet.

Ad oleum rancidum.

Oleum rancidum idem sic posse curari ait. Albam ceram mundam, & optimo oleo resolutam, adhuc coctura liquentem in oleum immitti iubet, tunc sales frictos calentes addi, sic fieri vt oleum purgetur, sapore & odore mutato. Neq; ignorandum eius esse naturam, vt sole, vel igne curetur, vel aqua feruenti, si simul misceantur in vasculo. Oleum tamen omne fictilibus, non æreis, aut aheneis esse seruandum. Rancori quoq; medetur immersum anisum. Et non rancescet oleum, in quo priùs anisum maduerit. Palladius ex hoc eadem recenset, sed addito sale fricto operiri vas, & gypsari iubet, & terrenis locis esse seruandum.

Si fœtidum oleum sit.

Si fuerit oleum odoris horrendi, præcipit idem author virides oleas sine ossibus

ſibus tundi,& in vaſa per ſolis calorem mitti. Si baccæ defuerint,caules tenerrimos oleæ ſimul eſſe tundendos. Nonnulli,vtraque permiſcent, adiecto etiam ſale, ſed omnia intra linteum clauſa ſuſpendunt, atq; ita in vas olei demittunt, poſtea tribus diebus exactis auferunt, & agitantes, vbi conquieuit, in alia vaſa transferunt. Quidam mittunt vetuſtum laterem torrefactum, pleriq; panes bordeaceos breuiter friatos, & raro linteolo inuolutos mergunt, & nouos ſubinde permutãt: vbi hoc bis,aut tertio fecerint,ſalis callos,vel micas mittunt, & in alia vaſa tranſlatum paucos dies ſubſidere patiuntur. Alii ſertulam campanam oleo delibutam interdiu, noctuq; macerant. Palladius ex Græcis eadem.

Aliquod animal in oleum illapſum, ſi eius odorem vitiauerit.

Quod ſi aliquod animal fortè deciderit, & oleum putri nidore vitiauerit, iubet Democritus coriandri manipulum in olei vaſe ſuſpendi, atq; ita paucis diebus manere: ſi nihil de nidore deceſſerit, immittendum eſt coriandrum, donec ſuperetur hoc vitium. Quidam fœnigræci ſemen ſiccum, tritumque permiſcent, vel incenſos oleagineos carbones in oleo frequenter extinguunt. Si acerbus odor fuerit, vuæ acinos, quos gigarta Græci vocant, præcipiunt tuſos, & in maſſam redactos merſari, & poſt denos dies gigarta eximunt, agitãtq; oleum, & in vaſa munda decapulantur. Palladius eadem ex Græcis transfert.

Vt oleum turbidum ſedetur.

Si oleum turbulentia vexet, Tarentinus ſuadet in fideliam ampli oris coniectum oleum inferueſcere, tenuiſſimumq; ſalem frictum inſpargi, & vbi ſubſtiterit, ſpurcum oleum elutriari. Pellucidum efficies oleum: ſi corticem, & ramos oleaginos cum ſale detritos, & linteo concluſos in vaſe ſuſpendas.

Vt oleum Hiſpanico ſimile facias.

Damageron oleum Hiſpalienſi ſimile conficiebat hac ratione, Oleo ſincero, & omni ſpurcitia repurgato, vbi efferbuerit, triplum aquę minimè feruentiſſimæ, & exiguum ſalem in farinam detritum confundebat, & tantiſper conturbans agitabat, dum in vnum coire perciperet: tum ſpatio quodã conquieſcere patiebatur, donec iniecta aqua inſtar amurcæ ſubſideret, dein oleum concha deplebat, idque iterum faciebat, poſtremo ſuccum recentium foliorum oleæ commiſcebat, vt amarulentiam quandam oleum contraheret, & poſt triduum, vbi conſtitiſſet, ad vſus depromebat. Alii in pilam eodem ſucco prolitam oleum defundebãt, & cum vocaret neceſſitas, Hiſpani vice in vſum veniebat.

Albæ oliuæ quomodo condiantur. CAP. XXXIV.

ADMONET me ſcribendarum rerum ordo, vt de condiendis oliuis edifſeram aliqua, cùm maiores noſtri, qui de agricultura ſcripſerunt, olearum condituras præcipue docuerint, vt crebrior ſit eius vſus, qui patrifamilias perneceſſarius videbatur, & inter eas, quas recenſuimus oleæ dotes, ob

& eiusdem magnitudinis scutulum, cum sua gemmæ pupilla, ex qua fructum speramus, imponimus, labra luto munimus, & vinculis alligamus. Quo etiam modo vtitur Apulia. Saltem si oleastros inserere nolumus, oleas ipsas inseramus, quas masculas vulgus vocat, quæ ramos viridiores, frondes arctiores, carnosioresq; habent, habitiorem truncum, minusq; fructificant, & fructum paruum afferunt, cuius os magnum, caro minima est: hæ enim optimè apprehendunt, concipiuntq; feliciter.

Quid arte, paratúve in olea fieri possit. CAP. XXIII.

NON est silentio prætereundum, quod de vitis, & oleæ naturalis concordia Florentinus memoriæ mandauit. Oleam, si viti inseratur, non vuas modo, sed oleas quoque parere. Addit visam arborem à Mario Maximo, qui quum fructum eius degustasset, negauit vnquam se quidpiam comesse, quod magis oleum, vuamque resiperet, tam exactè simul vtriusq; s. por linguæ repræsentabatur. Nascuntur huiusmodi arbores in Libya, gentilique ac vernacula regionis voce vbolima vocant. Perticæ subiiciendæ, quæ possint brachiorum onus fulcire: si verò alio modo quouis inserantur, longuriis non erit opus. Ergo prope terram vitem terebramus, & oleæ ramulum imponimus, simul vt à vite dulcedinem, simul vt ab humo vernaculum alliciat nutrimentum, vt tandem eius iucundiore cibo fruamur. Postremo si nondum ferentis viticulæ sarmenta fructuaria transferantur, misturam progenitorum seruabunt. Porrò fructus à promiscua parentum conditione, insitoris vtriusque nomen adoptauit, elæostaphylos Græcis, quasi dicatur vuolea, nominatus. Columella præterea docet, quomodo omnis arbor, omni arbori inseratur, exemplumque apponit, in ramum fici oleam inseri posse, quod nos iam libro de insitione recitauimus. Audiui ab amico se vidisse in iuglandem insitam oleam, & fructum insignis magnitudinis, & ferè sui fructus protulisse & egregii saporis.

Olearum fertilitatis, & caritatis prognostica.
CAP. XXIIII.

SVNT & prognostica, ex quibus olearum fertilitatem, & caritatem præscire poterimus, nec nobis parum erit emolumenti, si rem optime cognouerimus, vt olim insignes philosophos fecisse legimus. Ferunt Democritum, (inquit Plinius) qui primus intellexit, ostenditque cum terris cœli societatem, spernentibus hanc curam eius opulentissimis ciuium, præuisa olei caritate ex futuro Vergiliarum exortu, magna tum vilitate propter spem oliuæ, coemisse in toto tractu omne oleum, mirantibus, qui paupertatem, & quietem doctrinarum ei sciebant in primis cordi esse. Atq; vt apparuit causa, & ingens diuitiarum cursus, restituisse mercedem anxiæ, & auidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cũ vellet, fore. Hoc postea Sextius è Romanis sapiẽtiæ adfectatoribus Athenis fecit ea-

dem ratione. Futuram olearum penuriam Thales Milesius philosophus per astrologiam præsciuit. Hic enim vnus è septem Græciæ sapientibus, cui quum obiiceretur paupertas propter studium philosophiæ, tanquam inutile, parum pecuniæ simul coegit, vrgenteq; adhuc hyeme, in Mileto, & Chio insulis paruo pretio olearia cōduxit, arrasq; dedit, nemine plus offerente, secutaq; olearum caritate, innumeras pecunias sibi comparauit, ostenditq; facile esse, philosophum contemnentem diuitias ditari, si velit. Sed iam ad prognostica veniamus. Scribit Diophanes, Luna existente in Leone, si canicula exorietur, magna erit olei abundantia: si verò in libra, raritas: si in Capricorno, vel Ariete, fertilitas olearum. Zoroaster verò Iouis stellam existentem in Cancro & Leone olearum fertilitatem causare dixit, sic etiam in Scorpione. Si recte floruerit olea optimum erit præsagium. Ouidius fastorum libro,

Si benè floruerint oleæ, nitidissimus annus,
Poma quoq;, euentum temporis huius age.

Sed oportet flores, quos fructus sequuntur, bene cecidisse. Theophrastus, Intempestiui imbres pessimi sunt, atque ex toto inopportuni, qui circa floris exortum accesserint, omnia nanq; imbecillia redduntur, & omnia ferme, aut certe plurima pereunt, deciduntque partim rubigine, partim nimio humore, oliuæ autem germinibus omnino intereunt, cùm alimentum deducatur ad germen. Olea florem circa fructum ipsum producit, cuius prostrati flosculi perforati spectantur, idque argumento capitur probe arborem de floruisse, nam si exaruerint, aut madefacti fuerint, vnà cum fructibus defluent, atque ita nullatenus perforabuntur. Plinius de prognosticis hæc. Pessimum inter omnia, cùm deflorescentem oleam percussit imber, quoniam simul defluit fructus. Circa Vergilias quidem pluere inimicissimum est oleæ: quoniam tunc coitus earum est. Hoc est illud quatriduum oleis decretorium. Hic articulus austrinus nubili sputci, quod diximus. Serotinæ aquæ oleis vtiles sunt, quoniam fructus suos diutius contineant, longioresq; desiderant cibos. Olearum conceptus exortu Vergiliarum incipit ad 6. Idus Maii. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sydus Arcturi postridie occidens: & multo minus plenilunium incidere. 4 nonas Iunii iterum aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis, si plenilunium in eum incidat. Nos autem optimam abundantiæ spem concipimus, cum oleam optimè concepisse videmus, id est primos florum conceptus profert vberrimos, quibus mox se aperientibus oleam florere dicimus: spem nostram confirmamus, si deinde optime florebit, & deflorebit, vt diximus. Certius erit signum si non solùm ex summitate surculorum, sed etiam ex lateribus flores, & fructus proferant.

De morbis oleæ, & remediis, & primo de nimia fertilitate, & vermiculatione. CAP. XXV.

MORBI sunt (vt superius diximus libro de insitione) vel intrinseci, vel extrinseci, & intrinseci vel copia, vel inopia alimẽti eueniũt, vt est corruptio plantarũ ex nimia fertilitate. Oleę, authore Theophr. nouellæ ob nimiam fertilitatem intereunt. Causáq; est, quod succus, qui trunco debetur, in nimiá fœturá absumitur. Ob id Plinius ab eo: Nocet oleis nimia fertilitas. Extrinseci morbi vel secundum naturam, vel præter naturá sunt: qui pręter naturam, aut maximè violenti sunt, vt vulnera: aut minus, aut minimè, vt corruptiones. Sed hi morbi, vel corruptiones, vel sunt omnibus cõmunes, vel plurib. vel particulares. Dicamus de cõmunibus, vt de vermiculatione. Sed vermiculatio si est in ipso fructu, Theophrastus ait, Vermis oleæ natus sub cute fructũ adimit, sed in ipso nucleo erodens prodest. ꝓhibetur pluuiis, quę post arcturũ sequantur. Et in drupis quoq; oleis vermes nascuntur, qui ad lacturá peiores certe deprehẽduntur, vt marcidi, putresq; omnino videantur, hinc & austrinis nascuntur, & riguis magis. In causis verò. Oliuæ, si sub cute vermiculi nascũtur, pereũt: quoniá penitus adimũtur, sed si ipso nucleo, augentur. Caro enim non tangitur: ꝓhibẽt illos flatus, & pluuiæ quę fiunt sub arcturũ, facit enim refrigeratio, vt fugiant omnes. Sed vermiculorum species multæ, discrimen ꝑcipuum in his, ꝙ in alia arbore, fructúve alio nati, tráslati in aliud gen⁹ seruari nequeunt, sed peculiare notatur de eo, quẽ cerastem appellát, in olea creari, & in fico parere asseuerant. Plinius quæ ex Theophr. excepit, habet: Vermiculationẽ & poma ipsa ꝑ se quibusdá annis sentiũt, sed in oliua an ipiti euẽtu, quádo subeunt nati, fructũ adimunt, augẽt, si in ipso nucleo fuere erodentes eũ. Gigni illos prohibent pluuiæ, q̃ fiunt post arcturũ. Eędem si austrinę fuère generát, in drupis quoq;, quę maturescentes tunc sunt pręcipue caducę. In riguis magis euenit, & si non ceciderint fastidiẽdis. Aiunt Quintilii. Si radices siccas, & velut morbo languẽtes offendas, huic acceptũ causæ feres, vermiũ progeniẽ interno sinu delitescere, quos cũ pluribus; vt dictum est, modis, tum circumsita scilla demolieris.

De particularibus oleæ morbis. CAP. XXVI.

NVNC de morbis particularib. Olea lichenes patitur, Chaldemo authore, fructus enim prætenuis fluxusq; creatur. remediũ erit, vt ei alimenti vbertas detrahatur, vt amygdalas & punica castigare solemus, & arbor firmior robustiorq; reddetur. Oritur & oleis peculiaris morbus, arachniũ dictus, nascitur enim hoc, & fructum absumit, proficiscitur q; ex humiditate, generatur anniculis ramis, cùm imbres secuti sunt, qua germinatione fructus absumitur, cũ eò pabulũ trahatur, quandoquidẽ & fructus nondum vires conceperint, & aggregato humore ꝓsilit germen. Plinius ad id, Est etiamnũ peculiare oliuis, araneũ vocant, cum veluti telæ inuoluunt fructũ & absumunt. Columella: Solent quáuis lętæ arbores fructũ non afferre, eas terebrari terebra gallica conuenit, atq; ita in foramẽ viridem taleá oleastri dimitti. Sic veluti inita arbor fœcundo semine fertilior extat. Quintilii. Si sterilitate laborát oleę, ad fertilitatẽ adduci poterũt hac ratione. Ab radice cubitali spatio caudicẽ terebra gallica ꝑforabis, parte qua spectat in Austrũ, impresso foramine digiti maioris amplitudinem

dinem capiẽte. Hinc duos frugiferę arboris ab australi parte ramos tolles, crassitie, quæ hiatũ foraminis explere possint, & strictè in ipsum cõiicies, detractis vehemẽter palorũ cacuminib. abscissoq; eo, quod superabit: aceroso vel paleato luto curabis occulere. Hoc veluti coitu steriles arbores vberãtur, & quales volueris oleas adipisci, tales fructuarios indes surculos. Ita melius oleum dabit, impressis foramini ramulis eius à cœli parte lectis, quæ ad austrũ dirigitur. Eadem Africanus promittit, & restibilem oleis adferre fœcunditatẽ, si semel in excauatũ terebro foramẽ, duos feracioris oliuę ramulos in cacumina vtrinq; adegeris, sic vt traiectu penetrent, manibusq; vehementer transactas partes traxeris: dũq; veluti impacti cuneoli strictim adhæserint, exertũ vtriusq; taleę verticẽ, hoc est extãtes foramini stylos resecueris, lutoq; cũ aceribus, aut paleis oras foraminis, & hiãtem sinũ illeueris, hoc veluti initu, grauida arbor, vberiorem partũ enitetur. Palladius, In Octobri mense, si fructus arbor lætos nõ affert, terebra gallica terebretur vsq; ad medullã foramine impresso, cui oleastri informis talea vehementer arctetur, & ablaqueatæ arbori amurca insulsa, vel vetus vrina fũdatur, hoc enim velut coitu steriles arbores vberãtur, quas tamẽ durãte malitia oportebit inserere, sed si sine fruge luxuriãt, oleastri palũ radicibus eius infige. Si verò oleæ fructificant, sed non maturant, quod ex soli vitio euenire solet, Columella huic vitio medetur. Altis gyris ablaqueat eas, deinde calcis ꝓ magnitudine arboris plus minus circũdat, sed minimæ arbori modicũ donat. Hoc remedio si nil fuerit effectũ, ad remediũ consitionis confugiat. Ad hęc Quintilii: Solent enim, quãuis lætę arbores fructũ copiosum adferẽtes, ad maturitatẽ non producere, aut largũ florẽ induentes, perperam exuere, quod vitiũ abigetur, si ablaqueata arbore, maiusculo caudici fuci corbes duos cõduxeris, minori singulos, dein amurcã aquę mistã infuderis. ꝙ si fuci non erit occasio, solius amurcæ vsu eris cõtentus. Vel si parũ fructuosæ, vel cacuminib. retorridæ frondis, magnis arborib⁹ quaternos modios stercoris caprini circumspargere oportet. Democritus autẽ docet: ne baccas abiiciat olea, fabã pedunculũ intus continentẽ, obstruso cera foramine, in gleba radicib⁹ hæretẽti cõdes, sic labãs fructus firmabitur. Ad luxuriantes verò sine fruge oleas, scilicet, quæ nimia ramorũ petulantia syluescũt, earum multiplex lapsus, erratis usq; furor sic cohibetur. In foramẽ, quod gallica terebra excauauerit, vii idem taleã oleastri, vel pini, vel quercus palos, vel lapidẽ immittis, sic velut inita arbor fœcũdo semine fertilior extabit. Quod etiã ab eo Palladius recẽset Martio mense. Plinius. Oleę si parum fructus promisere, nudatas radices hyberno frigori opponito. Olea si fructũ non ferat ex Catone: Ablaqueato eam, postea stramen circũponito, postea amurcam cũ aqua cõmisceto æquas partes, deinde ad oleam circumfodito, ad arborẽ maximam amphoram vnã cõmisti satis erit, ad minores arbores pro ratione indito, & idẽ hoc facies ad arbores feraces, hę quoq; meliores fient, ad eas stramẽta ne addideris. Columella, Sed & sine ablaqueatione inundãda est amurca insulsa cũ suilla, vel nostra vrina vetere, cuius vtriusq; modus seruatur. Nã maximę arbori, ni tantundẽ aquę misceatur, vrna abundè

erit. Palladius ab eo: Martio mense oleis laborantibus circum radices insulsa amurca fundetur. Maximis arboribus sex congii, mediocribus quatuor, cæteris pro æstimatione sufficiunt. Alii paleas fabæ binos per maiorem arborem qualos. Alii veteris vrinæ humanæ trunco, quantum satis videtur, affundunt, & arbori mortarium statim faciunt, maxime locis siccis, trunco ante cooperto. Quintiliorum agricultura docet: Lætiores, & virentiores plurimũ fructum afferent, si circum radices ablaqueatas insulsa amurca aquæ mixta fundatur, vtriusque sextarius sufficit. Acus quoque fabaginum, vel fraces satis est indidisse, vel etiam humanæ vrinæ, quantum satis visum fuerit, affunditur, aut argilla bubulo stercori permixta imponitur, aut marini fuci tantundem: sed post hæc confestim adaggeretur terra circa radices dodrantali altitudine, sinu in orbem fornicato, vt imbres pluuii retineantur, & cùm se infuderint, breuissimis, ac frequentissimis fossionibus sollicitentur. Id genus etiam auxilii adhibere licet, cùm caniculæ incendiis arbores deflagrant, quo tempore, & etiam quum siccitates incesserunt, rigationem desiderant. Patitur etiam clauum, quidam fungum appellant, olea, inquit Theophrastus, alii ollam, hæc est veluti solis exustio: quæ verba etiam recitat Plinius. Et nocere ait Cato eis muscum rubrum. Columella: Plerumque locis siccis & humidis arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris, nec fructum, nec lætam frondem olea inducet.

De morbis, qui ex aeris excessu veniunt locorum proprietate, & ab animalibus. Cap. XXVII.

MORBI verò extrinsecus venientes, qui sunt minus violenti, sunt aeris excessus. Olea gelu facile aduritur, quod eius radices per summa cespitum natent, vt frigus desuper inuadere possit, & oleastrum ea magis laborat, quod robustius est, ob id frigus densis magis insidet, atque immanet, quàm raris. Et olea tum fronde, tũ toto corpore arefacta apparẽs regerminauit. Haud equidem arefactio fuit, sed esse quidem apparuit ex siccitate, atq. colore, quæ vim genitalem frondis non attigit. Adurunt & æstus quidem oliuas, adurit & flatus, vt in Chalcide Eubœæ Olympias cum flauerit frigidus ante solstitia, aut post solstitia hyberna, arbores enim exurit, quocirca vredinem vocant. Id Archippo Athenis magistratu anno quadragesimo facta vehementissima proditur. Laborãt maxime loca concaua vicina fluminibus, & loca, quæ ab omni flatu silent. Et oleaster magis infestatur, quàm olea. Deprehenduntur quædam statim in germinatione: olea, quòd semper vireat, tardius. Affert etiam Theophrastus propria locorum vitia, vt quod apud Miletum, atque Tarentum oleis euenit, quippe apud Miletum cum florent, si aer austrinus, serenusque sit, erucæ varium genus creatur, quarum aliæ frondes erodunt, aliæ florem. Iuuat contra hoc si æstus sit consecutus, omnes etenim disrumpuntur, atque intereunt. Apud Tarentum cum florent, aliàs desiderio flatus ærugine infestan-

infestantur, aliàs habitu quodam ex mari caliginoso, crassóve floribus residente odorem florum amittunt, & ob id etsi arbores pulcherrimæ fructu carent. Plinius ex eo: Sunt & ex eadem causa nascentes erucæ, dirum animal, erodunt´que frondem, aliæ florem, oliuarum quoque, vt in Mileto, ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc malum tempore humido, & lento. Fit aliud ex eodem, si sol acrius insecutus inussit ipsum vitium, ideoque mutauit. Quædam temporum causæ, aut locorum, non propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necant, vt flatus alicuius regionis proprius; vt est in Apulia atabolus, in Eubœa olympias. Hic enim si flauerit circa brumam, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus recreari possint. Hoc genere conualles, & apposita fluminibus laborant, & præcipue olea. Quod cùm euenerit, detegitur statim in germinatione, in oliua tardius. De noxa ex ventis Ouidius,

Florebant oleæ: venti nocuere proterui.

De ea, quæ ex æstu, Horatius,

——— haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus.

Sunt autem & ex animalibus noxæ. M. Varro: Quædam enim pecudes culturæ sunt inimicæ, ac veneno, vt capra; hæc enim omnia nouella sata carpendo corrumpit, & non minimum oleas, quòd eas, quas læserit, fieri dicunt steriles, eius enim saliuam esse fructui venenum. Plinius: Quin & oleam si lambendo capra lingua contigerit, depaueritque primo germinatu, sterilescere author est Varro. Hinc & nomen sortitæ: quippe F. Pompeio dictæ, quòd virgultum carpant, & M. Varroni, carpa, & omnicarpæ capræ, non solum vulnere, sed & dentium veneno plantis pestiferæ. Rustica iuuentus capram excoriabat, & in vtrem eius per vicos exiliebat. pereuntem verò videre gestiebat Liber pater. At contra Minerua videre præ odio nolebat. Quare antiquitus prohibitum ne illi quid ex caprino genere sacrificaretur, propter oleam, quam reperit. Quare Athenis in arcem non ducebatur, præterquàm semel ad necessarium sacrificium, ne olea ibi primum nata ab hoc animali tangi possit. Plinius huic deæ capram immolari dixit. Sed vbi animalia huiusmodi plantulas depasta fuerint, his nos hoc remedio succurrimus, vt cultro sub morsu, vbi modus erit, detruncetur abrosa pars, nam ex nodis noua germina pullulabunt, & lætius crescent, quòd si depastas ita relinques, ex morsus veneno diutius ægrotabunt.

De præparandis ad oliuitatem necessariis vasis, & instrumentis.

CAP. XXVIII.

NVNC de cõficiendo oleo verba faciemus. Sed multa sunt, inquit doctissimus Columella, quæ ante oliuitatem, sicut ante vindemiam, præparanda sunt, ne cùm res desideratur, operæ auertantur: velut copia lignorum,

quæ multo ante apportanda est, scalæ, corbulæ, decemmodiæ, trimodiæ satoriæ, quibus districta bacca suscipiatur, fisci, funes cannabini, & spartei, conchæ ferreæ, quibus depletur oleum, opercula quibus vasa olearia õtegantur, spongiæ maiores & minores, vrcei, quibus oleum progeritur, canneæ tegetes, quibus oliua excipitur, & si qua sunt alia. Cato ad cogendam oleam multa paranda esse inquit, vt vimina matura, & salices per tempus legãtur, vt siet vnde corbulæ fiant, & veteres sarciantur. Salix enim, vt Tarẽtinus Græcus habet, ad olei pulchritudinem multum facit. Docet etiam Cato quomodo olearia dolia imbui debeant. Amurca impleto dies septem, & quotidie suppleas, inde eximito, & arefacito, vbi arebit, cuminum pridie in aquam infundito. Ea postridie diluito. Postea dolium calefacito. Minus, quàm si picare velis, tepeat, satis est. Leuibus lignis facito calescat. Vbi temperate tepebit, tum cuminum indito, postea linito. Si recte liueris, in dolium quinquagenarium cumini pedum quatuor satis erit. Columella, dolia, & seriæ, vbi oleum reponitur, quomodo curanda sint, monet, idque non solum cùm necessitas cogit, sed vbi euacuata fuerint. Si fæces, vel amurcæ in vasorum fundis subsederint, emundẽtur, non calida lixiuia, ne vasa ceram remittant, sed semel atque iterum eluantur, & tepida aqua manibus defricentur, & spongia humor assiccetur. Alii vbi lauerint, figularem cretam aqua resoluunt, & intus oblinunt, & arescere patiuntur, & cum res exigit, aqua eluunt. Alii amurca, deinde aqua perluunt, & assiccant, ceraq; perlinunt. Nam sexta quaque oliuitate cerari debere antiqui dixerũt, quod fieri haud leuiter potest, nam noua quidem vasa calefacta ceram recipiunt, sed vetera ob olei succum ceraturam non patiuntur. Sed melius alii liquida gummi perlinunt, siccataque alba cera suffumigant, eamque suffitionem faciunt, cùm noua, vel vetera vasa curantur. Alii cùm crasso gummi liuerunt, vna illa gummitione in perpetuum contenti sunt, nam testa olea perlita gummitionem non recipit.

In oleo eliciendo quinque instrumentis maiores nostros vsos scribit Columel. scilicet mola, trapeto, canali, solea, & tudicula. Sed molæ meliores sunt, quàm trapetum: trapetum, quàm canalis, & solea. Molæ quàm facillimam patiuntur administrationem, quoniam pro magnitudine baccarum submitti, & eleuari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur. Rursus trapetum facilius, & plus operis, quàm solea, & canalis efficit. Est & organum erectæ tribulæ simile, quod tudicula vocatur, idque non incommode opus efficit, nisi quod frequenter vitiatur, & si baccæ plusculum ingesseris, impeditur. Pro regionum consuetudine prædictæ machinæ exercentur, sed est optima molarum, tum etiam trapeti. Torcular, & trapetum quomodo conficiantur, docet Cato. Sed quia alias & optimas nostra ætas adinuenit machinas, consulto omisimus. Hæc omnia, & multo plura prius præparari debent, quoniam in vsu depereunt, & pretiosiora sunt, quorum siquid suo tempore defuerit, opus intermittitur.

De oliuitatis tempore. Cap. XXIX.

IN Libro de causis Theophrastus scrutatur causam, cur in æstate oleũ comparetur, quoad arcturus oriatur, tunc enim ossis duritia superuenit, & in os abit succus, non in oleum, abiit enim æstiuus calor cum æstate, & superueniente frigore, nequit fructus elaborari, ob id introrsum ad os adigitur, nam etsi accedant imbres, repleanturque fructus succo, adueniente hyeme, non concoquitur in oleum, quia deest calor: olea enim prius quàm nigrescat, oleũ purius habet. argumento est illud, quod ex phaulijs exprimitur; illud autẽ, quod fit post imbrium accessionem, impurius est, multam enim trahit amurcam secum. Statuit igitur ipse, quod ante arcturum excoquatur humor à multo calore, & fit oleum, & minuitur pulpa, post verò æstatem crescit pulpa: olei enim copia non ex imbribus accidit, argumentum, quod pluuio anno, vel si rigetur oliuetum, minuitur oleum. Et alibi. Calori datum est, vt oleũ, & succi pinguedinem præstare possit, sed si vehementior sit, vim succi impellens ad carnem, corpus increscere cogit, quod etiam imbrium accessu accidit: nam caro excrescit, & oleum alimenti nimietate absumitur, nisi secuta serenitas corpus exiccet, sic amplius exuberare potest, quod magistratu Nicodori obtigisse memoriæ proditum est. A quo Plinius: Augetur oleum ab arcturi exortu, 16. Calendas Octobris, postea nuclei increscunt, & caro. Cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. Huius color oliuam cogit nigrescere, ideoq; incipiente nigritie minimum amurcæ, ante eam nihil. Et error hominum falsus, existimantium maturitatis initium, quod est vitii proximum. Deinde quòd oleum crescere oliuæ carne arbitrantur, cùm succus omnis in corpus abeat, lignumq; intus grandescat. Ergo cùm maxime rigantur (quod vbi cura multa, siue imbribus accidit) oleum absumitur, nisi consecuta serenitate, quæ corpus extenuet. Omnino vti Theophrasto placet, est olei causa calor, quare & in torcularibus, & iam in cellis multo igne quæritur. Virgilio hyeme stringendas esse oleas videtur his versibus,

Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamq; cruentaq; myrta.

Columella, Media oliuitas est plerunq; initium mensis Decembris. Nam & ante hoc tempus acerbum oleum conficitur, quod vocatur æstiuum, & circa hunc mensem viride premitur, deinde postea maturum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne à domesticis pecudibus, ferisve consumatur. Viridis autem notæ conficere vel maxime expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditũ. Ab eo Plinius: Olea prima omnium cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis, hæc sapore præstantissimo. Quin & ex ea prima vnda præli laudatissima. Quanto maturior bacca, tanto pinguior succus, minusq; gratus. Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam, bonitatemque, incipiente bacca

nigrescere. Cætero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis; riguæ fuerit arbor, an suo tantum baccа succo, nihilque aliud, quàm rores cœli biberit. Tempus pluitati statuit idoneum Paxamus, quando parte plus dimidia bacca nigricat: accelerare autem olearum collectionem decet, antequam gelent frigora, sic largiores partus matres ministrabunt, & baccæ copiosius fundent oleum. Crescentius dicit, quod quantò diutius in arbore immorauerint baccæ, eò perfectiorem maturitatem consequentur, & quò nigriores, eò perfectius, & copiosius oleum profundent, suæque ineptiæ Aristotelem, & Plinium authores facit, quod nusquam in eis reperitur, ex quo reor Latinam linguam ignorasse. Sed quia ob variam locorum naturam, anni & syderum variationes, certa oleitas præscribi non valet, vno omnium consensu euenit optimum esse ad decerpendum baccam, quum variare cœperit, & quædam nigræ, plures tamen albæ, quas Græci drypetas vocant, nostri drupas.

Deleguli, custodis, capulatoris, & factoris officio. CAP. XXX.

POSTQVAM maturitatis tempus designauimus, qualis collectio esse debeat manifestemus, in qua præcipua versatur vtilitas, maiorque, quàm in reliquorum fructuum collectione, propter olei accessionem, & decessionem, quæ ex tempestiua, & intempestiua strictione fit, vt oleæ strictio longe difficilior, quàm olei confectio fuerit. ob id legulos in hac re prudentiores esse oportet, quàm aliis in rebus, vt hanc rem diligentissime tractent. M. Varro optimè de olea legenda sentit, quem omnes sequuti sunt. Inquit enim: Oleam, quam manu possis è terra tangere, aut scalis, legere oportet, potius, quàm quatere, quòd ea, quæ vapulauit, inarescit, nec dat tantum olei, quæ manu stricta, melior ea, quæ digitis nudis legitur, quàm illa, quæ cum digitalibus. Duricies enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos: quæ manu tangi non poterunt, ita quati debent, vt arundine potius, quam pertica feriantur. Grauior enim plaga, medicum quærit. Qui quatiet, ne aduersam cædat: sæpe enim ita percussa olea secum defert de ramulo partem, quo facto, fructũ amittunt posteri anni, vt hęc nõ minima causa, quòd oliueta dicantur alternis annis nõ ferre fructus, aut nõ ęque magnos. Cato inter Agriculturę iura, hęc habet: Oleá ne stringito, néve verberato iniussu domini, aut custodis. Oleá qui legerint, omnes iuranto ad dominũ, aut ad custodem sese oleam non surripuisse. Leguli volunt, vti olea caduca quamplurima sit, quo plus legatur, sed olea, quę diu fuerit in terra, inde minus fit olei, & deterius. Legulos, & factores, quot opus erunt, præbeto. Factores volunt, vt in sabulato diu sit, vt fracida sit, quo facilius oleum efficiant. Columella sereno cœlo baccas distringi manibus præcipit, & substratis tegetibus cribrari, & purgari debere. Plinius à Varrone hæc habet: Tertia culpa est in parsimonia, quoniam propter impendium decerpendi expectatur, vt decidat oliua. Qui medium temperamentum in hoc seruant, perticis

decu-

decutiunt, cum iniuria arborum, sequentisq; anni damno. Quippe oliuantibus lex antiquissima fuit: Oleam ne stringito, néve verberato. Qui cautissime agunt, harũdine leui ictu, nec aduersos percutiunt ramos. Sic quoq; alternare fructus cogitur, decussis germinibus. Nec minus si expectetur vt cadat. Hærendo enim vltra suum tempus absumunt venientibus alimentum, & detinent locum. Argumentum est, quòd nisi ante fauonium collectæ, nouas vires resumunt, & difficilius cadunt. Paxamus non inutilia his addit: Collectio ipsa sereno cœlo fiat, minime cùm pluuius imber incessit, quia profusus ramulus imbecillitate languens, facile dirumpitur, qua de causa neq; rorulenta die ramuli concuti manibus, neq; baccæ decerpi debent, prius quàm omnis arborum humor sole discutiatur. Si lutum subest, canistri & tegetes substernendę, quæ si defuerint, immundæ baccæ, & inquinatæ, & obsitæ luto, & quæ tempestatibus deciduæ sublegantur, calida perluantur aqua. Caduca, quæ puluere sit obsita, terrestrius dabit oleum. Longè ergo satius fuerit scalas in triangulum actas subiicere, & latos asseres superimponere, quibus insidentes leguli, manibus baccas distringant. Nunc de capulatoris, & custodis officio dicendum, quod ex Catone mutuabimus. capulator est, qui capulis oleum deplet. capulæ Varroni vasa sunt, à capiendo dicta, quod capi facile possint, quod ansata sint. Quam mundissimo, purissimoq; fiat vase aheneo, neq; nucleis ad oleum vtatur: nam si vtetur, oleum male sapiet. Cortinam plumbeam in lacũ ponito, quò oleum fluat. Vbi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum quàm diligentissimè poterit, tollat, nec cesset. Amurcam caueat ne tollat. Oleum in labrum primum indito. Inde in alterum dolium indito. De iis labris fraces amurcamque semper subtrahito. Cum oleum sustuleris de cortina amurcam dehorito. Oleum frequenter capulet. Factoribus det in singulos factus, olei sextarios, & in lucernam, quod opus siet. Fraces quotidie eiiciat, amurcam commutet vsq; adeo, donec in lacum, qui in cella est, postremum peruenerit. Custos seruet diligenter cellam, & torcularium. Caueat quamminimum in torcularium, & in cellam introeatur. Quæ in torculario vasa erunt, pura habeat, curetque vti olea bene perficiatur, beneq; siccetur. Ligna in torculario ne cædat. In torculario, & in cella caueat diligenter, nequid olei surripiatur.

Acerbi, vel viridis olei faciundi ratio. CAP. XXXI.

TRIA olei genera apud authores traduntur, acerbum, viride, & maturum. De acerbo oleo Cato hæc habet. Quàm acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Columella: Ante Decembris mensem acerbum oleum fieri debet, quod vocatur ęstiuum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne à domesticis pecudibus, ferisve consumatur. Et alibi: Nouembri olea distringenda est, ex

qua velis viride oleum efficere, quod sit optimum, ex varia oliua, cùm incipit nigrescere: nam acerbum nisi ex alba olea fieri non debet. Plinius ab his Oleum quàm acerbissima oliua optimum fieri. Sed media oliuitas plerunque authore Columella, initiũ mensis Decembris, & circa hunc mensem viride premitur. Viridis autem notæ conficere, vel maxime expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditum. Cato ita facere docet. Oleum viride sic facito: Oleam quamprimum ex terra tollito. Si inquinata erit, lauito, à folijs & stercore purgato. Postridie, aut post diem tertium, quàm lecta erit, facito. Domino de matura olea oleum fieri maximè expediet. Si gelicidia erunt, cum oleam coges, triduum, aut quatriduum pòst oleum facito. Eam oleam, si voles, sale inspergito. Quàm calidissimum torcularium, & cellam habeto. Olea vbi lecta siet, oleum fiat continuo, ne corrumpatur. Cogitato quotannis tempestates magnas venire, & oleam deiicere solere. Si cito sustuleris, & vasa parata erunt, damnum nihil erit ex tempestate, & oleum viridius, & melius fiet. Ex quauis olea oleum viridius, vel bonum fieri potest, si tempori facies. Sed Columella exactius docet. Necesse est, vt vniuscuiusq; diei fructus molis, & prælo statim subiiciatur, sed quia aliquando accidit, vt multitudo baccæ torculariorum vincat laborem, necessarium est tabulatum, quo feratur olea, & habeat lacusculos tam multos, quàm postulauit oliuæ modus, vt vniuscuiusque diei coactura separetur. Lacusculorum solum lapide vel tegulis construi oportet, & ita decliue fieri, vt omnis humor per canales defluat: est enim amurca oleo inimica, quæ si remansit in bacca, olei saporem corrumpit. Super lacusculorum solum asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis ponito, & cannas spissè textas iniicito, vt pondus sustinere, nec baccam transmittere possint. Sub ipsis canalibus concauum pauimentum esse debet, in quo defluat, & exhauriri possit, quicquid defluxerit. Sed modum exequamur. Baccas diligenter purgatas in torculari deferri, & in fiscinis nouis includi, prælisq; subiici oportet, vt paulisper exprimantur. Postea resolutis corticulis emolliri debebunt, adiectis binis sextariis integri salis in singulos modios & sampsæ exprimi. Quod primum defluxerit in rotundum labrum capulator depleat, & inde in fictilia labra defundat. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, vt vnus primæ pressuræ oleum recipiat, alter secundæ, tertius tertiæ; Nam refert non miscere iterationem, longe enim melioris est saporis, quod minore vi præli, quasi lixiuium, defluxerit. Cum paululum in primis labris constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debet, & inde in sequentia vsq; ad vltima, nam quanto sæpius ventilatur, tanto fit liquidius, & amurca liberabitur. Singulis ordinibus tricena sint labra. Si verò frigoribus cum amurca oleum congelabitur, plusculo sale cocto vtitor: ea enim res resoluit oleum, & purum facit. Nec verendum, ne salsum fiat, nam quantumcunq; adieceris, eius saporem non recipit. Si nec hoc modo resoluatur, tostum nitrum inspergitur, & commiscetur. Alii integram baccam prælo non subiiciunt,

unt, existimantes aliquid olei deperire, nam præli pondere non solum amurca exprimitur, sed secum pinguitudines attrahit. Caueto ne fumus, aut fuligo, dum id cõficitur in torculari, admittatur, aut in cellam, nam est vtraq; res huic rei inimica, & vix ad lucernam opus fieri permittitur, & ob id ad eum cœli statum torcular & cella construenda est, qui maxime à frigidis ventis auersus est, vt ne ignis desideretur. Palladius aliqua de nouo addit. Octobri mense oliuam quàm recentissimam, cùm varia est, colligis, si diebus aliquot collegeris, expandis ne calefiat. Si qua ibi putris, vel sicca est, remoues. Vbi compleueris modum factorii, sales tritos in eandem mittis, per decem modios tres salis, & molis primo, & sic salitam in nouis canistris esse patieris, vt pernoctet cum salibus, ac mane premi incipiat, olei meliorem fluxum redditura, salis sapore concepto. Focos non propius admouebis, ne olei saporem fumus inficiat. Plinius ex his omnibus breuissime colligens describit, quod quum nil noui habeat, consultius omisimus. Apuleius omphacinum oleum ita conficit. Viride oleum ex acerbis oliuis, quas omphaces Græci appellant, fit. Decerptas oleas viminea crate expandito, quò aquositas ex ipsis remittatur, & ne ex mutua caliditate noxa accedat. Segreganda sunt earum folia, & virgulta ipsis admista: nam si remanent, olei diuturnitati obsunt. A vespere acceptas sale conspersas molæ iniicito, leuiterq; molito, ne nuclei conterantur: nam oleum corrumpunt, sed solum caro, & cutis, quod molitum est, paruis peluibus in torcular transportato, leueq; pondus superponito, nam quod ex leui cõpressione profluit, & tenue & iocundum est, ac in vasa transfusum seorsum adseruabis. Reliquas violentiore pondere exprimes, ac priuatim recondes, nam semper dehinc deterius profluet. Vtrisq; parum salis, & nitri adiiciatur, & rude oleagina permisceto, & quiescat: nam pingue supernatabit, aquosum subsidebit. Separa, & serua vase vitreo, quo gaudet oleum, quia frigidum est, vel fictili gypso sublinito, locisq; siccis ad arctum versis repone.

De maturi olei conficiendi ratione. CAP. XXXII.

POST viride oleum, fit maturum. Quum enim vasta sunt olivueta, necesse est vt aliqua pars earum maturo fructui reseruetur. Cato: Olea vbi matura erit, quamprimum cogi oportet, quamminimum & in terra, & in tabulato esse oportet, quia putrescit. Nolito credere oleum in tabulato crescere posse. Quàm citissimè conficies, tam maxime expediet, & totidem modiis collectæ, plus olei efficient, & melius. Oleum si poteris bis in die depleto. Nam oleum quàm diutissime in amurca & fracibus fuerit, tam deterrimũ erit. Columella de eo: Post mensem Decembrẽ, circa calẽdas Ianuarias distringenda est olea, & statim exprimẽda, nam in tabulatũ reposita celeriter cõcalescet, quoniã hyemalibus pluuiis amurcæ plus concipit. Si ex ea fieri oleũ cibarium volunt, ꝓtinus illata de agro bacca, cõmolita, & expressa sit. Pleriq; credidere oleũ in tabulato crescere, quod tam falsum est, quàm frumẽta in area crescere.

huc molles, & teneros quotannis eximere, ne his onustus caudex fatigetur. Cassianus etiam Græcus monet oleas post decerptum fructum putare tempestiuum esse: nam copiosior fructus ex nouellis ramis prodit: Et mense Aprili oleas purgare oportere, vt purgatæ meliorem fructum producant. Neque esse cogitandum ablatis manifestis, & conspicuæ magnitudinis ramis pauciorem fieri fructum, nam multo copiosiorem fructum ex recentium ramulorum vbertate feres. Sed quod Sotion apposuit maximam afferre vtilitatem in purgatione, & si cæteris in arboribus, in oleis maxime animaduerti, si adnati caudicibus ramuli abscindantur locis incongruis: nam si circa truncum magnus, & antiquus ramus detruncetur, exarescit non solum cæsura, sed nerui, & ligna, & cortices è trunci corpore progredientes vsque ad radices, quod olea inter cæteras arbores peculiare habet: quod in veteribus oleis apparet, cùm caro exiccata est, nerui, & ossa conspiciuntur, vt in humano corpore, & apparebit experienti, quòd à cæsura per corpus vsq; ad radices, quibus pars illa incumbit, sicca erit. Debet ergo putator in oleæ efformatione à principio ramos illos decidere, qui incongruo loco nati videntur, ne cogantur, vbi adultiores fuerint, detruncare.

De olea insitione. CAP. XXII.

EX Theophrasti præceptis oleam in oleastrum inseri, & inoculari posse perbelle patet, nam si mite in agreste inseratur, valido surculus proficiet incremento, robustiores sunt arbores ferè domesticis, atq; ab subministrante solo plus rapiens alimenti radix, sic vt probè fœcundet arborem. Sed in olea serius proficiet insitio, quia serior est oculorum prouentus. Hoc vltimum collegit Plinius, verno tempore esse inserendum, cum tempus viget, incitantibus se gemmis, præterquam in olea, cuius diutissime oculi parturiunt, minimumq; succi sub cortice habent, qui nimius insitis nocet. Africæ peculiare est inserere oleastro, inseriturq; calamo, & insitione. Cato noster oleam per ver inseri iubet, luna sitiente, post meridiem, sine vento austro. Inoculatur, inseriturq; inter lignum, & corticem. Plinius eius verba recitat, declaratq; luna sitiente, id est, sicca. Miraturque Catonem inoculationem docuisse mensura præfinita secundum reliquam diligentiam suam. Virgilius oleam in oleastrum inseri vetat, non quòd mite non coalescat, & fructificet, sed ne casu aliquo incendatur oliuetum, quod facile contingere potest, & ambustis igne stipitibus, radices imæ oleastrum repullulent. Georgicorum secundo:

——— Néve olea sylnestres insere ramos;
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus, &c.
Hoc vbi: non a stirpe valent, cæsæq; reuerti
Possunt, atq; ima similes reuirescere terra,
Infelix superat foliis oleaster amaris.

Sed

Sed Palladius, ne oleæ in oleastrum inserendi vtilitas, & commoditas deperdatur, remedium affert. Aprili mense inseratur olea inter corticem. Sed vt oleastro inseras, contra illud, quod ex oliueto insito, & casu incenso renascatur oleaster infelix, sic prouidendum erit. Positis prius oleastri brachiis in scrobe, in qua disponemus inserere, scrobes ita replebimus, vt mediæ vacuæ sint. Cùm comprehenderit oleaster, inseremus in infimo, vel insitum ponemus, & insitionem propè infra terram nutriemus. Deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus. Ita commissura in profundo latente, quisquis vrit, aut cædit, oliuæ locum non aufert pullulandi, quæ & apertam redeundi felicitatem de olea, & occultam valendi feracitatem de oleastri connexione retinebit. Aliqui oleas in radicibus inserunt, & vbi comprehenderint, cum aliqua parte radicis auellunt, & transferunt more plantarum. Græci oleas ab octauo calendarum aprilium die, vsque in tertium nonarum Iulii inseri debere præcipiunt, ita vt locis frigidis serius, calidis maturius inserantur. Et in suis versibus,

Robora Palladii decorat syluestria rami,
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingues oleaster oliuas,
Et quæ non nouit munera ferre, docet.

Sed Hispanus oleam in ilicem inseri posse iudicat, Palladii authoritate, quia per syluestria robora ilices interpretatur, sed hæc admodum difficilis, dissimilisq; esset insitio, cùm in suis mensibus nil habeat Palladius de huiusmodi insitione, cùm in versibus ea canat, quæ prosa oratione dixerat prius, & potius per syluestria robora syluestres oleastri truncos intelligendum, quàm ilices. Crescentius oleas vindemiæ tẽpore inserendas dicit, suæq; insaniæ Catonem authorem facit, qui nil tale vsquam habet. Columella inseri debere monet circa æquinoctium vernum vsq; ad idus Aprilis, atq; luna crescente, & calidis regionibus Maio mense inseri, & emplastrari, si iam librum remittunt. Florentinus Græcus hæc addit, Ex oleis, quæ crassum librum habent, vdumque, iuxta corticem inseruntur: quæ tenuem & aridum, in ipsum lignum. Tempus à decimo calendarum Iunii vsque ad Iunias calendas. Sed insitæ oleæ multoties, quippe aridæ existentes, rigandæ sunt. Plutarchus Chæroneus oleas tradit ex lentisco pullulasse in hortis Soclari, quos Cephisus amnis ambiebat.

Sed oleosæ arbores, vt diximus, insitiones difficillimè, vel nullo modo admittunt, cui rei argumento est, si plantam quamlibet oleo inunxeris, demoritur protinus: proinde aliis permisceri nequeunt, sicut nec oleum ipsum. Sunt qui aliam causam refundant, scilicet corporis tenuitatem, cuius imbecillitas cum ariditate sedem insitis præbere nesciat. Nos hic Martii calce oleam inserimus inter lignum, & corticem, & optimè apprehendit. Inoculamus verò aliter, quàm in cæteris. Truncum serra præcidimus, inde à summo corticem scindimus, deglubimusque trium digitorum latitudine, longitudine duorum,

& eiusdem magnitudinis scutulum, cum sua gemmæ pupilla, ex qua fructum speramus, imponimus, labra luto munimus, & vinculis alligamus. Quo etiam modo vtitur Apulia. Saltem si oleastros inserere nolumus, oleas ipsas inseramus, quas masculas vulgus vocat, quæ ramos viridiores, frondes arctiores, carnosioresq; habent, habitiorem truncum, minusq; fructificant, & fructum paruum afferunt, cuius os magnum, caro minima est: hæ enim optimè apprehendunt, concipiuntq; feliciter.

Quid arte, paratúve in olea fieri possit. CAP. XXIII.

NON est silentio prætereundum, quod de vitis, & oleæ naturalis concordia Florentinus memoriæ mandauit. Oleam, si viti inseratur, non vuas modo, sed oleas quoque parere. Addit visam arborem à Mario Maximo, qui quum fructum eius degustasset, negauit vnquam se quidpiam comesse, quod magis oleum, vuamque resiperet, tam exactè simul vtriusq; sapor linguæ repræsentabatur. Nascuntur huiusmodi arbores in Libya, gentilique ac vernacula regionis voce vbolima vocant. Perticæ subiiciendæ, quæ possint brachiorum onus fulcire: si verò alio modo quouis inserantur, longuriis non erit opus. Ergo prope terram vitem terebramus, & oleæ ramulum imponimus, simul vt à vite dulcedinem, simul vt ab humo vernaculum alliciat nutrimentum, vt tandem eius iucundiore cibo fruamur. Postremo si nondum ferentis viticulæ sarmenta fructuaria transferantur, misturam progenitorum seruabunt. Porrò fructus à promiscua parentum conditione, insitoris vtriusque nomen adoptauit, elæostaphylos Græcis, quasi dicatur vuolea, nominatus. Columella præterea docet, quomodo omnis arbor, omni arbori inseratur, exemplumque apponit, in ramum fici oleam inseri posse, quod nos iam libro de insitione recitauimus. Audiui ab amico se vidisse in iuglandem insitam oleam, & fructum insignis magnitudinis, & ferè sui fructus protulisse & egregii saporis.

Olearum fertilitatis, & caritatis prognostica.
CAP. XXIIII.

SVNT & prognostica, ex quibus olearum fertilitatem, & caritatem præscire poterimus, nec nobis parum erit emolumenti, si rem optime cognouerimus, vt olim insignes philosophos fecisse legimus. Ferunt Democritum, (inquit Plinius) qui primus intellexit, ostenditque cum terris cœli societatem, spernentibus hanc curam eius opulentissimis ciuium, præuisa olei caritate ex futuro Vergiliarum exortu, magna tum vilitate propter spem oliuæ, coemisse in toto tractu omne oleum, mirantibus, qui paupertatem, & quietem doctrinarum ei sciebant in primis cordi esse. Atq; vt apparuit causa, & ingens diuitiarum cursus, restituisse mercedem anxiæ, & auidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cùm vellet, fore. Hoc postea Sextius è Romanis sapiétiæ adfectatoribus Athenis fecit ea-

dem ratione. Futuram olearum penuriam Thales Milesius philosophus per astrologiam præsciuit. Hic enim vnus è septem Græciæ sapientibus, cui quum obiiceretur paupertas propter studium philosophiæ, tanquam inutile, parum pecuniæ simul coegit, vrgenteq; adhuc hyeme, in Mileto, & Chio insulis paruo pretio olearia cõduxit, arrasq; dedit, nemine plus offerente, secutaq; olearum caritate, innumeras pecunias sibi comparauit, ostenditq; facile esse, philosophum contemnentem diuitias ditari, si velit. Sed iam ad prognostica veniamus. Scribit Diophanes, Luna existente in Leone, si canicula exorietur, magna erit olei abundantia: si verò in libra, raritas: si in Capricorno, vel Ariete, fertilitas olearum. Zoroaster verò Iouis stellam existentem in Cancro & Leone olearum fertilitatem causare dixit, sic etiam in Scorpione. Si recte floruerit olea optimum erit præsagium. Ouidius fastorum libro,

Si benè floruerint oleæ, nitidißimus annus,
Poma quoq;, euentũm temporis huius age.

Sed oportet flores, quos fructus sequuntur, bene cecidisse. Theophrastus, Intempestiui imbres pessimi sunt, atque ex toto inopportuni, qui circa floris exortum accesserint, omnia nanq; imbecillia redduntur, & omnia ferme, aut certe plurima pereunt, deciduntque partim rubigine, partim nimio humore, oliuæ autem germinibus omnino intereunt, cùm alimentum deducatur ad germen. Olea florem circa fructum ipsum producit, cuius prostrati flosculi perforati spectantur, idque argumento capitur probe arborem de floruisse, nam si exaruerint, aut madefacti fuerint, vnà cum fructibus defluent, atque ita nullatenus perforabuntur. Plinius de prognosticis hæc. Pessimum inter omnia, cùm deflorescentem oleam percussit imber, quoniam simul defluit fructus. Circa Vergilias quidem pluere inimicissimum est oleæ: quoniam tunc coitus earum est. Hoc est illud quatriduum oleis decretorium. Hic articulus austrinus nubili spurci, quod diximus. Serotinæ aquæ oleis vtiles sunt, quoniam fructus suos diutius contineant, longioresq; desiderant cibos. Olearum conceptus exortu Vergiliarum incipit ad 6. Idus Maii. Aliud hoc quatriduum est, quod neque rore sordere velint: exhorrent enim frigidum sydus Arcturi postridie occidens: & multo minus plenilunium incidere. 4 nonas Iunii iterum aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus oleis, si plenilunium in eum incidat. Nos autem optimam abundantiæ spem concipimus, cum oleam optimè concepisse videmus, id est primos florum conceptus profert vberrimos, quibus mox se aperientibus oleam florere dicimus: spem nostram confirmamus, si deinde optime florebit, & deflorebit, vt diximus. Certius erit signum si non solùm ex summitate surculorum, sed etiam ex lateribus flores, & fructus proferant.

De morbis oleæ, & remediis, & primo de nimia fertilitate, & vermiculatione. CAP. XXV.

MORBI sunt (vt superius diximus libro de insitione) vel intrinseci, vel extrinseci, & intrinseci vel copia, vel inopia alimēti eueniūt, vt est corruptio plantarū ex nimia fertilitate. Oleę, authore Theophr. nouellæ ob nimiam fertilitatem intereunt. Causaq; est, quod succus, qui trunco debetur, in nimiā fœturā absumitur. Ob id Plinius ab eo: Nocet oleis nimia fertilitas. Extrinseci morbi vel secundum naturam, vel præter naturā sunt: qui pręter naturam, aut maximè violenti sunt, vt vulnera: aut minus, aut minimè, vt corruptiones. Sed hi morbi, vel corruptiones, vel sunt omnibus cōmunes, vel plurib. vel particulares. Dicamus de cōmunibus, vt de vermiculatione. Sed vermiculatio si est in ipso fructu, Theophrastus ait, Vermis oleæ natus sub cute fructū adimit, sed in ipso nucleo erodens prodest: ꝓhibetur pluuiis, quę post arcturū sequantur. Et in drupis quoq; oleis vermes nascuntur, qui ad iacturā peiores certe deprehēduntur, vt marcidi, putresq; omnino videantur, hinc & austrinis nascuntur, & riguis magis. In causis verò. Oliuæ, si sub cute vermiculi nascūtur, pereūt: quoniā penitus adimūtur, sed si ipso nucleo, augentur. Caro enim non tangitur: ꝓhibēt illos flatus, & pluuiæ quę fiunt sub arcturū, facit enim refrigeratio, vt fugiant omnes. Sed vermiculorum species multæ, discrimen ꝑcipuum in his, ꝙ in alia arbore, fructúve alio nati, trāslati in aliud gen⁹ seruari nequeunt, sed peculiare notatur de eo, quē cerastem appellāt, in olea creari, & in fico parere asseuerant. Plinius quæ ex Theophr. excepit, habet: Vermiculationē & poma ipsa ꝑ se quibusdā annis sentiūt, sed in oliua ancipiti euētu, quādo subeunt nati, fructū adimunt, augēt. si in ipso nucleo fuere erodentes eū. Gigni illos prohibent pluuiæ, q̄ fiunt post arcturū. Eędem si austrinę fuēre generāt, in drupis quoq;, quę maturescentes tunc sunt pręcipue caducę. In riguis magis euenit, & si non ceciderint fastidiēdis. Aiunt Quintilii. Si radices siccas, & velut morbo languētes offendas, huic acceptū causæ feres, vermiū progeniē interno sinu delitescere, quos cū pluribus; vt dictum est, modis, tum circumsita scilla demolieris.

De particularibus oleæ morbis. CAP. XXVI.

NVNC de morbis particularib. Olea lichenes patitur, Chelidemo authore, fructus enim prætenuis fluxusq; creatur. remediū erit, vt ei alimenti vbertas detrahatur, vt amygdalas & punica castigare solemus, & arbor firmior robustiorq; reddetur. Oritur & oleis peculiaris morbus, arachniū dictus, nascitur enim hoc, & fructum absumit, proficisciturq; ex humiditate, generatur anniculis ramis, cùm imbres secuti sunt, qua germinatione fructus absumitur, cū eò pabulū trahatur, quandoquidē & fructus nondum vires conceperint, & aggregato humore ꝓsilit germen. Plinius ad id, Est etiamnū peculiare oliuis, araneū vocant, cum veluti telæ inuoluunt fructū & absumunt. Columella: Solent quāuis lætæ arbores fructū non afferre, eas terebrari terebra gallica conuenit, atq; ita in foramē viridem taleā oleastri dimitti. Sic veluti inita arbor fœcundo semine fertilior extat. Quintili. Si sterilitate laborāt oleę, ad fertilitatē adduci poterūt hac ratione. Ab radice cubitali spatio caudicē terebra gallica ꝑforabis, parte qua spectat in Austrū, impresso foramine digiti maioris amplitu-

dinem

dinem capiẽte. Hinc duos frugiferę arboris ab australi parte ramos tolles, crassitie, quæ hiatũ foraminis explere possint, & strictè in ipsum cõiicies, detractis vehemẽter palorũ cacuminib. abscissoq; eo, quod superabit: aceroso vel paleato luto curabis occulere. Hoc veluti coitu steriles arbores vberãtur, & quales volueris oleas adipisci, tales fructuarios indes surculos. Ita melius oleum dabit, impressis foramini ramulis eius à cœli parte lectis, quæ ad austrũ dirigitur. Eadem Africanus promittit, & restibilem oleis adferre fœcunditatẽ, si semel in excauatũ terebro foramẽ, duos feracioris oliuę ramulos in cacumina vtrinq; adegeris, sic vt traiectu penetrent, manibusq; vehementer transactas partes traxeris: dũq; veluti impacti cuneoli strictim adhæserint, exertũ vtriusq; taleę verticẽ, hoc est extãtes foramini stylos resecueris, lutoq; cũ aceribus, aut paleis oras foraminis, & hiãtem sinũ illeueris, hoc veluti initu, grauida arbor, vberiorem partũ enitetur. Palladius, In Octobri mense, si fructus arbor lætos nõ affert, terebra gallica terebretur vsq; ad medullã foramine impresso, cui oleastri informis talea vehementer arctetur, & ablaqueatæ arbori amurca insulsa, vel vetus vrina fũdatur, hoc enim velut coitu steriles arbores vberãtur, quas tamẽ durãte malitia oportebit inserere, sed si sine fruge luxuriãt, oleastri palũ radicibus eius infige. Si verò oleæ fructificant, sed non maturant, quod ex soli vitio euenire solet, Columella huic vitio medetur. Altis gyris ablaqueat eas, deinde calcis ꝓ magnitudine arboris plus minus circũdat, sed minimæ arbori modicũ donat. Hoc remedio si nil fuerit effectũ, ad remediũ conditionis confugiat. Ad hęc Quintilii: Solent enim, quãuis lætę arbores fructũ copiosum adferẽtes, ad maturitatẽ non producere, aut largũ florẽ induentes, perperam exuere, quod vitiũ abigetur, si ablaqueata arbore, maiusculo caudici fuci corbes duos cõduxeris, minori singulos, dein amurcã aquę mistã infuderis. ꝙ si fuci non erit occasio, solius amurcæ vsu eris cõtentus. Vel si parũ fructuosæ, vel cacuminib. retorridæ frondis, magnis arborib⁹ quaternos modios stercoris caprini circumspargere oportet. Democritus autẽ docet: ne baccas abiiciat olea, fabã pedunculũ intus continentẽ, obstruso cera foramine, in gleba radicib⁹ hærẽti cõdes, sic labãs fructus firmabitur. Ad luxuriantes verò sine fruge oleas, scilicet, quæ nimia ramorũ petulantia syluescũt, earum multiplex lapsus, erraticusq; furor sic cohibetur. In foramẽ, quod gallica terebra excauauerit, viridem taleã oleastri, vel pini, vel quercus palos, vel lapidẽ immittis, sic velut inita arbor fœcũdo semine fertilior extabit. Quod etiã ab eo Palladius recẽset Martio mense. Plinius. Oleę si parum fructus promisere, nudatas radices hyberno frigori opponito. Olea si fructũ non ferat ex Catone: Ablaqueato eam, postea stramen circũponito, postea amurcam cũ aqua cõmisceto aquas partes, deinde ad oleam circumfodito, ad arborẽ maximam amphoram vnã cõmisti satis erit, ad minores arbores pro ratione indito. & idẽ hoc facies ad arbores feraces, hę quoq; meliores fient, ad eas stramẽta ne addideris. Columella, Sed & sine ablaqueatione infũda est amurca insulsa cũ suilla, vel nostra vrina vetere, cuius vtriusq; modus seruatur. Nã maximę arbori, ni tantundẽ aquę misceatur, vrna abundè

erit. Palladius ab eo: Martio mense oleis laborantibus circum radices insulsa amurca fundetur. Maximis arboribus sex congii, mediocribus quatuor, cæteris pro æstimatione sufficiunt. Alii paleas fabæ binos per maiorem arborem qualos. Alii veteris vrinæ humanæ trunco, quantum satis videtur, affundunt, & arbori mortarium statim faciunt, maxime locis siccis, trunco ante cooperto. Quintiliorum agricultura docet: Lætiores, & virentiores plurimũ fructum afferent, si circum radices ablaqueatas insulsa amurca aquæ mixta fundatur, vtriusque sextarius sufficit. Acus quoque fabaginum, vel fraces satis est indidisse, vel etiam humanæ vrinæ, quantum satis visum fuerit, affunditur, aut argilla bubulo stercori permixta imponitur, aut marini fuci tantundem: sed post hæc confestim adaggeretur terra circa radices dodrantali altitudine, sinu in orbem fornicato, vt imbres pluuii retineantur, & cùm se infuderint, breuissimis, ac frequentissimis fossionibus sollicitentur. Id genus etiam auxilii adhibere licet, cùm caniculæ incendiis arbores deflagrant, quo tempore, & etiam quum siccitates incesserunt, rigationem desiderant. Patitur etiam clauum, quidam fungum appellant, olea, inquit Theophrastus, alii ollam, hæc est veluti solis exustio: quæ verba etiam recitat Plinius. Et nocere ait Cato eis muscum rubrum. Columella: Plerumque locis siccis & humidis arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris, nec fructum, nec lætam frondem olea inducet.

De morbis, qui ex aeris excessu veniunt locorum proprietate, & ab animalibus. Cap. XXVII.

Morbi verò extrinsecus venientes, qui sunt minus violenti, sunt aeris excessus. Olea gelu facile aduritur, quod eius radices per summa cespitum patent, vt frigus desuper inuadere possit, & oleastrum ea magis laborat, quod robustius est, ob id frigus densis magis insidet, atque immanet, quàm raris. Et olea tum fronde, tũ toto corpore arefacta apparẽs regerminauit. Haud equidem arefactio fuit, sed esse quidem apparuit ex siccitate, atq. colore, quæ vim genitalem frondis non attigit. Adurunt & æstus quidem oliuas, adurit & flatus, vt in Chalcide Eubϟ Olympias cum flauerit frigidus ante solstitia, aut post solstitia hyberna, arbores enim exurit, quocirca vredinem vocant. Id Archippo Athenis magistratu anno quadragesimo facta vehementissima proditur. Laborãt maxime loca concaua vicina fluminibus, & loca, quæ ab omni flatu silent. Et oleaster magis infestatur, quàm olea. Deprehenduntur quædam statim in germinatione: olea, quòd semper vireat, tardius. Affert etiam Theophrastus propria locorum vitia, vt quod apud Miletum, atque Tarentum oleis euenit, quippe apud Miletum cum florent, si aer austrinus, serenusque sit, erucæ varium genus creatur, quarum aliæ frondes erodunt, aliæ florem. Iuuat contra hoc si æstus sit consecutus, omnes etenim disrumpuntur, atque intereunt. Apud Tarentum cum florent, aliàs desiderio flatus ærugine infestan-

infestantur, aliàs habitu quodam ex mari caliginoso, crassòve floribus residente odorem florum amittunt, & ob id etsi arbores pulcherrimæ fructu carent. Plinius ex eo: Sunt & ex eadem causa nascentes erucæ, dirum animal, erodunt que frondem, aliæ florem, oliuarum quoque, vt in Mileto, ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc malum tempore humido, & lento. Fit aliud ex eodem, si sol acrius insecutus inussit ipsum vitium, ideoque mutauit. Quædam temporum causæ, aut locorum, non propriè dicuntur morbi, quoniam protinus necant, vt flatus alicuius regionis proprius; vt est in Apulia atabolus, in Eubœa olympias. Hic enim si flauerit circa brumam, frigore exurit arefaciens, vt nullis postea solibus recreari possint. Hoc genere conualles, & apposita fluminibus laborant, & præcipue olea. Quod cùm euenerit, detegitur statim in germinatione, in oliua tardius. De noxa ex ventis Ouidius,

Florebant oleæ: venti nocuere proterui.

De ea, quæ ex æstu, Horatius,

——— haud quia grando
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus.

Sunt autem & ex animalibus noxæ. M. Varro: Quædam enim pecudes culturæ sunt inimicæ, ac veneno, vt capra; hęc enim omnia nouella sata carpendo corrumpit, & non minimum oleas, quòd eas, quas læserit, fieri dicunt steriles, eius enim saliuam esse fructui venenum. Plinius: Quin & oleam si lambendo capra lingua contigerit, depaueritque primo germinatu, sterilescere author est Varro. Hinc & nomen sortitæ: quippe F. Pompeio dictæ, quòd virgultum carpant, & M. Varroni, carpa, & omnicarpæ capræ, non solum vulnere, sed & dentium veneno plantis pestiferæ. Rustica iuuentus capram excoriabat, & in vtrem eius per vicos exiliebat. pereuntem verò videre gestiebat Liber pater. At contra Minerua videre præ odio nolebat. Quare antiquitus prohibitum ne illi quid ex caprino genere sacrificaretur, propter oleam, quam reperit. Quare Athenis in arcem non ducebatur, præterquàm semel ad necessarium sacrificium, ne olea ibi primum nata ab hoc animali tangi possit. Plinius huic deæ capram immolari dixit. Sed vbi animalia huiusmodi plantulas depasta fuerint, his nos hoc remedio succurrimus, vt cultro sub morsu, vbi modus erit, detruncetur abrosa pars, nam ex nodis noua germina pullulabunt, & lætius crescent, quòd si depastas ita relinques, ex morsus veneno diutius ægrotabunt.

De præparandis ad oliuitatem necessariis vasis, & instrumentis.

CAP. XXVIII.

NVNC de cōficiendo oleo verba faciemus. Sed multa sunt, inquit doctissimus Columella, quæ ante oliuitatem, sicut ante vindemiam, præparanda sunt, ne cùm res desideratur, operæ auertantur: velut copia lignorum,

quæ multo ante apportanda est, scalæ, corbulæ, decemmodiæ, trimodiæ satoriæ, quibus districta bacca suscipiatur, fisci, funes cannabini, & spartei, conchæ ferreæ, quibus depletur oleum, opercula quibus vasa olearia cōtegantur, spongiæ maiores & minores, vrcei, quibus oleum progeritur, canneæ tegetes, quibus oliua excipitur, & si qua sunt alia. Cato ad cogendam oleam multa paranda esse inquit, vt vimina matura, & salices per tempus legãtur, vt siet vnde corbulæ fiant, & veteres sarciantur. Salix enim, vt Tarētinus Græcus habet, ad olei pulchritudinem multum facit. Docet etiam Cato quomodo olearia dolia imbui debeant. Amurca impleto dies septem, & quotidie suppleas, inde eximito, & arefacito, vbi arebit, cuminum pridie in aquam infundito. Ea postridie diluito. Postea dolium calefacito. Minus, quàm si picare velis, tepeat, satis est. Leuibus lignis facito calescat. Vbi temperate tepebit, tum cuminum indito, postea linito. Si recte liueris, in dolium quinquagenarium cumini pedum quatuor satis erit. Columella, dolia, & seriæ, vbi oleum reponitur, quomodo curanda sint, monet, idque non solum cùm necessitas cogit, sed vbi euacuata fuerint. Si fæces, vel amurcæ in vasorum fundis subsederint, emundētur, non calida lixiuia, ne vasa ceram remittant, sed semel atque iterum eluantur, & tepida aqua manibus defricentur, & spongia humor assiccetur. Alii vbi lauerint, figularem cretam aqua resoluunt, & intus oblinunt, & arescere patiuntur, & cum res exigit, aqua eluunt. Alii amurca, deinde aqua perluunt, & assiccant, ceraq; perlinunt. Nam sexta quaque oliuitate cerari debere antiqui dixerũt, quod fieri haud leuiter potest, nam noua quidem vasa calefacta ceram recipiunt, sed vetera ob olei succum ceraturam non patiuntur. Sed melius alii liquida gummi perlinunt, siccataque alba cera suffumigant, eamque suffitionem faciunt, cùm noua, vel vetera vasa curantur. Alii cùm crasso gummi liuerunt, vna illa gummitione in perpetuum contenti sunt, nam testa olea perlita gummitionem non recipit.

In oleo eliciendo quinque instrumentis maiores nostros vsos scribit Columella, scilicet mola, trapeto, canali, solea, & tudicula. Sed molæ meliores sunt, quàm trapetum: trapetum, quàm canalis, & solea. Molæ quàm facillimam patiuntur administrationem, quoniam pro magnitudine baccarum submitti, & eleuari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur. Rursus trapetum facilius, & plus operis, quàm solea, & canalis efficit. Est & organum erectæ tribulæ simile, quod tudicula vocatur, idque non incommode opus efficit, nisi quod frequenter vitiatur, & si baccæ plusculum ingesseris, impeditur. Pro regionum consuetudine prædictæ machinæ exercentur, sed est optima molarum, tum etiam trapeti. Torcular, & trapetum quomodo conficiantur, docet Cato. Sed quia alias & optimas nostra ætas adinuenit machinas, consulto omisimus. Hæc omnia, & multo plura prius præparari debent, quoniam in vsu depereunt, & pretiosiora sunt, quorum si quid suo tempore defuerit, opus intermittitur.

De oliuitatis tempore. CAP. XXIX.

IN Libro de causis Theophrastus scrutatur causam, cur in æstate oleũ comparetur, quoad arcturus oriatur, tunc enim ossis duritia superuenit, & in os abit succus, non in oleum, abiit enim æstiuus calor cum æstate, & superueniente frigore, nequit fructus elaborari, ob id introrsum ad os adigitur, nam etsi accedant imbres, repleanturque fructus succo, adueniente hyeme, non concoquitur in oleum, quia deest calor: oleaenim prius quàm nigrescat, oleũ purius habet. argumento est illud, quod ex phauliis exprimitur; illud autẽ, quod fit post imbrium accessionem, impurius est, multam enim trahit amurcam secum. Statuit igitur ipse, quod ante arcturum excoquatur humor à multo calore, & fit oleum, & minuitur pulpa, post verò æstatem crescit pulpa: olei enim copia non ex imbribus accidit, argumentum, quod pluuio anno, vel si rigetur oliuetum, minuitur oleum. Et alibi. Calori datum est, vt oleũ, & succi pinguedinem præstare possit, sed si vehementior sit, vim succi impellens ad carnem, corpus increscere cogit, quod etiam imbrium accessu accidit: nam caro excrescit, & oleum alimenti nimietate absumitur, nisi secuta serenitas corpus exiccet, sic amplius exuberare potest, quod magistratu Nicodori obtigisse memoriæ proditum est. A quo Plinius: Augetur oleum ab arcturi exortu, 16. Calendas Octobris, postea nuclei increscunt, & caro. Cum sitienti imbres copiosi accessere, vitiatur oleum in amurcam. Huius color oliuam cogit nigrescere, ideoq; incipiente nigritie minimum amurcæ, ante eam nihil. Et error hominum falsus, existimantium maturitatis initium, quod est vitii proximum. Deinde quòd oleum crescere oliuæ carne arbitrantur, cùm succus omnis in corpus abeat, lignumq; intus grandescat. Ergo cùm maxime rigantur (quod vbi cura multa, siue imbribus accidit) oleum absumitur, nisi consecuta serenitate, quæ corpus extenuet. Omnino vti Theophrasto placet, est olei causa calor, quare & in torcularibus, & iam in cellis multo igne quæritur. Virgilio hyeme stringendas esse oleas videtur his versibus,

Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamq; cruentaq; myrta.

Columella, Media oliuitas est plerunq; initium mensis Decembris. Nam & ante hoc tempus acerbum oleum conficitur, quod vocatur æstiuum. & circa hunc mensem viride premitur, deinde postea maturum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne à domesticis pecudibus, ferisve consumatur. Viridis autem notæ conficere vel maxime expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditũ. Ab eo Plinius: Olea prima omnium cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis, hæc sapore præstantissimo. Quin & ex ea prima vnda præli laudatissima. Quanto maturior bacca, tanto pinguior succus, minusq; gratus. Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam, bonitatemque, incipiẽte bacca

nigrescere. Cætero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis; rigua fuerit arbor, an suo tantum baccæ succo, nihilque aliud, quàm rores cœli biberit. Tempus oliuitati statuit idoneum Paxamus, quando parte plus dimidia bacca nigricat: accelerare autem olearum collectionem debet, antequam gelent frigora, sic largiores partus matres ministrabunt, & baccæ copiosius fundent oleum. Crescentius dicit, quod quantò diutius in arbore immorauerint baccæ, eò perfectiorem maturitatem consequentur, & quò nigriores, eò perfectius, & copiosius oleum profundent, suæque ineptiæ Aristotelem, & Plinium authores facit, quod nusquam in eis reperitur, ex quo reor Latinam linguam ignoraffe. Sed quia ob variam locorum naturam, anni & syderum variationes, certa oleitas præscribi non valet, vno omnium consensu euenit optimum esse ad decerpendum baccam, quum variare cœperit, & quædam nigræ, plures tamen albæ, quas Græci drypetas vocant, nostri drupas.

De leguli, custodis, capulatoris, & factoris officio. CAP. XXX.

POSTQVAM maturitatis tempus designauimus, qualis collectio esse debeat manifestemus, in qua præcipua versatur vtilitas, maiorque, quàm in reliquorum fructuum collectione, propter olei accessionem, & decessionem, quæ ex tempestiua, & intempestiua strictione fit, vt oleæ strictio longe difficilior, quàm olei confectio fuerit. ob id legulos in hac re prudentiores esse oportet, quàm aliis in rebus, vt hanc rem diligentissime tractent. M. Varro optimè de olea legenda sentit, quem omnes sequuti sunt. Inquit enim: Oleam, quam manu possis è terra tangere, aut scalis, legere oportet, potius, quàm quatere, quòd ea, quæ vapulauit, inarescit, nec dat tantum olei, quæ manu stricta, melior ea, quæ digitis nudis legitur, quàm illa, quæ cum digitalibus. Duricies enim eorum non solum stringit baccam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos: quæ manu tangi non poterunt, ita quati debent, vt arundine potius, quam pertica feriantur. Grauior enim plaga, medicum quærit. Qui quatiet, ne aduersam cædat: sæpe enim ita percussa olea secum defert de ramulo partem, quo facto, fructũ amittunt posteri anni, vt hęc nõ minima causa, quòd olueta dicantur alternis annis nõ ferre fructus, aut nõ ęque magnos. Cato inter Agriculturę iura, hęc habet: Oleã ne stringito, néve verberato iniussu domini, aut custodis. Oleã qui legerint, omnes iuranto ad dominũ, aut ad custodem sese oleam non surripuisse. Leguli volunt, vti olea caduca quamplurima sit, quo plus legatur, sed olea, quę diu fuerit in terra, inde minus fit olei, & deterius. Legulos, & factores, quot opus erunt, præbeto. Factores volunt, vt in sabulato diu sit, vt fracida sit, quo facilius oleum efficiant. Columella sereno cœlo baccas distringi manibus præcipit, & substratis tegetibus cribrari, & purgari debere. Plinius à Varrone hæc habet: Tertia culpa est in parsimonia, quoniam propter impendium decerpendi expectatur, vt decidat oliua. Qui medium temperamentum in hoc seruant, perticis decu-

decutiunt, cum iniuria arborum, sequentisq; anni damno. Quippe oliuantibus lex antiquissima fuit: Oleam ne stringito, néve verberato. Qui cautissime agunt, harundine leui ictu, nec aduersos percutiunt ramos. Sic quoq; alternare fructus cogitur, decussis germinibus. Nec minus si expectetur vt cadat. Hærendo enim vltra suum tempus absumunt venientibus alimentum, & detinent locum. Argumentum est, quòd nisi ante fauonium collectæ, nouas vires resumunt, & difficilius cadunt. Paxamus non inutilia his addit: Collectio ipsa sereno cœlo fiat, minime cùm pluuius imber incessit, quia profusus ramulus imbecillitate languens, facile disrumpitur, qua de causa neq; rorulenta die ramuli concuti manibus, neq; baccæ decerpi debent, prius quàm omnis arborum humor sole discutiatur. Si lutum subest, canistri & tegetes substernendę, quæ si defuerint, immundæ baccæ, & inquinatæ, & obsitæ luto, & quæ tempestatibus deciduæ sublegantur, calida perluantur aqua. Caduca, quæ puluere sit obsita, terrestrius dabit oleum. Longè ergo satius fuerit scalas in triangulum actas subiicere, & latos asseres superimponere, quibus insidentes leguli, manibus baccas distringant. Nunc de capulatoris, & custodis officio dicendum, quod ex Catone mutuabimus. capulator est, qui capulis oleum deplet. capulæ Varroni vasa sunt, à capiendo dicta, quod capi facile possint, quod ansata sint. Quam mundissimo, putissimoq; fiat vase aheneo, neq; nucleis ad oleum vtatur: nam si vtetur, oleum male sapiet. Cortinam plumbeam in lacū ponito, quò oleum fluat. Vbi factores vectibus prement, continuo capulator concha oleum quàm diligentissimè poterit, tollat, nec cesset. Amurcam caueat ne tollat. Oleum in labrum primum indito. Inde in alterum dolium indito. De iis labris fraces amurcamque semper subtrahito. Cum oleum sustuleris de cortina amurcam dehorito. Oleum frequenter capulet. Factoribus det in singulos factus, olei sextarios, & in lucernam, quod opus siet. Fraces quotidie eiiciat, amurcam commutet vsq; adeo, donec in lacum, qui in cella est, postremum peruenerit. Custos seruet diligenter cellam, & torcularium. Caueat quamminimum in torcularium, & in cellam introeatur. Quæ in torculario vasa erunt, pura habeat, curetque vti olea bene perficiatur, beneq; siccetur. Ligna in torculario ne cædat. In torculario, & in cella caueat diligenter, nequid olei surripiatur.

Acerbi, vel viridis olei faciundi ratio. CAP. XXXI.

TRIA olei genera apud authores traduntur, acerbum, viride, & maturum. De acerbo oleo Cato hæc habet. Quàm acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit. Columella: Ante Decembris mensem acerbum oleum fieri debet, quod vocatur ęstiuum. Sed acerbum oleum facere patrisfamilias rationibus non conducit, quoniam exiguum fluit, nisi bacca tempestatibus in terram decidit, & necesse est eam sublegere, ne à domesticis pecudibus, ferisve consumatur. Et alibi: Nouembri olea distringenda est, ex

qua velis viride oleum efficere, quod sit optimum, ex varia oliua, cùm incipit nigrescere: nam acerbum nisi ex alba olea fieri non debet. Plinius ab his Oleum quàm acerbissima oliua optimum fieri. Sed media oliuitas plerunque authore Columella, initiũ mensis Decembris, & circa hunc mensem viride premitur. Viridis autem notæ conficere, vel maxime expedit, cùm & satis fluit, & pretio penè duplicat domini reditum. Cato ita facere docet. Oleum viride sic facito: Oleam quamprimum ex terra tollito. Si inquinata erit, lauito, à foliis & stercore purgato. Postridie, aut post diem tertium, quàm lecta erit, facito. Domino de matura olea oleum fieri maximè expediet. Si gelicidia erunt, cum oleam coges, triduum, aut quatriduum pòst oleum facito. Eam oleam, si voles, sale inspergito. Quàm calidissimum torcularium, & cellam habeto. Olea vbi lecta fiet, oleum fiat continuo, ne corrumpatur. Cogitato quotannis tempestates magnas venire, & oleam deiicere solere. Si cito sustuleris, & vasa parata erunt, damnum nihil erit ex tempestate, & oleum viridius, & melius fiet. Ex quauis olea oleum viridius, vel bonum fieri potest, si tempori facies. Sed Columella exactius docet. Necesse est, vt vniuscuiusq; diei fructus molis, & prælo statim subiiciatur, sed quia aliquando accidit, vt multitudo baccæ torculariorum vincat laborem, necessarium est tabulatum, quo feratur olea, & habeat lacusculos tam multos, quàm postulauit oliuæ modus, vt vniuscuiusque diei coactura separetur. Lacusculorum solum lapide vel tegulis construi oportet, & ita decliue fieri, vt omnis humor per canales defluat: est enim amurca oleo inimica, quæ si remansit in bacca, olei saporem corrumpit. Super lacusculorum solum asserculos inter se distantes semipedalibus spatiis ponito, & cannas spissè textas iniicito, vt pondus sustinere, nec baccam transmittere possint. Sub ipsis canalibus concauum pauimentum esse debet, in quo defluat, & exhauriri possit, quicquid defluxerit. Sed modum exequamur. Baccas diligenter purgatas in torculari deferri, & in fiscinis nouis includi, prælisq; subiici oportet, vt paulisper exprimantur. Postea resolutis corticulis emolliri debebunt, adiectis binis sextariis integri salis in singulos modios & sampsæ exprimi. Quod primum defluxerit in rotundum labrum capulator depleat, & inde in fictilia labra defundat. Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, vt vnus primæ pressuræ oleum recipiat, alter secundæ, tertius tertiæ; Nam refert non miscere iterationem, longe enim melioris est saporis, quod minore vi præli, quasi lixiuium, defluxerit. Cum paululum in primis labris constiterit oleum, eliquare id capulator in secunda labra debet, & inde in sequentia vsq; ad vltima, nam quanto sæpius ventilatur, tanto fit liquidius, & amurca liberabitur. Singulis ordinibus tricena sint labra. Si verò frigoribus cum amurca oleum congelabitur plusculo sale cocto vtitor: ea enim res resoluit oleum, & purum facit. Nec verendum, ne salsum fiat, nam quantumcunq; adieceris, eius saporem non recipit. Si nec hoc modo resoluatur, tostum nitrum inspergitur, & commiscetur. Alii integram baccam prælo non subiiciunt,

unt, existimantes aliquid olei deperire, nam præli pondere non solum amurca exprimitur, sed secum pinguitudines attrahit. Caueto ne fumus, aut fuligo, dum id cõficitur in torculari, admittatur, aut in cellam, nam est vtraq; res huic rei inimica, & vix ad lucernam opus fieri permittitur, & ob id ad eum cœli statum torcular & cella construenda est, qui maxime à frigidis ventis auersus est, vt ne ignis desideretur. Palladius aliqua de nouo addit. Octobri mense oliuam quàm recentissimam, cùm varia est, colligis, si diebus aliquot collegeris, expandis ne calefiat. Si qua ibi putris, vel sicca est, remoues. Vbi compleueris modum factorii, sales tritos in eandem mittis, per decem modios tres salis, & molis primo, & sic salitam in nouis canistris esse patieris, vt pernoctet cum salibus, ac mane premi incipiat, olei meliorem fluxum redditura, salis sapore concepto. Focos non propius admouebis, ne olei saporem fumus inficiat. Plinius ex his omnibus breuissime colligens describit, quod quum nil noui habeat, consultius omisimus. Apuleius omphacinum oleum ita conficit. Viride oleum ex acerbis oliuis, quas omphaces Græci appellant, fit. Decerptas oleas viminea crate expandito, quò aquositas ex ipsis remittatur, & ne ex mutua caliditate noxa accedat. Segreganda sunt earum folia, & virgulta ipsis admista: nam si remanent, olei diuturnitati obsunt. A vespere acceptas sale conspersas molæ iniicito, leuiterq; molito, ne nuclei conterantur: nam oleum corrumpunt, sed solum caro, & cutis, quod molitum est, paruis peluibus in torcular transportato, leueq; pondus superponito, nam quod ex leni cõpressione profluit, & tenue & iocundum est, ac in vasa transfusum seorsum adseruabis. Reliquas violentiore pondere exprimes, ac priuatim recondes, nam semper dehinc deterius profluet. Vtrisq; parum salis, & nitri adiiciatur, & rude oleagina permisceto, & quiescat: nam pingue supernatabit, aquosum subsidebit. Separa, & serua vase vitreo, quo gaudet oleum, quia frigidum est, vel fictili gypso sublinito, locisq; siccis ad arctum versis repone.

De maturi olei conficiendi ratione. CAP. XXXII.

POST viride oleum, fit maturum. Quum enim vasta sunt olineta, necesse est vt aliqua pars earum maturo fructui reseruetur. Cato: Olea vbi matura erit, quamprimum cogi oportet, quamminimum & in terra, & in tabulato esse oportet, quia putrescit. Nolito credere oleum in tabulato crescere posse. Quàm citissimè conficies, tam maxime expediet, & totidem modiis collectæ, plus olei efficient, & melius. Oleum si poteris bis in die depleto. Nam oleum quàm diutissime in amurca & fracibus fuerit, tam deterrimũ erit. Columella de eo: Post mensem Decembrẽ, circa calẽdas Ianuarias distringenda est olea, & itẽ: statim exprimẽda, nam in tabulatũ reposita celeriter cõcalescit, quoniã hyemalibus pluuiis amurcæ plus concipit. Si ex ea fieri oleũ cibarium volunt, primus illata de agro bacca, cõmolita, & expressa sit. Pleriq; credidere oleũ in tabulato crescere, quod tam falsum est, quàm frumẽta in area crescere.

Idq; mendacium vetus Cato refellit. Ait enim in tabulato corrugari oliuam, minoremq; fieri, propter quod rusticus, cùm facti vnius mensuram sub tecto reposuerit, & post multos dies eam molere voluerit, oblitus prioris mensuræ quam intulerat, ex alio aceruo, quantum mensuræ defuit, supplet, ob id videtur plus olei quieta, quàm recens bacca reddere, cum longe plures modios acceperit. Vnde si quid ponderis, aut mensuræ oleo accedit, si portionem velis in factum adiectæ baccæ computare, non prouentum, sed detrimentum senties. Quapropter non verendum lectam oliuam subito commolere, præloq; subiicere. Si vermiculis exesa, aut tempestatibus oliua decidit, & in lutum defluxit, calida aqua eluantur baccæ, quo commodior gustus olei fiat, non feruenti, nam vermiculorum, & immunditiarum saporem contraheret. Cibarium, & improbum oleum non iisdem fiscis premi oportebit, nam veteres ad caducam oliuam, noui autem cibario, oleo aptari debent, & cum expresserint facta, feruentissima aqua bis, térve elui debent, & profluentibus aquis immorari. Palladius eadem habet. Nos hic oleas trapeto confractas in saccum indimus ex cannabino filo contextum, ac calida aqua superius iniecta pedibus calcamus, comprimendosq; oleum cum aqua exprimimus, facit enim calida aqua, vt defluat, inde aheneo vase incoquimus, & quod supernatat clarum, & purum tollimus.

Purgandi modi à vitiis oleum. CAP. XXXIII.

OLEVM, vt cæteri liquores, quamplurimis vitiis obnoxium est, tum in ipsa confectione, tum postquam confectum fuerit, cui, vt in reliquis, eandem operam impendimus, vt medeamur.

Si sordet oleum.

Tostos, & adhuc calentes sales Tarentinus iniicere iubet, ita mundum post exiguum tempus pollicetur. Purgat idem nux pinea igni candens, si oleo restinguatur. Emendat & citri radix in oleum demersa. Et fæx olei torrefacta oleum limpidius reddet. Quod ab eo etiam Palladius habet.

Ad oleum rancidum.

Oleum rancidum idem sic posse curari ait. Albam ceram mundam, & optimo oleo resolutam, adhuc coctura liquentem in oleum immitti iubet, tunc sales frictos calentes addi, sic fieri vt oleum purgetur, sapore & odore mutato. Neq; ignorandum eius esse naturam, vt sole, vel igne curetur, vel aqua feruenti, si simul misceantur in vasculo. Oleum tamen omne fictilibus, non æreis, aut aheneis esse seruandum. Rancori quoq; medetur immersum anisum. Et non rancescet oleum, in quo priùs anisum maduerit. Palladius ex hoc eadem recenset, sed addito sale fricto operiri vas, & gypsari iubet, & terrenis locis esse seruandum.

Si fœtidum oleum sit.

Si fuerit oleum odoris horrendi, præcipit idem author virides oleas sine of-

ſibus tundi, & in vaſa per ſolis calorem mitti. Si baccæ defuerint, caules tenerrimos oleæ ſimul eſſe tundendos. Nonnulli vtraque permiſcent, adiecto etiam ſale, ſed omnia intra linteum clauſa ſuſpendunt, atq; ita in vas olei demittunt, poſtea tribus diebus exactis auferunt, & agitantes, vbi conquieuit, in alia vaſa transferunt. Quidam mittunt vetuſtum laterem torrefactum, pleriq; panes hordeaceos breuiter friatos, & raro linteolo inuolutos mergunt, & nouos ſubinde permutāt: vbi hoc bis, aut tertio fecerint, ſalis callos, vel micas mittunt, & in alia vaſa tranſlatum paucos dies ſubſidere patiuntur. Alii ſertulam campanam oleo delibutam interdiu, noctuq; macerant. Palladius ex Græcis eadem.

Aliquod animal in oleum illapſum, ſi eius odorem vitiauerit.

Quod ſi aliquod animal fortè deciderit, & oleum putri nidore vitiauerit, iubet Democritus coriandri manipulum in olei vaſe ſuſpendi, atq; ita paucis diebus manere: ſi nihil de nidore deceſſerit, immittendum eſt coriandrum, donec ſuperetur hoc vitium. Quidam fœnigræci ſemen ſiccum, tritumque permiſcent, vel incenſos oleagineos carbones in oleo frequenter extinguunt. Si acerbus odor fuerit, vuæ acinos, quos gigarta Græci vocant, præcipiunt tuſos, & in maſſam redactos merſari, & poſt denos dies gigarta eximunt, agitātq; oleum, & in vaſa munda decapulantur. Palladius eadem ex Græcis transfert.

Vt oleum turbidum ſedetur.

Si oleum turbulentia vexet, Tarentinus ſuadet in fideliam ampli oris coniectum oleum inferueſcere, tenuiſſimumq; ſalem frictum inſpargi, & vbi ſubſtiterit, ſpurcum oleum elutriari. Pellucidum efficies oleum: ſi corticem, & ramos oleaginos cum ſale detritos, & linteo concluſos in vaſe ſuſpendas.

Vt oleum Hiſpanico ſimile facias.

Damageron oleum Hiſpalienſi ſimile conficiebat hac ratione, Olea ſincero, & omni ſpurcitia repurgato, vbi effeibuerit, triplum aquę minimè feruentiſſimæ, & exiguum ſalem in farinam detritum confundebat, & tantiſper conturbans agitabat, dum in vnum coire perciperet: tum ſpatio quodā conquieſcere patiebatur, donec iniecta aqua inſtar amurcæ ſubſideret, dein oleum concha deplebat, idque iterum faciebat, poſtremo ſuccum recentium foliorum oleæ commiſcebat, vt amarulentiam quandam oleum contraheret, & poſt triduum, vbi conſtitiſſet, ad vſus depromebat. Alii in pilam eodem ſucco prolitam oleum defundebāt, & cum vocaret neceſſitas, Hiſpani vice in vſum veniebat.

Albæ oliuæ quomodo condiantur. CAP. XXXIV.

ADMONET me ſcribendarum rerum ordo, vt de condiendis oliuis edifferam aliqua, cùm maiores noſtri, qui de agricultura ſcripſerunt, olearum condituras præcipue docuerint, vt crebrior ſit eius vſus, qui patrifamilias perneceſſarius videbatur, & inter eas, quas recenſuimus oleæ dotes, ob

id præsertim commendauimus, quòd secundis mensis inseruiat. Hæ enim ante omnia edulia comestæ, si Paulo credimus, cibi appetentiam cõmouent. Sed diuersæ sunt, vt earum genera, conditurę, nam alia in cadiuis, alia in lectis, alia in albis, nigrisve erat. Et primo de cadiuis dicendum, quam M. Cato edocet, nulla collectionis, aut temporis, vtpote propter illarum casum, perscripta ratione. Pulmentarium familiæ, inquit, oleæ caducæ quamplurimum condito. Postea oleas tempestiuas, vnde minimum olei fieri poterit, eas condito, & partito, vti quàm diutissime durēt. Docet & alibi. Oleæ albæ, antequam nigræ fiant, contundantur, & in aquam deiiciantur, crebro aquam mutet. Deinde vbi satis maceratæ erunt, exprimat, & in acetum coniiciat: oleum addat, & salis selibram, in modium olearum feniculum, & lentiscum seorsum condat in acetum. Si vnà admiscere voles, cito vtitor, in orculam calcato manibus siccis: cum vti voles, sumito. Oleam albam, qua vti secundum viridentiam voles, sic condito, musti tantundem addito, quantum aceti. Cætera item cōdito ita, vti suprascriptum est. Oleæ orchites, posiæ optimè conduntur, vel virides in muria, vel in lentisco contusæ. Et ab eo eadem M. Varro recitat. Columella sampsas vocat olearum carnes comminutas sine ossibus, quæ condiuntur, & ad cibi vsum reponuntur. docetque quomodo fieri possint, vt tertio die vti possis. Mense Septembri pauseam acerbam cōtunde, & aqua calida paululum maceratam exprime, feniculiq; seminibus, & lētisci cum cocto sale permistam reconde in fideliam, & mustum recentissimū infunde. Inde, vt mergantur oliuæ, fasciculum viridis feniculi superpone. At si toto anno vti voles: Pauseam orchitem, radiolum, vel regiam contunde, illico in frigidam muriam iniice, amphoræ imo aridi feniculi fasciculum substerne, exemptas de muria exprimito, & in vas cū viridis feniculi & lentisci seminibus districtis permisce, dein recentis musti partes duas, & vnam duræ muriæ adiicito, & seruato. Alii non contundunt oliuas, sed arundine insecant, & cādidior remanet oliua. At si lautioribus mensis adhibere velis, & vt contusa quamcunq; recipiat condituram: Pauseas vel regias integras eligito, conicito in amphoram vt diximus, inde duram muriam adiicito, vt ad summum amphoræ labrum perueniat, & cùm res exigit, de amphora promito. Oleæ poseæ cùm decolorantur, cum petiolo leguntur, & in oleo seruantur, vt post annum repręsentent viridem saporem, ac trito sale aspersas pro nouis apponunt. Palladius addit: Oliuas quas iacentes repereris, rugis contrahentibus crispas colligis, & salibus tritis respersas expandis, donec sole inarescant. Tunc substrato lauro alternas crates baccarum sæpius ordinabis. Tunc defrutum cum satureiæ fasciculo duabus, aut tribus vndis feruere patieris. Et postquam tepuerit, supra compositas baccas refundes admisto sale paululo, & origani fasce coniecto, supra ius omne perfundes. Florentinus, Albæ oliuæ aqua marina sex diebus macerantur, mittuntur in vas, & mustum superfunditur, non repletur vas, ne in feruore effundatur mustum, vbi infer[b]uerit, oblinunt. Alii salis pugnum præmittunt. Plini-

us, Fiunt & precoces feruenti aqua perfusæ quamlibet immaturæ. Nos nostri æui condituram apponemus, vt breui tempore condiantur, viridi colore seruato. Sumito viuæ calcis libras sex, querni cineris duodeuiginti, admisce aquam, quantum ad dissoluendum sufficiat, & in ea macerentur libræ viginti quinq; selectarum olearum, accommodando ne se inuicem premant, lignea rude leuiter permiscendo, post diei medietatem exime, & vide an pulpa ab osse recedat, quod est optimæ maturationis signum. Inde lauentur aqua, & in ea quinis, vel senis diebus macerentur, sæpius aqua permutata, eximito post, & condito in muria, in qua ferbuerit feniculus in plures partes dissectus: seruetur q; fictili, sed ternis quibusque mensibus immutetur muria.

Nigræ oliuæ conditura. Cap. XXXV.

CATO docet. Orchites vbi nigræ erunt, & siccæ, sale confricato dies duos, postea salem excutito, in solem ponito biduum, vel sine sale in defrutum condito. Eadem habet ab eo M. Varro. Columella ita docet. Pausias, orchites, & næuias, cum nigruerint, & immaturæ fuerint, sereno cœlo manu districtas secernere conuenit à vitiosis: dein in singulos modios oliuæ salis integri ternas heminas adiicere, & in vimineos qualos confundere, finito triginta die consudascere, & amurcam excollare, postea in alueum diffundere, spongia salem munda, & in amphoram iniice, sapa, vel defruto reple. Alii tres partes defruti, & vnam aceti, alii duas, & vnam aceti miscent. Alii eodem modo saliunt, & collocant in qualis, immistis seminibus lentisci, alterna tabulata oliuarum, & salis, & post quadraginta dies mundas oleas in alueum defundunt, adiecto defruto, vel sapa, vel melle. In singulos modios oliuæ singulos sextarios maturi seminis anisi, lentiscíq;, & ternos cyathos seminis feniculi, salis cocti non moliti ternas heminas admisceri, & in amphoras condi, feniculi fasciculis obturari, & quotidie per terram volutari, & tertio aut quarto die, quicquid amurcæ est mitti oportet. Post quadraginta dies in alueum diffundi, & à sale separari, sine spongiis, & in amphoram condi. Didymus: Vinacea recentia prius quàm exprimantur, vnà cum oliuis vicissim interpositis in vas condes, & oblines. Florentinus: Oliuas longas nigras, pulcherrimas, cum ramulis integras accipe, & aqua frigida lotas in cratibus siccato, dein in peluim mittito, affuso oleo, ac salectrito chœnicis mensura ad nouem oliuarum, leniter manibus commoueto, in vas translatis acetum mulsum affundito, vt supernatet liquor, & feniculo obturatum vas reponatur. Plinius: Sidicinæ sale priuatim condiuntur, & vt reliquæ amurca, sapáve.

Colymbades oliuæ quomodo fiant. Cap. XXXVI.

DIDYMVS ita docet. Oliuas, ppè maturas cum pediculis suis lectas, frigida aqua lotas, per diē vimineis cratibus assiccato, leuiter cōuertendo, ac in imum vasis sale immisso, muriæ congiis quatuor, & aceti heminis tribus

infusis, olearum chœnices viginti mittito. Expletum vas commoueto, & ius supereminear. Alii in marinam aquam oleas immittunt, post dies quinque, vel septem eximunt, & in vase cum muria coniectas reponunt, idq; cum solstitium est, faciendum. Palladius Nouembri mense. Colymbades oliuę sic fiunt. Alternis cratibus oliuarum puleium spargis, & mel, & acetū, & sales modice, stratura intercedente suffundes. Item sternes oliuas supra surculos feniculi, vel anethi, siue lentisci, & ramulis oliuæ subditis, aceti heminam, & muriam superfundes, & has constructiones vsque ad vasculi plenitudinem patieris insurgere. Columella, Maturam oliuam in stratura factam colymbadem de muria tollito, spongia tergito, deinde canna viridi scindito duobus, vel tribus locis, triduo in aceto habeto, quarto die spongia extergito, in vrceum nouum mittito substrato apio, & modica ruta: concisis deinde pleno vase oliuis immitte defrutum vsque ad os. Lauritutiones mittito, vt oliuas deprimant, post dies viginti vtere. Plinius: Nec non aliquæ oleo suo sine accersita commendatione puræ innatant colymbades, franguntur eædem, herbarumque viridium sapore condiuntur.

De amurca. CAP. XXXVII.

DIXIMVS de oleo, dicemus de amurca. Ex olea enim fructus duplex, vt M. Varro inquit, oleum quod omnibus notum, & amurca, cuius vtilitatem licet videre ex torculis oleariis fluere in agros. Dicitur Græcis amorgi, & trix, à qua tragœdiam primum denominatam dicunt, authore Donato, quòd ea scenici ad personarum vsum ora sua perluerent, quod primo Æschilum reperisse dicunt. A quo Horatius,

Ignotum tragicæ genus inuenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis:
Quæ canerent, agerentq; peruncti facibus ora.

Latinis amurca dicitur. Plinius: Amurca est oliuæ sanies amara, quæ fit ex aquis, ideo siccitatibus minima, riguis copiosa. Est enim sedimentum, & fæx olei amara, vetustate fit melior. Cato, vt ab eo initium sumamus, summis laudibus extollit, quas omnes Plinius in vnum collegit: Dolia olearia, cadosque illa imbui, ne bibant oleum. Amurca subigi areas terendis messibus, vt formicæ, rimæq; absint. Quin & lutum parietum, ac tectoria, & pauimenta horreorum frumēti, vestiarium etiam contra teredines, ac noxia animalia, amurca aspergi: semina frugum perfundi: morbis quadrupedum, arborum quoq; illa mederi, efficaci ad vlcera interiora humani quoque oris. Lora etiam ac coria omnia, & calceamina, axesq;, decocta vngi, atq; æramenta contra æruginem, colorisq; gratia elegantioris, & totam supellectilem ligneam, ac vasa fictilia, in quîs ficum aridam libeat asseruare, aut si folia, baccasque & virgas myrti, aliúdve id genus simile. Postremo ligna macerata amurca, nullius fumi tedio ardere. Præterea amurca olearum radicibus infusa, feraces, &

meliores.

meliores efficit. Et fici grossos continebunt eadem radicibus satiatis. Conuolnulus in vinea non nascitur, si vitem circum caput, & brachia perunxeris amurca. Pecudes & oues detonsæ ea illinuntur, nec scabræ fiũt, nec ricini molesti erunt. Boues, qui cibum fastidiunt, si pabulum amurca conspergas, magis cupide appetunt, & corpore valebunt. M. Varro ait amurcam non solum denigrare terram, sed multitudine facere sterilem, cùm is humor modicus, cum ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer, quòd circum arborum radices infundi solet, maxime ad oleam, & vbicunque in agro herba nocet. Idemq; de ea promenda, & tuenda hæc habet. Amurca cum ex olea expressa est, qui est humor aquatilis, ac retrimentum conditum in vas fictile, id quidam sic solent tueri: diebus 15 ex eo, quod est leuissimum, ac summum, depletur, vt traiiciant in alia vasa, & hoc iisdem interuallis duodecies. In sex mensibus proximis id faciunt. Cum id nouissime faciunt potissimũ traiiciunt, cum senescit luna, tunc decoquunt in ahenis leui igni duas partes, quoad regerunt: tum deniq; ad vsum rectè promitur. Virgilius amurca profundi iubet fabam, ac sic grandescere promittit.

Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset.

Columella vtitur ea contra animalia, quæ segetes carpunt, eroduntq;.

Sed ne dira nouas segetes animalia carpant,
Profuit interdum medicantem semina pingui
Palladia sine fruge salis conspergere amurca.

Neq; hac libenter carerent medici, si quot, & quanta ad morbos quamdifficillimos curandos præstet remedia, scirent.

De aliis olei generibus. Cap. XXXVIII.

NON erat Catonis æuo fictitium oleum, ob id arbitratur Plinius nihil ab eo dictum, sed Plinij tempore genera plura, nostro plurima: primumq; persequemur ea, quæ ex arboribus, postmodum ex herbis, & primo de nucibus. Fit ex nucibus iuglandibus, quod caryinon vocant, iners, & graue sapore, enimuero si quid in nucleo putridi fuerit, totus modus deperit. Nũc Cisalpina Gallia vtitur ad lucernarum lumina, & ad esum. Ad lumina secernunt vitiosas ab integris, & illæsis, his secundis mensis, illis ad effusionem vtuntur. Lumen clarum efficit, nec est inter omnia, quæ copiosius oleum effundat, nam fere tota in oleum vertitur, vt libra vna mundatarum nucum, vncias ferè olei decem fundat. Sequitur auellana, quæ copiosum, odoratum, & optimum oleum effundit, quo etiam ad cibarium vsum vti poterimus, & libra vna octo vncias olei fundit, quod superior ætas ignorauit. Amygdalinum oleũ ex dulcibus optimum est, ex amaris ad medicamenta vtimur. Dioscorides conficiẽdi modũ demonstrat. Amygdalæ amaræ sextarios octo purgant, assiccantq;: vbi

exaruerint, piſtillo ligneo in mortarium collatas contundunt; quoad maſſa fiat. Hanc heminis duabus feruentis aquæ aſperſam, ſemihoram dimittunt, vt perbibat, poſtea vehementius iterum tundunt, deinde ad tabellam prementes cremorem excipiũt, & quod in digitis pingue adhæſit, in cornicula effingunt, ac tergunt, rurſusq; in id, quod preſſerunt, heminam aquæ vnam infundunt, & ſpatio vt combibat interpoſito, iterum exprimũt, forma, qua prius. Iuſtum eſt vt octo ſextarii heminam reddant: eodemq; nos extrahimus modo. Ex piſtaciis etiam optimum elicitur ad eſum, & ad remedia. Ex fructibus nucis pineæ, ſcilicet ex nucleis oleum ad lumina ſatis copioſum elicitur, ex vitiatis cum ſeliguntur. Plinius Indos ex caſtaneis oleum facere dicit, quod difficillimum videtur, cum experientiæ non ſucceſſiſſet, ſaltem perparum. Ex roborum glandibus elicit oleum Ciſalpina Gallia, quo ad lucernarum lumina vtitur, ſed valde paucum. Plinius: Inopia cogit aliquando luminum cauſa & è platani baccis fieri, aqua, & ſale maceratis: ſed etiam perpaucum. Sed ex fagina glande copioſum, optimum elicitur, & ad cibarium vſum, & ad lumina: lumen clarum reddit, & ſapore eſt, vt dulcium amygdalarum, totaque fere in oleum abſumitur, vt nuces iuglandes. Quo vetuſtior, eo copioſius oleum promit, ex expreſſis fraces ſaginandis bubus, & ſuibus egregiæ. Paruo impendio colligitur, mundatur, tunditur, exprimiturque. Laurinum è baccis priuſquam maturæ ſint, iam tum colorem mutantibus. Has in aqua decoquito, pinguedinē quandã cortices reddent, euocabitur ea diuerberatis manu, cum cremorē in cornua colligito. Palladius fere vt Dioſcorides: Ianuario menſe lauri baccas quamplurimas, & maturitate turgentes in aqua calida bullire facias, & vbi diu ferbuerint, olei, quod ex ſe dimiſerint, ſupernatantis vndam, pennis leuiter cogentibus in vaſa transfundes. Lentiſcinum ex maturis lentiſci ſeminibus eodem inſtruitur modo, vt de lauro diximus. Palladius præciſius docet: Grana matura lentiſci quamplurima colligis, & vna die, ac nocte ſupra ſe aceruata eſſe patieris, deinde ſportam granis eiſdem plenam cuicunque vaſculo ſuperponis, & calida adiecta calcabis, & exprimes. Tunc ex eo humore, qui defluxerit, ſupernatans oleum lentiſcinum, ſicut laurinum colligetur. Memento autem, ne rigore poſſit aſtringi, aquam calidam ſæpe ſuffundere. Ex toto hoc noſtro Surrẽtino tractu copioſum eliciunt: ſimili etiam modo fit terebinthinũ, quod docet Damageron: ſi terebinthi fructus in mola quemadmodum oliua, molatur, & exprimatur. Ipſi autem nuclei in porcorum cibum veniunt, atque igni etiam alimentum ſufficiunt. Expreſſimus etiam ex arbore pſeudoſicomoro quam vocant: quippe ſemine copioſiſſima, & hyeme eius rami onerati ſeminibus ſolis conſpiciuntur. Februario menſe collegimus, & friauimus, os in ſex vel ſeptem partes rumpitur, nuclei pyro aſſimilantur, tunduntur, & aheno calefacti, prælo ſubiecti, oleum remittunt, claram lucē efficit in lucernis, quartamque partem ſeminis olei effundunt. Ex ſanguinea arbore etiam bonum ad lumina oleum exprimitur. Septembris medietate acini maturi ex corymbis decerpan-

decerpantur, finito paucis diebus siccescãt, tundãtur, ac aqua aheneo vase per horam ferueant, prælóque subiiciantur, oleum viridis coloris habebis, septimam ferè partem seminum: hoc vtuntur monticolæ. Ex vuæ acinis, siue seminibus, quæ Græci gigarta vocant, oleũ exprimitur. Cisalpina Gallia ex contusis iis, calefactis, & torculari expressis, sed paucũ excipit. Verùm luminibus aptissimum, quia clarissimum lumẽ reddit. Ex herbis copiosissimum extrahitur. Proximum fit è cici (vt Plinius inquit) arbore in Ægypto copiosa, alii crotonem, alii trixin appellant, ibique non pridem. Et in Hispania repente prouenit altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, semine vuarum gracilium, pallidarumque. Nostri eam ricinum vocant à similitudine seminis. Coquitur in aqua, innatansque oleum tollitur. At in Ægypto vbi abundat, fine igne & aqua sale aspersum, exprimitur, cibis fœdum, lucernis vtile. Dioscorides clarius docet, Ricinos eius maturos in solem conferto, expansosque vuarum modo sternito, vt perarescant, nec dimoueto antequam cortex sponte rumpatur, & cadat, tum fraces eorum collectas in mortarium diligenter contundito, & in lebetem plumbatum relatas, igne inferuefacito, vbi verò succum omnem ita reddiderint, ignem subtrahito, atque oleum omne, quod innatat, tollito, & in parua colligito cornua. In Ægypto vbi abundat, aliter elicitur. Repurgati, deglubitique ad trusatiles molas feruntur, vbi diligenter franguntur, pistitos in sportulam coniiciunt, deinde machinamẽtis cremor omnis exprimitur. Tempestiuitas ricini ad decerpendum, cùm folliculi, quibus ambitur, abscedunt. Scribit Plinius ex oleo fieri obscurum lumen propter nimiam pinguedinem, ob id ellychnia ex vua fieri, claritatis præcipuæ. Nos Septembris hic medietate collegimus, tunc cùm spinoso operculo, & tunica semen integente spoliatur, calido aheno facillime mundatur, olei pondus seminis medietatem refert. Bis tunditur, exprimiturque. Ex sesama Indi oleum facere dicuntur: fit, vt superiora fieri diximus, copiosum & optimum remittit. Plurimum in Ægypto ex raphani semine, vtunturque obsonandis cibis vnà decocto. Cisalpina Gallia ex raphani, & raparum semine elicit. Sed rapæ Nouembri mense solo euelluntur, ac sabulo obruuntur, cum suis frondibus, Martio mense plantantur, vt Maio semen proferant: nam nisi euellantur, hyemis frigore gelantur. Sed aliud est rapi genus, quod Iulio serunt, sarculatur, vere prosilit, Maio reddit semen. Ex quarta modii parte duodeuiginti olei libræ eliciuntur, bonum luminibus, & cibis plebis. Si huiusmodi semine integrum iugerum seminabis, quinque seminum onera colliges, & ex vnoquoque olei libras ducentas percipies. Aratur, sarculaturque solum. Ex myagri semine copiosum elicitur oleum ad lumina. Cisalpina Gallia ex quodam semine, *dradella* dicto, aurei coloris, copiosum sibi comparat oleum. Folia sunt ei laciniata syluestris erucæ, quod inter legumina serunt. Eodemque modo ex vrticæ, & sinapis semine, & lini ferè vbique, quod lucernis plus durat. Ex oriza Indos oleum facere scribit Plinius.

Oleæ, & oleaſtri materies. CAP. XXXIX.

DE oleæ, & oleaſtri materie hæc habet Theophraſtus. Olea ſpiſſa eſt corpore, atq; criſpa, ideoq; ex radicibus olearum minora ſimulachra ſculpebant, quod carnis æquabilitate conſtarent, neque dehiſcerent in rimas. Eius materiem perpetuam dicunt amaritudinis cauſa, neq; tinea rodit, neq; teredo exeſt. Medulla eius orbicularis non eſt, quia medulla carere omnino exiſtimatur. Nec diſtrahi poſſe autumant, id eſt vt mota medulla, contorqueatur materies. Pondus ſubſtinere non valide poteſt, & nonnunquã rumpitur. Malleus & terebra ex oleaſtro optime fiunt. Ignem quamuis optimè ſubditum excipiat, quod pingui, & ſpiſſa materie ſit, ignariis tamen ſuo virore æterno ineptiſſima habetur. A quo Plinius. Nec carnem, nec adipem habet olea, nec medullam, minimumque etiam ſanguinis. Cariem vetuſtatemq; non ſentit oleaſter, & olea. Rimam, fiſſuramq; ſponte non capit. Omnia in maritimis nauibus obnoxia teredini tradunt, præter quàm oleaſter, & olea. Incuruatur, ceditq; ponderi. Terebris vaginas ex oleaſtro, & malleos vtiliſſime fieri dicunt. Lignum ex quo Vlyſſes Polyphemo oculum transfixit ex olea fuit, autthoribus Homero, & Euripide. Et ſecuris manubrium, quod Vlyſſi Calypſo dedit eodem ſcribente, etiam oleagineum fuit. Fumus, qui ex olea exurgit, caput grauat, & caliginem ob oculos obducit.

Super olei natura veterum Philoſophorum aliqua notatu digna. CAP. XL.

QVÆRIT magnus Peripateticus, cur oleum facile ſtet, & vinum rarenter congelaſcat. Vinum idcirco minus cito coaleſcit, quod ſemina quædam caloris in ſe habet, eſtque natura ignitius, ob eamque rem ab Homero dictum æthopa œnon, id eſt calidum vinum, potumque calefacit corpora, ſed oleum quoque calorificum eſt, nec minorem vim corporibus calefaciendis habet. Sed ſi iſthæc, quæ calidiora ſunt, difficilius gelu coguntur, congruens eſt, vt quæ frigidiora ſunt, facile cogantur, acetum autem omnium frigorificum eſt, atque id nunquam tamen concreſcit. Num igitur magis cauſa oleo coaguli celerioris in leuitate eſt, faciliora enim ad cocundum ideo videntur, quæ leuatiora, leuioraque. Ad explicandum quoq; olei naturam & illud pertinet, quod potum vomitum cit, & præſertim flauam bilem: cuius ratio eſt, quod leue ſit, & ſuperna petens, cibos ipſos elicit, ad ſtomachum eleuans, ſtomachus verò grauatus vim egeſtiuam ad vomitum exuſcitat, præcipue flauam bilem, vtpote leuem, tenuiſſimam, ac facile ſurſum euadentem. Quæritur etiam cur oleum inter cætera liquida non remiſceatur: quoniam glutinoſum eſt, & in ſe reductum nequit diſſecari in minutiores portiones, reliquiſq; liquoribus immiſceri. Quæritur etiam vinum cur medium optimum, mel imum, oleum ſuperfluens? Inquit enim Heſiodus, cùm ad medium dolii peruentum eſt,

est, comparcendum, cęteris eius partibus ad satietatem abutendum, optimum proculdubio vinum significans, quod in dolii cōsisteret medietate, quod symposiorum septimo idem comprobat Plutarchus. Cuius ratio est. Quod mel quoniam crassum sit, & terrestrem prorsum naturam resipiat, melius in imo est. In oleo, quod superfluit ideo creditur præcellere, quoniam aerium sit, ac proinde superna scandat, naturæ suæ vi, compari ratione vinum in proprietatis vtriusque participatum veniēs ad dolii mediana creditur præcellere. Plutarchus verò inquit, quod vini vis calida censetur, ob id ad medium sese colligere videtur, inibique bonitatem confouere: nam quod inferius est, quia fæculēta impuritate permixtum est, sapore deterius sentitur: quod verò in summo est, ex aeris conuiciniafacile corrumpitur, & illius permistione diluitur.

IOAN. BAPTISTAE

PORTÆ NEAPOLITANI

VILLAE

LIBER SEPTIMVS

SIVE

VINEA.

PROOEMIVM.

IAm oliuetum clausimus, ordo flagitat, vt vineam aperiamus, vt vuarum & vini voluptatem, & vtilitatem degustemus. Absoluta enim arborū commentatione, ad cætera è terra nascentium genera perueniamus. Eum tamen rogatum velim, qui hanc nostram ingreditur vineam, ne ipsum vlla sui honoris gloria defraudatum iri sibi persuadeat, si in septimū librum reiecerimus, quum maximus Cato in iuris censu principem ei locum assignauerit, nam vt & stirpium dignitati & scribendorum seriei, vno eodemque tempore consuleretur, nunquam præstare potuimus. Vitis enim neq; arbor, neq; frutex, suffrutex, aut herba est, sed variæ veterum agricolarum sententię, medium inter hæc quoddam esse censuerunt. Theophrastus quod simplici caudice, ramis brachiata, surculosa, dissolutuque contumax assurgat, eam ar-

borē appellat. Columella verò libro de arboribus arborem ficū, & oleā vocat, rosam fruticē, vitem autem tertiū quiddam, quod neq; arbor neq; frutex propriè dici possit. Cōsultò igitur post arbores de vite dicemus: frutices, & herbas, dicturi in subsequētibus. in præceptionib. Theophrastū, & Columellā sectabimur, qui inter ceteros de vinea diligentius, accuratiusq; scripsisse visi sunt.

De vitis & vini laudibus. CAP. I.

VITIS laudes à iucunditate, vtilitate, & necessitate desumemus, quas humanis corporibus affert, & adeò insignes, vt ad humanæ vitæ commoda, maxima Dei benignitate fuisse elargitam agnoscere debeamus. Vitis fructus (vt hinc incipiam) ęstate optimus esu, iucundissimè sapit, nutritq;, & in arbore sua vsq; ad hyemem viuit, inde laquearibus suspēsus, vsq; ad aliorum prouentū viridis suas prorogat moras, vt vetus simul, & nouus conspiciatur: mox passus, assiccatusq;, non solū anno, sed pluribus annis asseruatur, vt commodè in alienas regiones transferatur. Ex eius succo fit vinum, cuiusmodi liquori tantum tribuisse ferunt Æsculapium, vt æqua illum cū numinibus lance statuerit. Homerus Deum fecisse scribit vinū, curis mortaliū & mœstitiis dissipādis.

O Menelae dii fecerunt optima vina,
Quæ tristes hominum curas dispellere possint.

Plato vinū remediū vocat senectutis: nā eius potu mœstitiæ obliuione capiuntur senes, vt iuuenescere videātur. Niceratus à Poetis nil optimū fieri posse dicit, nisi prius biberint, ac plus etiam quàm sit æquum. Alexis eos, qui se largius inuitant, vinum loquaces reddere. Vnde author in Cratinum.

Vinum equus est lepido promptus, veloxq; Poetæ,
Si potantur aqua, nil pariu egregium.

Diphilus comicus ait vino conciliari bibentibus risum, sapientiam, docilitatem, & bona consilia.

Prudentibus, ac cordatis omnibus amicissime
Bacche, atq; sapientissime, quam suauis es,
Abiecti magnifice vt sentiant de se, tu solus efficis,
Superciliosis & tetricis persuades, vt rideant,
Ignauis vt audeant, vt fortes sint timidis.

Est enim liquorū omnium suauissimus, purissimum generat sanguinē, ocyssimè vertitur in alimentum, concoctionē adiuuat, cerebrum purgat, intellectum auget, cor exhilarat, spiritus viuificat, flatus discutit, innatū calorem roborat, cibi appetentiam inuitat, obstructiones aperit, & calorem conciliat. Auicēna semel saltem in mēse ebrietatē admitti debere iubet, vt inde insigne sequatur humanæ vitæ emolumentum: nam animalibus virtutibus leuamentū, & quies inducitur, somnus profundior conciliatur, ac sudore, quæ superfluerint, resoluit. Vitæ conciliator etiā est: nā veneno obluctatur, & quæ veneno obluctantur, vitæ salutaria censentur. Cicuta homini venenum est, cicutæ vinum mox haustum. Plato libro de legibus inquit, ad bonam valetudinē vsum

vini

vini conducere, vnde de dando eo volumen Asclepiades scripserit. Nec solùm gustatum corpus egregiè alit, sed eius exhalans odor spiritus excellenter nutrit, voluptate sensus omnes deliniens, calidum, odorum, ac nitens. Muesitheus ad remedia mille præstare ait,

——— vinum Deos
Mortalibus monstrasse rectè vtentibus,
Illos enim, modestè qui bibunt, alit,
Animumq́ pariter, & corpus roborat,
Ad vsus medicinæ varios est vtilissimum.
Miscetur iis, quæ propinantur pharmacis,
Vlcera lauare corpus vino expedit,
Animum exhilarat.
Quapropter Bacchum omnibus in locis vocant
Medicum, quibusdam verò edixit Pythia,
Bacchum vocandum sanitatis præsidem.

Horatius nullam esse posse hilaritatem in eo, qui aquam bibat, inquit festiuè ad Mecenatem:

Prisco si credas, Mæcenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, neque viuere carmina possunt,
Quæ scribuntur aquæ potoribus.

Socrates apud Xenophontem, vinum, ait, non aliter mœrori mederi, quàm mandragora hominibus, lætitiáq; non aliter excitare, quá oleũ inspersum igni flammá adauget. Apud Philostratũ vinitor sub vite considendũ Phœnici suadet, quod ex ea spirare soleat lætitia. Et Salomon ait, Exultatio animæ & cordis vinum moderatè sumptum: ad iucunditatem enim creatum est. Maro,

Adsit lætitiæ Bacchus dator.

Apud Homerum si aliqua celebratur hilaritas, ipsa pauimenta vino natant, & musica, quæ ad hilaritatem comparata, nullo alio magis stimulo comparatur, quàm vino. Ouidius,

——— nec non & carmina vino
Ingenium faciente canunt.

Tibullus Osirim vitisatorem laudans, ita cecinit.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.

Si vtilitatẽ autem, quá ex vitibus percipimus, inspexerimus, vberiorẽ cęteris rebus reditũ percipiemus. Proinde M. Cato & illũ sequutus Varro, singula iugera vinearũ sexcentas vini vrnas præbuisse scribũt. Narrat Columella vitẽ effudisse vuarũ numerum duorũ millium, & apud eum octogenæ stirpes insitæ intra bienniũ septenos culleos peræquatũt, vt primæ vineæ cẽtenas amphoras iugeratim pręberẽt. Probauitq; Iulii Gręcini calculo, si quis agri iugera, & dotẽ, & pedamenta, & vimina cõparauerit, pretiũq; vsurę soluerit biennii temporis,

quo vinea, velut in infantia, cessat à fructu, etiam vinitoris mercedem soluendo, ac omnium vsuram, reditum è vineis sortem & vsuram longè superare. Vnde ipse nil magis rusticis conuenire quàm vitem colere præcepit. Idemque refert Paridium quendam Veterensem duas filias, & vineis consitum habuisse fundum, cuius partem tertiam nubenti maiori filiæ dedisset in dotem, ac nihilo minus æquè magnos fructus ex duabus partibus eiusdem fundi percipere solitum. Minorem deinde filiam nuptui collocasse cum dimidia parte reliqui agri, nec sic ex pristino reditu detraxisse.

De vitis, & vini inuentore. CAP. II.

ATHENÆVS Dipnosophistarum libro 2. refert, Hecatæum Milesium dixisse in Ætolia vitem primum inuentam fuisse: Orestea Deucalionis filium ad Ætoliæ Regem venisse, illique caudicem suam canē peperisse, quem quū defodi iussisset, natam ex eo vitem vuis onustam, ac ideo gnatum suum φύτιον, id est satorem appellasse, nepotemq; ex illo genitum OEnea, à vite scilicet, quam prisci Græi οἰνάδα nuncupabant, Ætolumque ab OEneo fuisse procreatum. Virgilius Bacchum primum vino aquam miscuisse dicit,

Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit arista,
Poculaq; inuentis Acheloia miscuit vuis.

Ex quo Probus hæc notat: Ætolus pastor Staphylinus nomine, quū OEnei capellas in pabulum deduceret, notauit vnā præcipuè egregiè lætiorē, ac cæteris se in præsepia serius recipientem, cuius rei vt causam cognosceret, sequutus eā olàm est, & in remota stirpe animaduertit vuam edentem, pomum ei incognitum, substulit ergo, & OEneo Regi protulit, qui expresso humore delectatus est, quumq; eum vetustate cognosceret mitescere, Libero patri, à se hospitio accepto apposuit, cuius rei cultū quùm demonstraret Libero, vt perpetua inuentorū esset gloria, constituit, vt ab OEneo œnon appellaretur vinū, à Staphyle, vua staphylis. Varro Bacchum vitis repertorē vocat: nā quum capræ vitis virgulta carperent, eamq; corrūperent, esse institutum, vt Libero patri vitis repertori hircus immolaretur, videlicet vt capite pœnas daret. Ex Theopompo accepimus apud Chios vitem primū nigram esse inuētam, quin eosdem omnium primos ab OEnopione didicisse vitē colere. Philonides Medicus tradit vitē à Baccho in Græciam è mari rubro translatam, quapropter Græci, quū temetum inter cœnandum infertur mensæ, elato clamore bonū Deum vocat illius inuentorem Bacchum. Tibullus Osirim vitisatorē laudat. Sunt qui Rheæ vitem sacram dicant. Et eiusmodi deæ de vite fieri simulacrum tradit Ephorion. Accius in Bacchis Dionysium primum vitem plantasse ait: O Dionysie pater optime vitisator Semele genitus. Ouidius idem putat,

Additur his Nyseus, intonsusq; Thioneus,
Et cum Lenæo genialis consitor vuæ.

Recitatq; de eo hanc fabulā. Quum amaret Iuppiter Semelem Cadmi filiā,

& ipsa

& ipsa ex eo concepisset, accessit ad eam Iuno, formam gerens Beroës anus, initoque cum ea colloquio, perquisiuit num à Ioue diligeretur, cui respondit, arbitrari se diligi. tunc docet Iuno, vt cognoscat si ametur, vt promittat Iuppiter eo pacto secum coniungi, quo cum Iunone coniungeretur, interposito Stygis iuramento. Semele experientiæ auida, venienti deo iuramentum, & inde munus poposcit; condolens Iuppiter ne aduersus iuramentum ageret, fulminauit, & è mortuæ vtero filium traxit, suoque apposuit femori, donec tempus partus perficeretur. Hunc primum Ino nutriuit, mox Nymphis tradidit, quæ ei alimenta dedere, & ne à Iunone inueniretur, hederis occultauere. Sed per hanc fabulam quid Physici intelligant enucleemus. Per Bacchum vinum intelligitur, per Semelem vitis, quę ex Ioue, id est, ex calore in altum humorem terræ immixtum per vitis poros trahente, se prægnantem, vel turgidam facit, & in palmites, botrosq; succos, tanquam in conceptum fœtum emittit. tunc fulminatur, quum adueniente autumnali calore, non in maturitatem, sed potius in corruptionem conceptum fructum ducit, vnde auferatur necesse est, & femori Iouis, id est, alteri calori applicetur, quod euenit quum pressum vinum ad bulliendum traditur, donec bullitione defæcatum, potui aptum reddatur. Ino in contectum fert, ne à Iunone, id est, ab aëre corrumpatur, scilicet in vegete seruatur. Vel aliter sic. Semele prægnans ex Ioue, id est, vitis vere turgens, fulminatur, id est, æstiuo calore concoquitur, tunc apertis botris conceptum emittit, qui Iouis femori, id est, calori applicetur, vt quod ex matre non habuerat, in vegete maturitatem concipiat. Ino eum occulit, id est, pampinis tegitur, illum nutriunt Nymphæ, id est, nocturnis humiditatibus instauratur, quod diurno calore fuerat exustum. Silenus senex eius alumnus est, quòd senes non esca, sed potu sustentantur. Semper Bacchus est iuuenis, quòd vini vires nunquam senescant. Nudus est, quod omnia secreta propalet. Græci Bacchum dicunt primum vitem plantasse Thebis, eisq; primò vini vsum demonstrasse, sed longè prius apud Hebræos Noe vineam plantasse certissimum est. Sed Phanedemus apud Athenæum aliam affert interpretationem, dicens Athenienses haustum è doliis mustũ ad ædem Bacchi, quæ est in Limnis, deo miscuisse, deinde ipsos bibisse, ac propterea fuisse vocatum Bacchum Limnæum, quoniam aqua mista tum primum temperatum mustum biberunt, eademq; ratione fontes, ac Nymphas, Bacchi nutrices appellari, quoniam aqua permista vinum augetur: quum igitur bibissent vinum sic temperatum, læti ac hilares Bacchum versibus canebant. Philonides verò ait, quibusdam ad littus maris compotantibus, intemperati vini voluptate delinitis, quum alii furiis acti insanirent, alii obruti vino, & crapula mortuis similes conciderent, ingruente pluuia, poculum, in quo parum vini relictum fuerat, aqua repletum fuisse, deinde facto sereno cœlo, conuiuas in eundem locum reuersos vinum dilutum gustantes, miram voluptatem sensisse: quapropter inter cœnandum quum infertur mensæ, elato clamore Bacchum re-

pertorem inuocant, & Iouem seruatorem, pluuiæ largitorem, & vini moderatorem. Insanus etiam Bacchus effingitur, quia bibentes insanire facit. Cornutum pingebant, quia antiquitus cornuum bubulorum pro poculis vsus erat, antequam inuenta alia essent vasa, & in Cizico tauri effigie colebatur.

De vitis nomine. Cap. III.

HECATÆVS Milesius, vt diximus, authore Athenæo, à priscis illis Græcis vitē οἰνάδα dici, ab OEneo satoris nepote ait. Ab aliis ἄμπελος. Latinis vitis dicitur. M. Varro à vino ferendo, siue quòd inuitet ad spem percipiendarum vuarum. Alii vitem dictam dicunt, quasi vitam, propter multam humanæ vitæ quam affert vtilitatem. Vel vitis primùm dicta videtur, quod inuiteretur ad vuas pariendas. Et à pariendo parilema, ex imminutis literis, vt in multis dici cœpta est palma. Italis *vite.* Eius fructus succus à Græcis οἶνος. Colophonius Nicander vocatum censet ab OEneo,

Qui vinum pateras OEneus diffundit in amplas
Οἴνῳ quod retinet, nomen dedit.

Idem recitat Melanippides Milesius. Plato in Cratylo vocis οἶνος rationem & originem indagans, sic dictam fuisse inquit, quòd animum nostrum impleat τοῦ οἴησιος, id est, arroganti de nobis ipsis opinione, vel ἀπὸ τοῦ ὀνήσεως, id est, vtilitate, quam ex eo percipimus. Latini vinum. Itali *vino.*

De vitis generibus, & primò de escariis. Cap. IIII.

VIRGILIVS Maro vitium genera omnia colligere, nec vtile esse, nec possibile dicit,

Sed neque quàm multæ species, nec nomina quæ sint
Est numerus, neque enim numero comprendere refert.
Quem qui scire velit, Libyci velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut vbi nauigiis violentior incidit Eurus,
Nosse quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Columella, Vniuersæ regiones, regionumq; penè singulæ partes habent propria vitium genera, quę consuetudine sua nominãt. Quædam enim stirpes cum suis locis vocabula mutauerunt, quædam propter mutationes locorum etiam à qualitate sua discesserunt, vnde nec numerum, nec appellationes certa fide referre quis potest. Nos Plinium imitabimur, qui ait: Genera vitium numero cōprehendi posse vnus existimauit Democritus cuncta sibi Græciæ cognita professus: cæteri innumera, atq; infinita esse prodiderunt, quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicentur, sed maximè insignia, quippe quæ totidem penè sunt, quot agri. Quamobrem celeberrimas vitiū, aut quibus est aliqua proprietate miraculum, ostendisse satis erit. Nos primùm vitis genus in satiuum & syluestre diuidemus, de satiuo primùm, mox de syluestri dicturi. Sati-

uum

rum genus aliud ad escam, aliud ad effusionem est, vocabant prisci escarias vuas, quæ ad esum erant: ad effusionem, quæ vino effundendo plantantur. Iubet Columella ad escarias vuas, non instituenda vineta, nisi quum tam suburbanus est ager, vt ratio postulet, inconditum fructum mercantibus velut pomum vendere. Eæque non solum iucunditate saporis, sed etiam specie commendentur. Nos à præcocibus incipiemus. Pręcoces vites sunt, quæ ante consuetum tempus maturitatem sentiunt. Quæ prima nobis maturatur *Gingliese* dicitur, quia Iunio mense mitescit, specie & sapore commendabilis, sed præcipuè, quia prima exoptata venit: adhærent in racemo pręgrandes, & minimi acini: puto Plinii leptoragam. Est & illa naturæ lasciuia, vt prægrandibus adhæreant parui, mites & suauitate certantes, leptoragas has vocant. Apiana è pręcocibus est, præcipui gustus celeberrima, ad escā, & ad effusionem. Columella ait: Magnis etiam dotibus tres apianæ commendantur, omnes feraces, iugóque & arboribus satis idoneæ: generosior tamen vna, quæ nudis foliis est, nam duæ lanatæ quamuis frondibus, & palmitum pari facie fluxuræ, qualitate sunt dispariles, quum tardius altera recipiat cariem vetustatis. Pingui solo feracissimæ, mediocri quoq; fœcundæ, præcoquis fructus. Ideoque frigidis locis aptissimæ, vini dulcis, sed capiti, neruis, venisq; non aptæ, nisi maturè lectæ: pluuiis, ventisq; & apibus afferunt prædam, quarum vocabulo propter hanc expopulationem cognominantur. Plinius: Apianis apes dedere cognomen, præcipuè earum auidæ. Ex his duo genera lanugine & ipsæ pubescunt. Distant quod altera celerius maturescit, quamquam & altera properante. Situs frigidos non respuunt, & tamen nullæ celerius imbre putrescunt. Florentinus præ cæteris eam celebrat. Ex omnibus vitibus, quæ Myrsitis appellatur, præstantissima est: hæc est enim, quæ in Bithyniæ vinum dendrogalenum appellatum facit, & rursus in aliis eius regionibus tiarenum vocatum. In Tio verò Paphlagoniæ tianum, & in Heraclea Ponti præstantissimum vinum, & omnino vbicunque huius vini planta fuerit consita, fructum multo aliis præstantiorem producit: nam & vua ipsius in cibo iucundissima, & nectarea existit, vt etiam apes inde pabulum petant. Est autem & fertilis valdè, vt per omnem caudicem botros ferat, eosq; rotundos, acinos verò perspicuos, vt & vinacea, & pelliculæ transpareant. Cęterum appendices ex quibus dependent botri, vt plurimum duras & lignosas habet. Gaudet autem maxime arboribus, & eiusmodi altitudine, & frequenti pampinatione. At verò vinum ex his assidua defæcatione delectatur. Gręci stichin vocant. Nos Neapoli vulgò vuam moschatulā dicimus, ab insigni moschi odore, quū estur. Maiores nostri moschum ignorabāt, ob id neq; his neq; moscho redolentibus fructibus à moscho nomen imposuerūt. Duorū est generū albi nigriq;. Est & aliud genus vuarum omniū nobilissimum, quo solum ad escam vtimur (quum prædictis generibus ad escā, & effusionem vtamur) duro, & calloso corio, carneq;, magnitudine cęteras antecellens, odorato

ac nectareo succo, colore verè aureo: vulgo *moscarellone*. Ex temporaneis præcipuè duracina est. Plinius, Vua non aliubi gratior callo, vt inde possit inuenisse nomen, duracina. Constat enim carne, & duro corio, magno acino, saporis dulcissimi, coloris aurei nigriq;, maturatur æstate, magnatum mensis carissima, vulgo Neapoli *vua duraca*. Est & alterum genus minoris acini, sed durioris corii, quod in arbore sua vsque ad hyemem durat, suspensum verò laquearibus, vsq; ad nouarum prouentum. De his videtur Cato intellexisse, inquiens, Vuas, quas suspendas duracinas. Et ab eo Plinius: Duracina sine vllis vasis in vite seruabilis, tanta est contra frigora, æstus, tempestatesq; firmitas. Vesuuio vulgò dicuntur *tostole maiorine, & minorine*. Est & apud Columellam pergulanæ memoria. Nam has nuper mihi cognitas, pergulanas dico: ob id non facilè asseuerem, quo gradu habendæ sunt. Dictam puto pergulanam, quòd pergulis viuat, retinetq; adhuc nomen Romæ: nam vulgò *pergolese* vocatur, præcipua apud Tiburtinos. Neapolitani *vua groia*. duratque suspensa vsque ad aliarum prouentum. Bumastos inter escarias vuas Columella cõnumerat, & specie insignes. A Virgilio inter præstantissimas cõnumeratur,

—— *Tumidis bumaste racemis.*

Varro bumamminam vocat, atq; à magnitudine sic dictam putat, & à boue dici pleraq; magna, vt βούπαιν, βούπεινα, βούλιμον, βοῶπιν, & vuam quoq; bumammam. Plinius de eiusmodi vua, Tument verò mãmarum modo bumasti. Græcis βούμαστος, quasi bouis, siue vaccæ mammam dicas, est enim mammarum modo figurata & magna. Retinet adhuc Neapolitanum vulgus priscum nomen, nam *vua mennauacca* vocat, *menna* enim vbera dicit, quasi vaccarum vbera. Duplex genus, album nigrumq;, quod non tacuit Plinius. Et bumasti totidem coloribus, scilicet albæ nigræq;. Sequitur Plinius: Et magis purpureæ cognomine bimammiæ, quando non racemos, sed vuas alias gerunt. Macrobius bumammiam non bimammiam dicit, nominis vicinitate deceptus. Hæc in Vesuuio monte reperitur, innominata & escaria. Prælongo constat racemo, acini non infarcti, vt in cæterarum racemis, sed bini acini à principio racemi vsq; ad finem, purpurei coloris. Sunt & cerauniæ. Columella inquit: Nos vuam corneolam vocamus, Græcam nomenclaturam sequuti. κέρας enim cornu instar curuatur. Apud nos alba, nigraq; est, & triferi prouentus. Quæ sit Columellæ vncialis declarat Plinius, velut à pondere acini. Neapoli vulgo dicitur *vua pruno*: nam acini prægrandes instar pruni, vt ab vnciali põdere parum distent. Tripedaneæ nomen Plinius à mensura dici confirmat, nam longitudinem trium pedum racemus æquat. Sed harum apud nos multæ sunt species, vt non solùm trium pedum longitudine sint, sed pondere triginta librarum. Inter alias vna est, quæ *vua San Nicola* vocitatur. Stephanitæ sunt Columellæ vuæ, de quibus Plinius, & coronario naturæ lusu stephanitis, acinos foliis intercursantibus. Hanc ipse non vidi, nec contigit ab amicis visam audire, sed pleraique conspexi, acinos foliis intercursantibus, casu enatis. Nec reticebo

speciem

ſpeciem noſtris hortis familiarem, cuius acini immaturi nigri ſunt, maturi verò albeſcentes, ad illudendos amicos peridoneam, nam maturam ex colore putantes, in os iniecta, illud acerbiſſimo ſapore conturbat. Quæ fortaſſe Theophraſti capnia vua erit, quæ ex nigro racemo candidum, & ex candido nigrum præſtat. Inſanas vuas memorat Theophraſtus, ſuiq; generis eſſe, quæ non ſolùm germinant, ſed coquunt & florent, & racemantur, & ſi quid aliud ad florem vſq; tantummodo veniat. Plinius ab eo: Vites quidem triferæ ſunt, quas ob id inſanas vocant, quoniam in iis alia matureſcunt, alia nigreſcunt, alia florent. M. Varro author eſt, vitem fuiſſe Smyrnæ apud mare biferam. Hæc apud nos vulgaris eſt, diciturq; *vua tre volte l'anno*. Germinat primò & floret cum aliis, inde octauo calendas Iunii circa feſtum diui Ioannis incidunt palmitem ſupra florem, inde denuo germinans ſecundo floret, interea prima maturatur, tertio paulo poſt iterum floret, ſed tertia vua hyemis ſuperuentu non maturatur, ſed acerba tota hyeme in arbore aſſeruatur. Sed puto Plinii tempore non fuiſſe in Italia, quum quæ ſcripſit de ea, à Theophraſto & Varrone mutuetur, (ſi de ea intellexerit Theophraſtus) tanquam de re peregrina loquentibus. Numerantur quoque dactyli à Columella inter vites bonitate, & ſpecie commendabiles. Plinius ab eo: Prælongis dactyli porriguntur acinis. Et alibi. Dactylides gracilitate digitali. Dactylos Græci vocant digitos, ob id palmæ fructus Græci vocant dactylos à digitorum ſimilitudine. Hodie Neapoli *vua digitella* dicitur. Sunt enim acini digitis ſimiles, vtriuſque ſpeciei albæ, nigræve, & æſtate maturantur. Sunt & Virgilio Thaſiæ, & Libycæ, Columellæ venuculæ & nemeſianæ, Plinio eteſiacæ, & conſeminiæ, & talpanæ: Athenæo ſtaphylæ, nicoſtratiæ, & in fine aliæ, quas longum eſſet recenſere.

De vuis ad effuſionem. CAP. V.

DIXIMVS vuas ad eſcam eligendas, nunc quæ eliqueſcunt in potum. Prima omnium ſe offert aminea celebratiſſima. Virgilius:

Sunt & aminea vites, firmiſſima vina.

Cato, In loco oſtento ſoli amineum minuſculum conſerito, qui ſi craſſus, & nebuloſior, ibi amineum maius. Quæ in ollis, & ollæ in vinaceis recte conduntur. Columella hæc habet de amineis: Sole traduntur amineæ excepto cœli ſtatu nimis frigido, vbicunq; ſint, etiamſi degenerēt, ſibi comparatæ, magis aut minus probi guſtus vina præbere, & cæteras omnes ſapore præcedere. Eæ cùm ſint vnius nominis, non vnam ſpeciem gerunt. Duas germanas cognouimus, quarum minor ocyus & melius deflorescit, habilis arbori, nec non iugo, illic pinguem terram, hîc mediocrem deſiderat, longeq; præcedit maiorem, quia imbres & ventos fortius patitur: nam maior celeriter in flore corrumpitur, & magis in iugis, quàm in arboribus, ideoq; non eſt vineis apta. vix etiam arbuſto, niſi præpingui, & vuida terra: nam nec mediocri valet, multoq;

minus in exili, prolixarum frequẽtia materiarum, foliorumq; & vuarum & acinorum magnitudine dignoscitur, internodiis quoq; rarior, largis fructibus à minore superatur, gustu non vincitur, & hæ quidem vtræq; amineæ. Verùm & aliæ duæ geminæ, quæ ab eo, quod duplices vuas exigunt, gemellæ vocãtur, austerioris vini, sed æquè perennis. Earum minor vulgò notissima, quippe Campaniæ celeberrimos Vesuuii colles, Surrentinosq; vestit. Hilaris inter æstiuos Fauonii flatus, austris affligitur, cæteris itaq; partibus Italiæ non tam vineis quàm arbusto est idonea, quum prędictis regionibus commodissimè iugum sustineant materiam fructumq;, nisi quòd duplicem, non absimilem minori germanæ, quæ tamen minor, hoc melior est, quod fœcundior etiam mediocri solo: nam illam nisi præpingui terræ non respondere iam dictum est. Lanatam quoque amineam quidam maximè probant, quæ hoc vocabulum non ideo vsurpat, quod sola ex omnibus amineis, verum quod præcipuè canescit lanugine. Sanè boni vini sed leuioris, quàm superiores, crebram quoq; materiam fundit, atq; ideo propter pampini densitatem, sæpè parum rectè deflorescit, eademq; maturo fructu celeriter putrescit. Super hunc numerum singularis habetur aminea, maiori geminæ non dissimilis, primùm specie pampini, & trunci, sed vini sapore aliquanto inferior, quamuis generosissimus sit, proximæ præferenda etiam propriis virtutibus, nam & feracior est, & flore melius exuitur, spissasque & albidas vuas, ac tumidioris acini gerit, gracili aruo non deficiscit, atque ideo inter vberrimas vites numeratur. Ab eo Plinius: Principatus datur amineis propter firmitatem, senioq; proficientem vini eius vbiq; vitam. Quinq; earum genera. Ex iis germana minor acino melius deflorescit, imbres, tempestatesq; tolerat. Non item maior, sed in arbore, quàm in iugo minus obnoxia. Gemellarum, quibus hoc nomen vnæ semper geminæ dedere, asperrimus sapor, sed vires præcipuæ. Ex iis minor austro læditur, cæteris ventis alitur, vt in Vesuuio monte, Surrentinisque collibus, in reliquis Italiæ partibus non nisi arbori accommodata. Quintum genus lanatæ, ne Seres miremur, aut Indos, adeò lanugo eam vestit. Prima ex amineis maturescit ocyssimè atq; putrescit. Sed videamus num coniicere poterimus, quale nostris temporibus amineum sit vinum. Seruius in Virgilium, dicit amineum vinum dici quasi sine minio & à dictione priuatiua, & minio siue rubore, quasi album, non rubrum vinum sit. Macrobius inquit amineum vineum nuncupari à regione: nam Aminei populi sunt, vbi nunc Falernus est. Nos verò ex notis, quas affert Columella, dicimus amineum vinum esse nostrum vulgare Gręcum: nam nobilissimæ notæ est inter cætera, diutiusque in vetustatem asseruatur, vt etiam centum annorum reperiatur. Inter cætera id peculiare habet, quòd vuas geminas ferat, nulliq; nisi ipsi contingit, scilicet racemum in duos diuisum. Duas solùm species vidimus, minorem, quam græcam dicimus, maiorem græculam. Eius vites Vesuuium montem conuestiunt, repẽdentem fructu illata damna, vt inueniat apud posteros

gratiam,

gratiam, cinere & conflagratis saxis, & calore suo vino vim tribuit. In patria potum caput tentat, mare transuectum, vi domita, mitescit, fitq; suauius. Puto alias species prope Beneuentum reperiri: nam ibi simillimas nostris vuas *ammignas* vocant, nobilissimumq; vinum fundunt, etiam nostro Græco simillimum. Sunt & Columellæ heluolæ, quas ab aliis varias dici testatus est, neq; purpureæ, neq; nigræ, ab heluo, ni fallitur, colore vocitatę, melior est nigrior abundantia vini, sed hæc sapore preciosior: color acinorum in neutra conspicitur æqualis, vtraq; candidi musti, alterna vice annorum plus, aut minus afferunt; melius arborem, sed & iugum commodè vestiunt, mediocri quoq; solo fœcundæ. Ab eo Plinius: Insignes iam colore, inter purpureas, nigrasq; medio heluolæ, sæpius varianti, & ob id variannæ à quibusdam appellatæ. Præfertur in his nigrior, vtraq; alternis annis fertilis, sed melior vino, quum parcior. Atheneus: Heluolū principio nigrum, aliquot pòst annis, non ita multis albescens. Apprimè bonum est, & delicatū. Ergo nostras hellanicas heluolas antiquorū dicerē. Duæ sunt species, altera altera nigrior, & extra Campaniam vidi dilutioris coloris, in Surrentinis vineis prope album vinum producit, purpureiq; sunt coloris, alternis annis fertiles, ob id apud nos alternis annis putantur: & si sint qui singulis annis parcius resecent. Vinum quod fundunt, Vesuuio *lachrymam* dicunt, secundæ post græcum notæ. Oleagineam Columellæ, & Plinii, dictam putant à similitudine oliuæ, nuper inuentam. Apud nos adhuc suum retinet nomen, nam vua oliuella dicimus, vtimurque ea ad effusionem. Plinio alopecis dicitur caudam vulpium imitata, hæc etiam vsq; ad præsens tempus à vulpinę caudæ similitudine, *coda volpe* vocatur. Sunt & aliæ, quas longum esset recensere, & lectoribus nauseam potius, quàm vtilitatem parerent, ob id consulto omittimus.

De vinis. CAP. VI.

NVNC aliqua vinorum genera, & præcipuè insignia, à maioribus descripta recensere conabimur. Plinius, Gauranas vites, à Falerno agro translatas, vocari falernas, celerrimè vbique degenerantes. Falernus ager à ponte Campano læua petentibus vrbanam coloniam Syllanam nuper Capuæ contributam incipit. Secunda nobilitas Falerno agro erat, & ex eo maxime Faustiano, cura, culturaque id collegerat. Exolescit hoc quoque, copiæ potius, quàm bonitati studentium. Faustianus autem circiter quatuor miliaria à vico prope Cedias, qui vicus à Sinuessa VI millibus abest. Nec vlli in vino maior authoritas, solum vinorum hoc flamma accenditur. Tria eius genera, austerum, dulce, tenue. Quidam ita distinguunt. Summis collibus Gauranum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum. Non omittendum autem, nulli eorum, quæ celebrantur, iucundum saporem vuæ esse. Dioscorides inter alia vina principem locum obtinere dicit, quod facile coquatur. Græci

phalernum vocant: duo eius genera, austerum, ac subdulce: quod fit eiusmodi, si per vindemiam Auster flat, & vinum nigrius fit: alio tempore & vento, quum est vindemia, tum austerum vinum fit, ex colore giluum. Athenæus ex Galeno. Hodie ager, vbi falernum nascitur, vulgò *alli falorni* dicitur, *alla rocca di Mondragone:* Ex eo non multum colligitur vinum, vt vix triginta vegetes impleat. Album est vinum & optimum. Malleoli variis in locis translati degenerant, & vernaculum vinum fundunt. Plinius, Ad tertiam palmam varia venere. Albana vrbi vicina, prædulcia, ac rara in austero. Hæc Romæ placent, sed non conferenda cum Neapolitanis. Item Surrentina, in vineis tantùm nascentia, conualescentibus maximè probata propter tenuitatem, salubritatemque. Tiberius Cæsar dicebat, consensisse Medicos, vt nobilitatem surrentino darent, alioquin esse generosum acetum. C. Cæsar, qui successit illi, nobilem vappam. Dioscorides & Galenus: Surrentinum post annum vigesimum quintum incipit aptum esse potui. Vix sanè hoc maturescit, quia valde squalidum, & omnino pinguetudinis expers: solum propemodum ex omnibus, quum inueterascit, assiduo potu salubre. Nunc non solùm tertiæ notæ, sed ne dignum quidem inter præfata numerari, idque euenisse puto, vel antiquos gustu caruisse, vel vitibus, quæ vinum illud fundebant; nunc locus omnino destitutus: nam diximus ex Columella, Vesuuii & Surrenti colles amineis vitibus plantatos: nunc ex vernaculis leue vinum fundunt, ægris propinatur, quod facile concoquatur. Iuncta his præponi solebant calena, ait Plinius. Vbi Calenus ager fuerit alibi Plinius. Hinc Setini, & Cæcubi obtenduntur agri. His iunguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici, & Gaurani Surrentinique montes. Locus hodie *Cacinola* vulgò dicitur, vel stellatus ager. Vinum est optimum, nec à Falerno longè distat, vulgò *vino di Carinola.* Antea Cæcubo erat generositas celeberrima, in palustribus populetis, sinu Amyclano, quod iam intercidit, incuria coloni, lociq; angustia, magis tamen fossa Neronis, quam à Baiano lacu Ostiam vsque nauigabilem inchoauerat. Ob fossam igitur, quam Nero perducere effreni animo cogitauerat, Amyclensium ager deuastatus est, & sic cæcubum vinum disperiit, hodie incognitum, indictumque. Plinius de Mamertinis: Quartum curriculum publicis epulis obtinuere à Diuo Iulio (is enim primus autoritatem his tribuit) Mamertina circa Messanam in Sicilia genita. Mamertinum hodie Siciliæ celeberrimus locus, *Sanoca* dicitur, vulgò *vin di Sanoca*, prope Mamertum. Optimæ quoque notæ censebatur vinum trifolinum. Galenus libro de antidotis trifolinum collem in agro Neapolitano esse dicit, & Neapoli imminere, à multitudine trifoliorum ibi nascentium dictum putat, scilicet asphaltitis. Athenæus, Serius peruenit ad vigorem trifolinum, Surrentino crassius. Mons Neapoli imminens dicitur hodie, *monte di San Martino*, prope Antinianum, & mari immi-

imminens, vbi villa mea, optimum vinum ex omni vua, & cum cæteris certans producit. Trebellium è Neapoli, temperatis viribus est, ori iucūdum, amicum ventriculo. Trebula olim in apertis campis inter Capuam, & Suessulam stetit, nunc solo æquata, vbi cadauer iaceat ignoratur. Plinius: Campania nuper excitauit nouis nominibus authoritatem, siue cura, siue casu, ad quartum à Neapoli lapidem Trebellicis, iuxta Capuam Caulinis, & in suo agro Trebulanis, alioqui semper inter plebeia, & trifolinis gloriata. Nec hodie spernendum vinum fundit ager iste, vnde à similitudine puto vinum *trebianum*, quod è Florentia affertur. Creticum ad nos è Creta aduehitur, dicitur hodie *maluatia di Candia*. Putat Hermolaus monobasitis vocabulo corrupto, *maluasium* dici, coniecturæ causa, quòd locus vbi Tænarum in Laconia monstratur, Monobasia dicitur, vnde in Cretam directo ferè cursu nauigatur. Forteque monobasites vino datum est nomē, non quod ibi nascatur, sed quod illuc primum è Creta comportaretur. Vites, quæ illud fundunt, videtur Plinius græculas appellasse. Græcula non inferior amineis bonitate, præterea acino, & vua tam parua, vt nisi pinguissimo solo colere non prosit. Apud nos hæc vua maluasia vulgò dicitur, tenera, & paruo acino, & dulcissima, sed apud nos tam austerum vinum, vt in Creta non profundit. Rhetia, oppidum apud Veronam, vbi celebratissimum vinum nascitur, ibi *veraccia* vocāt, sed nescio an cum brutio contendere possit, omnium optimum & celebratissimum.

De vitis descriptione. CAP. VI.

SED vitis figuram, Theophrasto describente, adeamus. Vitis arbor est, simplici caudice assurgēs, ramosa, nodosa, surculosa, nec facilè dissolubilis. Cortex multiplici tunica cingitur, qui radicis speciem gerit, qui humore, & neruo constat. Medulla carnosa. Flagellis longè, lateque vagantibus, sarmentis lata fronde lasciuientibus, aliquatenus scissa, longis pediculis pendente, carnosa, neruosa, corticosaq;, & tremula Sed caduca. Ad Elephantidem verò, & circa Memphim, Deltam, & Tylum quoque indecidua. Flore sanguineo, qui fructum ambit. Fructus ex pluribus acinis aceruatus aquosus. Seminibus tunica clausis. Exceptis quibusdam vitibus, quæ ad fructum peruenire nequeūt, sed ad florem vsq; perueniunt. Ramuli, qui nuper proueniunt, nodosiores & tactu asperrimi sunt, vt enim nodus in cæteris, ita gemma in vite, & geniculum in arundine, minimum enim in iis internodium interiacet, si continuò ramos succidas purgésve, excelsa pronenit, si relinquas, breuis assurgit. Auctu facilis, quia natura humida, solutaque est. Breuis eius vitæ tractus, diurna enim perpetuaque fœturæ solutione, natura exhausta fatiscit, quoniam vis omnis absumitur, quod & in animalium genere patet, nam quæ plura pariunt, celeriùs consenescunt, & pereunt. Radices habet tenues. Prolem sursum versus procreandi vim obtinet. Ex supernis partibus nascitur. Fructificat ex nouello, & si aliquando ex caudice fœtificat, ex rei temeritate potius euenit. Amplexicaulis est, semper enim cui adnitatur quærit, vitam enim super aliud ducit, si peda-

mentum desit, humi repit. Dedit ei Natura capillamenta quædã, quasi manusculas, quibus præsidia applicet, vel se aduoluat palis. Varro ex Theophrasto: Ad Elephantinem vites non amittunt folia. Propter eandem causam vites sunt biferæ apud mare Smyrnæ. Parit capreolum. Is est coliculus nitens intortus, vt cincinnus, is enim vites vt teneat, serpit ad locũ capiendum, ex quo à capiendo capreolus dictus. Cicero ita depingit: Vitis natura caduca est, nisi fulta sit ad terram fertur, eadẽ vt se erigat, clauiculis suis, quasi manibus quicquid est nacta complectitur, quam serpentem multiplici lapsu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere, in iis, quæ relicta sunt, existit tanquam ad articulos sarmentorum ea quæ gemma dicitur: à qua oriens vua se ostendit, quæ & succo terræ, & calore solis augescens, primò est peracerba gustu, deinde maturata dulcescit, vestitaq; pampinis, nec modico tẽpore caret, & nimios solis defendit ardores. Qua quid potest esse tũ fructu lætius, tũ aspectu pulchrius? Plinius ab his: Folio longo pediculo innixo. Sola bis parturit, quũ primùm emittit vuã, iterũ quùm digerit. Statim ingerminatione floret, properatq; in eo, sed maturescit tardè. Cortex membranaceus, qui spontè rumpatur. Succus fructuum aquosus. Natura sublimitatis auida, vites arboribus nubunt, maritasq; complexæ, atq; per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes, cacumina æquãt, in tantũ sublimes, vt vindemiator authoratus rogum, ac tumulum excipiat. Nullo fine crescunt, diuelliq; aut auelli nequeũt. Villas, & domos ambiri singularũ palmitibus, ac sequacibus loris Valerius Cornelius existimauit: subdiales inambulationes vmbrosis pergulis opacat vna vitis Romę.

De cœlo vitibus conuenienti. CAP. VII.

NVNC idoneũ vitibus cœlũ eligemus. Theophrastus loca vitibus determinare haudquaquã facilè esse dicit: nã & differẽtias ratione Solis ascendentis, vel occidẽtis, vel mediũ cœlum tenentis vel aliqualiter se habentis scire nimirum condecet, tam ex toto, quàm iis, quæ genus idem consortiuntur, Cato, Quia infinita sunt vitiũ genera, vnicuiq; suum cœlũ tribuit. Locus, qui ostentus Soli, amineo minusculo, & gemino euganeo & heluolo minusculo tribuatur. Si crassus, aut nebulosior, ibi amineũ maius, aut murgentinũ, aut apiciũ leucanũ serito. Varro vineis collinas tribuit. Columella inquit. Vitis, etsi omni penè regione, & omni declinatione mũdi, nisi tantũ glaciali, vel perferuida curæ mortaliũ respõdet, etsi tã felix campis, quàm collibus prouenit, & in densa non minus, quã in resoluta terra, gracili, pingui, sicca, vliginosaq;, refert tamen cuius generis, aut quo habitu vitẽ pro regionis statu colere cẽseas, neq; enim omni cœlo, solóve cultus idẽ, neq; est idẽ stirpis eius genus, sed suũ cuiq; regioni magis, aut minus aptũ esse docet vsus. Exploratũ habebit prudẽs agricola. Genus vitis habile cãpo, quod nebulas, pruinam, cœli siccitatem ventosq; patitur. Pingui agro dabit gracilẽ vitem, nec nimis fœcundam, macro feracẽ, densæ terræ vehementem, multaq; materie frondentem, resoluto & læto solo ra-

lorati sarmenti, humido loco fructus non teneri, & amplioris acini, sed callosi, & angusti: frequentisq;, vinaces, sicco contribui diuersæ naturæ semina. Frigido, nebulosoq; duorũ generum vites aptabit, seu præcoques, quarũ frugũ maturitas præcurrit hyemem, seu firmi, duriq; acini, quarũ inter caligines vuę deflorescunt, & mox gelicidiis ac pruinis, vt aliæ, caloribus mitescunt. Ventoso quoq; & tumultuoso statu cœli sidentes easdẽ tenaces, & duri acini cõmittet, rursus calido, vberiores, tenerioresq; concredet. Sicco destinabit eas, quę pluuiis, aut continuis roribus putrescunt: roscido quæ siccitatibus laborant, grãdinosis, quæ duris foliis latisq; sunt, quo melius protegant fructum. Placida & serena regio omnes recipit, sed commodissimè eam, cuius vel vuę, vel acini celeriùs decidunt. At si voto eligendum vineis cœlum, neq; glaciale, neq; ęstuosum desiderat, calido tamen potius, quã frigido lętatur, imbribus magis, quàm serenitatibus offenditur, perflatu modico leníq; gaudet, procellis obnoxia est. Et alibi ex opinione Sasernæ refert: Vinea solis ortum spectabit, mox deinde meridiem, tum occasum. Sed Tremellius Scrofa præcipuam positionem meridianam censet. Virgilius de industria occasum repudiauit:

Néve tibi ad solem vergant vineta cadentem.

Democritus & Mago laudant cœli plagam septentrionalẽ, quia existimant ei subiectas vineas feracissimas fieri: sed bonitate vini superantur. Sed ipse pręcipit. Frigidis locis vineta meridiano subiiciantur, tepidis orienti, si non infestantur austro, euroque. Si prædictis ventis obnoxię fuerint, melius Aquiloni, vel Fauonio: feruentib. regionibus, vt Ægypto, & Numidia vni septentrioni. Plinius à Columella hęc habet: Vinearũ ratio est, quas in horas spectare debeant. Virgilius ad occasum seri damnauit. Aliqui sic maluere quàm in exortu. A pluribus meridiẽ probari aduerto, nec arbitror perpetuũ quicquã in hoc pręcipi posse. Ad soli naturam, ad loci ingeniũ, ad cœli cuiusq; mores dirigenda solertia est. In Africa meridiẽ spectare vineas, & si viti inutile, colono salubre est, quoniam ipsa meridianæ subiacet plagæ. quapropter qui ibi in occasum, aut septentriones cõseret, optimè miscebit solũ cœlo, quũ Virgilius occasum improbet. Nec de septentrione relinqui dubitatio videtur. Atqui in Cisalpina Italia magna ex parte vineis ita positis, compertum est nullas esse fertiliores. Multũm rationis obtinẽt venti. In Narbonensi prouincia, atq; Liguria & parte Hetruriæ contra Circiũ serere imperitia existimatur, eundemq; obliquum excipere, prouidentia: is nanq; ęstates ibi tẽperat, sed tanta plerunq; violentia, vt auferat tecta. Palladius in Ianuario, & Februario Columellæ præcepta recitat. Democritus præter ea, quæ Columella dixerat, hoc habet noui. Maritimi loci ad vitem apti sunt, tũ ob caliditatem, tum ob humiditatẽ, quæ latenter è mari excurrens plantas nutrit. Sed & venti marini viribus sunt cõmodissimi. Plerisque videtur vicinum fluuium non esse habendum, multò magis paludem ob nebulas, & ob frigidas auras. Inde enim assiduè respirant, simulque exurgunt rubigines, vitem & sata oblędentes. Scire expedit, quod quæcunq;,

vites à ventis eiuſmodi lædi conſueuerant nebula, & rubigine, hæ arboribus maritatę amplius non lædentur. Quintilii non ſpernenda dicunt: Concauæ regiones multum vinum faciunt, ſed vitioſum, altæ verò melius, nimirum cocto fructu à vento, & alio aëris temperamento, & maximè à Solis potentia. Sol ſi multùm calefecerit, validius, potentius & dulcius vinum facit. Luna ſola vuas maturas facit, calida, & humida exiſtens. Multa inſolatione, & perflatione opus eſt, quo durabilius fiat vinum, & citius ad vigorē perueniat. Ex calidis regionibus durabilius vinum, & cruditatem aliquam habentibus, exoletum, & infirmum. Si vitis paucas vuas produxerit, potentius producit vinum, vtpote alimento, & viribus omnibus in fructum illum abſumptis. Virgilius colles vineas amare cecinit,

Bacchus amat colles.

Quicquid ex phyſiognomonia vitis de cœlo ei conuenienti coniici poteſt, optime à Columella exaratum eſt. Frigido, & nebuloſo, quæ hyemem celeri maturitate præueniunt, quæ duris acinis, inter caligines ſecurius florent, ventoſo ſtabiles & tenaces, calido grani tenerioris, & humidi, ſicco eæ, quæ pluuias ferre non poſſunt.

De ſoli qualitate vitibus conuenienti. CAP. VIII.

QVOT genera telluris, tot vitium genera affirmat Theophraſtus, quæ ſi ſecundum naturam ſeruntur, frugiferæ prodeunt, quum præter naturam, facilè ſterileſcunt. Serit enim ſolo ſitienti, & ſolido vites ſolidas, tam generis nigri, quàm candidi, ſed ex toto ferè nigrum ſolidius eſt. Solo autem pluuio ſolutas committit. Dignoſci denſæ atq; ſolutæ ſuis poſſunt medullis, quas in abſciſſis nouellis palmitibus ſcrutari oportet. Habet enim, quæ ſoluta eſt, plus medullæ, quàm ligni, contrà quæ denſa, plus ligni, quàm medullæ. Quod vtraq; ſolo illi conueniat, his rationibus conſtat: quibus enim plus ineſt medullæ, his meatus ampli, multique ſunt, quibus autē minus, his anguſti, & pauci, quo fit vt minus alimenti deſiderent, quæ denſo corpore conſtant, & ſimul humorem ad æſtatem ſeruare facilè poſſint, ſol enim ob denſitatem haud æquè poteſt educere. Quum igitur tam exigua detractio fiat, radices quantum ſatis ſit, ad fructificandum ſuppeditant, ſolutæ autem illæ, quum detractio largè, acceſſio parce ob telluris ſiccitate magatur, palmites imbecilles, fructusque imperfectos progenerant. At agro pluuio genus id conuenientiſſimum eſt, vtpote, quod copiam alimēti largam deſideret, & quamuis multùm adimatur humoris, tamen quò ſol magis educit, eò vis plus & in amplitudine proficit, & in fœcunditate: pabulo enim abundat, idque exuperat, facillimeq; percoquit. Solum pratenſe iccirco vitibus optimum habetur, quia non modo facile multumque pingue, ſed etiam humidum ſit. Vitis enim plurimam deſiderat aquam, eo quod in ſuo fructu humoris plurimum habeat, & imbribus certè vi ſui humoris maximè reſiſtere poteſt. Sin autem ager, neque acidus

dus neq; pluuius sit, sed medium teneat, media conserenda sunt, id est, quæ neque densa sint, neq; soluta. Et alibi. Prætense, & arenaceum vitibus percommodum est, & ad summam quod solutum, leue, tenue, atque humidum, ita vt aqua cœlestis intestino humori valeat permisceri. Vitis nanq; largam copiam alimenti desiderat, quia calida, laxa, humida, & fœcundissima est, forsitan & ob hæc eadem fœcundissima. Ad hæc radices humidarum plantarum haud facilè putrescere possunt, quemadmodum illarum quæ suapte natura siccescũt, itaque attrahere, & resistere, & transmittere nimirum valent. Aliisq; in locis eadem dicit, solidas spissasq; vites loca montana amare, solutas verò & humidas planis gaudere. Virgilius agrum describit vitibus aptum:

At quæ pinguis humus, dulciq; vligine læta,
Quiq; frequens herbis, & fertilis vbere campus,
Qualem sæpe caua montis sub valle solemus
Despicere, huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemq; trahunt limum, quique editus Austro,
Et felicem curuis inuisam pascit aratris,
Hic tibi prævalidas olim, multoq; fluentes
Sufficiet Baccho vites: hic fertilis vuæ.
Quæ tenuem exhalat nebulam fumosq; volucres,
Et bibit humorem, & cum vult ex se ipsa remittit,
Quæq; suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie, & salsa lædit rubigine ferrum.
Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos:
Densa magis Cereri, rarißima quæq; Lyæo.
Salsa autem tellus & quæ perhibetur amara,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat.

Columella ex Græcini sententia decernit nimium calidum solũ non posse tolerare vitem, quia inurit, neq; prægelidum, quoniá velut stupentes & congelatas reddit radices: neq; humidum, quoniá quum se promũt vites, modico tepore euocát humorem terræ iueto maiorẽ, qui putrefacit deposita semina. Nimiam siccitatem destituere plantas naturali alimento dicit, aut in totum necare, aut scabras & retorridas facere. Perdensam humum cœlestes aquas non sorbere, nec perflari, perrũpi, & præbere rimas, quibus sol ad radices penetret, eademq; clausa semina comprimere, & strangulare: rarã transmittere imbrem, ac sole & vento siccari, graué cultura non vincibilẽ, leuem vix sustineri, lætã luxuria, macram ieiunio laborare, sed inter has medio temperamẽto opus esse. Alibi habet, quæ ex Theophrasto excepit. Pingui, & vberi agro dabit gracilẽ vitem, nec natura nimis fœcundã, macro feracem, terræ dẽsæ vehementẽ multaq; materia frondentẽ, resoluto & læto solo rari sarmẽti, humido loco sciet nõ rectè mandari fructus teneri, & amplioris acini, sed callosi, & angusti, frequentisq; vinacci. Sicco diuersæ naturæ semina cõtribui. Celsus igi-

QQ

tur ita eligit. Nec densum nimis, nec resolutũ, soluto tamẽ propius solum, nec exile, nec lætissimũ, proximũ tamen vberi. Nec campestre, nec præceps, simile tamen edito cãpo. Nec siccum nec vliginosum, modicè tamen roscidũ, quod fontibus non in summo, non in profundo terræ scatuciat, sed vt vicinũ radicibus humorẽ subministret. Eumq; nec amarũ nec salsum, ne saporẽ vini corrũpat. Et alibi, Locis pinguibus planis & humidis, præcoques vites serito, raris acinis breuibus nodis imbecillas: nam tali generi vitiũ eiusmodi ager aptus est. Locis aridis, & macris, & siccis vitem serere, natura feracẽ, & validam crebrisq; acinis conuenit. Quod si pingui agro validas vites deposueris, pampinis magis luxuriabuntur, & qualemcunq; fructũ tulerint, ad maturitatẽ non producẽt. Rursus imbecillę exili agro celeriter deficient, exiguumq; fructũ dabunt. Palladius id noui addit: Tofus & alia duriora, vbi gelu relaxantur, & solibus, pulcherrimas vineas ferunt, refrigeratis æstate radicibus, & humore detento. Sed & soluta glarea, & calculosus ager, & mobiles lapides (si tamen hęc omnia glebis se pinguibus miscuerint) & silex, cui terra superposita est, quia frigidus est, & humoris tenax, radices æstate sitire non patitur. Item loca, ad quæ de cacuminibus terra decurrit, vel valles, quas fluminũ saturabit aggestio, sed hoc in iis locis, quæ gelu, & nebulis infecta esse non possunt. Argillosa terra commoda est, argilla autẽ sola grauiter inimica. Niger sabulo, & rubẽs vtilis est, sed cui fortis terra permista est. Carbunculus nisi stercoretur, macras vineas reddit. In rubrica difficilius cõprehendunt, quãuis postea nutriantur. Sed hoc genus terræ operibus inimicũ, quia paruo humore nimis madescit, & paruo sole nimis durescit. Maximè vtile solum, quod inter omnes nimietates tẽperamentum tenebit. Optimam terram Florentinus probat, quæ nigra, non densa, nec glutinosa, humida, dulcis aquæ: nam talis terra susceptum imbrem trãsmittit, nec in superficie detinet: aqua in superficie detenta putrefacit stirpes. In prędicta terra alba vitis plantanda, quia copiosiore alimento è terra indiget, solida, densaq; existens, & ægrè nutribilis. Argillosa terra nisi valdè tenuis fuerit, & in rimas laxata, vites albas suscipit, sed aridæ, tenui, & arenosæ terræ eiusmodi vites non conueniunt. sed quæ densos habent acinos, & albam medullã, vt plurimum nigra vua talis existit, bonũ, & multum, & durabile vinum producens; contrario modo habens ad albas natura ægrè nutribiles. Humidas vites in squallidis, frigidis, aridisq; locis plantabis, siccas in humidis, vt quod vitibus deest, soli natura expleatur. & cætera habet, quæ ex Columella diximus. Eadem quoq; Plinius. Nec erit necesse nobis physiognomiã tradere vitiũ, vt quali terra delectẽtur cognoscam⁹, quũ vberrimè à Columella tractatũ sit, & Theophrasto. densioris ligni vites solidũ solũ, laxioris verò humidũ expetere & similia.

Quid vinea, & quot eius species. Cap. IX.

IAM ad serendi modum deuentum est, sed dicere prius oportet, quid vinea, & quot eius species. Vineam dicimus locum, in quo multitudo vitiũ consita est. Vinetum verò locum vineis abundantem. Columella inquit: Cui vineta fa-

ta facere cordi est, faciat vitiarium, ex quo possit agrum vineis vestire. Varro vineæ species recenset: Vinearum multæ species, alia humilis, & sine ridicis, vt in Hispania, alia sublimis, quæ appellatur iugata, vt pleræq; in Italia. Sublimis, quibus stat, pedamenta dicuntur, quæ transuersa iunguntur, iuga & inde iugata. Iugorũ genera quatuor, pertica vt in Falerno, arundo vt Arpino, restes, vt in Brundusino, vites, vt in Mediolanensi agro. Iugationis species duæ, vna directa, vt in agro Canusino, altera compluuiata, in longitudinẽ & latitudinem iugata, vt in Italia pleræq;. Primũ genus iugorũ è pertica, quærit salicta, secundum arundineta, tertium iunceta, quartũ arbusta, vbi traduces vitiũ fieri possunt, vt Mediolanenses faciunt in arboribus. Pedamentum quatuor generum, vnum robustum, fit è quercu, vel iunipero, alterũ è pertica, melior è dura, quia diuturnior; tertium in horũ subsidium mittit arũdinetum, aliquot enim libris colligatas, dimittunt in tubulos fictiles cũ fundo pertuso, qua humor aduentitius transire possit. Quartum est natiuum, vbi ex arboribus in arbores traductis vitibus fit vinea. Vineæ altitudinis modus, longitudo hominis. Interualla pedamentorum, qua boues vincti arare possint. Vinea minus sumptuosa, quę sine iugo ministrat vinũ. Cuius genera duo, vnum in quo terra cubilia præbet vuis, vt in Asia, alterum, quo vitis è terra sustollitur bipedalibus furcillis, quas facta vindemia, reducunt hybernatũ in tecta, vt alio anno vti possint, vt Reatini in Italia. Vbi terra humida, altius vitis tollenda est. Columella de cultura prouincialium vinearum ait: vites vel breui crure per se stant, deinde quæ pedaminibus adnixæ, singulis iugis imponuntur, quas rustici canteriatas appellant. Mox, quæ defixis arundinibus circumuinctæ per statumina calamorum materiis ligatis in orbiculos, gyrosq; flectuntur. Vltima est cõditio stratarum vitium. Plinius ab Varrone: Vineæ quinq; generum. Sparsis per terram palmitibus, aut per se vite subrecta, vel cũ adminiculo sine iugo, aut pedatæ simplici iugo, aut compluuiatæ quadruplici. Quæ pedatæ ratio erit, eadem intelligitur eius quoque, in qua sine adminiculo vitis per se stabit, id enim non fit, nisi pedamenti inopia. Simplici iugo constat porrecto ordine, quem canterium appellãt. Melior ea vino, quãdo sibi ipsa non obumbrat, assiduoq; sole coquitur, & afflatum magis sentit, & celerius rorem dimittit. Pampinationi quoque, & occationi, omniq; operi facilior. Super cætera deflorescit vtilius. Iugum fit pertica, aut arundine, aut crine, funiculóve, vt in Hispania, Brundusioq;. Compluuiata copiosior vino, dicta à cauis ædium compluuiis. Diuiditur in quaternas partes, totidem iugis.

Quod modis nascantur vites, & de earum satione. CAP. X.

VITIS primò semine nascitur, omne enim quod semẽ fert, è semine nascitur. Theophrastus hũc sationis modũ improbat: nã omnino degenerare ait, quia ex vite nobili, ignobilis nascitur, & sæpè diuersa genere exit, nonnunquam nil penitus vrbanum, sed planè syluestre prouenit, & adeò quandoque,

vt fructum perficere minimè queat. Quædam fructum ne compilare quidem valent, sed ad florem vsq; tantummodo veniunt. Ab ec Plinius. Ex semine autem quanquã dissimili ea quoq;, quæ & aliis modis feruntur, vt vites. Nascitur & auulsione. Idem, Et aliud genus simile natura mõstrauit, auulsiq; arboribus stolones vixere. Quo in genere & cum perna sua auellũtur, partemq; aliquam è matris quoq; corpore auferũt secum fimbriato corpore, & hoc modo plantatur vitis. Nascitur quoq; ex surculo. Quæ ex supernis partibus nascuntur (inquit Theophrastus) paucissima sunt, quemadmodum quæ ex palmitibus vitis proueniunt: ista enim nec ex prora, sed ex palmitibus exeũt. Impossibile enim est ex mediis nasci, quũ eiusmodi partes medię exuccæ, lignosæq; sint, & asperæ, cõtra verò facilè, quę summę, teneræ humectęq; sint, ceu palmes & crada. A quo Plinius: Vitibus media sicciora, & è summa parte conceptus, ideò illinc surculi petuntur. Plinius: Vitium numerosior satus. Primùm omniũ nil seritur ex his, nisi inutile, & deputatum in sarmento, vt videbimus in sequenti.

De vitis & malleoli electione & quid malleolus. Cap. XI.

DIximvs vitẽ ex superiori surculo optimè generari, & hic modo tutior, vsitatiorq;: nunc de vitis, & malleoli electione disseremus. Ex Columellæ doctrina duplex electio facienda est, & vitis, ex qua semina petantur, eiusq; partiũ, quæ genitales, & maximè fertiles: & malleoli. Vitis, cuius progeniẽ studemus submittere, fœcũda non tantũ eò existimari debet, quòd vuas cõplures exigat, potest enim id ex trunci vastitate, & palmitũ frequẽtia euenire, nec ferax, quòd in singulis sarmentis singulæ vuæ conspiciantur, sed si per vnumquemq; pampinũ maior vuarũ numerus depẽdeat, si ex singulis gemmis compluribus materiis cũ fructu germinet, si deniq; etiã è duro virgam cum aliquibus racemis citet, si etiã nepotum fructu grauida sit, ea destinari debet legendo malleolo. Nec item ancipitem habeat floris euentũ, ne difficulter acinis ingrandescãt, ne aut præcoquem, aut seræ maturitatis fructum afferat: nam illa volucribus, hæc tempestatibus hyemis infestatur. Nec vitis ipsa vna cõprobetur vindemia: nam vel anni prouentu, vel aliis causis etiã infœcũda poterit semel exhuberare. Sed pluriũ emeritis annorũ stipendiis indubitata fides cõstituatur. Nec tamẽ vltra quadrienniũ talis extenditur inquisitio: nam id tempus stirpium omnium generositatẽ declarat, quo sol in eandẽ partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursus sui principium cœperat, quem circuitum meatus dierum integrorum mille quadringentorum sexaginta vnius, ἀποκατάστασιν vocant studiosi rerum cœlestium. Ex hac, fœcundissima stirpe legendum censemus malleolum. Malleolus est nouellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatusque à similitudine rei, quod in ea parte, quæ deciditur ex vetere sarmento, prominens vtrinque malleoli speciem præbet. Nunc ex ea vitis parte palmites legamus, qui futuram fœcunditatem promittant. Non igitur ex extrema eius parte, quam caput vitis appellant, eligendum est sarmen-

sarmentum, quòd in eo productissimo vuarum numerus conspiciatur: id enim accidit nō ex palmitis ingenita fertilitate, sed loci opportunitate, quia reliquas trunci partes alimentum, quod à solo ministratur, transcurrit, dum ad vltimum perueniat, quò quum peruenerit, ibi consistit, atque consumitur. Nec in crure vicino radicibus, quia terræ proximum integro atq; illibato succo alitur. Mediæ partes macerrimæ, quia transcurrit hinc parte aliqua interceptus, illinc à se tractus humor. Sarmentum igitur, quod media vite situm, numerosoq; fœtu benignitatem suam ostendit, eligatur: hoc translatum rarius degenerat, quum ex deteriore statu meliorem sortitur: siue empastinato deponatur, siue trunco inseratur, longioribus satiatur alimentis, quàm prius, quum esset in egeno. Ex humerosis igitur partibus vitis semina eligamus, tamen quæ attulisse fructū antea animaduerterimus: nam illud quod loco sterili lætum sine fructu processit, fallacem fœcunditatis imaginem præfert, nec vllam generandi vim possidet. Plinius ad hæc: *Serere è pampinariis sterile est, nec nisi fœcundo oportet. Quæ raros habent nodos, infœcundæ iudicantur, at densitas gemmarum fertilitatis indicium est. Quidam seri vetant nisi eos, qui floruerint, surculos.* A Columella Palladius in Februario & Octobri. Quintilii aliqua addunt, ob id præcepta huc afferenda duximus. Quando vites iam perfectum reddiderint fructum, contemplari oportet quæ fructiferę, & multis oculis præditæ sunt, & nulla clade affectæ, eas notare, vt tempore plantationis ex ipsis plantas accipiamus. Neq; ex nouellis vitibus neq; inueteratis: nam illæ infirmę, & hæ infrugiferę, sed ex eis, quæ in suo vigore existunt. aut parum quidem vltra excesserunt. Sarmenta non ex summis, neq; infernis partibus accipienda, sed media vite. Quod latum, ferulaceum, raros habens oculos, & contractas radices, abiiciendum: sumendum rotundum, læue, solidum, oculis densum, & nouas gemmas plurimas habens.

Sarmenta non colligenda, nisi tempore plantationis, & quomodo transferenda. CAP. XII.

SATIONIS tempore sarmenta colligenda esse præceperunt maiores. Ait enim Plinius, *surculos inseri eodem die, quo deputentur, vtilissimum, si multo postea necesse sit serere, custoditos, vti præcepimus, caueri vtique oportet, ne extra positi sole inarescant, ventóve, aut frigore hebetentur. Qui diutius in sicco fuerint, priusquam serantur, in aqua pluribus diebus reuirescant.* Alibi docens inserendos surculos decisos à matre, diutius custodiri posse ait: *Quod si longius afferantur pomorum calami, rapo infixas optimè custodire succum arbitrantur, seruariq; inter duos imbrices, iuxta riuos, vel piscinas, vtrinq; terra obstructos.* Quintilii hoc modo docent: Quòd si diutius seruare plantas necesse sit, in dolio humorem non habente deponantur, terra substrata, & rursus iniecta, vt vndequaq; terra fruantur. Dolium verò diligenter luto oblinire oportet, vt neq; ventus, neq; aër inspirare possit. Hoc e-

enim modo etiam ad duos menses illæsa manebunt sarmenta ad plantas delecta. At verò quæ ex multa locorum distantia exportantur sarmenta, quidá in scyllam imposita, aut in bulbos cibarios, viridia conseruant. Quæ autem tempore læsa sunt, aut aridiora facta, in aquam per diem, ac noctem cóiecta plantato. Si verò aridior sit terra, etiam sana sarmenta rigare melius est, atque ita plantare. Animaduertendum autem, ne sarmenta, quæ plantabimus, ante plantationem germen emittant, talia enim corrumpentur.

De pastinatione, sulcis, & scrobibus, quibus vinea ponuntur. CAP. XIII.

POST malleoli electionem, docendum quomodo ponantur. Columella tribus modis seri dixit, optimè in pastinato, proximè in sulco, nouissimè in scrobe. De pastinatione dicemus. Primùm ex omni siue arbustiuo, siue syluestri loco, quem vineis destinauerimus, omnis frutex, vel arbor, submoueri debet, ne fossorem morentur, vel pastinatum solum molibus imprimatur, aut exportantium truncos ingressu proculcetur. Multum refert suspensissimum esse pastinatum, & vestigio quoque inuiolatum, vt mota æqualiter humus, nouelli seminis radicibus, in quamcumque partem prorepserint, molliter cedat, & tenero, velut nutritio sinu recipiat, cælestésque admittat imbres, vt suis viribus ad educandam prolem conspiret. Campestris locus altè duos pedes, & semissem infodiendus, accliuis regio tres, præruptior collis in quatuor pedes vertendus, quoniam quum à superiore parte in inferiorem detrahitur humus, vix iustum pastinationi præbet regestum, nisi multo editiorem ripam, quàm in plano feceris. Depressis vallibus minus altè duobus pedibus deponi vineam non placet: nam præstat non conserere, quàm in summa terra suspendere. Primum autem prædicti operis exordium est, æqualiter linea posita rectis lateribus perpetuam fossam educere, & post tergum motam humum componere, atque in tantum deprimere, donec altitudinis mensuram datam ceperit, tum per omne spacium gradus æqualiter mouenda linea est: obtinendumque vt eadem latitudo in imo reddatur, quæ cœpta in summo mox sulcum vacuari, ac spatium crudi soli cum immota iam terra committi, monendo necubi scamna omittantur. Ad hoc opus exigendum quadam machina vtitor. At qui pastinationis huius impensam reformidat, sed aliqua tamen parte pastinationem imitari studet, paribus alternis omissis spatiis ternum pedum latitudinis sulcos dirigunt, fodiuntque, & exaltant in tres pedes, ac per latera fossarum vitem, vel malleolum disponunt. Anarius quidem dupondio, & dodrante altum sulcum, latum pedum quinque faciunt, deinde ter tanto amplius spatium crudum relinquunt: atq; ita sequentem sulcum infodiunt, quod quum per definitum vineæ locum fecerint, in lateribus sulcorum viuiradices, vel malleolos erigunt, consitis compluribus inter ordinaria semina malleolis, quos postquam conualuerint, crudo solo, quod omissum est, transuersis scrobibus propagent. Quibus

Hus verò mos est scrobibus deponere, ferè per tres longitudinis pedes, perque duos in altitudinē cauato solo, quantum latitudo ferramenti patitur, malleolos vtrinq; iuxta latera fossarum consternunt, & aduersis scrobium frontibus, curuatos erigunt, duabusq; gemmis supra terram eminere passi, reposita humo cętera coęquant, quæ faciunt in eadem linea, intermissis totidem pedum scamnis, dum peragunt ordinem: tum deinde relicto spatio, prout cuiq; mos est vineas colenti, vel aratro, vel bidente peræquantes ordinem insistunt. Et si fossore terra versetur, minimū est quinq; pedum interordinium, septem maximum: sin bubus & aratro, minimū est septem pedum, satis amplum decem. Aliqui per denos pedes vitem in quincuncē disponunt, vt noualium more terra transuersis, & aduersis sulcis ꝓscindatur. Idq; in læto solo faciendum, sed in terra humida amplas, & profundas scrobes faciendas vetat Theophrastus, ne multis collectis aquis putrefiat planta. Et si pluuius ager sit, ne faciundas quidem censuerit, sed adactis paxillis aditum parare surculo demittendo, nec eodem anno terram aggerendam neq; postero, vt sole humus assiccetur. Sin autem siccum & squallentem colis, contra agendum est, si fieri possit, in scrobes defodere satius est, vt omni ex parte aquam suscipiat. Sed si minus facere ita possis, tunc profundissimas fossas arboribus circumducere, fossę nanq; exceptis, ac seruatis aquis æstus arcebunt. Cætera ad hanc normam præparasse oportet: nam illud verissimum est, culturæ interesse: humidus ager siccandus, siccus humectandus. A quo Plinius: Vinea tribus seritur modis, sulco, scrobe, & pastinato. Sulco latitudo palę satis est, scrobibus ternorum pedum in quāq; partem. Altitudo in quocunq; genere tripedalis, ideo nec vitis minor trāsferri debet, extatura etiamnum duobus gemmis. Emolliri terram minutis in scrobe ima sulcis, fimoq; misceri necessarium. Cliuosa altiores poscūt scrobes, pręterea puluinatis à deuexitate labris: quæ ex his lōgiores fient, vt vites binas accipiant: è diuerso aliæ locabuntur. Vineas limitari decumano x v i i i pedū latitudinis, ad contrarios vehiculorum transitus, aliisq; transuersis limitibus denū pedum distingui per media iugera. Aut si maior modus sit, totidem pedum cardine, quot decumano limitari, semper verò quintanis semitari, hoc est, vt quinto quoq; palo singulæ iugo paginæ includātur. Solo spisso nō nisi repastinato nec nisi viuiradice seri, tenero, & soluto vel malleolū sulco vel scrobe. In colles sulcos agere transuersos melius, quàm pastinare, vt defluuia paliscorum contineantur. Florentino autem videtur, nō minus quatuor pedum altitudine vitium scrobes faciendos esse; quæ enim in superficie plantatæ sunt, cito senescunt, & fructum corrumpunt, modicum alimentū in modica terra sortitæ, & æstate exuruntur. Oportet igitur in quantum calor penetrat solis, in tantum effodere, & plantare, vltra autem prædictam mensuram solis, calorem non plus penetrare affirmant, nisi fissuras terra habeat, si minus profundè plantaueris, inutiles vires, & cito senescentes habebis. Scito igitur vsque ad quatuor pedes effossam terram nutricem plantarum esse, inferiorem esse

sterilem. Sed effossionem pedum altitudinis non est improbanda. Id tamen non omittetur ex Columella: iugerum repastinabitur in altitudinem pedum trium operis octoginta, sulcum ternum pedum, duorum altum, & longum septuaginta, vna opera effodit, scrobes ternarios, id est, quoquouersum pedum trium vna opera facit XVIII, vel si cui cordi est laxius vites ponere, scrobes quaternarios, id est, quoquouersus pedum quaternum vna opera XII facit, vbi bipedaneos quoquouersus vna opera XX effodit.

De tempore serendi malleoli. CAP. XIIII.

NVNC docenda est ratio plantandi ad tempora secundum earum naturam. Ex Theophrasti doctrina. Si in humida, & frigida regione seres, facito ante vernum æquinoctium, subeunt enim calor, & siccitas. Sin in sicca & calida, post solstitium: imminent enim pluuiæ, quare plus proficient. Aliarum rationes ad hanc normam instities. Virgilius vere præcipit melius, sed probabilius autumno:

Optima vinetis satio, cùm vere rubenti
Candida venit auis, longis inuisa colubris:
Prima vel autumni sub frigora, cum rapidus sol
Nondum hyemem contingit equis, iam præterit æstas,
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.

Columella ex Theophrasto excipit: Opus conserendæ vineæ vere, vel autumno. Vere melius, si aut pluuius aut frigidus status cœli est, aut ager pinguis, aut campestris, & vliginosa planities: rursus autumno si sicca, si calida est aëris qualitas, si exilis, atq; aridus campus, si macer, præruptúsve collis. Vernæque positionis dies ferè quadraginta sunt ab idibus Februariis vsq; in æquinoctium, rursus autumnalis ab idibus Octobris in cal. Decembris. Ab eo Plinius: Aquoso cœlo, vel sicco solo, malleolos serere autumno, nisi si tractus ratio mutarit, siccus enim & calidus autumno poscit seri, humidus frigidúsque etiam veris exitu. In arido solo viuiradix quoq; frustra seritur. Male & in siccis malleolus nisi post imbrem: at in riguis vel frondens vitis, & vsq; ad solstitium rectè, vt in Hispania. Cassianus hæc habet: Quidam vere inchoante conserunt, Fauonio tamen spirante. Quidam non statim veris principio, sed vbi ad germinationem spectant plantæ, alii post vindemiam plantant, quum folia vitibus defluunt, alii inchoante vere. Ipse autem experientia edoctus in locis non irriguis autumno plantandam vitem: tunc enim sarmenta post vindemiam ab onere racemorum liberata, propriam vim temperantia, & à glacie nondum male affecta citius terræ coalescunt, & natura tunc magis radices nutriente. Ratio cur locis nõ irriguis autũno plantant: quo inopiam rigationis imber per totam hyemem delapsus expleat. Sed post æquinoctium vernum non est plantanda vitis. Lunarem quoq; rationem in consitione obseruandam iudicarunt maiores. Columella: Plantaria facito ab exoriente, & à decima Luna,

na, & à vigesima. Anatolius, Multi ex veteribus affirmant à prima Luna vsq; ad quartam vites plantandas, aliqui verò in omnibus eius augescentis diebus plantare consulunt, alii augescente ipsa plantandum minimè censent. Hoc verò in confesso est, quòd Luna sub terra existente depangere vites oportet. Sotion verò ait, In illunibus diebus, hoc est prima & secunda die, vites nequaquam plantandas esse, itemq; reliquas arbores priusquam luna hominibus apparet, quæ enim his diebus plantata sunt, omnia non comprehendunt. Anatolius verò etiam desinente Luna plantauit, nec pœnituit. Verùm Sotion inter illunes dies etiam vigesimam nonam, & trigesimam locat. Oportet tamen Luna deficiente sarmenta accipere, tum quæ plantantur, tum quæ inseruntur. Nec omittendum quod Columella & Plinius non omittunt, in plantatione ne semina exarescant, immodicum ventum, solemque vitare, qui vterque non incommodè arcetur obiectu vestis, aut cuiuslibet densi tegminis. Veruntamen præstat eligere sationi silentis, vel certè placidi spiritus diem: nam sol vmbraculis facilè depellitur. Plinius, Quiescere ventos sationis die vtilissimum. Pleriq; austros optant, Cato abdicat.

Malleoli quomodo ponendi. Cap. XV.

De malleoli positione non minima inter maiores disceptatio fuit. Quidam totum flagellum, vt erat matri detractum, per gemmas quinas, vel senas partiti complures taleolas terræ mandauerũt, quod Columella minimè probat, assentiturq; his, qui eam partem quæ est iuncta cum vetere sarmento probauerunt, & sagittam repudiauerunt. Sagittam vocat nouissimam surculi partem, siue quia longius recessit à matre, & quasi emicuit, atq; prosiluit, seu quia cacumine attenuata prædicti teli speciem gerit. Ratio est quia fœcundus pampinus intra quintam, aut sextam gemmam fructu exuberat: reliqua pars vel sterilis, vel perexiguos ostendit racemos. Alii nouellum sarmentum pangebant, vt pars aliqua ei veteris hæreret. Sed id damnauit vsus: nam quicquid ex veteri materia relictum est, obrutum, celerrimè humore putrescebat, proximasque radices teneras, & vix dum prorumpentes vitio suo enecabat, vnde superior pars retorrescebat. Iulius Atticus, & Cornelius Celsus Sasernam sequuti quicquid residui fuit ex vetere palma per ipsam commissuram, qua nascitur materia noua, resecant, atq; cum suo capitulo sarmentum deprimunt. Sed nouella semina cum vetere sarmento deposita cito comprehendunt, & valenter crescunt, sed celeriter senescunt, at quæ sine vetere sarmento panguntur, tardius conualescunt, sed tardius deficiunt. Iulius Atticus prætorto capite, ne pastinum effugiat, semen demergit. Pastinum vocant agricolæ ferramentum bifurcum, quo semina panguntur. Idq; etiam à Columella improbatur multis rationibus. Primùm quòd omnis stirps integra, & inuiolata antequá deponatur melius prouenit, quàm quæ vexata, & infracta. Deinde retortum, & sursum spectans demersum, quum tempestiuum eximitur, repu-

gnat obluctanti fossori, & prærumpitur, præruptum maiorem partem radicum amittit. Præterea si fœcunda pars infra quintam, vel sextam gemmã est, qui malleolum contorquet, fœcundam partem consumit, mersiq; oculi non materiam, sed radices creant, gemmæ cacumini proximæ pampini pullulant, vel steriles vel minus feraces. Demum plurimum interest, vt ea parte qua est à matre decisus malleolus coalescat, & cicatricem ducat: sin minus, per apertam vitis medullam humor trahitur, qui truncum cauat, vnde formicis latebræ parantur, quæ vitium crura putrefaciunt. Quare optima ratio recti malleoli, cuius imum caput consertum angustis ferramenti faucibus deprimitur, nam citius coalescit, & cicatricem obducit. In scrobibus malleolos vtrinq; iuxta latera fossarum consternunt, & aduersis scrobium frontibus curuatos erigunt, duabusq; gemmis supra terram eminere passi reposita humo cętera coæquãt. Longitudo quæ debet esse malleoli, parum certa est, quoniam si crebras gemmas habet, breuior faciendus, seu raras, longior, attamen nec maior pede, nec dodrante minor esse debet: hic ne per summa terræ sitiat æstatibus, ille ne depressus altius, quũ adoleuerit, exemptionem difficilẽ præbeat. Sed hæc in plano: nam in cliuosis vbi terra decurrit, potest palmipedalis deponi. Vallis & vliginosi campi situ serimus etiã trigemmem, qui est paulo minor dodrante, longior vtiq; semipede. Et alibi idem docens: Virgam malleolarem, non amplius, quàm sex gemmarũ esse cõuenit, ita tamen si breuia internodia habeat, imam partem; quam demissurus es, iuxta nodũ, ne gemmam lædas, rotũda plaga amputato, tum rectum defigito, ne minus quatuor gẽmæ abscondantur. A quo eadem refert Palladius in Februario. Et Plinius: Solebat capitulatus vtrinq; è duro surculus seri; postea auelli cum sua calce, nec est aliud viuacius, tertiũ genus adiectum expeditius sine calce, propter quod sagittæ vocantur, quũ intorti panguntur, iidem quũ recisi, nec intorti trigemmes. Plures autem ex eodem surculo hoc modo fiunt. Sagittas serere minus vtile, quoniam in transferendo facilè rumpitur, quod intortum fuit. Seruntur pedali, nõ breuiores longitudine, quinq;, sexq; nodorum. Pauciores tribus gemmis in hac mensura esse non poterũt. Quintilii admonent illã partem potiorem esse ad plantationem, quæ vni vsq; ad septem oculos iuncta est, aliud autẽ inutile. Quare non rectè faciunt quidam, longiora sarmenta in duas, aut tres partes secãtes, atq; ita plantantes. Nos in Surrentino tractu vineas sic instituere solemus. Ad agri longitudinem longos ducimus scrobes, quatuor pedum profunditatis, & latitudinis, interuallum inter vtrosq; solidũ octo pedũ relinquimus. Idq; post vindemiam agimus. At Ianuario, vel Martio mensibus, binos malleolos eligimus, & imum solum scrobis per semipedem effodimus, & dextro scrobis latere infigimus, & per latitudinem scrobis prosternendo, ad sinistrum latus erigimus. Mox bipedali spatio antegradiendo, denuò imum solum effodimus & terram super malleolos iam prostratos iniicimus, & cooperimus, & aduersa frõtis parte binos alios infigimus, & ad dextram erigimus, idq; dum scrobs cõpleatur: & sic

semiob-

semiobrutos relinquimus vsque ad Martii calcem, vt aquam combibat. Tunc circa malleolos solum excauamus, & commouemus, & ad summum æquamus, ac binis oculis supra terram relictis, reliquum recidimus, ac per triennium intactos malleolos relinquimus, non nisi constitutis temporibus solum pastinando. Deinde tertio anno viticulas omnes recidimus, non nisi duobus oculis parcimus, rustici castrare dicunt. Eo anno oblongos palmites procreabunt, autumno excauamus solum vsq; ad imum, & malleolos propagamus, ternos quaternósve palo adiungendo & colligando.

Quid faciendum ad celerem vitium radicationem. CAP. XVI.

PRÆSTAT enim vt posita semina celeriter radicentur. Ad id non pauca à nostris maioribus adinuenta sunt experimenta. Prodidit Mago Pœnus iuxta latera fossarum paruos lapides disponere plantandis viuiradicibus, qui singuli non excedant quinquelibrale pondus. Hos aquas hyemis & vapores æstatis propulsare radicibus; quem sequutus Virgilius sic præcipit,

Aut lapidem bibulum, aut squallentes infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuisq; subibit
Halitus, atq; animos tollent sata, iamq; reperti
Qui saxo super, atq; ingentis pondere testæ
Vrgerent: hoc effusos munimine ad imbres.

Idemq; Pœnus author probat vinacea permista stercori depositis seminibus in scrobem vites mouere, quòd illa prouocent, & eliciant nouas radiculas, hoc per hyemẽ frigentem, & humidũ scrobibus inferre calorẽ tempestiuum, ac per æstatẽ virentibus alimentũ, & humorem præbere: si verò solum, cui vitis committitur, videtur exile, longius accersitam pinguem humum scrobibus inferre censet, vel malleolũ amputatum statim fimo bubulo linito, tum in terrã benè pastinatã, & stercoratam defigito. Palladius refert, quę Columella habet. Plinius emolliri terrã iubet minus in scrobe ima sulcis, fimoq; misceri necessariũ duci. Quintilii à Magone, Qui vitẽ plantant, summas sarmentorũ partes stercore bubulo liquido pręlinũt: aiunt enim reptilia & vermiculos odore abductos nõ accedere. Oportet autem in omnibus plantis quercinę glandis contusæ, magnitudinem fabæ, & eruum fractum & semel molitũ, ita vt solum fractum sit & diuisum, simul miscere, & plantarum locos inde conspergere. Hæc enim ad radicationem, & ad vini vetustatem, & ad fertilitatem conferunt. Quidam leguminum paleas maximè fabarum, vnà cum plantis coniiciunt, tales enim per hyemem calefaciũt, & ferarum nocumenta arcent. Quidam vrinam iniiciunt. Oportet autem & vinaceorum terrefactorum pugillum in singulos scrobes iniicere, ad nigra genera albarum vuarũ vinacea, contrà ad alba nigrarum. Licet rectum plantare sarmentum, præstat obliquum: citius enim radicantur obliqua, sed tres aut quatuor lapides manuales circumponendi, deinde adiacẽte aggere adobruẽdi, vt vnà cũ stercore ęqualiter conculcemus, & obseruemus, ne quẽ oculum iuxta terrã excæcemus, deinde alios

lapides imponemus conculcato, magnitudine prioribus pares. Stercus igitur simul iniectum fouet, & firmat plantam. Vinacea citius radicē spargere faciunt. Lapides autem prohibent ne spatiosa terrę amplitudo illabatur, ęstate verò radices perfrigerant. Sotion enim cedria quàm minima summam plantæ sedem, ac basim illinere iubet: nam hæc putrescere non sinit, & reptilia adrepere prohibet suo odore.

Quòd in vinea diuersa sint vitium genera plantanda, eaq; distinctè ponenda. CAP. XVII.

PRVDENTIS est agricolæ, refert Columella, diuersa vitium genera in vinea deponere: non enim vnquam tam temperatus erit annus, quin nexet aliquid vitis genus: nā siue siccus erit, quod humore ꝓficit, cōtristatur, seu pluuius, quod siccitatibus gaudet, seu pruinosus quod non est patiens vredinis, seu feruens, quod vapores non substinet: si igitur vnum seuerimus, quū id acciderit tota vindemia priuabimur, at si varii generis vineta fecerimus, aliquid ex iis inuiolatū erit quod fructum proferat. Non tamen ea de causa nos cōpellamur ad multas varietates, sed sat erit per quatuor, vel ad summū quinq; genera vindemię fortunam experiri. Pręterea per species digerendę vites in proprios hortos, cuius rei faciendę nos vtilitas multis de causis compellere potest. Primùm quòd ad omnem vitæ rationē prudentem delectant impensius ea, quæ ꝓpriis generibus distinguūtur, quàm quæ passim, velut abiecta, & quodam aceruo confusa sunt. Deinde quū in agrum quis consitum venerit, summa cum voluptate miratur, quū istinc bituricę, hinc pares iis heluolę respondent, illinc arcelanę, rursus illinc spioniæ, basilicęq; cōueniant, vel generis albi, vel flauentis, ac rutili, vel purpureo nitore micantis, vndiq; versicoloribus pomis grauidus collucet autūnus. Sed hęc quāuis plurimum delectent, vtilitas tamen vincit voluptatē. Diuersę stirpes non pariter deflorescunt, sed ad maturitatem simul ꝑueniunt, quā ob causam qui separata generibus vineta non habet, aut serum fructū cum pręcoque eleuet necesse est, quę res acorē facit, aut si maturitatē serotini expectet, amittat præcoquem vindemiā, præ populationibus volucrum, pluuiis, ac ventis lacessita dilabitur. Si verò cuiusq; generis fructum aueat, quū diuersę notę sint, melioris gustus ab deteriore corrūpitur, cōfususq; in vnū multarum sapor, vetustatis impatiēs fit, atq; necessitas cogit agricolam musti annonā expedire, quū plurimū pretio accedat, si venditio in annū vel in æstatē differri possit. Generū separatio hanc cōmoditatem habet, quod vinitor suā cuiq; putationem reddet, quū scit cuius sit notæ hortus, quod in vinetis nō conseminеis obseruari difficilè est, quia putatio administratur, quādo vitis folium nō gerat, multumq; interest plures aut pauciores materias submittat. Quin etiā quā cœli partē vnūquodq; genus vineti spectet plurimū refert, neq; enim omnis calido statu, nec frigido lętatur, sed proprietas in vitibus, vt aliæ Meridie, alię Septētrione gaudeāt, alię orientis, vel occidētis tēperamento. Has igitur differētias seruāt, quo locosū situ, qui genera per hortos separant. Illam

quoq;

quoque non exiguam sequitur vtilitatem, quod laborem vindemiæ,& minorem sumptum patitur: nam quæ maturescere incipiunt, tempestiuè leguntur, & quæ nondum maturitatem ceperunt vuæ, sine dispendio differuntur. Nec pariter vetus, atq; tempestiuus fructus præcipitat vindemiam, cogitq; plures operas quantocunq; pretio conducere. Iam & illud magnæ dotis est posse gustum cuiusq; generis non mistum, sed merum condere. siue bituricus, siue basilicus, siue spionius, quæ genera sic diuisa, quia nil interuenit diuersæ naturæ, per potus nobilitantur. Quare vtilissima est generum dispositio, quam si obtinere non possis, secunda est ratio, vt conseras vites, quæ saporem consimilem fructumq; maturitatis eiusdem præbeant. Ad hæc Florētinus, Quia non eiusdem naturæ vites, oportet harum misturā deuitare, vt ne melius ammistō peiore lædatur. Nihil enim adeo vinum oblædit, vt quum præcoces vuæ cum serotinis leguntur. Omnium verò maximè obseruandum, ne albæ cum nigris calcentur, multo melius si non simul calcentur. Habent enim quandam naturalem aduersus sese contrariam affectionem. Didymus consultissimè facere dixit, qui tria, aut quatuor vitium genera separatim in vinea plantant, aut enim omnia simul comprehendent, aut non simul omnia spem frustrabuntur. Etenim ad vnum aliquod genus animum conuertere non est tutum. Neque oportet fusim, sed singula genera separatim plantare: nam vinum ex diuersis vitibus factum plurimam differentiam habet. Hæc eadem Palladius habet in Februario.

De nouella vineæ foßione. Cap. XVIII.

FVIT vitis maioribus nostris non lætitiæ solùm, sed laboris symbolum, siquidem nulla arborum maiori indiget cura, vt nisi diligentissimè excolatur, pergulis sustentetur, palis, vel arboribus maritetur, falce singulis annis præcidatur, multo denique labore custodiatur, breui admodum tempore pereat. Quare non imperite dixit Hesiodus,

οἷα Διώνυσος δῶκ' ἀνδράσι χάρμα, καὶ ἄχθος.

Lætitiam, & laborem hominibus simul Bacchum dare. Vnde vinea iā malleolis consita non debet eam agricola, antequā pubescat, destituere, annuum sumptum refugiens, vt disertissimus Columella monet. Res est tenera, infirma, iniuriæ maximè impatiens, quæ plerunque nimio labore, & nimia vbertate sua consumitur. Quum tamen aliquatenus se confirmauit, & veluti iuuenile robur accepit, negligentiam sustinet, nouella dura adolescit, nisi omnia iustè perceperit, ad maciem redigitur, & sic intabescit, vt nullis deinceps impensis recreari possit. Igitur summa cura, quasi infantium membra à primo die consitionis formanda, ne impensa in cassum recidat. Ex kalendis igitur Martiis, vsq; in Octobres, trigesimo quoq; die nouella vincta confodere oportet, omnesq; herbas, & præcipuè gramina extirpare, quæ nisi manu eligantur, & in summum reiiciantur, quantulacunque parte adobruta, reuiuiscunt, & vites

ita peruruntur, vt scabræ atq; retorridæ fiant. Quæ ab eo excipiens Palladius, in Martio mense commemorat: ac pulucrationem vocat. Martio enim mẽsi nos solidum inter ordines positum crebris fossionibus resoluimus, & in puluerem redigimus. Theophrastus verno tempore pastinari quàm altissimè iubet, vt spiritus abunde permistus pabulum præbeat, quippe aër quoque alimentum præstare potest.

De malleolis pampinatione facienda.
Cap. XIX.

OPTIMVM est malleolum sic formare ab initio, vt frequenti pampinatione superuacua detrahãtur, nec patiamur plusquã in vnam materiam vires, & omne alimentum conferre: primo tamen bini pampini submittũtur, vt sit alter subsidio, si alter fortè deciderit. Quum deinde paululum induruere virgæ, tum deteriores singulæ detrahuntur, ac ne quæ relicta sunt ventorum procellis decutiantur, molli & laxo vinculo adsurgentes subsequi conueniet, dum clauiculis suis, quasi quibusdam manibus adminicula comprehendant. Pampinationis tempestiuitas ea est, dum teneri palmites sunt, vt leui tactu digiti decutiantur: nam si vehementius induruerint, aut maiore nisu conuellendi, aut falce deputandi, quod vtrumque vitandum est, alterum quia lacerat, alterum quia matrem sauciat, quod in immatura adhuc stirpe fieri est noxium, nam æstiuis caloribus impressum vulnus, latius inarescit, ita vt non minimam partem de ipso matris corpore enecet: vnde si duris caulibus falcem adhibere necesse est, ii paululum ab ipsa matre recidendi, & velut reseces relinquendi, qui caloris iniuriam excipiant, eatenus, qua nascuntur à latere palmitis: vltra enim non serpit vaporis violentia. In malleolo eadem ratio pampinandi: si eo velimus vti adminiculo, in longitudinem eliciamus materiam. At si bino vti velimus, quum ad vnum pampinum redegeris, & ipse excesserit pedalem longitudinem, decacuminare conuenit, vt in ceruicem confirmetur, & fiat robustior. Palladius à Columella Augusto mense frigidis locis vineam pampinari debere dicit, ac siccis obumbrari potius vua, ne vi solis arescat. Magnus Theophrastus, Resecari plantas breui relicto palmite præstat vbique, vt radices vires incrementaque capiant. Tempus tamen putandi ferè idem omnibus statuunt, sub ipsam scilicet germinationem, vt planta plena humoris protinus exiccetur, vt germen optimè prodeat: quippe putationem ipsam non fructus, sed germinis gratia faciunt, autumnalem verò fructui præparant, vt dicemus. Cassianus in Maio mense pampinationem vult perfici, prominentes nouellarum vitium turiones auferri, & si quid in supernis partibus præterea excreuerit. Vno enim turione contentam esse nouam vitem conuenire.

De nouella vineæ ablaqueatione. Cap. XX.

SEQVENS

SEQVENS verò tempus ampliorem curam deposcit: nam post idus Octobris priusquam frigora inuadant, vitis ablaqueanda est quod opus adopertas ostendit æstiuas radiculas, easque prudens agricola ferro decidit: nam si passus est conualescere, inferiores deficiunt, atque euenit, vt vinea summa parte terreni radices agat, quæ & frigore infestentur, & caloribus maiorem in modum æstuent, ac vehementer sitire matrem in ortu caniculæ cogant. quare quicquid intra sesquipedem natum est, quum ablaqueaueris recidendum est. Sed minime applicandum ferramentum ipsi matri, quoniam si iuxta truncum radices præcideris, aut ex cicatrice plures nascentur, aut aqua, quæ ex pluuiis consistit in lacusculis ablaqueationis, brumæ congelationibus noua vulnera perurет, & ad medullam penetrabit, vnde recidere ab ipso codice vnius digiti spatio conueniet, sic non amplius pullulant, & à noxa truncum defendunt. Postea si hyems in ea regione placida, patens vitis relinquenda: sin violentior, ante idus Decembris prædicti lacusculi æquandi. Si verò prægelida frigora regionem infestabunt, aliquid fimi, vel columbini stercoris, aut in hunc vsum præparatæ veteris vrinæ senos sestarios radicibus infundes, antequam adobruas. Ablaqueare omnibus autumnis oportebit primo quinquennio, dum vitis conualescat, vbi truncus adoleuerit, triennio intermittenda est. Quæ iisdem verbis in Octobri recenset Palladius.

De nouella vineæ resecatione. CAP. XXI.

SIVE malleolum, siue viuiradicem conseueris, censet Columella, primi anni malleolorum formare incrementa, non pati vitem superuacuis frondibus syluescere, nec in tantum coercere, vt totam superficiem amputemus: sed media ratio sequẽda est, vt annotato superioris anni pollice, supra ipsam commissuram veteris sarmenti vnam, vel duas gemmas relinquamus, ex quibus germinet. Virgilius ad id:

At dum prima nouis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris, & dum se lætus ad auras
Palmes agit laxis per purum immissus habenis,
Ipsa acies falcis nondum tentanda, sed vncis
Carpendæ manibus frondes, interq; legendæ.

De nouellæ vitis putatione. CAP. XXII.

ABLAQVEATIONEM sequitur talis putatio, vt à primo anno ad vnam virgulam reducendam dicat Columella, nec recidendam totam. Anno secundo expleto, quia vel intereunt vites in totum recisæ, vel infœcunda sarmenta producunt, quæ amputato capite, velut pampinaria de duro coguntur exire, propterea iuxta commissuram veteris sarmenti vnam, vel duas gemmas censemus relinquendas, quod in viticula fortiore

ſeruandum. Sed nec verno tempore omnibus regionibus melior putatio eſt, nam vbi cœlum frigidum eſt, ea ſine dubio eligenda eſt. Vbi verò aprica loca ſunt, mollesque hyemes, optima, & maximè naturalis eſt autumnalis. Putatio fieri non debet ſecundum articulum, ne reformidet oculus, ſed medio ferè internodio ea plaga obliqua falce fit, ne ſi tranſuerſa fuerit cicatrix, cœleſtem ſuperincidentem aquã contineat. Sed nec ad eam partem, qua eſt gemma, verùm ad poſteriorem declinatur, vt in terram potius deuexa, quàm in germen delachrymet: nam defluens humor cæcat oculum, nec patitur frõdeſcere. Eadem ab eo Damageron.

De vite formanda. Cap. XXIII.

De vitis formatione hæc affert Theophraſtus. Vitis verò ſubtus circum ſua crura inſtituenda, formandaque eſt. Nam ſi vndique læuis, expoliataque ſit, melior fœcundiorque euadet. Nec difficulter poſſit ita formari, ſi quis non eos reliquerit palmites, qui perpulchrè excurrerint, ſed illos qui aptiſſimi ad formationem deſtinatam conſtiterint, quippe ſingulas gemmas ſingulis reliquiſſe abundè eſt. At ſi nec iſtud certò fieri poſſet, quia ſcilicet vitis non per eandem tulerit partem, gemmæ prorſus internæ tollendæ ſunt, vt ad exteras alimentum excurrens, vitem ſcindat in brachia: ſemper enim ad partem viuam, atque capacem perfluitur. Quamobrem pro voluntate vitem formare facilè eſt. Sed hoc in agro humecto, atque frugali: ſicco enim, ſqualentique palmites, qui optimè proſiluerint, reliquiſſe neceſſarium. Quum enim ſiccus ieiunusque ſit, nunquam alios facilè profert: quapropter factum impetum conſpectari ſatius eſt. Quin & afflatuum ratione reſcidiſſe decet, nec præter naturam quicquam eſt enitendum.

Quomodo plantanda, & alliganda ſit nouella vinea. Cap. XXIIII.

Pvtationem ſequitur pedandæ vineæ cura. Verùm hic annus nõdum vehementem palum, aut ridicam deſiderat, itaque arundines binas ſingulis vitibus applicabimus, quibus adnectantur ſingulæ tranſuerſæ perticæ in imam partem ordinis, quod genus iugi canterium vocant: refert enim vt paulum infrà curuationem vitis prorepens pampinus ſtatim apprehendat, & in tranſuerſa potius, quàm in edita ſe fundat, atque canterio ſubnixus, facilius ventos ſuſtineat: iugum intra quartum pedem conuenit alleuari, dum ſe vinea corroboret, in pedationem. Deinde ſequitur alligator, cuius officiũ, vt rectam vitem producat in iugum, quæ ſi iuxta palum poſita eſt, obſeruet qui adnectit, ne in alliganda materia flexum pali ſequatur. Recta arundo ſtirpi adiungenda, ita per crebra retinacula in iugum producẽda. Nouella vinea quamlentiſſimo nectenda vinculo eſt, quia ſi viminibus ſalicis, aut vlnis ligaueris, increſcens vitis ſe ipſam præcidit, optima eſt geniſta, iuncus, vlua & arundinum folia

lia in vmbra ſiccata. A quo eadem Palladius in Martio mẽſe. Damageron perticam adiungit corticem non habentem. In corticc enim cantharides, & quæcunq; vitem vaſtare ſolent ſubtergrediuntur. Ipſam verò plantam extentã paxillo alligare oportet. Viti enim perfectæ ſex annorum putationem in humeres ter, aut quater iuxta facultatẽ plantæ adhibere oportet, & vnicuiq; ſarmẽto humeralem paxillum apponere, qui ſarmentum, & racemos ferre queat.

De vitiario conſtituendo. CAP. XXV.

SATIONIS alterum genus eſt viuiradicis: plurimis enim diebus prę̃ſtat viuiradix, inquit Columella, minus enim interit, quum & calorem & frigus, & cæteras tempeſtates propter firmitatẽ facilius ſubſtineat, deinde adoleſcit maturius, ex quo euenit, vt celerius quoq; ſit tempeſtiua ædendis fructibus. Aliam rationem addit Theophraſtus, quòd viuiradices ſolo pluuio deponendas potius, quàm cætera ſemina cenſent. Radices enim quas illa dimiſerit imbecilles, humor nimirum putrefacit, viuiradices verò ſolidiores ſunt, ſtatimque comprehendunt, vt impunè valeant perdurare. Vnde qui vineã, vel arbuſtum conſtituere volet, ſeminaria prius facere debebit, ſic enim ſciet, cuius generis vitem poſiturus ſit: nam quæ pretio parata diſponitur, certam generoſitatis fidem non habet, quoniam dubium eſt, an is qui vendidit, legendis ſeminibus adhibuerit diligentiam, tum etiam quod ex longinquo petitur, parum familiariter noſtro ſolo venit, propter quod difficilius conualeſcit alienum exteræ regionis. Igitur eodem agro, quo vitem diſpoſiturus es, vel certè vicino facere ſeminarium, idque multum refert loci natura. Nam ſi colles vineis, vel arbuſtis occupaturus es, prouidendum eſt, vt ſicciſſimo loco fiat ſeminarium, etiam quaſi ab incunabulis vitis exiguo aſſueſcat humori, aliter quum tranſtuleris de humido in aridum locum, viduata priſtino alimento deficiet: at ſi campeſtres, & vliginoſos agros poſſidebis, proderit quoque ſeminarium ſimili loco facere, & vitem largo conſueſcere humori: nam exilis, quum in aquoſum agrum transfertur, putreſcit. Ipſum autem agrum, quem ſeminario deſtinaueris planum, ſuccoſum, ſat erit bipalio vertere, ea repaſtinatio altitudinis habet plus ſeſquipede, minus tamen quàm duos pedes. Eiuſmodi bipalio iugerum agri vertitur operis quinquaginta. Collem autem & cliuum modum iugeri continentem duobus pedibus altè repaſtinabis operis ſexaginta. Vel ſi eodem loco, quo vineam ordinaturus es, facere voles ſeminarium, tribus pedibus altè repaſtinabis iugerum operis octoginta. Iuberque alibi idem Columella, ſeminario lætiſſimum locum non deſtinandum, nam ſi depoſitæ ſtirpes celeriter proſiliunt, ſi transferantur retorreſcunt. Rurſus nec tenuiſſimum locum, quoniam malleolorum pars maior perit, & quæ ſupereſt, tarde fit idonea tranſlationi, & prudentis eſt coloni potius ex deteriori in meliorem, quàm ex meliore in deteriorem transferre. Ergo mediocris ager vitiario

est aptissimus. Sic in pastinato agro tripedaneis relictis spatiis, per quæ semina excolantur, in singulis ordinibus, qui ducenos quadragenos pedes obtinent, sexcenteni malleoli pangendi sunt. Is numerus consumat per totum iugerum
Plin. 17. 21. seminum millia quatuor, & viginti. Bithyni, Didymo authore, plantaria vocant, vbi plantæ præsaginantur. In profunditatem non minorem pede poni debere, & vt facilè per ligonem refodiantur, & semper à sole calefiant. Quod superfluum est in angescēte per manum auferre oportet, (stuporem enim inducit ferri contactus,) quò vitis in crassitudinem crescat. Quidam secundo, aut tertio anno transplantant, sed triennales generosiores. Plantaria rigare non opus est, nisi & ipsas vites rigare velis. Omnia enim quę in plantario fiunt, & in eadem vinea facere oportet. A Columella Palladius in Februario trāsfert. Plinius: subtilitas parsimoniæ compendia inuenit, quum vinea in pastinato seritur, obiter seminarium faciendi, vt viuiradix loco suo, & malleolus qui trāsferatur, inter vites ordine seratur. Quæ ratio in iugero circiter XVI M. viuiradicum donat. Interest autem biennium fructus, quo tardius in sato prouenit, quàm in translato.

De viuiradicibus transferendis, plantandisq́;. CAP. XXVI.

NVNC viuiradices transferre, & plantare docebimus, & à scrobibus incipiemus. In macro solo quinis pedibus inter ordines omissis, mediocri senis, in pingui verò septenum pedum spatia danda sunt, quo largiora vacent interualla. Hæc in quincuncem vinearum metatio expeditissima ratione conficitur, quippe linea per totidem pedes, quot destinaueris, interordiniorum spatiis, purpura, vel quolibet alio conspicuo colore insuitur, eaque sic denotata per repastinatum intenditur, & iuxta purpuram calamus defigitur, atque ita paribus spatiis ordines diriguntur, quod deinde quum est factum, fossor insequitur, scrobemque alternis omissis per ordinem spatiis à calamo ad proximum calamum non minus altum, quàm duos pedes, & semissem planis locis fodit, accliuibus in dupondium & dodrātem: præcipitibus etiam in tres pedes in hanc mensuram scrobibus depressis viuiradices ita deponuntur, vt à media scrobe singulæ, & in diuersum sternantur, & contrariis frontibus fossarum ad calamos erigātur. Satoris officium est eodem momento, si fieri possit, quo serere velit, de seminario transferre plantam diligenter exemptam, & integram, deinde eam totam exputare, & ad vnam materiam firmissimam redigere, nodosque & cicatrices alleuare, si quæ radices laborauerint, eas amputare: sic deinde curuatam deponere, ne duarū vitium radices implicentur: id vitabitur per imum solum iuxta diuersa latera fossarum dispositis paucis lapidibus, circa pondo quinque. Quum semina depones imum scrobem bidentibus fodito, mollemque reddito. Vitem, quam ponis, fac vt ad Orientem spectet, adminiculo religata. Mago Carthaginensis adiicit, vt semina ita deponantur, ne protinus totus scrobs terra repleatur, sed dimidia pars sequente bien-

nio

nio paulatim adæquetur: ſic enim cogit vitem radices deorſum agere. Sed id ſiccis locis vtiliter fit, vliginoſis verò, aut vbi cæli ſtatus imbifer, minimè faciendum: nam in ſcrobibus nimius humor conſiſtens imbecilla tūc ſemina necat, quare vtilius erit, depoſita ſtirpe ſcrobes repleri, & quum ſemina comprehenderint, poſt æquinoctium autumnale ablaqueari, reciſis in ſummo radiculis, poſt paucos dies adobrui. Locis verò vbi cæli clementia permittit, tota hyeme adopertas radices relinquere conueniet. Id præcipuè obſeruandum eſt, ne in ſcrobe ſupina vitis deponatur, ſed ab imo vſq; recta materies erigatur, calamoq; applicetur; nā ſi in alueo recumbet, quādo ablaqueatur, vulneribus obnoxia eſt, & nonnunquam præciditur. Tempora ſerendi docet Theophraſtus, non eadem vtrique ſolo reddi. Pluuium enim & frigidum, paulò ante æquinoctium ſeri debet, quippe tunc ſicciſſimum atque calidiſſimum eſt: ſiticuloſum & feruidum poſt ſolſtitium. Id enim quò amplius imbrem ſenſerit, eò melius germen effundet. Reliquis omnibus ad normam eorum temporum moderando, ſerendi tempus accommodabitur. Addit: Craſſitudo plantarū ſolo pluuio non ineptè decernitur, viribus enim maximè opus eſt, ſed ſqualenti neq; craſſas, neque nimium tenues ſtatuere debes: alteræ namque ne putreſcāt, alteræ, id eſt tenues, atque imbecilles, ne priuſquam cœperint germinare, exareſcant timendum eſt. Heſiodus, & ab eo Virgilius Lunæ dies in quibus plantandæ ſint vites, adiiciūt,

Septima poſt decimam felix, & ponere vites.

Didymus differentiam ponit inter viuiradices, & ſarmenta. Viuiradices hoc præſtare ab his, quæ à ſarmento videntur, quod viuiradices auctiores ſunt, vtpote quæ radices egerunt, malleoli verò radicationem expectant. Præterea tranſplantatio meliorem fructum & vberiorem facit. Viuiradices ſecundo, aut tertio anno fructiferæ, malleoli vix tertio, aut quarto anno. Et Februario menſe tranſplantandas non anniculas, ſed duorum, aut trium annorum. Palladius quæ à Columella excepit, in Februario habet.

De vinearum generibus, & primum de iugata. CAP. XXVII.

IAM vineam conſtituimus, nunc de ſingulis eius ſpeciebus. Diximus vinearum plura genera: ſed in vſu tria ſunt, iugata, humi proiecta & ſubrecta. Iugata plus aëris recipit, altiùs fert fructum, æqualius concoquit, ſed difficilior eius cultus. De ea ita præcipit Columella, Quum menſem trigeſimum exceſſerit poſita vinea, id eſt tertio autumno, vehementioribus ſtaminibus impedanda eſt, i[d]q; non fortuito, ſiue prope truncum defigitur palus, ſed pedali ſpatio recedendum eſt, ne radicem vulneret, & foſſ[o]r ab omni parte ſemina circumfodiat, eo modo, vt Aqu[i]lonum excipiat violentiam, vitemque protegat: ſiue medio interord[i]nio pangatur, vel defodiendus eſt, vel prius paxillo perforato ſolo altius adigendus, quo fa[c]ilius & [iugum], & fructum ſuſtineat. Statuminibus iuga ſunt alliganda, vel ſaligneis pe[rticis] [illegible] lu-

tibus quasi fasciculis arundinum connectuntur, ne pandantur onere fructuum: nam binæ iam materiæ singulis seminibus submittendæ erunt, nisi gracilitas vitis angustiorem putationem desiderabit, cuius vnus palmes, & paucorum oculorum erit relinquendus. Arundines conuersis cacuminibus vinciendæ, vt æqualis crassitudo iugi sit, & quum iugum in fascem pluribus arundinibus alterna cacuminum vice ordinatum est, ferè quinquennii præbet vsum. Sunt qui non iugum in stellam decussari, sed simplici ordine contenti sunt: verùm stabilior est vinea & oneri sarmentorum, & fructui ferendo, quæ ex vtraque parte iugo deuincta pari libramento, velut anchoris distinetur, quàm quæ simplici canterio stipatur. Potest tamen vinea si non lata, nec fructuosa, & cœlum non procellosum, vni iugo contenta esse, sed vbi magna vis pluuiarum, vbi præcipitibus cliuis præsidia vitis desiderat, ibi quasi quadrato agmine circumfirmanda. Calidis, & siccis locis in omnem partem iugum porrigendum, vt prorepentes vndique pampini iungantur, & condensati cameræ more, sitientem terram obumbrent. Contrà frigidis, & pruinosis regionibus simplices ordines instituendi: nam sic facilius insolatur humus, fructus percoquitur, perflatum salubriorem habet, fossores liberius iactant bidentes, melius custoditur, & commodius à vindemiatore legitur. Neq; est alia ratio putationis, aut cæteræ culturæ, quàm quę primi biennii. Nam & autumnalis ablaqueatio sedulo facienda, nec minus vacantibus palis propagines applicandę. Hoc opus nunquam intermittendum, neque enim quæ seruntur, immortalia esse possunt, attamen eorum æternitati sic consulimus, vt demortuis seminibus alia substituamus, quinetiam crebræ fossiones dandæ, pampinationes sæpe adhibendæ, neque enim satis est semel tota æstate viti frondem superuacuam detrahere. Decutienda etiam sunt omnia, quæ infra trunci caput germinauerint. Item si oculi singuli sub iugo binos pampinos emiserint, quamuis largos fructus ostendant, detrahendi sunt eis singuli palmites. Post quadragesimum & alterum mensem instituenda est putatio, vt submissis pluribus flagellis vitis in stellam diuidatur. Sed putatoris officium est pedali ferè spatio circa iugum vitem compescere, vt è capite quicquid tenerum est, per brachia emissum prouocetur, & per iugum inflexum præcipitetur, ad eam mensuram, quæ terram contingere non possit. Sed modus pro viribus trunci seruandus, ne plures palmites submittantur, quàm quibus vitis sufficere queat. Prædicta ætas læto solo, truncoque tres materias, raro quatuor desiderat, quæ per totidem partes ab alligatore diuidi debent. Iugum à terra leuandum est quatuor pedum humillimum, septem celsissimum. In nouellis seminibus vitandum: sed per longam annorum seriem ad hanc altitudinem vitis perducenda est. Si solum humidius, cœlum, & venti placidiores, altiùs attollendum iugum, nam fructus à terra summotus minus putrescit, & hoc modo perflatur ventis, qui nebulam & rorem adsiccant, & ad deflorescendum, & vini bonitatem conferunt. Verùm exilis terra, accliuis & torrens æstu, vel procellis obnoxia,

obnoxia, humilius iugum poscit. At si cuncta ex voto, iusta altitudo vineæ pedum quinque. Sed vites melioris saporis mustum præbent, quæ in editiora iuga consurgunt. Quæ Plinius & Palladius habent, à Columella omnia didicêre.

De tempore putationis. CAP. XXVIII.

PVTATIO necessaria vitibus est, tum recenter enatis, tum perfectis: reciditur nouella, vt vires concipiat, & intra se pascat, suffecturas oneri, aliàs festinatione pariendi gracilis, ac emucida, ni cohibeatur castigatione tali, in fœtum exeat tota. Nihil auidius nascitur, ac nisi ad pariendum vires seruentur, tota fit fœtus. Theophrastus de putationis tempore hæc habet. Alii sunt, qui maturè illas recidere iubent, quæ in solo sicco, & calido, quum primò sua folia dimittere cessauere; quæ in frigido, & pluuio positæ sunt, has paulò ante germinationem. Ratio quia in solo sitiente, humorem suum seruantes, meliorescunt, & fructum vini suauioris progenerant, quæ in frigido sunt, emisso humore, fructus fit incorruptior, & vini suauioris efficiens. Medium & temperatum agrum obtinentibus medium tempus statuitur. Sed non desunt, qui maturè amputari præcipiant, quòd palmites crassiores efficiantur, & nulli oculi obtundantur, & si tempus serenum contingat, plagæ siccentur. Quæ omnia plurimum prosunt; nam hyberno tempore gemmæ pereũt frigore magna ex parte, & plagæ vi siccescentes rumpuntur. Vere lachryma fluit, & permulti oculi excæcantur. Columella ita determinat: Si mitis, ac temperata permittit in ea regione, quam colimus, cœli clementia, facta vindemia secundum idus Octobris auspicari putationem placet, quum tamen æquinoctiales pluuiæ præcesserint, & sarmenta iustam maturitatem cœperint: nam siccitas seriorem putationem facit. Sin autem cœli status frigidus & pruinosus hyemis violentiam denunciat, in idus Februarii hanc curam differemus. Sed id in exiguo possessionis modo. at vbi ruris vastitas temporis electionem neget, valentissimam vineti partem frigoribus, macerrimam vere, vel autumno. Quin etiam per brumam meridiano axi oppositas vites, Aquiloni per ver, & autumnum deputari conueniet. Sed quanto maturius detonsa sunt, plus materiæ, quanto serius, plus fructus afferunt. Hesiodus Lunæ dies addit,

Vnaq; post decimam felix incidere vites.

Et alibi:

At dum sex decies sol arduus occidit vndis,
Hybernum post solstitium, sacrosq; relinquens
Oceani fluctus sublimis Arcturus olympo
Exoritur, primumq; cupit splendescere sydus,
Tunc vites incide; noui neque nuncia veris
Antiquis iterans quæstus præcedat hirundo.

Pamphilus inchoat à Februario & Martio, à decimaquinta Februarii, vsq;

ad vigesimam Martii. Alii post vindemiam, attonsione sarmentorum vitem exonerari dicentes, & non vere lachrymantem alimentum perdere. Quæ in autumno putatæ, vere citius germinant, & si ver frigidum & pruinosum, aduruntur. Quapropter frigidioribus locis vites præsecant, non amputant, vere postmodum putant. Putationem mane exoriri conuenit, vbi pruina à sole dissoluta, & sarmentum tepefactum. Palladius quæ habet ex his excepit.

De vineaticæ falcis figura. CAP. XXIX.

VINEATICÆ falcis figura est, vt capulo pars proxima, quæ rectam gerit aciem, culter ob similitudinem nominetur, quæ flectitur, sinus, quæ à flexu procurrit, scalprum, quæ deinde adunca est, rostrum appellatur, cui superposita semiformis Lunæ species, securis dicitur, eiusq; velut apex pronus imminens, mucro vocatur. Harum partium quæq; suis muneribus fungitur: nam quum in aduersum pressa manu desecare quid vinitor debet cultro vtitur, quum autem retrahere, sinu, quum adleuare, scalpro, quum incauare, rostro, quum ictu cædere, securi, quum in angusto aliquid expurgare, mucrone. Maior pars operis in vinea ductim potius, quàm cęsim facienda est: nam ea plaga, quæ sic efficitur, vno vestigio alleuatur, priús enim putator applicat ferrum, atq; ita, quæ destinauit præcidit: qui cæsim vitem petit, si frustratus est, pluribus ictibus vitem vulnerat: tutior igitur putatio, quæ ductu falcis, non ictu conficitur. Insuper duro, tenuissimo, & acutissimo ferramento opus est exequendum, hebes falx putatorem moratur, plus laboris, & minus operis affert, & plagæ asperæ, & inæquales vitem lacerant: nam non vno, sed sæpius repetito ictu res transigitur & accidit, quod præcidi debet, perfringitur, sic vitis laniata, & scabra putrescit: quare monendus putator prolixe aciem ferri, ac nouaculæ similem reddat.

Quæ vniuersè & peculiariter ad vitium putationem attinent. CAP. XXX.

NOS vniuersè primò, deinde particulariter putationem aggrediemur. Theophrasti doctrinam afferemus omnium principis, & præceptoris. Vitibus, inquit, perfectis, primum ac summum putatio dabitur: quippe quum bene vitis putatur, germen & fructum melius affert, & diutius perennat. Omnes vites culturæ ingenium, modum & rationem exposcunt. Differentiam verò quam in operibus locorum ratio facit, cùm in omnibus constat, tum in putatione. Quidam igitur determinarunt locis æstuosis, & siccis vites resecari ad breuem palmitem, ita enim fœcundiores redduntur, quia vberius alere possunt; contra in humidis atq; succosis locis vites, quæ natura humidæ, ad longum, quia summa potius parte fructificant. Quidam in vniuersum de omnibus statuunt, non agri ratione, sed generum qualitatumq;, iubétq; obseruari medullam in abscissis palmitibus: nam si multum medullæ habent, mul-

tos breuesq; palmites relinqui oportet, vt vitis breuitate alere possit, multitudine longè fructificet: sin autem parum medullæ multum palmitis anniculi gerant, pauciores quidem, sed longiores palmites relinquendi, eoq; longiores vbiq; quo minus inest medullæ. Mensura palmitum semper ad rationem medullæ ita capi omnino debet, vt palmiti amplectenti, medulla in latitudine respondeat. Prorsus si medulla partem maiorem cęsurę occupet, fructus vberes, palmites imbecilles creari, propter alimenti tenuitatem existimant, contrà si palmes recisus solidus, & iuuenili corpore constet, parum fructus, à parua medulla: creari vuam à medulla, & palmitem à palmite amplectente medullam: argumentoq; vitem ipsam potissimo esse. Germina enim omnia, quæ nouellę annotinis protulerunt brachiis, fructu carere propter exiguitatem medullæ, & nouellas minus fructificare, quàm veteres, scilicet eadem de causa, quum carnem, & vinaceum medulla progeneret. Sed hoc minus verum apparet, siquidem medulla detracta creetur caro, vinaceum nequeat generari, nisi forte in intima parte medulla detracta sic fiat. Columella autem: Vinitor tria præcipuè in putatione custodiat, primum vt fructui consulat, deinde vt in sequentem annum materias hinc eligat, tum etiam vt stirpi perennitatem acquirat: nam quicquid ex his omittitur, magnum affert domino dispendium. Vitis, quum sit per quatuor diuisa partes, totidē cœli regiones aspicit: ea igitur brachia, quæ septentrioni obiecta sunt, paucissimas plagas accipiant, ne ingruentibus frigoribus cicatrices inurantur. Itaq; vna materia iugo proxima, & vnus infra custos submittendus erit, qui vitem in annum reuocet. At per meridiem plures palmites submittantur, qui æstiuis feruoribus matrem opacent, nec patiantur fructum inarescere. Orientis, atque occidentis haud magna est in putatione differentia, quoniam solem pari horarum numero sub vtroq; axe accipit. Modum materiarum dictabit humi atq; ipsius plantæ lætitia. Hæc in vniuersum: illa per partes custodienda sunt. Igitur ab imo vitis, quasi à fundamentis circa crus dolabra terra dimouenda est, & si soboles radicibus adhęret, diligenter resecanda. Truncus deinde circumspiciēdus, ne aut pāpinarius palmes internatus, aut furunculus relinquatur, nisi si iugo superiecta vitis desiderabit ab inferiore parte reuocari. Si trunci pars, sole aut aquis peraruit, dolabella expurgabis quicquid emortuum est viuo tenus, vt à viridi codice ducat cicatricem, mox plagam terra, quam prius amurca madefeceris linies, nam teredinem, formicamq; prohibet, solem & pluuias arcet. Cortex deinde aridus, fissusq; per summa trunci dependens, corpore tenus delibrandus est, quòd & melius vitis sordibus liberata conualescit, & minus vino fæcis affert. Si muscus comprimit, ferro eradendus est. Hæc de ima vitis parte. Plagæ, quas in duro vitis accipit, obliquæ, & rotundæ fieri debent, nam citius conualescunt, & quandiu cicatricem non obduxerint, commodius aquam fundunt, transuersæ plus humoris excipiunt, & continent. Sarmenta lata, vetera, male nata, contorta, deorsum spectantia recidito, nouella, &c.

fructuaria recta submittito, brachia tenera, & viridia seruato. Vngues custodum annotinos resecato. In quatuor pedes supra terram vitem elatam totidem brachiis componito, quorum singula spectent decussati iugi partes, tum vel vnum flagellum, si macrior vitis erit, vel duo, si plenior, brachio cuiq; submittito, eaq; iugo superposita præcipitato. Sed meminisse oportet, ne in eadem linea, vnoq; latere brachii esse duas materias, plurésve patiamur: nam id maximè vitem infestat, vbi non omnis pars brachii pari vice laborat, atq; æqua portione succum proli suæ dispensat, sed ab vno latere exugitur. Vocatur etiam focaneus palmes, qui solet in bifurco medius prorepere. nominis ratio, quòd inter duo brachia enatus, veluti fauces obsidet, atq; vtriusq; alimenta præripit, amputandus igitur, priusquam corroboretur. si tamen roboratus, vt alterum brachium afflixerit, illud tollitur, & focaneus summittitur. Igitur caput vitis pendens infra iugum constituito, vnde se pandant quatuor brachia in quibus quotannis vitis renouetur, amputatis veteribus, & submissis nouis palmitibus, quarũ delectus scitè faciendus. Nam si magna materiarum facultas, putator custodiat, ne aut proximas duro id est ab trunco, & capite vitis relinquat, aut rursus extremas: nam illæ exiguum fructum præbent, hæ vitem exhauriunt, se nimio fœtu onerantes, & se extendentes. Quare medio in brachio commodissimè palmæ submittentur, quæ nec spem vindemiæ destituant, nec emacient stirpem. Subsidiarius idemq; custos in pollicem resecari non debet, quum palmæ ex quibus fructus sperantur, idoneo loco sitæ sunt: nam vbi ligaueris eas, & in terram spectantes flexeris, infra vinculum materias exprimes. At si longius, & à vitis capite emicuerit, & in aliena iugorum compluuia brachiis prorepserit, custodem validum, iuxta truncum duorum articulorum, vel trium relinquemus, ex quo proximo anno citata materia formetur in brachium. Sed in summittendo custode hæc maximè sunt obseruanda. Primùm ne resupina cœlum, sed prona plaga terram spectet, sic gelicidiis se ipsa protegit, & sole: deinde ne sagittæ, sed vngulis similis fiat resectio, nam illa celerius emoritur, hæc tardius reformidat. Maximè vitandum est, ne custos iuxta articulum recidatur: nam plurimum officit, quoniam secundum plagam gemma posita, frigore, & æstu laborat, igitur medio internodio palmes attondetur deuexè, ne lachryma obcæcet oculum. Si resecis facultas non erit furunculum remittamus, si neq; is reperiatur, saucianda ferro est vitis, ex ea parte qua pampinum elicere studemus. Palmites quos vindemiæ præparamus, clauiculis & nepotibus liberandi. Quicquid è trunco processit, eraditur, quo celerius obducat cicatricem. Quicquid è tenero processit, parcius detondetur, quum coniunctam gerat ab latere gemmam. Materiæ longitudini difficile est modum imponere, sunt qui in tantum prouocant, vt præcipitata per iugum nequeat terram cõtingere. Sed prius vitis habitus conspiciendus, nam si robustus, ampliores materias sustinet: deinde soli pinguedinem, quæ nisi adest, procéribus flagellis emaciatam necat. Longitudo pal-

multum

mitum non mensura, verùm gemmarum numero æstimabitur, nam si maiora internodia, eo vsq; materiam producere licet, dum terram contingat: at vbi spissa, multis palmitibus virescit, numerosoq; fœtu exuberat. Consideret præterea vinitor, proximi anni magna nec ne, fuerit vindemia: nam post largos fructus, parcendum est vitibus, ideò angustè putandum, post exiguos imperandum. Palladius quæ à Columella excepit, Februario mense habet.

De pampinatione. Cap. XXXI.

SECVNDVM & quodammodo putationi proximum pampinationem esse dicit Theophrastus. Enimuero in hac etiam scire necessarium quænam reliquisse, quæve detraxisse conducat, tam ad fructuum rationem, quàm ad vitis naturam. Quum vites germinant, omnia quæ fructu carent detrahi censent, quæ fructum gestant demutilari, quum vua floret, vt nec vitis ad abscissum palmitem incrementum compellat, & quantum alimenti supersit, in eadem parte coactum vuam augeat. Semper ex recisione quærendum, id est, vt & vitis conualescat, & fructus copia consequatur. Iustum igitur pampinationem aggredi, quum fructus incipit prouenire, mox vinea confodienda profectò est, tunc enim fructus nouus, & recens editum germen, sarculum tempestiuè recipiunt, quum maxime augeri contendant. Post hæc iterum pampinare conuenit, antequam florere incipiant: interim enim pendula racemi augescere solet, quia nondum acina constiterant, pòst vbi defloruerint, vua pendula iam constitit, acina consistere, atq; augeri incipiunt. A quo Columella. Vineam quàm benè putare, tam diligenter pampinare vtile est, nam & materiæ, quæ fructum habent, melius conualescunt, & putatio sequentis anni expeditior fit, tum & vitis minus cicatricosa, quoniā id, ex quo viride & tenerum decerpitur, protinus conualescit. Super hæc quoq; melius vuæ maturescunt. Ante dies decem, quàm vinea florere incipit, pāpinatam habeto, quicquid superuacui enatum fuerit tollito, quod in cacumine, aut in brachiis natum erit, decerpito, duntaxat quæ vuam nō habebunt. Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato. Vuas, quæ meridiem, aut occidentem spectabunt, ne perurantur, suo sibi pampino tegito. Sotion germina adhuc tenera oportere auferre dixit: ita enim perspirationem viti exhibebis: pampinatio per manus fit, eiusdem experientiæ est putare, & pampinare, quapropter experti aliquando sarmentum fructum habens auferunt, & non habens sinunt. A recenti vite plus germinum auferendum est, ne grauetur. Quum caliditas solis hebescere incipit, folia auferre oportet, quo omnes racemi à sole calefiant, & percocti maturescant. Paxamus addit: Vites quæ fructum putrefaciunt, & vix aliquando maturum reddunt, ob terræ humiditatem, & foliorum densitatem, triginta diebus ante vindemiam prærpurgare oportet, foliis ex obliquo & à latere detractis, quo inspirantes venti vuam refrigerent. Verùm folia in summitate relinquenda sunt, quo aduersus excellentem æstus vigorem protegentia.

soli in summo vitibus incumbenti vmbram obiiciant. Si multus imber in autumno fiat, vt intumescentes acini valde augescant, etiam folia circa verticem tollenda sunt, ne vinum acescat. Plinius, Pampinatio verna in confesso est, ab idibus Maiis intra dies x, vtiq; antequam florere incipiat, & eam infra iugum debere fieri. De sequente variant sententiæ: Quum defloruerit, aliqui pampinandum putant, alii sub ipsa maturitate. Sed de his præcepta Catonis decernent. Sed Cato hæc habet. Vbi vinea frondere cœperit, pampinato. Vbi vua varia fieri cœperit, vites subligato, pampinatoq;.

De propagatione. CAP. XXXII.

PROPAGATIONVM tria genera, inquit Columella. Vnum, quo virga edita à matre sulco committitur; alterũ, quo ipsa mater prosternitur, atq; in plures palos per suas virgas diuiditur: tertium, quo vitis scinditur in duas, vel tres partes, si diuersis ordinibus diducenda est. Hoc genus tardissimè conualescit, quia vitis diuisa medullam amittit. Si virgam à matre in terram deprimere voles, scrobem quoquouersum quatuor pedum facito ita, vt propago non lædatur alterius radicibus. Deinde quatuor gemmas, quæ in imum scrobem perueniant, relinquito, vt ex iis radices citentur, reliquam partem, quæ continens matri est, abradito, ne superuacua sarmenta procreet; diuersæ autem, quæ supra terram extare debent, ne passus fueris plus, quàm duas aut tres gemmas habere: reliquas quæ in terram absconduntur, exceptis quatuor imis, fac abradas, ne in summo radices creet. Hoc modo tertio anno à matre separabitur. Sin autem ipsam vitem sternere voles, iuxta radicem ita, ne ipsam lædas, curiosè fodito, & vitem supplantato, ne radicem abrumpas. Quum eam straueris, & videris quousq; possis pertingere, sulcum vnum facies, in quem vitem dimittas, deinde ex sulco, quasi ramos fossarum facies, per quos vti quæq; virga postulauerit propagetur, atq; ita terra adoperies. Sin autem vitis exiguam materiem habebit, & in diuersos ordines diducenda erit, neq; aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quàm vt diffluat, curabis vt quàm acutissima falce ab ea parte, qua bifurca est, findas, & eodem ferro acuto plagam emendes, sicubi inæqualiter findi videbitur, sic diducta poterit in plures ordines diuidi. Non inutilis est etiam illa propagatio, quam ipse reperit, si quando in ordinem vitis deest, neq; est tam procera virga, quæ quum in imum scrobem demissa fuerit, retorqueri, & erigi supra terram possit. Breuitatem ne reformidaueris, sed qualemcunq; virgam, cuius cacumen in imum scrobem peruenit, deprimito, & obruito, deinde gemmas, quæ secundum ipsam matrem sunt, submittito, vt materias à superiore parte citent. Tum demum post triennium à matre amputato, & ad suum palum eam partem, quam à matre præcideris, reducito, & caput vitis facito. Propaginis scrobem ne minus triennio paulatim completo, summas radices præcidito, crebro fodito. Præsidiarii malleoli hoc modo propagantur. Ex

ordinaria

ordinaria vite in alterum palum mergus est attrahendus. Mergi genus est, vbi supra terram iuxta suum adminiculum vitis curuatur, atque ex alto scrobo summersa perducitur ad vacantem palum. Tum ex arcu vehementem citat materiam, quæ protinus applicata suo pedamento ad iugum euocatur. Sequente deinde anno insecatur superior pars curuaturæ vsq; ad medullam, ne totas vires matris propagatum flagellum ad se trahat, & vt paulatim condiscat suis radicibus ali. Bima deinde præciditur, proximè palmam, quæ ex arcu submissa est, & id quod à matre abcissum recens erit, confestim altè circumfoditur, & scrobiculo facto, ad imum solum præciditur, adobruiturque, vt & radices deorsum agat, nec ex propinquo diligenter in summa terra resectum progerminet. Tempus autem idoneum hunc mergum amputandi ab idibus Octobr. in Idus Nouembr. vt hybernis mensibus suas radices confirmet: nam si vere id fecerimus, quo gemmare palmites incipiunt, matris alimento subito destitutus languescit. Anatolius apotygem palmitem sic propagat. Scrobem pedali altitudine effodit, ipsumque sarmentum inclinatum non decidens, sed deflectens in scrobem imponit, & aggesta effossa terra conspicuam sarmenti partem supra terram eminere finit, ita vt altera ipsius pars viti coniuncta, velut ab vbere alimentum trahat, altera verò in terra nutriatur, & sic radices agat à duabus matribus coaltum. Quæ hoc modo plantata erunt, fructum facile ferunt, & vberrima proueniunt, vtpote maternis, & propriis radicibus connutrita, triennio transplantantur. Palladius quæ à Columella habet, in Februario recitat. Cato vites in quasilis propagat, quam rationem quia sæpius hoc libro recensuimus, hic conticendam duximus.

De puluere vitibus excitando.

CAP. XXXIII.

QVVM nigrescere vua incipit primis temporibus Theophrastus damnare videtur pulueris excitationem, quousq; ad maturitatem perueniat. Motus enim percoquendi, motu altero auocatur, vetaturq; qua de causa nec herbam euellendam per id temporis cēsent: At verò inutilem, noxiámve putari, nulla ratio est. Vsus enim, & quod in aliis fieri solet, vtilem esse planè confirmant, cucumeres namq; puluere occultati nutriūtur & meliores fiunt, sed mirum videtur, quū puluis aridus sit, quomodo nutrire possit. Ratio est, quia citata humo vaporati cuiusdam aëris alimentū reddatur, vt de solo vaporoso retulit: & quia fructus obtectus puluere, defendatur à solis feruore, & quia leuiter molliterq; siccescens, amplius à vite attrahere pabulū possit, quippe hęc omnia cū ad copiá alimenti, cum ad facultatē coquendi nimirū adiuuant. Columella autē: post pāpinationem pubescentē, & quasi adolescentē fructū conuenit religare, foliisq; omnibus nudare, tū & crebris fossionibus implere: nam fit vberior puluerationibus. Nec inficiatur maiores tribus fossuris contentos fuisse, quū Celsus, & Atticus tres esse in vite motus dixerint, seu potius in omni

ſurculo naturales, vnum, quo germinet, alterum, quo floreat, tertium, quo matureſcat, hos ergo motus cenſent foſſionibus concitari. Nõ enim natura quod vult ſatis efficit, niſi eam labore, & ſtudio iuueris. Alibi verò: Simulatq; vua variari cœperit, fodito tertiam foſſuram, & quum iam matureſcet, ante meridiem prius, quàm calere incipiet, & quum deſierit poſt meridiem, fodito, puluereq; excitato, ea res & à ſole, & à nebula maximè vuá defendit. Finis autem fodiendi nullus eſt: nam quanto ſæpius foderis, tanto vberiorem fructum reperies. Plinius: Sunt qui puluere quoq; vuas ali iudicẽt, pubeſcenteſque puluerent, & vitium arborumq; radicibus aſpergant, quod certum eſt Narbonenſi prouinciȩ, & vindemias certius ſic eo coqui, quia plus puluis ibi, quàm ſol confert. Caſſianus Iulio menſe vites fodit: nam puluis maximè vuam maturam reddit & magnam, quapropter vitis iuxta viam ſita vberiorem & pleniorem fert fructum, propter excitatum à prætereuntibus puluerem, & ſolȩ vitium illȩ foſſione non indigent. Virgilius,

Sollicitanda tamen tellus, puluisq; mouendus.

De per ſe ſtantis vineæ cultura, & brachiata & capitata.

CAP. XXXIIII.

NVNC ad alias vinearum ſpecies tranſeamus. Vitis, quæ ſine adminiculo ſuis viribus conſiſtit, ſolutiore terræ ſcrobe, denſiore ſulco ponenda eſt. ſcrobes & ſulci plurimum proſunt, ſi in temperatis locis ante annum fiant. At ſi ieiuno, & exili agro ſemina deponentur, ſub ipſum tempus ſationis ſcrobs aut ſulcus faciendus. Scrobs in longitudinem, altitudinemque defoſſus tripedaneus abundè eſt, latitudine tamen bipedanea, vel ſi quatuor pedum ſpatia inter ordines relicturi ſumus, cõmodius habemus eandem quoquouerſus date menſuram ſcrobibus, non amplius tamen, quàm in tres pedes altitudinis depreſſis. Cæterum quatuor angulis ſemina applicabuntur, ſubiecta minuta terra, & ita ſcrobes adobruentur. Si aratro vineas culturi ſumus laxiora interordinia relinquenda, ſi bidentibus, anguſtiora, ſed neq; ſpatioſiora, quàm decem pedum, neq; contractiora, quàm quatuor. Multi ordines ita diſponunt, vt per rectam lineam binos pedes, aut plurimum ternos inter ſemina relinquant. Tranſuerſa rurſus laxiora ſpatia faciant, per quæ vel foſſor, vel arator incedat. Depoſitam ergo ſtirpem formare ſic conuenit, vt vitis ſine pedamine conſiſtat. Adminiculum teneræ viti contribuemus, quod vel infantiam eius tueatur, producatque vſque in ſeſquipedem. Quum deinde robur accepit, ſine adiumento conſiſtere valens, aut capitis, aut brachiorum incrementis adoleſcit (nam duæ ſpecies huius culturæ ſunt) alii capitatas vineas, alii brachiatas magis probant. Brachiata ita componitur, à ſumma parte, qua deciſa nouella vitis eſt, quicquid iuxta cicatricem citauerit, conſeruatur, & in quatuor brachia pedalis menſuræ diuiditur, ita vt in omnem partem cœli ſingula aſpiciant. Sed hæc brachia non ſtatim primo anno tam procera ſubmittuntur, ne oneretur exilitas vitis, ſed compluribus putationibus

tionibus in prædictam menſuram educuntur, deinde ex brachiis, quaſi quædam cornua prominentia relinqui oportet, atque ita totam vitem omni parte in orbem diffundi. Putationis autem ratio eadem, quæ in iugatis vitibus, vno tantum differt, quod pro materiis longioribus pollices quaternûm, aut quinûm geminatum relinquuntur, pro cuſtodibus autem bigemmes reſeces fiũt. In vinea, quam capitatam diximus, iuxta ipſam matrem vſque ad corpus ſarmentum detrahitur, vna, aut altera gemma relicta, quæ trunco adhæreat, ſed hoc in lætis locis fieri poteſt, vbi vis terræ fructum & materias præbet. Eiuſmodi vinea aratris excolitur, detrahunt enim vitibus brachia, quod ipſa capita ſine vlla extantia, neque aratro, neque bubus obnoxia ſunt: nam in brachiatis, crure & cornibus boum ramuli vitium plerunque defringuntur. Sed hæc cultura brachiatis, & capitatis vitibus, antequam gemmēt, adhibetur, quum deinde germinauerint, foſſor inſequitur, ac bidentibus eas partes ſubigit, quas bubulcus non potuit pertingere. Mox vbi materias vitis exigit, ſequitur pampinator, ſuperuacuos abſcindit & fructuarios ſubmittit, qui quum indurucrunt, velut in coronam religãtur. Hoc duabus fit cauſis, vna ne libero excurſu prorepant, & alimenta pampini abſumant, altera vt religata vitis aditum bubulco & foſſori præbeat. Pãpinandi modus, vt opacis locis æſtate vitis nudetur, locis calidis vuæ contegantur, ſi deſint frondes, adnectis muniantur. In Bætica vites tegetibus ſub ortu Caniculæ obumbrantur. Libro de arboribus multa addit. Si vitem in ſe conſiſtere voles, in orbem quamrectiſſimè formetur: nam ſic compoſita ſpecioſa erit, & minus laborat, quum vndique æquilibrio ſtabilita in ſe requieſcat. Sat erit quum primò brachia ſubmittentur, ſingulas gemmas ſingulis ſarmentis relinqui, ne onere grauetur, pòſt vineam bidentibus fodito, vel ſi latè diſpoſita ſit, aratro. Ab Idibus Octobr. ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto. Poſt brumam vitem ne colito, niſi eas radices proſequi velis, quæ in ablaqueatione apparebunt, ſed ita reſeces, vt inſtar vnius digiti à matre relinquas. Peracta ablaqueatione ante brumam tertio quoq; anno macerati ſtercoris, ne minus binis ſextariis, ad radices vitium poſuiſſe conueniet. Poſt brumam ante æquinoctium vernum octauo Cal. Apriles ablaqueationem adæquato. Poſt idus Aprilis terram ad vitem aggerato, æſtate ſæpiſſimè occato. Iugerum vineæ quinque operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur, quatuor putatur, ſex alligatur. Anatolius iubet poſt ablaqueationem ſtercorare, bubulo aut ouillo, aut ſuillo ſtercore, aut aliorum pecorũ. Columbinum calidiſſimum exiſtens ad celerẽ germinationem idoneum, ſed vino incommodum. Singulis vitibus quatuor heminas cuiuſcunq; ex prædictis, paulò lõgius à trunco, nec nudis radicibus iniiciendum, nam eas adurerent. Si ſtercus deerit, paleæ fabarum aliorumque leguminum pro eo ſuccedent, nam contra glaciem, & reptilia proſunt. Vinacea etiam valent, & vetus vrina. Si glacies concreſcat, etiam circa trũcos ſtercus conuenit. In terra arenoſa ſtercore ouillo aut caprino vtemur, in argilloſa bubulo.

De prostratæ vineæ cultura, & characata. CAP. XXXV.

SVPEREST prostratæ vineæ cultura, quæ, vt Columella inquit, nisi violentissimo cœli statu suscipi non debet: nam & difficilem laborem colonis exhibet, nec vnquam generosi saporis vinum præbet. Bipedaneis ergo scrobibus malleolus deponitur, qui quum germinauerit, ad vnam materiam reuocatur, eaque primo anno compescitur in duas gemmas, sequēte deinde quum palmites profudit, vnus summittitur, cæteri decutiuntur: at ille, qui summissus est, quum fructum edidit, in eam longitudinem deputatur, vt iacens non excedat interordinii spatium: nec magna est putationis differentia cubantis, & stantis rectæ vineæ, nisi quod iacenti viti breuiores materiæ summitti debent, resecesque quoque angustius in modum furunculorum relinqui, sed post putationem, quam vtique autumno in eiusmodi vinea fieri oportet, vt vitis tota deflectatur in alterum interordinium, atque ita pars ea, quæ fuerat occupata, vel foditur, vel aratur, & quum exculta est, eandem vitem recipit, vt altera quoque pars excoli possit. De pampinatione talis vineæ parum inter auctores conuenit, alii negant esse nudandā vitem, quo melius contra iniuriam ventorum ferarumque fructum abscondat. Aliis placet parcius pampinari, vt & vitis non in totum superuacuis frondibus oneretur, & tamen fructum vestire, aut protegere possit. In characatis vineis prolixos palmites, quasi propagines summo solo adobruunt, deinde rursus ad arundinem erigunt, & in fructum summittunt, idque simplici ex causa, quod existiment plus alimenti terram præbere fructuariis flagellis: & post vindemiam, velut inutilia decidunt, & à stirpe summouent: sed ipse præcipit easdem virgas à matre præcisas, sicubi demortuis vitibus ordines vacent, aut si quis nouellam vineam instituit, pro viuiradice ponere, quoniam ea pars, quę fuerat obruta, radices habet, quę deposita confestim comprehendet. Palladius habet, quæ à Columella excepit.

De ratione pedaminum, & viminum. CAP. XXXVI.

IAM vineę pedaminum, iugorum, & viminum tradenda ratio est, hęc enim quasi quædam dotes vineis ante præparantur, quibus si deficitur agricola, causam faciendi vineta non habet, quum omnia, quæ sunt necessaria, quærenda sint extra fundum. earum enim comparatio molestissima, translatio hyberno tempore iniquissima, quare castanera, saliceta, arundinera, & vimina consultò conserenda sunt. Viminalium singula iugera, quinis & vigenis iugeribus ligandæ vineæ sufficere possunt, arundineti singula iugera vigenis iugandis, castaneti iugerum totidem pedandis, quot arundineti iugandis, quorum sationum rationes iam suis locis redditæ sunt, & superfluum puto huc afferre. Per arida loca, quæ id genus virgultorum non recipiunt, genistam postulant, eius quum sit satis firmum, tum & lentissimum est vinculum. Seritur autem semine, quod quum est natū, vel defertur bima viuiradix, vel relicta quum id

tempus

tempus excessit, omnibus annis more segetum iuxta terram demeti potest. Cætera vincula quali sunt ex rubo, maiorem operam, sed in egeno tamen necessariam exigunt. Castanea roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis. Potest & quercus simili ratione seri, verùm biennio tardius, quàm castanea deciditur. Castanea pedamentis omnibus præfertur à Plinio, facilitate tractatus, perdurandi peruicacia & regerminatione cædua, vel salice lætior. Esculus cæsura triennio serior, nimis morosa nasci, hoc pedamentum minime putrescit, læsumque maximè fruticat. Præter hæc sunt cædua fraxinus, laurus, persica, corylus, malus, sed tardiùs nascuntur. Sambucus firmissima ad palum. Didymus paxillorum supernas partes feruenti pice illinit, non eas, quas in terram depangimus. Stent perticæ rectæ, neque inflectantur, vt nec vites similes sibiipsis faciant.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI VILLAE

LIBER OCTAVVS SIVE ARBVSTVM.

PROOEMIVM.

IAM ad eam vineæ speciem deuentum est, quæ viuo innititur pedamento, eamque arbustum veteres vocarũt. Res proxima, cognataque, ob id post vineam de arbusto dicemus. Ita vites arboribus maritantur, vt fœminæ viris, & arbores vitibus orbatæ, viduæ dicuntur. Horatius,

Ergo aut adulta vitibus propagine,
Altas maritat populos.

Et alibi:

Et vitem viduas ducit ad arbores
Populos.

Maritantur enim vites arboribus, non tam vt fructus edant, quàm vt eos edant meliores: niſi enim arboribus ſublimarentur, humi repentes, longè deteriores vuas, & fatuas ederent, nullum ſaporem habentes, ſeroq; ae ad maturitatem peruenirent. At arboribus maritæ, ab aëre perflantur, fouenturque à ſole, quare nobilia vina non niſi arbuſtis gigni longo tempore decretum eſt. Sunt enim arbores eo ingenio, vt niſi propè ſatas quaſdam habeant, & occulta quadam fortaſſe vi ſe mutuò adiuuantes ſterileſcant, vt vitibus contingere videmus, quæ arboribus indigent ad nobiliores fructus edendos. Vites natura ſublimitatis auidæ, nullo fine creſcunt, vt per arborum ramos ſcandentes cacumina æquent, in tantum ſublimes, vt vindemiator autoratus rogum ac tumulum excipiat. Miratum altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum Regis Pyrrhi Cyneam, facetè iuſiſſe in auſteriorem guſtum vini, meritò matrem eius pendere in tam alta cruce. Cato arbuſto octauum locum tribuit, congruitque cum octauo noſtræ villæ libro. Fundum ſuburbanum arbuſtum maximè conuenit habere, vt ligna, & virgæ ſalicti venire poſſint, & lucrum domino fiat, qui vtatur. Tradit Plinius arbuſti rationem mirum in modum damnatam Saſernæ patri, filioque, celebratam Scrofæ, vetuſtiſſimis poſt Catonem, peritiſſimiſque, ac ne à Scrofa quidem, niſi vni Italiæ conceſſam, quum tam longo iudicetur æuo, nobilia vina non niſi in arbuſtis gigni, & in his quoque laudatiora ſummis, ſicut vberiora imis: adeò excelſitate proficitur. Nihil ibi malleolis, atq; paſtinatione opus eſt, nulla fodiēdi impendia, vtpote quum arbuſti ratio hac peculiari dote præſtet, quod in eodem ſolo ſeri fruges, & vitibus prodeſt. Superq; quod vindicans ſe altitudo, non, vt in vinea, ad arcendas animalium iniurias, pariete, vel ſepe, vel foſſarum vtiq; impendio muniri ſe cogat. Florentinus Græcus de arbuſto loquens, Arboreæ vites omnibus commodiores ſunt: nam & melius, diuturnius, & dulcius vinum efficiunt: & ex interuallis poſitæ, terram in ipſis quarto quoque anno ſeminari permittunt.

Quid ſit arbuſtum & arbores arbuſtiuæ. CAP. I.

LOCA vitiferis arboribus conſita veteres arbuſta vocarunt. Alii intelligūt per arbuſtum arbores in aciem diſpoſitas ad vites ſuſtentandas. Sed Calliodorus Iureconſultus in titulo de Termino moto fruticoſas arbores intelligit, ex arbore vna arbuſtum facere. Quod arboribus maritari vites deſiderent, oſtēdit earum phyſiognomonia. Videmus enim tam eſſe ſublimitatis auidas, vt in magnam altitudinem exeant, vt ſæpe ex ſe domorum tecta ſcandant: nullum finem aſcendendi habent. Dediſſe quoque videmus eis Naturam capreolos, quos clauiculas & pampinos vocamus, Græci helicas, Varro codiculos, virentes intortos vt cincinni, à capiendo dictos, quoniam ad locum capiendum ſurſum verſus ſerpant, ex his altiſſimis arborib. maritandæ, & ſic nobiliſſimum vinum ferunt. Quod ſi eis non dederis quibus fulciantur adminicula, improbo reptatu per arua vagātur, ſuccumq; terræ paſſim bibentes, ignobile vinum ferunt.

ferunt. Sed arbustiuas arbores, quæ sint, indicat Columella: Opulus maximè vitem videtur alere: sed quia raram, neq; idoneam frondem pecori præbet, à plerisq; repudiata est, immò Gallico arbusto peridonea, quod vocatur rumpotinum, id enim desiderat arborem humilem, nec frondosam. Vlmus, quòd & vitem commodissimè patiatur, & iucundissimum pabulum bubus afferat, variisq; soli generib. proueniat, à plerisq. seritur. At fraxinus, quia capris, & ouibus gratissima est, nec inutilis bobus, locis asperis, nec montosis, quibus minus lætatur vlmus, rectè seritur. Quin etiã cornus & carpinus, & ornus, nonnunquã salix à plerisq; in hoc ipsum disponitur, sed salix nisi aquosis locis, vbi aliæ arbores difficiliùs comprehendunt, ponenda non est, quia vini saporem infestat. Plinius has recẽset: Prima omnium vlmus, excepta, propter nimiam frondem, attinia, deinde populus nigra eadem de causa minus densa folio: nõ spernunt pleriq; fraxinũ, ficumq;, & etiam oleam, si non sit vmbrosa ramis. Transpadana Italia præter supradicta, cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu arbustat agros, Venetia salice propter vliginem soli. Florentinus has decernit: Non omnes arbores vitibus arboreis supponere, & adiungere oportet, sed quæcunq; vnam radicem habent, velut est alba populus, aut quæ radices habent contractas, & comam non valde profundam, vt ne penitus vitem obumbrent. Sunt autem eiusmodi vlmi, populi nigræ, fraxini, aceres. Cognouitq; in Bithynia vitem arboream ceraso delectari, & maximè escariam, & amineam, quę & multi fructus, & multi vini causa existit. At terram hãc etiam quarto quoq; anno seminare licet, & non solùm vitem non offendi, sed etiam præstantius vinum inde fore promittunt.

Differentia inter vlmum, & populum. CAP. II.

VETERVM & neotericorum calculis sancitum est inter arbustiuas arbores primas partes vlmum & populum sibi vendicare, sunt qui vlmum præferant, Columella nigram populum ab arbusto abdicat, nobis autem videtur reiicienda vlmus, recipienda verò populus. Plinio vlmi vmbra videtur leuissima, etiam nutriens quæcunque opacat, sed Attico hæc quoque videtur è grauissimis, nec dubitat Plinius, si emittantur in ramos: constricta verò vlmi noxiam esse non arbitratur. Sed profectò qua id dixerit ratione, facilè nescire confitemur, quum omnibus agricolis in confesso sit, & quotidiana nobis experientia manifestum, vlmorum vmbram non nutricem, sed nouercam esse; & vuas ab vlmorum frondibus opacatas, nunquam maturitatem recipere, etiam post vindemiam. Folia ramulosa fert, densa, breui, firmoq; pediculo appensa, copiosa, nullis ventis mobilia, auctu morosa, radicibus prælongis, crassis, vltro citroque vagantibus, validis vt macerias & muros terebrent, densam sobolem pullulantibus, vt locum, in quo crescat, radicibus compleat, & irretiat, vt aratrum remoretur, vt multo alimento quo indigeat, omnes in sua vicinia macrescere, & arescere cogat. Obuiam quamque arborem radicibus

circundat, & strangulat. Sæpissimè videre contigit vitem nulla de causa exarescentem, tunc ablaqueatam ab vlmi radicibus complexam, obstrictam, strangulatamque conspeximus, & securi radicibus præcisis aliquando conualuit. Infelices illi, sæuique dici possunt complexus viri, quibus obstricta vxor præsecatur. Nimia zelotypia vxor demacratur, non alitur. Prædensa, callosaque etiam sua fronde ventos arcet, qui & alere, & maturare solent fructus. Contra verò ad vitem alendam, idonea & egregia omnia populus habet. Fronde leui, parua, longo pediculo, eodemque ventis omnibus semper ludenti, mobilissima, vt non solùm nullam vmbram facere dici possit, sed crebro iactatu solem temperet. Vnde soli, & ventis omnibus semper prostrata, suaque per brachia repens, ad cœlum pergit. Radice breui, gracili, nuda, nec repullulâte, paucoque indiget nutrimento, vt vxori non surripiat. Alias rationes omittimus, ne prolixius euagemur, quàm par sit. Igitur omnibus consulendum iudicauimus, nunquam nisi vbi necessitas cogit, in montuosis arbustum ex vlmis conseri debere.

De agro arbustis idoneo eligendo. CAP. III.

ETSI ager vineis aptus idem & arbustis idoneus censeatur, tamen est aliquid arboribus indulgendum, quibus arbustum constituatur. Virgilius,

Quæ tenuem exhalat nebulam fumosq; volucres,
Et bibit humorem, & quum vult ex se ipsa remittit
Quæq; suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie, & salsa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos.

Columella præcipit locis pinguibus conserendam vlmum, vel etiam mediocribus, sed asperis, & siticulosis neque opulus, neque vlmus tam idoneæ, quàm orni, & fraxini: Florentinus verò Græcus, Arboreas vites in campestri, & concauo, & plano loco plantandas ostendit. Meminisse enim semper, & peculiariter obseruare oportere, quod humilibus vitibus illa terra aptior est, quæ in obliquis, leniter accliuibus, altioribus, & ficcioribus locis existit: hæc enim æstatem leniorem habebit, probeque perflabitur. In campestri verò planaque, & humida terra, arboreas vites plantare oportet: & calidioribus locis, vbi venti non valdè vehementes sunt, & ipsas in arboribus eleuatas, placidè perflantes nutriunt. In frigidis locis, & ventosis arboreæ vites læduntur.

Conserendarum arborum ratio in arbusto. CAP. IV.

QVOMODO autem arbores in quincuncem ordinatæ in arbusto disponerentur, iam quarto libro demonstrauimus: & quamplurimis in locis in Neapolitanis agris nostra manu consitæ elegantissimè visuntur. Internalla verò arboribus concedenda ex soli qualitate, & cultura perdiscuntur. Sed à

maiori-

maioribus ediscamus. Varro de formæ cultura hæc dicit, quæ specie fiant venustiora, sequi, vt maiore quoque fructu sint: vt qui habent arbusta, si sata sunt in quincuncem, propter ordines, atque interualla modica. Columella de interuallis loquitur: si frumentis consulendum, vberi solo intra quadraginta pedes, exili verò, vbi nihil seritur, intra viginti arbores disponantur. Et alibi: Arbustum inter quadragenos pedes dispositum esse conuenit: sic enim & ipsæ arbores, & appositæ vites melius conualescunt, fructumque meliorem dabunt. Segetes enim, quæ in eo erunt, minus vmbra laborabunt. Ab eo Plinius: Interuallum iustum arborum, si arcetur solum, quadrageni pedes in terga, frondemque, in latera viceni: si non arcetur hoc, in omnes partes. Nec omittenda aliqua, quæ Florentinus Græcus habet. Ordines habeant interualla cubitorum quindecim: ita enim & melius vinum erit, & copiosius. Cæterum in his spatiis arbores fructiferæ paucarum radicum plantari præcipit: velut est malus punica, malus quæcunque, & cotonea: oleam etiam in his interuallis plantare licet, & si à quibusdam improbetur. Quidam ficum interserunt: sed hoc falsum experiẽtia conuincitur, quapropter præstat foris circumplantare. Plinio autem videtur ficorum leuis vmbra, quamuis sparsa, ideoque & inter vites seri non vetat. Sed hoc falsum est, nam prælongis, crassissimisque radicibus infestat, & densiori latiorum foliorum vmbra. Quincuncialis ordo sic instituitur. Linea per totidem pedes, quot destinaueris interordiniorum spaciis purpura, vel quolibet alio colore insignitur, eaque sic denotata, per repastinatum intenditur, & iuxta purpuram calamus defigitur, atque ita paribus spatiis ordines diriguntur. Signatis igitur locis, in quibus arbores plantandæ, qui arbustum constituere velit, ante annum quàm deponat arbores, scrobes faciat quatuor pedum quoquo versus, deinde circa Calen. Martias in eandem scrobem vlmum, opulum, vel fraxinum deponat, vt si vlmus defecerit, opulus, vel fraxinus locum obtineat. Si autem vtraque vixerit, altera eximatur, & alio loco deponatur, sed vlmus autumni tẽpore melius, quàm vere disponitur. E seminario igitur, vbi translationi idonea est, ex eo tempore autumni vsq; in vernum tempus, antequam radix vlmi delibretur, quo terra imbribus permaduerit, rectè seritur. Plinius: In arbustũ quinquennes vlmi transferuntur, aut (vt quibusdam placet) quæ vicenum pedum esse cœperunt, sulco, qui nouenarius dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine, & eo amplius, circa positas pedes terni vndique è solido adaggerantur. Arulas id vocant in Campania. Populos, & fraxinos, quia festinantius germinant, disponi quoque maturiùs conuenit, hoc est ab Idibus Febr. plantis & ipsas nascentes. Præfodere scrobes ante (si fieri posset) tanto, donec pingui cespite obducantur. Mago ante annum iubet, vt solem pluuiasque combibant, aut si id conditio largita non sit, ignes in medio fieri ante menses duos, nec nisi post imbres in his seri.

De arbustiuæ arboris formatione. CAP. V.

ARBVSTIVÆ arboris formationem augustissimè Columella recenset, à quo omnes exceperunt, nec quicquam addendum, vel demendum iudicamus. Quamcumque arborem seueris, eam biennio proximo putare non oportet. Postea verò si vlmus exiguum incrementum recipit, verno tempore antequam librum demittat, decacuminanda est iuxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus, ita tamen vti supra eum trunco stirpem dodrantalem relinquas, ad quam ductus & applicatus ramus deligetur, & correptus cacumen arbori præbeat. Deinde stirpem post annum præcidi, & alleuari oportet. Quod si nullum ramum arbor idoneum habuerit, sat erit nouem pedes à terra relinqui, & superiorem partem detruncari, vt nouæ virgæ quas emiserit, ab iniuria pecoris sint tutæ. Sed si fieri poterit, vno ictu arborem præcidi, si minus, serra desecari, & plagam falce alleuari oportebit, eamq; plagam luto paleato contegi, ne sole, aut pluuiis infestetur. Post annum, aut biennium, quum enati ramuli rectè conualuerint, superuacuos deputari, & idoneos in ordinem demitti conueniet. Quum iam adolescere incipient, falce formandi, & tabulata instituenda sunt (sic vocant ramos & truncos prominentes) eosque vel propiùs ferro compescunt, vel longiùs promittunt, vt vites laxius diffundantur. Hoc in solo pingui, illud melius in gracili. Tabulata inter se minus ternis pedibus absint, atque informentur, ne superior ramus in eadem linea sit, qua inferior: nam demissum ex eo palmitem germinantem inferior atteret, & fructum decutiet. Igitur nouellam vlmum sic formare conueniet: Loco pingui octo pedes à terra sine ramo relinquendi, vel in aruo gracili septem pedes, supra quod spatium deinde per circuitum in tres partes arbor diuidenda est, ac tribus lateribus singuli ramuli submittendi, primo tabulato assignentur, mox de ternis pedibus superpositis, alii rami submittendi sunt, ita ne iisdem lineis, quibus in superiore, politi sint. In eademque ratione vsque in cacumen ordinanda erit arbor, atque in frondatione cauendum, ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquũtur, aut rursus ita alleuentur, ne ipse truncus lædatur, aut delibretur: nam parum gaudet vlmus, quæ in corpus nudatur: vitandumque ne de duabus plagis vna fiat, quum talem cicatricem non facilè cortex comprehendat. Arboris autem perpetua cultura est, non solùm ante diligenter eadem disponere, sed etiam truncum circumfodere, & quicquid frondis enatum fuerit alternis annis aut ferro amputare, aut astringere, ne æmula vmbra viti noceat. Quum deinde arbor vetustatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur, ita vt excauetur vsque in medullam, qua sit exitus humori, quem ex superiore parte cõceperit. Plinius ab eo: Et vlmus detruncata à media in ramorum scamna digeritur, nulla ferè xx pedũ altiore arbore. Tabulata earũ ab octauo pede altitudinis dilatantur in collibus, siccisq; agris: à xii in cãpestribus, & humidis. Meridianũ solem spectare palmites debent.

bent. Rami à proiectu digitorum modo ſubrigi, tonſili in his tenuium quoq; virgultorum barba, ne obumbrent. Florentinus in bona terra vt arbuſtiuæ arbores excreſcant permittit, verùm in tenui à pedibus octonis abſcindit, ne omnis vis terræ in arbores abſumatur.

Quomodo vites arboribus maritandæ. CAP. VI.

IAM formatæ arbori vitem adiungemus, quam, vt Columella inquit, antequam ex toto arbor præualeſcat, conſerere conuenit. At ſi teneram vlmum maritaueris, nouam ſufferet: ſi vetuſtam vitem applicueris, coniugem necabit, ita ſibi pares eſſe ætate, & viribus arbores, viteſq; conuenit. Sed arboris maritandæ cauſa, ſcrobs viuiradici fieri debet, latus pedes duos, altus leni terra, totidem pedum, graui, dupondio, & dodrante, longus pedes ſex, aut minimum quinq;. Abſit autem hæc ab arbore ne minus ſeſquipedali ſpatio: nam ſi radicibus vlmi iunxeris, malè vitis comprehendet, & quum tenuerit, incremento arboris opprimetur. Hunc ſcrobem ſi res permittit, autumno facito, vt pluuiis & gelicidiis maceretur. Circa vernum deinde æquinoctium binæ vites, quo celerius vlmum veſtiant, pedem inter ſe diſtantes ſcrobibus deponendæ, cauendumq; ne aut ſeptentrionalibus ventis, aut rorulentæ, ſed ſiccæ ſerantur. Quum de ſeminario eximuntur, rubrica notetur vna pars, quæ nos admoneat, ne aliter vites conſtituamus, vel arbores, quàm quemadmodum in ſeminario ſteterint. Plurimum enim refert, vt eam partem cœli ſpectent, cui ab tenero conſueuerunt. Melius autem locis apricis, vbi cœli ſtatus neq; prægelidus, neq; nimium pluuius eſt, autumni tempore & arbores, & vites poſt æquinoctium deponuntur. Sed eæ ita conſerendæ ſunt, vt ſummam terram, quæ aratro ſubacta ſit, ſemipedem altè ſubſternamus, radiceſque omnes explicemus, & depoſitas ſtercoremus (vt ipſe exiſtimat) ſi minus, terra ſubacta operiamus, & circum calcemus, ipſum ſeminis codicem. Vites in vltimo ſcrobe deponi oportet, materiaſq; earum per ſcrobem porrigi, deinde ad arborem erigi, & ab iniuria pecoris caueis emuniri. Locis autem feruidis ſemina ſeptentrionali parte arbori applicanda ſunt, locis frigidis à meridie, temperato cœli ſtatu, aut ab oriente, aut ab occidente, ne toto die ſolem, aut vmbram patiantur. Plinius ab eo aliqua addens: Singulis arboribus iam plantatis, denas ſæpè adnutriunt vites, damnato agricola minus ternis. Maritare niſi validas inimicum, enecante veloci vitium incremẽto. Serere tripedaneo ſcrobe neceſſarium, diſtantes inter ſe arboremque ſingulis pedibus. Florentinus hoc modo vitem deponendam cenſet: Alii radicatas plantas, viuiradices appellatas transferentes ponunt, alii perfectam fermè vitem floridam perpurgantes, & radicibus extrahentes cum propria terra in foſſam iuxta arborem ſitam imponunt. Deponit autem aliter. Spatio trium cubitorum ab arbore plantat, deinde vbi probè coalita hæſerit, vt iam ſufficiens ſit, quo arbori veniatur & maritetur, (quod ex craſſitudine indicatur) totam proſtratam, & de-

De arbustiuæ arboris formatione. CAP. V.

ARBVSTIVÆ arboris formationem augustissimè Columella recenset, à quo omnes exceperunt, nec quicquam addendum, vel demendum iudicamus. Quamcumque arborem seueris, eam biennio proximo putare non oportet. Postea verò si vlmus exiguum incrementum recipit, verno tempore antequam librum demittat, decacuminanda est iuxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus, ita tamen vti supra eum trunco stirpem dodrantalem relinquas, ad quam ductus & applicatus ramus deligetur, & correptus cacumen arbori præbeat. Deinde stirpem post annum præcidi, & alleuari oportet. Quod si nullum ramum arbor idoneum habuerit, sat erit nouem pedes à terra relinqui, & superiorem partem detruncari, vt nouæ virgæ quas emiserit, ab iniuria pecoris sint tutæ. Sed si fieri poterit, vno ictu arborem præcidi, si minus, serra desecari, & plagam falce alleuari oportebit, eamq; plagam luto paleato contegi, ne sole, aut pluuiis infestetur. Post annum, aut biennium, quum enati ramuli rectè conualuerint, superuacuos deputari, & idoneos in ordinem demitti conueniet. Quum iam adolescere incipient, falce formandi, & tabulata instituenda sunt (sic vocant ramos & truncos prominentes) eosque vel propiùs ferro compescunt, vel longiùs promittunt, vt vites laxius diffundantur. Hoc in solo pingui, illud melius in gracili. Tabulata inter se minus ternis pedibus absint, atque informentur, ne superior ramus in eadem linea sit, qua inferior: nam demissum ex eo palmitem germinantem inferior atteret, & fructum decutiet. Igitur nouellam vlmum sic formare conueniet: Loco pingui octo pedes à terra sine ramo relinquendi, vel in aruo gracili septem pedes, supra quod spatium deinde per circuitum in tres partes arbor diuidenda est, ac tribus lateribus singuli ramuli submittendi, primo tabulato assignentur, mox de ternis pedibus superpositis, alii rami submittendi sunt, ita ne iisdem lineis, quibus in superiore, positi sint. In eademque ratione vsque in cacumen ordinanda erit arbor, atque in frondatione cauendum, ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquũtur, aut rursus ita alleuentur, ne ipse truncus lædatur, aut delibretur: nam parum gaudet vlmus, quæ in corpus nudatur: vitandumque ne de duabus plagis vna fiat, quum talem cicatricem non facilè cortex comprehendat. Arboris autem perpetua cultura est, non solùm ante diligenter eadem disponere, sed etiam truncum circumfodere, & quicquid frondis enatum fuerit alternis annis aut ferro amputare, aut astringere, ne æmula vmbra viti noceat. Quum deinde arbor vetustatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur, ita vt excauetur vsque in medullam, qua sit exitus humori, quem ex superiore parte cõceperit. Plinius ab eo: Et vlmus detruncata à media in ramorum scamna digeritur, nulla ferè xx pedũ altiore arbore. Tabulata earũ ab octauo pede altitudinis dilatantur in collibus, siccisq; agris: à xii in cãpestribus, & humidis. Meridianũ solem spectare palmites debent.

bent. Rami à proiectu digitorum modo subrigi, tonsili in his tenuium quoq; virgultorum barba, ne obumbrent. Florentinus in bona terra vt arbustiuæ arbores excrescant permittit, verùm in tenui à pedibus octonis abscindit, ne omnis vis terræ in arbores absumatur.

Quomodo vites arboribus maritandæ. CAP. VI.

IAM formatæ arbori vitem adiungemus, quam, vt Columella inquit, antequam ex toto arbor præualescat, conserere conuenit. At si teneram vlmum maritaueris, nouam sufferet: si vetustam vitem applicueris, coniugem necabit, ita sibi pares esse ætate, & viribus arbores, vitesq; conuenit. Sed arboris maritandæ causa, scrobs viuiradici fieri debet, latus pedes duos, altus leni terra, totidem pedum, graui, dupondio, & dodrante, longus pedes sex, aut minimum quinq;. Absit autem hæc ab arbore ne minus sesquipedali spatio: nam si radicibus vlmi iunxeris, malè vitis comprehendet, & quum tenuerit, incremento arboris opprimetur. Hunc scrobem si res permittit, autumno facito, vt pluuiis & gelicidiis maceretur. Circa vernum deinde æquinoctium binæ vites, quo celerius vlmum vestiant, pedem inter se distantes scrobibus deponendæ, cauendumq; ne aut septentrionalibus ventis, aut roturentæ, sed siccæ serantur. Quum de seminario eximuntur, rubrica notetur vna pars, quæ nos admoneat, ne aliter vites constituamus, vel arbores, quàm quemadmodum in seminario steterint. Plurimum enim refert, vt eam partem cœli spectent, cui ab tenero consueuerunt. Melius autem locis apricis, vbi cœli status neq; prægelidus, neq; nimium pluuius est, autumni tempore & arbores, & vites post æquinoctium deponuntur. Sed eæ ita conserendæ sunt, vt summam terram, quæ aratro subacta sit, semipedem altè substernamus, radicesque omnes explicemus, & depositas stercoremus (vt ipse existimat) si minus, terra subacta operiamus, & circum calcemus, ipsum seminis codicem. Vites in vltimo scrobe deponi oportet, materiasq; earum per scrobem porrigi, deinde ad arborem erigi, & ab iniuria pecoris caueis emuniri. Locis autem feruidis semina septentrionali parte arbori applicanda sunt, locis frigidis à meridie, temperato cœli statu, aut ab oriente, aut ab occidente, ne toto die solem, aut vmbram patiantur. Plinius ab eo aliqua addens: Singulis arboribus iam plantatis, denas sæpè adnutriunt vites, damnato agricola minus ternis. Maritare nisi validas inimicum, enecante veloci vitium increméto. Serere tripedaneo scrobe necessarium, distantes inter se arboremque singulis pedibus. Florentinus hoc modo vitem deponendam censet: Alii radicatas plantas, viuiradices appellatas transferentes ponunt, alii perfectam fermè vitem floridam perpurgantes, & radicibus extrahentes cum propria terra in fossam iuxta arborem sitam imponunt. Deponit autem aliter. Spatio trium cubitorum ab arbore plantat, deinde vbi probè coalita hæserit, vt iam sufficiens sit, quo arbori vniatur & maritetur, (quod ex crassitudine indicatur) totam prostratam, & de-

fossam arbori adiungit, pedis spatio ab arboris radice, reliquo palmite libero relicto, & quoscunque oculos relictos esse contingit, eos omnes vngue ademptos excæcat, quo vnum aut alterum germen in summa parte relictum vberius augescat, quod deinde vbi auctum fuerit, sensim arbori adiungere, vt in ea conquiescat, conuenit. Quandoquidē verò contingit vitem arboris trunco circulariter adhærentem, ac circumsitam hocq; modo in altum ascendentem, temporis progressu comprimi & quodāmodo suffocari propter vnitionem, quam ad ipsum truncum habet, pleriq; in Bithynia inter vitem, & arborem cuneum inserunt, atq; vbi hoc modo vitem ab arbore dispararunt, secessum & torulum ipsi viti subornant, in quo requiescat.

De arbustina vitis putatione. CAP. VII.

IAM ad putationem deuentum est, difficillimam cultus vitis partem. Columella vtilissimè putat primo quoque tempore falcem vitibus admouere, nec superuacuis sarmentis pati syluescere, sed eam quoq; quæ primo submittitur, materiem ferro coercendam censet vsq; in alteram, vel tertiam gemmam, quo robustiores palmites agant, qui quum primum tabulatum apprehenderint, proxima putatione disponentur, omnibus annis alioquin in superius tabulatum excitabitur relicta semper vna materia, quæ applicata trunco cacumen arboris spectet. Iamque viti constitutæ certa lex ab agricolis imponitur: plerique ima tabulata materiis frequentant vberiorem fructum, & magis facilem cultum sequentes. At qui bonitati vini student, in summas arbores vitem promouent, vt quæq; materiæ se deuectæ in celsissimum quenque ramum extendunt, sic vt summa vitis summam arborem sequatur, id est, vt duo palmites extremi trunco arboris applicentur, qui cacumen eius spectent, & prout quisque ramus conualuit, vitem accipiat. Plenioribus ramis plures palmites alius ab alio separati imponantur, gracilioribus pauciores. Vitis nouella tribus toris ad arborem religetur, vno, qui est in crure arboris, à terra quatuor pedibus distans, altero, qui summa parte vitem capit, tertio, qui mediam vitem complectitur. Torum imum imponi tum oportet, quum vires viti adimit: interdum enim necessarius habetur, quum aut arbor sine ramis truncata est, aut vitis præualens in luxuriem euagatur. Cætera putationis ratio talis est, vt veteres palmites, quibus proximi anni fructus pependit, omnes recidantur, noui, circumcisis vndique capreolis, & nepotibus, qui ex his nati sunt, amputati committantur, & si læta vitis est, vltimi potius palmites per cacumina ramorum præcipitentur, si gracilis, trunco proximis, si mediocris, mediis, quoniam vltimus palmes plurimum fructum affert, proximus nimium, vitemque exhaurit, atque attenuat. Maximè prodest vitibus omnibus annis resolui: nam & commodius enodantur, & refrigerantur, quum alio loco alligatæ sunt, minusque læduntur, & melius conualescunt. Atque ipsos palmites ita tabulatis super-

ſuperponi conuenit, vt à tertia gemma, vel quarta religati dependeant, eosq́ue non conſtringi, ne ſarmentum vimine præcidatur. Quod ſi ita longè tabulatum eſt, vti materia parum commodè in id perduci poſſit, palmitẽ ipſum viti alligatum ſupra tertiam gemmam religabimus. Hoc ideo fieri præcipit, quia quæ pars palmitis præcipitata eſt, fructu induitur: at quæ vinculo adnexa ſurſum tendit, ea materias ſequente anno præbet. Sed ipſorum palmitum duo genera ſunt, alterum quod ex duro prouenit, quod quia primo anno plerunque frondem ſine fructu affert, pampinarium vocant, alterum, quod ex anniculo palmite procreatur, quod, quia protinus creat, fructuarium appellant, cuius vt ſemper habeamus copiam in vinea, palmitis partes ad tres gemmas religandæ ſunt, vt quicquid intra vinculum eſt, materias exigat. Quum deinde annis, & robore vitis conualuit, traduces in proximam quamque arborem mittendæ, easq́ue poſt biennium amputare, ſimulatque alias teneriores tranſmittere conuenit: nam vetuſtate vitem fatigant: nonnunquam enim quum arborem totam vitis comprehendere nequit, ex vſu fuit partem aliquam eius deflexã terræ immergere, & rurſus ad eandem arborem duas, vel tres propag nes excitare, quò pluribus viribus circumuenta celerius veſtiatur. Viti nouellæ pampinarium dimitti non oportet, niſi neceſſario loco natus eſt, vt viduum ramum maritet: veteribus vitibus loco nati palmites pampinarii vtiles ſunt, & plerique ad tertiam gemmam reſecti optimè ſubmittuntur: nam in ſequenti anno materias fundunt. Quiſquis autem pampinus loco natus in exputando, vel alligando fractus eſt, modo vt aliquam gemmam habuerit, extolli non oportet, quoniam proximo anno vel validiorem materiam ex vna creabit. Præcipites palmites dicuntur, qui de hornotinis virgis enati in duro alligantur, hi plurimum fructum afferunt, ſed plurimum matri nocent. Itaque niſi extremis ramis, aut ſi vitis arboris cacumen ſuperauerit, præcipitari palmitem non oportet. Quod ſi tamen id genus colis propter fructum ſummittere quis velit, palmitem intorqueat, deinde alliget, & præcipitet, nam & poſt eum locum, quem intorſeris, lætam materiam citabit, & præcipitata minus virium in ſe trahet, quamuis fructu exhuberet. Præcipitem verò plus anno pati non oportet. Alterum eſt genus palmitis, quod de nouello naſcitur, & in tenero alligatum dependet (materiam vocant) ea & fructum, & noua flagella bene procreat, etiam ſi ex vno capite duæ virgæ ſummittantur, tamen vtraq; materia dicitur: nam pampinarius quam vim habeat, ſupra docuimus. Focaneus eſt, qui inter duo brachia, velut in furca de medio naſcitur, eum colem deterrimum eſſe comperit, quòd neque fructum ferat, & vtraque brachia, inter quæ natus eſt, attenuet, itaq; tollendus eſt. Plerique vitem validam, & luxurioſam falsò crediderunt feraciorem fieri, ſi multis palmitibus ſubmiſſis oneretur: nam ex pluribus virgis plures pampinos creat, & quum ſe multa fronde cooperit, pelus deflorer, nebulasq́; & rores diutius continet,

omnemq; vuam perdit. *Validam ergo vitem in ramos diducere censet*, & traducibus dispergere, *atq; diradiare*, cæterosq; vinearios colles præcipitare, & si nimis luxuriabitur, *solutas* materies relinquere, ea ratione vitem feraciorem facere. Sed vt *densum* arbustum commendabile fructu, & decorum est, sic vbi vetustate rarescit, pariter inutile, & inuenustum est. Quod ne fiat diligentis patrisfamilias est primam quamq; arborem senio confectam tollere, vt in eius locum nouellam restituere vitem queat, nec tam viui radice frequentare, quàm ex proximo propagare. Plinius ab eo, & ab vsu sui temporis de arbusti putatione hæc retulit: Vites spectare Aquilonem debent ipsæ: Palmites autem earum ad meridiem. Non est festinandum ad putationem nouellæ, sed primò in circulos materies colligenda, nec nisi validæ putatio admouenda. Seriora ferè anno ad fructum arbusta, quàm in vitis iugata. Sunt qui omnino putari vetant, priusquam arborum longitudinem æquauerint. Prima falce sex pedes à terra recidatur flagello infra relicto, & nasci coacto in curuatione materiæ. Tres ei gemmæ non amplius deputato supersint. Ex his emissi palmites proximo anno imis inserantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandant, relicto semper duramento in singulis tabulatis, & emissario vno, qui subeat vsq; quo placuerit. De cætero putatione omni flagella, quæ proximè tulerint, recidantur: noua, circumcisis vndiq; capreolis, spargantur in tabulatis. Est quorundam imperitia, sub ramo vinculo suspendendi, suffocantium iniuria, quando contineri debet vimine, non arctari. Quin immo etiam quibus salices supersint, molliore hoc vinculo facere malunt, iunco, cypero, vlua. Liberam quoque vinculo per aliquot dies vagari, & inconditam spargi atq; in terra, quam per totum annum spectauerit, recumbere. Namq; vt veterina à iugo, & canes à cursu volutatio iuuat, ita tum & vitium porrigi lumbos. Arbor quoq; ipsa gaudet assiduo leuata onere, similis respiranti. Nihil est in opere naturæ, quod non exemplo dierum & noctium aliquas vices feriarum velit. Ob id protinus à vindemia putari & lassas etiamnum fructu ædito improbatur, vt putatæ rursus alligentur alio loco: nanq; orbita vinculi sentitur vexatione non dubia. Palladius nil, nisi quæ Columella.

De arbusto Gallico. Cap. VIII.

Est & alterum arbusti genus, authore Columella, quod rumpotinum vocatur. Id desiderat arborem humilem, nec frondosam, cui rei maximè videtur idonea opulus. Potest & vlmus sic disponi, vt adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem quindecim pedum excedat: nam ferè ita constitutum rumpotinetum animaduertit, vt ad octo pedes locis sicci, & cliuosis, ad duodecim locis planis, & vliginosis tabulata disponantur. Plerunq; autem ea arbor in tres ramos diuiditur, quibus singulis ab vtraq; parte complura brachia summittuntur, tum omnes penè virgæ, ne vmbrent eo tempore, quo vitis putatur, baraduntur. Arboribus rumpotinis, si frumentum non inseritur, in v-

tramq;

vtramq; partem viginti pedum spatia interueniunt, at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in altera viginti relinquuntur. Cætera simili ratione atq; arbusto Italico administrãtur, vt vites longis scrobibus deponantur, vt eadem diligentia curentur, atque in ramis deducantur, vt noui traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur, & veteres decidantur. Si tradux traducem non contingat, media virga inter eas deligetur. Quum deinde fructus pondere vigebit, subiectis adminiculis sustineatur. Hoc genus arbusti, cæteræq; omnes arbores, quanto altius arantur, & circumfodiuntur, maiore fructu exuberant.

De vitium insitione. CAP. IX.

ETSI superiori nostro libro de insitione, satis superq; in vniuersum de ea loquuti fuerimus, lubet hoc loco & decet de vitium insitione singulariter loqui: & primo dicamus quo tempore inserenda sit vitis. Tempus idoneum, quod scribit Theophrastus, est vere, autumno & caniculæ exortu. Neq; omnibus locis, ac generibus idẽ. In sicco, macro loco, & argilloso, quòd minus habeat humoris, vernum tempus idoneum. In terra bona & pingui, autumno, quòd vere nimius humor: quam sationem quidam metiuntur ferè diebus triginta. Varro à Theophrasto desumit. Cato hæc habet: Vitem inseri oportet Luna silenti, post meridiem sine vento Austro. Vitis insitio vna per ver: altera est, quando vua floret, ea optima est. Plinius quæ Cato recitat. Florentinus insitionis tempus vere determinat, glacie iam cessante, quando dum inciditur vitis, humorem neque multum, neque aquosum, neque crassum, & glutinosum remittit. At Luna desinente sarmenta decidere oportet ad insitionem, ita enim robustiora sunt. Quidam non solum vere, sed & post vindemiam insitionem faciunt: tunc enim vitis densiorem impetum, ac concitatiorem habet. Tempus inserendi Iulius Atticus tradidit à Calen. Nouembribus in Calendas Iunias, quod id posse custodiri surculum sine germine, affirmat. Eoque debemus intelligere nullam partem anni excipi, si sit sarmentis alendis facultas. Sed Columella in aliis stirpium generibus, quæ firmioris, & siccioris libri sunt, posse id fieri concedit, in vitibus verò nimis temere id permissum, non quod ignoret brumæ temporibus aliquando insitam vitem comprehendere, sed quòd quid certa ratione plerunq; proueniat præcipiendum sit. Idem per brumam negat rectè putari vitem: quod merito prohibetur, quòd frigoribus omnis surculus rigore torpet, nec propter gelicidia corticem mouet, vt cicatricem consanet. Verior itaque ratio est inserendi tepentibus iam diebus, post hyemem, quum & gemmas, & corticem naturaliter mouent, nec frigus ingruit, quod possit aut surculum insitum, aut fissuræ plagam inurere. Permiserit tamen festinãtibus autumno vitem inserere, quia nõ dissimilis est eius aëris qualitas vernæ. Sed quocunq; quis tempore destinauerit inserere, non aliam sciat esse curam surculis explorandis, quàm quæ

ſurculo naturales, vnum, quo germinet, alterum, quo floreat, tertium, quo matureſcat, hos ergo motus cenſent foſſionibus concitari. Nō enim natura quod vult ſatis efficit, niſi eam labore, & ſtudio iuueris. Alibi verò: Simulatq; vua variari cœperit, fodito tertiam foſſuram, & quum iam matureſcet, ante meridiem prius, quàm calere incipiet, & quum deſierit poſt meridiem, fodito, pulueremq; excitato, ea res & à ſole, & à nebula maximè vuā defendit. Finis autem fodiendi nullus eſt: nam quanto ſæpius foderis, tanto vberiorem fructum reperies. Plinius: Sunt qui puluere quoq; vuas ali iudicēt, pubeſcentesque puluerent, & vitium arborumq; radicibus aſpergant, quod certum eſt Narbonenſi prouinciæ, & vindemias certius ſic eo coqui, quia plus puluis ibi, quàm ſol confert. Caſſianus Iulio menſe vites fodit: nam puluis maximè vuam maturam reddit & magnam, quapropter vitis iuxta viam ſita vberiorem & pleniorem fert fructum, propter excitatum à prætereuntibus puluerem, & ſolę vitium illę foſſione non indigent. Virgilius,

Sollicitanda tamen tellus, puluisq; mouendus.

De per ſe ſtantis vineæ cultura, & brachiata & capitata.

CAP. XXXIIII.

NVNC ad alias vinearum ſpecies tranſeamus. Vitis, quæ ſine adminiculo ſuis viribus conſiſtit, ſolutiore terræ ſcrobe, denſiore ſulco ponenda eſt. ſcrobes & ſulci plurimum proſunt, ſi in temperatis locis ante annum fiant. At ſi ieiuno, & exili agro ſemina deponentur, ſub ipſum tempus ſationis ſcrobs aut ſulcus faciendus. Scrobs in longitudinem, altitudinemque defoſſus tripedaneus abundè eſt, latitudine tamen bipedanea, vel ſi quatuor pedum ſpatia inter ordines relicturi ſumus, cōmodius habemus eandem quoquouerſus dare menſuram ſcrobibus, non amplius tamen, quàm in tres pedes altitudinis depreſſis. Cæterum quatuor angulis ſemina applicabuntur, ſubiecta minuta terra, & ita ſcrobes adobruentur. Si aratro vineas culturi ſumus laxiora interordinia relinquenda, ſi bidentibus, anguſtiora, ſed neq; ſpatioſiora, quàm decem pedum, neq; contractiora, quàm quatuor. Multi ordines ita diſponunt, vt per rectam lineam binos pedes, aut plurimum ternos inter ſemina relinquant. Tranſuerſa rurſus laxiora ſpatia faciant, per quæ vel foſſor, vel arator incedat. Depoſitam ergo ſtirpem formare ſic conuenit, vt vitis ſine pedamine conſiſtat. Adminiculum teneræ viti contribuemus, quod vel infantiam eius tueatur, producatque vſque in ſeſquipedem. Quum deinde robur accepit, ſine adiumento conſiſtere valens, aut capitis, aut brachiorum incrementis adoleſcit (nam duæ ſpecies huius culturæ ſunt) alii capitatas vineas, alii brachiatas magis probant. Brachiata ita componitur, à ſumma parte, qua deciſa nouella vitis eſt, quicquid iuxta cicatricem citauerit, conſeruatur, & in quatuor brachia pedalis menſuræ diuiditur, ita vt in omnem partem cœli ſingula aſpiciant. Sed hæc brachia non ſtatim primo anno tam procera ſubmittuntur, ne oneretur exilitas vitis, ſed compluribus putationibus

tionibus in prædictam mensuram educuntur, deinde ex brachiis, quasi quædam cornua prominentia relinqui oportet, atque ita totam vitem omni parte in orbem diffundi. Putationis autem ratio eadem, quæ in iugatis vitibus, vno tantum differt, quod pro materiis longioribus pollices quaternûm, aut quinûm gemmarum relinquuntur, pro custodibus autem bigemmes resecces fiũt. In vinea, quam capitatam diximus, iuxta ipsam matrem vsque ad corpus sarmentum detrahitur, vna, aut altera gemma relicta, quæ trunco adhæreat, sed hoc in lætis locis fieri potest, vbi vis terræ fructum & materias præbet. Eiusmodi vinea aratris excolitur, detrahunt enim vitibus brachia, quod ipsa capita sine vlla extantia, neque aratro, neque bubus obnoxia sunt: nam in brachiatis, crure & cornibus boum ramuli vitium plerunque defringuntur. Sed hæc cultura brachiatis, & capitatis vitibus, antequam gemmẽt, adhibetur, quum deinde germinauerint, fossor insequitur, ac bidentibus eas partes subigit, quas bubulcus non potuit pertingere. Mox vbi materias vitis exigit, sequitur pampinator, superuacuos abscindit & fructuarios submittit, qui quum induruerunt, velut in coronam religãtur. Hoc duabus fit causis, vna ne libero excursu prorepant, & alimenta pampini absumant, altera vt religata vitis aditum bubulco & fossori præbeat. Pãpinandi modus, vt opacis locis æstate vitis nudetur, locis calidis vuæ contegantur, si desint frondes, adnectis muniantur. In Bætica vites tegetibus sub ortu Caniculæ obumbrantur. Libro de arboribus multa addit. Si vitem in se consistere voles, in orbem quamrectissimè formetur: nam sic composita speciosa erit, & minus laborat, quum vndique æquilibrio stabilita in se requiescat. Sat erit quum primò brachia submittentur, singulas gemmas singulis sarmentis relinqui, ne onere grauetur, pòst vineam bidentibus fodito, vel si latè disposita sit, aratro. Ab Idibus Octobr. ablaqueare incipito, ante brumam ablaqueatam habeto. Post brumam vitem ne colito, nisi eas radices prosequi velis, quæ in ablaqueatione apparebunt, sed ita reseces, vt instar vnius digiti à matre relinquas. Peracta ablaqueatione ante brumam tertio quoq; anno macerati stercoris, ne minus binis sextariis, ad radices vitium posuisse conueniet. Post brumam ante æquinoctium vernum octauo Cal. Aprilis ablaqueationem adæquato. Post idus Aprilis terram ad vitem aggerato, æstate sæpissimè occato. Iugerum vineæ quinque operis ablaqueatur, quinque foditur, tribus occatur, quatuor putatur, sex alligatur. Anatolius iubet post ablaqueationem stercorare, bubulo aut ouillo, aut suillo stercore, aut aliorum pecorũ. Columbinum calidissimum existens ad celerẽ germinationem idoneum, sed vino incommodum. Singulis vitibus quatuor heminas cuiuscunq; ex prædictis, paulò lõgius à trunco, nec nudis radicibus iniiciendum, nam eas adurerent. Si stercus deerit, paleæ fabarum aliorumq; leguminum pro eo succedent, nam contra glaciem, & reptilia prosunt. Vinacea etiam valent, & vetus vrina. Si glacies concrescat, etiam circa trũcos stercus conuenit. In terra arenosa stercore ouillo aut caprino vtemur, in argillosa bubulo.

De prostratæ vineæ cultura, & characata. Cap. XXXV.

SVPEREST prostratæ vineæ cultura, quæ, vt Columella inquit, nisi violentissimo cœli statu suscipi non debet: nam & difficilem laborem colonis exhibet, nec vnquam generosi saporis vinum præbet. Bipedaneis ergo scrobibus malleolus deponitur, qui quum germinauerit, ad vnam materiam reuocatur, eaque primo anno compescitur in duas gemmas, sequēte deinde quum palmites profudit, vnus summittitur, cæteri decutiuntur: at ille, qui summissus est, quum fructum edidit, in eam longitudinem deputatur, vt iacens non excedat interordinii spatium: nec magna est putationis differentia cubantis, & stantis rectæ vineæ, nisi quod iacenti viti breuiores materiæ summitti debent, resecesque quoque angustius in modum furunculorum relinqui, sed post putationem, quam vtique autumno in eiusmodi vinea fieri oportet, vt vitis tota deflectatur in alterum interordinium, atque ita pars ea, quæ fuerat occupata, vel foditur, vel aratur, & quum exculta est, eandem vitem recipit, vt altera quoque pars excoli possit. De pampinatione talis vineæ parum inter auctores conuenit, alii negant esse nudandā vitem, quo melius contra iniuriam ventorum ferarumque fructum abscondat. Aliis placet parcius pampinari, vt & vitis non in totum superuacuis frondibus oneretur, & tamen fructum vestire, aut protegere possit. In characatis vineis prolixos palmites, quasi propagines summo solo adobruunt, deinde rursus ad arundinem erigunt, & in fructum summittunt, idque simplici ex causa, quod existiment plus alimenti terram præbere fructuariis flagellis: & post vindemiam, velut inutilia decidunt, & à stirpe summouent: sed ipse præcipit easdem virgas à matre præcisas, sicubi demortuis vitibus ordines vacent, aut si quis nouellam vineam instituit, pro viuiradice ponere, quoniam ea pars, quę fuerat obruta, radices habet, quę deposita confestim comprehendet. Palladius habet, quæ à Columella excepit.

De ratione pedaminum, & viminum. Cap. XXXVI.

IAM vineę pedaminum, iugorum, & viminum tradenda ratio est, hęc enim quasi quædam dotes vineis ante præparantur, quibus si deficitur agricola, causam faciendi vineta non habet, quum omnia, quæ sunt necessaria, quærenda sint extra fundum. earum enim comparatio molestissima, translatio hyberno tempore iniquissima, quare castaneta, saliceta, arundineta, & vimina consultò conserenda sunt. Viminalium singula iugera, quinis & vigenis iugeribus ligandæ vineæ sufficere possunt, arundineti singula iugera vigenis iugandis, castaneti iugerum totidem pedandis, quot arundineti iugandis, quorum sationum rationes iam suis locis redditæ sunt, & superfluum puto huc afferre. Per arida loca, quæ id genus virgultorum non recipiunt, genistam postulant, eius quum sit satis firmum, tum & lentissimum est vinculum. Seritur autem semine, quod quum est natū, vel defertur bima viuiradix, vel relicta quum id

tempus

tempus excessit, omnibus annis more segetum iuxta terram demeti potest. Cætera vincula quali sunt ex rubo, maiorem operam, sed in egeno tamen necessariam exigunt. Castanea roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis. Potest & quercus simili ratione seri, verùm biennio tardius, quàm castanea deciditur. Castanea pedamentis omnibus præfertur à Plinio, facilitate tractatus, perdurandi peruicacia & regerminatione cædua, vel salice lætior. Esculus cæsura triennio serior, nimis morosa nasci, hoc pedamentum minime putrescit, læsumque maximè fruticat. Præter hæc sunt cædua fraxinus, laurus, persica, corylus, malus, sed tardiùs nascuntur. Sambucus firmissima ad palum. Didymus paxillorum supernas partes feruenti pice illinit, non eas, quas in terram depangimus. Stent perticæ rectæ, neque inflectantur, vt nec vites similes sibiipsis faciant.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER OCTAVVS
SIVE
ARBVSTVM.

PROOEMIVM.

IAm ad eam vineæ speciem deuentum est, quæ viuo innititur pedamento, eamque arbustum veteres vocarũt. Res proxima, cognataque, ob id post vineam de arbusto dicemus. Ita vites arboribus maritantur, vt fœminæ viris, & arbores vitibus orbatæ, viduæ dicuntur. Horatius,

Ergo aut adulta vitibus propagine,
Altas maritat populos.

Et alibi:

Et vitem viduas ducit ad arbores
Populos.

Maritantur enim vites arboribus, non tam vt fructus edant, quàm vt eos edant meliores: nisi enim arboribus sublimarentur, humi repentes, longè deteriores vuas, & fatuas ederent, nullum saporem habentes, seroque ad maturitatem peruenirent. At arboribus maritæ, ab aëre perflantur, fouenturque à sole, quare nobilia vina non nisi arbustis gigni longo tempore decretum est. Sunt enim arbores eo ingenio, vt nisi propè satas quasdam habeant, & occulta quadam fortasse vi se mutuò adiuuantes sterilescant, vt vitibus contingere videmus, quæ arboribus indigent ad nobiliores fructus edendos. Vites natura sublimitatis auidæ, nullo fine crescunt, vt per arborum ramos scandentes cacumina æquent, in tantum sublimes, vt vindemiator autoratus rogum ac tumulum excipiat. Miratum altitudinem earum Ariciæ ferunt legatum Regis Pyrrhi Cyneam, facetè lusisse in austeriorem gustum vini, meritò matrem eius pendere in tam alta cruce. Cato arbusto octauum locum tribuit, congruitque cum octauo nostræ villæ libro. Fundum suburbanum arbustum maximè conuenit habere, vt ligna, & virgæ salicti venire possint, & lucrum domino fiat, qui vtatur. Tradit Plinius arbusti rationem mirum in modum damnatam Salernæ patri, filioque, celebratam Scrofæ, vetustissimis post Catonem, peritissimisque, ac ne à Scrofa quidem, nisi vni Italiæ concessam, quum tam longo indicetur æuo, nobilia vina non nisi in arbustis gigni, & in his quoque laudatiora summis, sicut vberiora imis: adeò excelsitate proficitur. Nihil ibi malleolis, atq; pastinatione opus est, nulla fodiẽdi impendia, vtpote quum arbusti ratio hac peculiari dote præstet, quod in eodem solo seri fruges, & vitibus prodest. Superq; quod vindicans se altitudo, non, vt in vinea, ad arcendas animalium iniurias, pariete, vel sepe, vel fossarum vtiq; impendio muniri se cogat. Florentinus Græcus de arbusto loquens, Arboreæ vites omnibus commodiores sunt: nam & melius, diuturnius, & dulcius vinum efficiunt: & ex interuallis positæ, terram in ipsis quarto quoque anno seminari permittunt.

Quid sit arbustum & arbores arbustiuæ. Cap. I.

LOCA vitiferis arboribus consita veteres arbusta vocarunt. Alii intelligũt per arbustum arbores in aciem dispositas ad vites sustentandas. Sed Calliodorus Iureconsultus in titulo de Termino moto fruticosas arbores intelligit, ex arbore vna arbustum facere. Quod arboribus maritari vites desiderent, ostẽdit earum physiognomonia. Videmus enim tam esse sublimitatis auidas, vt in magnam altitudinem exeant, vt sæpe ex se domorum tecta scandant: nullum finem ascendendi habent. Dedisse quoque videmus eis Naturam capreolos, quos clauiculas & pampinos vocamus, Græci helicas, Varro codiculos, virentes intortos vt cincinni, à capiendo dictos, quoniam ad locum capiendum sursum versus serpant, ex his altissimis arborib. maritandæ, & sic nobilissimum vinum ferunt. Quod si eis non dederis quibus fulciantur adminicula, improbo reptatu per arua vagãtur, succumq; terræ passim bibentes, ignobile vinum ferunt.

ferunt. Sed arbustiuas arbores, quæ sint, indicat Columella: Opulus maximè vitem videtur alere: sed quia raram, neq; idoneam frondem pecori præbet, à plerisq; repudiata est, immò Gallico arbusto peridonea, quod vocatur rumpotinum, id enim desiderat arborem humilem, nec frondosam. Vlmus, quòd & vitem commodissimè patiatur, & iucundissimum pabulum bubus afferat, variisq; soli generib. proueniat, à plerisq. seritur. At fraxinus, quia capris, & ouibus gratissima est, nec inutilis bobus, locis asperis, nec montosis, quibus minus lætatur vlmus, rectè seritur. Quin etiã cornus & carpinus, & ornus, nonnunquã salix à plerisq; in hoc ipsum disponitur, sed salix nisi aquosis locis, vbi aliæ arbores difficiliùs comprehendunt, ponenda non est, quia vini saporem infestat. Plinius has recẽset: Prima omnium vlmus, excepta, propter nimiam frondem, attinia, deinde populus nigra eadem de causa minus densa folio: nõ spernunt pleriq; fraxinũ, ficumq;, & etiam oleam, si non sit vmbrosa ramis. Transpadana Italia præter supradicta, cornu, populo, tilia, acere, orno, carpino, quercu arbustat agros, Venetia salice propter vliginem soli. Florentinus has decernit: Non omnes arbores vitibus arboreis supponere, & adiungere oportet, sed quæcunq; vnam radicem habent, velut est alba populus, aut quæ radices habent contractas, & comam non valde profundam, vt ne penitus vitem obumbrent. Sunt autem eiusmodi vlmi, populi nigræ, fraxini, aceres. Cognouitq; in Bithynia vitem arboream ceraso delectari, & maximè es ariam, & amineam, quę & multi fructus, & multi vini causa existit. At terram hãc etiam quarto quoq; anno seminare licet, & non solùm vitem non offendi, sed etiam præstantius vinum inde fore promittunt.

Differentia inter vlmum, & populum. CAP. II.

VETERVM & neotericorum calculis sancitum est inter arbustiuas arbores primas partes vlmum & populum sibi vendicare, sunt qui vlmum præferant, Columella nigram populum ab arbusto abdicat, nobis autem videtur reiicienda vlmus, recipienda verò populus. Plinio vlmi vmbra videtur leuissima, etiam nutriens quæcunque opacat, sed Attico hæc quoque videtur è grauissimis, nec dubitat Plinius, si emittantur in ramos: constricta verò vlmi noxiam esse non arbitratur. Sed profectò qua id dixerit ratione, facilè nescire confitemur, quum omnibus agricolis in confesso sit, & quotidiana nobis experientia manifestum, vlmorum vmbram non nutricem, sed nouercam esse; & vuas ab vlmorum frondibus opacatas, nunquam maturitatem recipere, etiam post vindemiam. Folia ramulosa fert, densa, breui, firmoq; pediculo appensa, copiosa, nullis ventis mobilia, auctu morosa, radicibus prælongis, crassis, vltro citroque vagantibus, validis vt macerias & muros terebrent, densam sobolem pullulantibus, vt locum, in quo crescat, radicibus compleat, & irretiat, vt aratrum remoretur, vt multo alimento quo indigeat, omnes in sua vicinia macrescere, & arescere cogat. Obuiam quamque arborem radicibus

circundat, & strangulat. Sæpissimè videre contigit vitem nulla de causa exarescentem, tunc ablaqueatam ab vlmi radicibus complexam, obstrictam, strangulatamque conspeximus, & securi radicibus præcisis aliquando conualuit. Infelices illi, sæuique dici possunt complexus viri, quibus obstricta vxor præsecatur. Nimia zelotypia vxor demacratur, non alitur. Prædensa, callosaque etiam sua fronde ventos arcet, qui & alere, & maturare solent fructus. Contra verò ad vitem alendam, idonea & egregia omnia populus habet. Fronde leui, parua, longo pediculo, eodemque ventis omnibus semper ludenti, mobilissima, vt non solùm nullam vmbram facere dici possit, sed crebro iactatu solem temperet. Vnde soli, & ventis omnibus semper prostrata, suaque per brachia repens, ad cœlum pergit. Radice breui, gracili, nuda, nec repullulāte, paucoque indiget nutrimento, vt vxori non surripiat. Alias rationes omittimus, ne prolixius euagemur, quàm par sit. Igitur omnibus consulendum iudicauimus, nunquam nisi vbi necessitas cogit, in montuosis arbustum ex vlmis conseri debere.

De agro arbustis idoneo eligendo. Cap. III.

ETsi ager vineis aptus idem & arbustis idoneus censeatur, tamen est aliquid arboribus indulgendum, quibus arbustum constituatur. Virgilius,

Quæ tenuem exhalat nebulam fumosq́; volucres,
Et bibit humorem, & quum vult ex se ipsa remittit:
Quæq́; suo viridi semper se gramine vestit,
Nec scabie, & salsa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexet vitibus vlmos.

Columella præcipit locis pinguibus conserendam vlmum, vel etiam mediocribus, sed asperis, & siticulosis neque opulus, neque vlmus tam idoneæ, quàm orni, & fraxini: Florentinus verò Græcus, Arboreas vites in campestri, & concauo, & plano loco plantandas ostendit. Meminisse enim semper, & peculiariter obseruare oportere, quod humilibus vitibus illa terra aptior est, quæ in obliquis, leniter accliuibus, altioribus, & siccioribus locis existit: hæc enim æstatem leniorem habebit, probeque perflabitur. In campestri verò planaque, & humida terra, arboreas vites plantare oportet: & calidioribus locis, vbi venti non valdè vehementes sunt, & ipsas in arboribus eleuatas, placidè perflantes nutriunt. In frigidis locis, & ventosis arboreæ vites læduntur.

Conserendarum arborum ratio in arbusto. Cap. IV.

QVomodo autem arbores in quincuncem ordinatæ in arbusto disponerentur, iam quarto libro demonstrauimus: & quamplurimis in locis in Neapolitanis agris nostra manu consitæ elegantissimè visuntur. Interualla verò arboribus concedenda ex soli qualitate, & cultura perdiscuntur. Sed à

maiori-

maioribus ediscamus. Varro de formæ cultura hæc dicit, quæ specie fiant venustiora, sequi, vt maiore quoque fructu sint: vt qui habent arbusta, si sata sunt in quincuncem, propter ordines, atque interualla modica. Columella de interuallis loquitur: si frumentis consulendum, vberi solo intra quadraginta pedes, exili verò, vbi nihil seritur, intra viginti arbores disponantur. Et alibi: Arbustum inter quadragenos pedes dispositum esse conuenit: sic enim & ipsæ arbores, & appositæ vites melius conualescunt, fructumque meliorem dabunt. Segetes enim, quæ in eo erunt, minus vmbra laborabunt. Ab eo Plinius: Interuallum iustum arborum, si aretur solum, quadrageni pedes in terga, frondemque, in latera viceni: si non aretur hoc, in omnes partes. Nec omittenda aliqua, quæ Florentinus Græcus habet. Ordines habeant interualla cubitorum quindecim: ita enim & melius vinum erit, & copiosius. Cæterum in his spatiis arbores fructiferæ paucarum radicum plantari præcipit: velut est malus punica, malus quæcunque, & cotonea: oleam etiam in his interuallis plantare licet, & si à quibusdam improbetur. Quidam ficum interserunt: sed hoc falsum experiẽtia conuincitur, quapropter præstat foris circumplantare. Plinio autem videtur ficorum leuis vmbra, quamuis sparsa, ideoque & inter vites seri non vetat. Sed hoc falsum est, nam prælongis, crassissimisque radicibus infestat, & densiori latiorum foliorum vmbra. Quincuncialis ordo sic instituitur. Linea per totidem pedes, quot destinaueris interordiniorum spaciis purpura, vel quolibet alio colore insignitur, eaque sic denotata, per repastinatum intenditur, & iuxta purpuram calamus defigitur, atque ita paribus spatiis ordines diriguntur. Signatis igitur locis, in quibus arbores plantandæ, qui arbustum constituere velit, ante annum quàm deponat arbores, scrobes faciat quatuor pedum quoquo versus, deinde circa Calen. Martias in eandem scrobem vlmum, opulum, vel fraxinum deponat, vt si vlmus defecerit, opulus, vel fraxinus locum obtineat. Si autem vtraque vixerit, altera eximatur, & alio loco deponatur, sed vlmus autumni tẽpore melius, quàm vere disponitur. E seminario igitur, vbi translationi idonea est, ex eo tempore autumni vsq; in vernum tempus, antequam radix vlmi delibretur, quo terra imbribus permaduerit, rectè seritur. Plinius: In arbustũ quinquennes vlmi transferuntur, aut (vt quibusdam placet) quæ vicenum pedum esse cœperunt, sulco, qui nouenarius dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine, & eo amplius, circa positas pedes terni vndique è solido adaggerantur. Arulas id vocant in Campania. Populos, & fraxinos, quia festinantius germinant, disponi quoque maturiùs conuenit, hoc est ab Idibus Febr. plantis & ipsas nascentes. Præfodere scrobes ante (si fieri posset) tanto, donec pingui cespite obducantur. Mago ante annum iubet, vt solem pluuiasque combibant, aut si id conditio largita non sit, ignes in medio fieri ante menses duos, nec nisi post imbres in his seri.

De arbuſtiuæ arboris formatione. CAP. V.

ARBVSTIVÆ arboris formationem auguſtiſſimè Columella recenſet, à quo omnes exceperunt, nec quicquam addendum, vel demendum iudicamus. Quamcumque arborem ſeueris, eam biennio proximo putare non oportet. Poſtea verò ſi vlmus exiguum incrementum recipit, verno tempore antequam librum demittat, decacuminanda eſt iuxta ramulum, qui videbitur eſſe nitidiſſimus, ita tamen vti ſupra eum trunco ſtirpem dodrantalem relinquas, ad quam ductus & applicatus ramus deligetur, & correptus cacumen arbori præbeat. Deinde ſtirpem poſt annum præcidi, & alleuari oportet. Quod ſi nullum ramum arbor idoneum habuerit, ſat erit nouem pedes à terra relinqui, & ſuperiorem partem detruncari, vt nouæ virgæ quas emiſerit, ab iniuria pecoris ſint tutæ. Sed ſi fieri poterit, vno ictu arborem præcidi, ſi minus, ſerra deſecari, & plagam falce alleuari oportebit, eamq; plagam luto paleato contegi, ne ſole, aut pluuiis infeſtetur. Poſt annum, aut biennium, quum enati ramuli rectè conualuerint, ſuperuacuos deputari, & idoneos in ordinem demitti conueniet. Quum iam adoleſcere incipient, falce formandi, & tabulata inſtituenda ſunt (ſic vocant ramos & truncos prominentes) eoſque vel propiùs ferro compeſcunt, vel longiùs promittunt, vt vites laxius diffundantur. Hoc in ſolo pingui, illud melius in gracili. Tabulata inter ſe minus ternis pedibus abſint, atque informentur, ne ſuperior ramus in eadem linea ſit, qua inferior: nam demiſſum ex eo palmitem germinantem inferior atteret, & fructum decutiet. Igitur nouellam vlmum ſic formare conueniet: Loco pingui octo pedes à terra ſine ramo relinquendi, vel in aruo gracili ſeptem pedes, ſupra quod ſpatium deinde per circuitum in tres partes arbor diuidenda eſt, ac tribus lateribus ſinguli ramuli ſubmittendi, primo tabulato aſſignentur, mox de ternis pedibus ſuperpoſitis, alii rami ſubmittendi ſunt, ita ne iiſdem lineis, quibus in ſuperiore, poſiti ſint. In eademque ratione vſque in cacumen ordinanda erit arbor, atque in frondatione cauendum, ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquũtur, aut rurſus ita alleuentur, ne ipſe truncus lædatur, aut delibretur: nam parum gaudet vlmus, quæ in corpus nudatur: vitandumque ne de duabus plagis vna fiat, quum talem cicatricem non facilè cortex comprehendat. Arboris autem perpetua cultura eſt, non ſolùm ante diligenter eadem diſponere, ſed etiam truncum circumfodere, & quicquid frondis enatum fuerit alternis annis aut ferro amputare, aut aſtringere, ne æmula vmbra viti noceat. Quum deinde arbor vetuſtatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur, ita vt excauetur vſque in medullam, qua ſit exitus humori, quem ex ſuperiore parte cõceperit. Plinius ab eo: Et vlmus detruncata à media in ramorum ſcamna digeritur, nulla ferè xx pedũ altiore arbore. Tabulata earũ ab octauo pede altitudinis dilatantur in collibus, ſiccisq; agris: à xii in cãpeſtribus, & humidis. Meridianũ ſolem ſpectare palmites debent.

ſent. Rami à proiectu digitorum modo ſubrigi, tonſili in his tenuium quoq; virgultorum barba, ne obumbrent. Florentinus in bona terra vt arbuſtiuæ arbores excreſcant permittit, verùm in tenui à pedibus octonis abſcindit, ne omnis vis terræ in arbores abſumatur.

Quomodo vites arboribus maritandæ. CAP. VI.

IAM formatæ arbori vitem adiungemus, quam, vt Columella inquit, antequam ex toto arbor prævaleſcat, conſerere conuenit. At ſi teneram vlmum maritaueris, nouam ſufferet: ſi vetuſtam vitem applicueris, coniugem necabit, ita ſibi pares eſſe ætate, & viribus arbores, viteſq; conuenit. Sed arboris maritandæ cauſa, ſcrobs viuiradici fieri debet, latus pedes duos, altus leni terra, totidem pedum, graui, dupondio, & dodrante, longus pedes ſex, aut minimum quinq;. Abſit autem hæc ab arbore ne minus ſeſquipedali ſpatio: nam ſi radicibus vlmi iunxeris, malè vitis comprehendet, & quum tenuerit, incremento arboris opprimetur. Hunc ſcrobem ſi res permittit, autumno facito, vt pluuiis & gelicidiis maceretur. Circa vernum deinde æquinoctium binæ vites, quo celerius vlmum veſtiant, pedem inter ſe diſtantes ſcrobibus deponendæ, cauendumq; ne aut ſeptentrionalibus ventis, aut rorulentæ, ſed ſiccæ ſerantur. Quum de ſeminario eximuntur, rubrica notetur vna pars, quæ nos admoneat, ne aliter vites conſtituamus, vel arbores, quàm quemadmodum in ſeminario ſteterint. Plurimum enim refert, vt eam partem cœli ſpectent, cui ab tenero conſueuerunt. Melius autem locis apricis, vbi cœli ſtatus neq; prægelidus, neq; nimium pluuius eſt, autumni tempore & arbores, & vites poſt æquinoctium deponuntur. Sed eæ ita conſerendæ ſunt, vt ſummam terram, quæ aratro ſubacta ſit, ſemipedem altè ſubſternamus, radiceſque omnes explicemus, & depoſitas ſtercoremus (vt ipſe exiſtimat) ſi minus, terra ſubacta operiamus, & circum calcemus, ipſum ſeminis codicem. Vites in vltimo ſcrobe deponi oportet, materiaſq; earum per ſcrobem porrigi, deinde ad arborem erigi, & ab iniuria pecoris caueis emuniri. Locis autem feruidis ſemina ſeptentrionali parte arbori applicanda ſunt, locis frigidis à meridie, temperato cœli ſtatu, aut ab oriente, aut ab occidente, ne toto die ſolem, aut vmbram patiantur. Plinius ab eo aliqua addens: Singulis arboribus iam plantatis, denas ſæpè adnutriunt vites, damnato agricola minus ternis. Maritare niſi validas inimicum, enecante veloci vitium incremẽto. Serere tripedaneo ſcrobe neceſſarium, diſtantes inter ſe arboremque ſingulis pedibus. Florentinus hoc modo vitem deponendam cenſet: Alii radicatas plantas, viuiradices appellatas transferentes ponunt, alii perfectam fermè vitem floridam perpurgantes, & radicibus extrahentes cum propria terra in foſſam iuxta arborem ſitam imponunt. Deponit autem aliter. Spatio trium cubitorum ab arbore plantat, deinde vbi probè coalita hæſerit, vt iam ſufficiens ſit, quo arbori vniatur & maritetur, (quod ex craſſitudine indicatur) totam proſtratam, & de-

fossam arbori adiungit, pedis spatio ab arboris radice, reliquo palmite libero relicto, & quoscunque oculos relictos esse contingit, eos omnes vngue ademptos excæcat, quo vnum aut alterum germen in summa parte relictum vberius augescat, quod deinde vbi auctum fuerit, sensim arbori adiungere, vt in ea conquiescat, conuenit. Quandoquidẽ verò contingit vitem arboris trunco circulariter adhærentem, ac circumsitam hocq; modo in altum ascendentem, temporis progressu comprimi & quodãmodo suffocari propter vnitionem, quam ad ipsum truncum habet, plerìq; in Bithynia inter vitem, & arborem cuneum inserunt, atq; vbi hoc modo vitem ab arbore disparatunt, secessum & torulum ipsi viti subornant, in quo requiescat.

De arbustiua vitis putatione. CAP. VII.

IAM ad putationem deuentum est, difficillimam cultus vitis partem. Columella vtilissimè putat primo quoque tempore falcem vitibus admouere, nec superuacuis sarmentis pati syluescere, sed eam quoq; quæ primo submittitur, materiem ferro coercendam censet vsq; in alteram, vel tertiam gemmam, quo robustiores palmites agant, qui quum primum tabulatum apprehenderint, proxima putatione disponentur, omnibus annis alioquin in superius tabulatum excitabitur relicta semper vna materia, quæ applicata trunco cacumen arboris spectet. Iamque viti constitutæ certa lex ab agricolis imponitur: plerique ima tabulata materiis frequentant vberiorem fructum, & magis facilem cultum sequentes. At qui bonitati vini student, in summas arbores vitem promouent, vt quæq; materiæ se deuectæ in celsissimum quenque ramum extendunt, sic vt summa vitis summam arborem sequatur, id est, vt duo palmites extremi trunco arboris applicentur, qui cacumen eius spectent, & prout quisque ramus conualuit, vitem accipiat. Plenioribus ramis plures palmites alius ab alio separati imponantur, gracilioribus pauciores. Vitis nouella tribus toris ad arborem religetur, vno, qui est in crure arboris, à terra quatuor pedibus distans, altero, qui summa parte vitem capit, tertio, qui mediam vitem complectitur. Torum imum imponi tum oportet, quum vires viti adimit: interdum enim necessarius habetur, quum aut arbor sine ramis truncata est, aut vitis præualens in luxuriem euagatur. Cætera putationis ratio talis est, vt veteres palmites, quibus proximi anni fructus pependit, omnes recidantur, noui, circumcisis vndique capreolis, & nepotibus, qui ex his nati sunt, amputati committantur, & si læta vitis est, vltimi potius palmites per cacumina ramorum præcipitentur, si gracilis, trunco proximis, si mediocris, mediis, quoniam vltimus palmes plurimum fructum affert, proximus nimium, vitemque exhaurit, atque attenuat. Maximè prodest vitibus omnibus annis resolui: nam & commodius enodantur, & refrigerantur, quum alio loco alligatæ sunt, minusque læduntur, & melius conualescunt. Atque ipsos palmites ita tabulatis

super-

superponi conuenit, vbi à tertia gemma, vel quarta religati dependeant, eosque non constringi, ne sarmentum vimine præcidatur. Quod si ita longè tabulatum est, vti materia parum commodè in id perduci possit, palmitẽ ipsum viti alligatum supra tertiam gemmam religabimus. Hoc ideo fieri præcipit, quia quæ pars palmitis præcipitata est, fructu induitur: at quæ vinculo adnexa sursum tendit, ea materias sequente anno præbet. Sed ipsorum palmitum duo genera sunt, alterum quod ex duro prouenit, quod quia primo anno plerunque frondem sine fructu affert, pampinarium vocant, alterum, quod ex anniculo palmite procreatur, quod, quia protinus creat, fructuarium appellant, cuius vt semper habeamus copiam in vinea, palmitis partes ad tres gemmas religandæ sunt, vt quicquid intra vinculum est, materias exigat. Quum deinde annis, & robore vitis conualuit, traduces in proximam quamque arborem mittendæ, easque post biennium amputare, simulatque alias teneriores transmittere conuenit: nam vetustate vitem fatigant: nonnunquam enim quum arborem totam vitis comprehendere nequit, ex vsu fuit partem aliquam eius deflexã terræ immergere, & rursus ad eandem arborem duas, vel tres propagines excitare, quò pluribus viribus circumuenta celerius vestiatur. Viti nouellæ pampinarium dimitti non oportet, nisi necessario loco natus est, vt viduum ramum maritet: veteribus vitibus loco nati palmites pampinarii vtiles sunt, & plerique ad tertiam gemmam resecti optimè submittuntur: nam in sequenti anno materias fundunt. Quisquis autem pampinus loco natus in exputando, vel alligando fractus est, modo vt aliquam gemmam habuerit, extolli non oportet, quoniam proximo anno vel validiorem materiam ex vna creabit. Præcipites palmites dicuntur, qui de hornotinis virgis enati in duro alligantur, hi plurimum fructum afferunt, sed plurimum matri nocent. Itaque nisi extremis ramis, aut si vitis arboris cacumen superauerit, præcipitari palmitem non oportet. Quod si tamen id genus colis propter fructum summittere quis velit, palmitem intorqueat, deinde alliget, & præcipitet, nam & post eum locum, quem intorseris, lætam materiam citabit, & præcipitata minus virium in se trahet, quamuis fructu exuberet. Præcipitem verò plus anno pati non oportet. Alterum est genus palmitis, quod de nouello nascitur, & in tenero alligatum dependet (materiam vocant) ea & fructum, & noua flagella bene procreat, etiam si ex vno capite duæ virgæ summittantur, tamen vtraq; materia dicitur: nam pampinarius quam vim habeat, supra docuimus. Focaneus est, qui inter duo brachia, velut in furca de medio nascitur, eum colera deterrimum esse comperit, quòd neque fructum ferat, & vtraque brachia, inter quæ natus est, attenuet, itaq; tollendus est. Plerique vitem validam, & luxuriosam falsò crediderunt feraciorem fieri, si multis palmitibus submissis oneretur: nam ex pluribus virgis plures pampinos creat, & quum se multa fronde cooperit, peius defloret, nebulasq; & rores diutius continet,

omnemq; vuam perdit. Validam ergo vitem in ramos diducere censet, & traducibus dispergere, atq; diradiare, cæterosq; vinearios colles præcipitare, & si nimis luxuriabitur, solutas materies relinquere, ea ratione vitem feraciorem facere. Sed vt densum arbustum commendabile fructu, & decorum est, sic vbi vetustate rarescit, pariter inutile, & inuenustum est. Quod ne fiat diligentis patrisfamilias est primam quamq; arborem senio confectam tollere, vt in eius locum nouellam restituere vitem queat, nec tam viuiradice frequentare, quàm ex proximo propagare. Plinius ab eo, & ab vsu sui temporis de arbusti putatione hæc retulit: Vites spectare Aquilonem debent ipsæ: Palmites autem earum ad meridiem. Non est festinandum ad putationem nouellæ, sed primò in circulos materies colligenda, nec nisi validæ putatio admouenda. Seriora ferè anno ad fructum arbusta, quàm vitis iugata. Sunt qui omnino putari vetant, priusquam arborum longitudinem æquauerint. Prima falce sex pedes à terra recidatur flagello infra relicto, & nasci coacto in curuatione materiæ. Tres ei gemmæ non amplius deputato supersint. Ex his emissi palmites proximo anno imis inserantur scamnis, ac per singulos annos ad superiora scandant, relicto semper duramento in singulis tabulatis, & emissario vno, qui subeat vsq; quo placuerit. De cætero putatione omni flagella, quæ proximè tulerint, recidantur: noua, circumcisis vndiq; capreolis, spargantur in tabulatis. Est quorundam imperitia, sub ramo vinculo suspendendi, suffocantium iniuria, quando contineri debet vimine, non arctari. Quin immo etiam quibus salices supersint, molliore hoc vinculo facere malunt, iunco, cypero, vlua. Liberam quoque vinculo per aliquot dies vagari, & inconditam spargi atq; in terra, quam per totum annum spectauerit, recumbere. Namq; vt veterina à iugo, & canes à cursu volutatio iuuat, ita tum & vitium porrigi lumbos. Arbor quoq; ipsa gaudet assiduo leuata onere, similis respiranti. Nihil est in opere naturæ, quod non exemplo dierum & noctium aliquas vices feriatum velit. Ob id protinus à vindemia putari & lassas etiamnum fructu à dito improbatur, vt putatæ rursus alligentur alio loco: namq; orbita vinculi sentitur vexatione non dubia. Palladius nil, nisi quæ Columella.

De arbusto Gallico. CAP. VIII.

EST & alterum arbusti genus, authore Columella, quod rumpotinum vocatur. Id desiderat arborem humilem, nec frondosam, cui rei maximè videtur idonea opulus. Potest & vlmus sic disponi, vt adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem quindecim pedum excedat: nam ferè ita constitutum rumpotinetum animaduertit, vt ad octo pedes locis sicci, & cliuosis, ad duodecim locis planis, & vliginosis tabulata disponantur. Plerunq; autem ea arbor in tres ramos diuiditur, quibus singulis ab vtraq; parte complura brachia summittuntur, tum omnes penè virgæ, ne vmbrent eo tempore, quo vitis putatur, baraduntur. Arboribus rumpotinis, si frumentum non inseritur, in v-

tramq; partem viginti pedum spatia interueniunt, at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in altera viginti relinquuntur. Cætera simili ratione atq; arbusto Italico administrātur, vt vites longis scrobibus deponantur, vt eadem diligentia curentur, atque in ramis deducantur, vt noui traduces omnibus annis inter se ex arboribus proximis connectantur, & veteres decidantur. Si tradux traducem non contingat, media virga inter eas deligetur. Quum deinde fructus pondere vigebit, subiectis adminiculis sustineatur. Hoc genus arbusti, cæteraq; omnes arbores, quanto altius atantur, & circumfodiuntur, maiore fructu exuberant.

De vitium insitione. CAP. IX.

ETSI superiori nostro libro de insitione, satis superq; in vniuersum de ea loquuti fuerimus, lubet hoc loco & decet de vitium insitione singulariter loqui: & primo dicamus quo tempore inserenda sit vitis. Tempus idoneum, quod scribit Theophrastus, est vere, autumno & caniculæ exortu. Neq; omnibus locis, ac generibus idē. In sicco, macro loco, & argilloso, quòd minus habeat humoris, vernum tempus idoneum. In terra bona & pingui, autumno, quòd vere nimius humor: quam sationem quidam metiuntur ferè diebus triginta. Varro à Theophrasto desumit. Cato hæc habet: Vitem inseri oportet Luna silenti, post meridiem sine vento Austro. Vitis insitio vna per ver: altera est, quando vua floret, ea optima est. Plinius quæ Cato recitat. Florentinus insitionis tempus vere determinat, glacie iam cessante, quando dum inciditur vitis, humorem neque multum, neque aquosum, neque crassum, & glutinosum remittit. At Luna desinente sarmenta decidere oportet ad insitionem, ita enim robustiora sunt. Quidam non solum vere, sed & post vindemiam insitionem faciunt: tunc enim vitis densiorem impetum, ac concitatiorem habet. Tempus inserendi Iulius Atticus tradidit à Calen. Nouembribus in Calendas Iunias, quod posse custodiri surculum sine germine, affirmat. Eoque debemus intelligere nullam partem anni excipi, si sit sarmentis alendis facultas. Sed Columella in aliis stirpium generibus, quæ firmioris, & siccioris libri sunt, posse id fieri concedit, in vitibus verò nimis temere id permissum, non quod ignoret brumæ temporibus aliquando insitam vitem comprehendere, sed quòd quid certa ratione plerunq; proueniat præcipiendum sit. Idem per brumam negat rectè putari vitem: quod merito prohibetur, quòd frigoribus omnis surculus rigore torpet, nec propter gelicidia corticem mouet, vt cicatricem consanet. Verior itaque ratio est inserendi tepentibus iam diebus, post hyemem, quum & gemmas, & corticem naturaliter mouent, nec frigus ingruit, quod possit aut surculum insitum, aut fissuræ plagam inurere. Permiserit tamen festinātibus autumno vitem inserere, quia nō dissimilis est eius aëris qualitas vernæ. Sed quocunq; quis tempore destinauerit inserere, non aliam sciat esse curam surculis explorandis, quàm quæ

tradita est, quum de malleolis eligendis præcepit, quos vbi generosos, fœcundos, & quàm maturissimos viti detraxerit, diem quoq; tepidum, silentemq; à ventis eligat. Tum consideret surculum teretem, solidiq; corporis, nec fungosæ medullæ, crebris etiam gemmis, & breuibus internodiis, nam plurimum interest non esse longum sarmentũ, quod inseratur, & rursus plures oculos, quibus egerminet, inesse. Itaq; si sunt longa internodia, necesse est ad vnam, vel summum duas gemmas recidere surculum, ne proceriorem faciamus, quàm vt tempestates, & ventos, & imbres immobilis pati possit. Sed insitiones tradamus. Cato tres vitis insitiones tradit. Præcisam, per contactum, & terebrationem. Sed quæ per rescissionem, frequentior est, & omnibus agricolis cognita, de ea prius edisseremus. Ita igitur inquit. Vitem sic inserito: Præcidito quam inseres, eamque per mediam diffindito per medullam, eò surculos præacutos arcito, quos inseres, medullam cum medulla componito. Plinius iisdem verbis refert. Sed quod à Catone & Plinio edocetur falsum est, nam si medullam insiti cum medulla vitis coniunges, non comprehendet insitus surculus: nam vt diximus, medulla vitalis pars non est, sed cortex. Sed modus à Columella edocetur. Reciditur vitis plerunq; supra terram, nonnunquam tamen & infra, quo loco magis solida est, atq; enodis. Quum itaque iuxta terram insita est, surculus adobruitur cacumine tenus, at quum editior est à terra, fissura diligenter subacto luto linitur, atque superposito musco ligatur, quòd & calores, & pluuias arceat. Temperatur ita surculus, vt calamo non absimilis coagmentet fissuram, sub qua nodus in vite desideratur, qui quasi alliget eam fissuram, nec rimam patiatur vltra procedere. Is nodus etiam si quatuor digitis à resectione abfuerit, illigari tamen eum prius, quàm vitis findatur, conueniet, ne quum scalpro factum fuerit iter surculo, plus iusto plaga hiet. Calamus autem non amplius tribus digitis debet alleuari æqualiter ex ea parte, qua raditur, vt sit leuis, eaque rasura ita deducitur, vt medullam contingat vno latere, atque altero, paulò vltra corticem distringatur, figureturque in speciem cunei, sic vt ab ima parte acutus surculus, latere altero sit tenuior, atque altero plenior, perque tenuiorem partem insertus, eo latere arctetur, quo est plenior, & vtrinque fissuram contingat. nam nisi cortex cortici sic applicetur, vt nullo loco transluceat, nequit coalescere. Vinculi genus ad insitionem non vnum est. Alii viminibus adstringunt, nonnulli circundant libro fissuram, plurimi ligant iunco, quod est aptissimum: nam vimen, quum inaruit, penetrat & insecat corticem, propter quod molliora vincula magis probamus, quæ quum circumuenere truncum, adactis arundineis cuneolis arctantur. Sed antiquissimum est, & ante hæc ablaqueari vitem, radicesque summas, vel soboles amputari, & post hæc adobrui truncum, isque quum comprehendit aliam rursus exigit curam: nam sæpius pampinandus est, quum germinat, frequentiusque detrahendæ sunt

soboles

soboles, quæ à lateribus, radicibusque prorepunt, tum quod ex insito profundit, subligandum, ne vento surculus motus labefactetur, aut explantetur tener pampinus, qui quum excreuit, nepotibus orbandus est, nisi si propter penuriam, & caluitium loci sumitur in propagines. Autumno deinde falcem maturis palmitibus admouet, sed putationis insitis custoditur ea ratio, vt vbi nulla desideratur propago, vnus surculus euocetur in iugum, alter ita recidatur, vt adæquetur plaga trunco, sic tamen ne quid radatur ex duro. Pampinandum non aliter est, quàm in nouella viuiradice. Putandum verò sic, vt vsque ad quartum annum parcius imperetur, dum plaga trunci ducat cicatricem. Theophrastus hæc addit: In insitione humoris quoque modus obseruari oportet, qua de causa vitem aliquot antea diebus præsecant, vt lachrymaeffluat, neque putrescat, neque vermiculetur. A quo Varro: Vitem triduo antequam inserant, desecant, vt qui in ea nimius est humor, defluat ante, quàm inseratur, at in qua inserunt, in ea paulò infra, quàm insitum est, incidunt, vnde humor aduenticius effluere possit. Referemus quæ Florentinus habet, nam aliquid noui dicit. Qui vitem inserere velit, crassum truncum deligat, qui vnum atque alterum sarmentum suscipere queat. Quidam igitur in terra inserunt, ad semipedis altitudinem descendentes, & ferè in vitis fundo insitionem faciunt. Quidam verò in planitie inserunt, id quod optimum existit, quod verò in alto inseritur, difficulter coalescit à ventis agitatum. Si autem necessitas cogat in alto insitionem facere propter leuitatem existentem in profundo, præparatum palum habeto, quo ad ipsum deliges, quod in alto insitum est, propter ventos. Quidam etiam in humeros trunci insitionem faciunt. Sarmenta ad insitionem accipienda sunt rotunda, solida, densis oculis, maximè ex brachiis. Sufficiunt autem sarmento oculi duo, aut tres. Si verò terra obruatur, tres, aut quatuor. Cæterum ab vno sarmento plures, quàm duos surculos secare ad insitionem non conuenit. Quod enim post primos septem oculos superest, sterile & inutile existit. At verò firmius coalescent noua sarmenta, perylini sarmenti partem habentia. Neque verò statim vt ablata sunt à vite, sarmenta inseremus, sed post sectionem obtecta plaga in dolio deponemus, vt ne transpirent, prius tamen quàm germen fundere incipiant, & dum adhuc clausa sint, inseremus. Quæ igitur ad terram ad ipsum vitis fundum inserimus, firmius vtique inserentur, eleuata simul terra ad ipsorum enutritionem, verùm fructum tardiorem reddent, velut alia in terra plantata sarmenta: quæ verò in altiore parte insita sunt, difficulter coalescent, à ventis quassata, citius tamen fructum producent, oportet autem ea, quæ in alto inseruntur, esse leuia & plana, crassitudine pollicari. Asperitudinem autem à terra acuta falce læuigare expedit. Porrò sarmentum quod inserendum est, ad duorum & dimidii digiti longitudinem ex vna parte deradere oportet,

quemadmodum formatos videmus calamos scriptorios, ita vt ex vna parte medulla illæsa appareat, ex altera verò ipse cortex. Deponendum est autem sarmentum totum, quatenus derasum est, vt ne quod inter truncum & sarmentum medium est, hiet, explendumq; argilla: prohibebitur ita humor, & is, qui in ipso est, humor custodietur. Cæterum pars trunci post plagam liganda est vinculo simplici, sed infracto, deinde luto glutinoso illinenda. Quidam etiam bubulum stercus ad lutum ammiscent. Quæ igitur hoc modo insita sunt, eorum vinculum aqua per spongiam irrigamus sub crepusculum vespertinum in æstatis maximè vigore. Vbi autem iam germinans quatuor digitorum fuerit, ridicam iuxta defigere oportet, & alligare, vt à ventis sit securitas. Quum germen auctum fuerit, vinculum falce dissecare conuenit, vt à coarctatione liberetur, & humor ex trunco in sarmentum distribuatur. Plinius Catonis verba recitat, id ex suo adiicit: Vt gemmascere incipiet, legatur calamus, nec plus quàm binis ab initio emineat oculis, vlmeo vimine alligatus, binaque circumcidatur acie à duabus partibus, vt inde potius distillet humor, qui maximè vites infestat. Deinde quum eualuerint flagella pedes binos, vinculum insiti incidatur, vbertati crassitudine permissa. Satiuæ plantæ si syluestrium radicibus inseruntur, degenerant in feritatem. Reliqua cœlo constant. Aptissima insitis siccitas: huius enim remedium, appositis fictilibus vasis, modicus humor per cinerem distillat.

De altera vitis insitione. CAP. X.

ALTERA insitionis species à Catone apponitur. Si vitis vitem contingat, vitis vtriusque latus alterum præradito obliquè, & inter se medullā cum medulla libro colligato. Plinius eisdem verbis recitat. Si inter se vites contingant, vtriusque in obliquum latere contrario adraso, iunctis medullis colligari. Sed quid vterq; dicat, ignoro: nisi id docere voluerint, quod Varro docet, non in vite solùm, sed aliis arboribus. Ex arbore, à qua quis vult habere surculum, in eam, quam inserere vult, ramulum traducit, & in eius ramo præciso, ac diffisso implicat: tum ramuli locus, qui contigit ex vtraq; parte, qua fissuram intrat, falce extenuatur, ita vt ex vna parte, quod cœlum visurum est, corticem cum cortice exæquatum habeat. Eius autem ramuli, quem inseret, cacumen vt directum sit ad cœlum, curat: postero anno quum comprehendit, vnde propagatum est, ab altera arbore præcidit. Sed hunc insitionis modum replicat Columella libro de arboribus, & nos exactissimè docuimus libro de insitione.

De insitione per terebrationem. CAP. XI.

TERTIA Catonis insitio est: Terebra vitem, quam inseres pertūdito, eò duos surculos vitigineos, quod genus esse voles, insertos obliquos arcito

ad

ad medullam, facitoque, vt medullæ medullam coniungas, arcitoque ea, qua terebraueris, alterum ex altera parte. Eos surculos facito sint longi pedes binos, eos in terram demittito, replicatoque ad vitis caput, vitique vinclis alligato, medios in terram defigito, terraque operito. Hæc omnia luto oblinito, alligatoque, integitoque ad eundem modum, tanquam oleas. Id exactius docet Columella. Primo ex vicino fructuosissimam oportet considerare vitem, ex qua (velut traducem inhærentem matri) palmitem attrahas, & per foramen transmittas. Hæc enim tutior, & certior est insitio: quoniam & si proximo vere non comprehendit, sequente certè, quum increuit, cõiungi cogitur, & mox à matre reciditur, atque ita superficies insitæ vitis vsq; ad receptum surculum obtruncatur. Huius traducis si non est facultas, tum detractum viti quàm recentissimum eligitur sarmentum, & leuiter circumrasum, vt cortex tantũ detrahatur, aptatur foramini, atque ita luto circumlinitur resecta vitis, vt totus truncus alieni generis viti seruiat, quod quidem non fit in traduce, qui à materno sustinetur vbere dum inolescat. Sed aliud est ferramentum, quo priores vitem perforabant, aliud, quod ipse vsu nunc magis aptum comperit: nam antiqua terebra, quam solam veteres agricolę nouerant, scobem faciebat, perurebatq; eam partem, quam perforauerat, deusta porrò rarò reuirescebat, vel cum priore coalescebat, in eaque nec insitus surculus comprehendebat, tum etiam scobis nunquam sic eximebatur, vt nõ inhæreret foramini: ea porrò interuentu suo probibebat corpus surculi corpori vitis applicari. Ipse terebram, quam Gallicam dicit, ad hanc insitionem commentus, longè habiliorẽ, vtilioremque comperit; nam sic excauat truncum, ne foramen inurat, quippè non scobem, sed ramenta facit, quibus exemptis, plaga leuis relinquitur, quæ facilius omni parte sedentem surculum contingat, nulla interueniente lanugine, quam excitabat antiqua terebra. Igitur secundum vernum æquinoctium perfectam vitium insitionem habeto, locisque aridis, & siccis nigram vitem inserito, humidis albam. Plinius ab vtroque: Tertium genus est terebrare vitem in obliquum ad medullam, calamosque addere longos pedes binos, atque ita ligatum insitum, intritaque illitum operire terra, calamis subrectis. Nostra ætas correxit, vt Gallica vteretur terebra, quæ excauat, nec vrit, quoniam adustio omnis hebetat. Didymus: Optima mihi videtur insitio per terebrationẽ, neque enim vitis in qua insitio fit, interim ociosa manet, sed similiter fert fructum, & sarmentum coaltum simul augescit, vite nihil offensa ex terebratione, neque compressa ex coarctatione. Fit insitio per terebrationem hoc modo: Truncum vitis terebra Gallica appellata perforato, & præstantioris in proximo sitæ vitis ramum attractum in foramen immittito, non ab antiqua matre decisum: sic enim sarmentum viuet, tum à veteri parente nutritum, tum viti, quæ ipsum suscepit, coaltum & concretum. Intra duorum verò annorum spatium sarmẽtum impositum vnietur, tunc ipsum post cicatricem inductam sarmentum decidere oportet, quod adhuc ex veteri matre detinetur, & trun-

cum vitis, in quam insitio facta est quantum supra terebrationem extat, serrā desecare, vt de cætero sarmentum insitum principalis vitis pars existat.

De vitis insitione per infoliationem. CAP. XII.

MODVS, quem retulimus, ab antiquis magnopere celebratus, inanis & puerilis est nostris tēporibus, quum nemo tam sit agricolationis ignarus, qui eo vti velit, quum alii & præstantiores habeantur. Quod ad vitis medullam peruenturus sit surculus inserendus, vana est animaduersio: nam sufficit corticem cum cortice exæquatum habeat, & si hoc modo vites comprehendant, non satis proficiunt. Sed qui nouellos palmites inserunt, scilicet precisis, & discissis per medullam, surculum eiusdem magnitudinis adigentes, vt vndique surculi cortex matris cortici insideat, & circumligantes, frustra laborant: nam imbecillæ viti coalitus surculus nunquam proficiet. Sed nos a statis tempore inoculationem in vitibus satis feliciter vsurpauimus. Insitionis per inoculationem maiores non meminere. Nouellis igitur vitibus, vel nouellis vetularum palmitibus, scilicet biennalibus, nitidissima in parte, in qua præcipua cernatur hilaritas, cultro linea per transuersum secetur, à cuius medio per internodii longitudinem descendat altera linea, ita vt ferè vltra corticem non descendat plaga, inde summa cultri acie cortex à ligno delibretur, inde ex nouello palmite circumrasa scutula eximatur diligenti manus libramēto, cum sua gemma: & in hiulcam incisæ vitis partem intrudatur, digitorum compressu densata compage, vt vndique nouus cortex ligno adhæreat, inde fasciis vlmeis restringes, vt vnitio fiat, ne humore, aut aere intrusis pereat. Sic felix cōprehendet, & germinabit.

Vt vua complura acinorum genera habeat. CAP. XIII.

THEOPHRASTVS libro de plantarum causis declarat exemplum de vuarum diuersis in eadem vite coloribus. Inquit enim. Vt eadē vitis candidas ferat, & nigras vuas, & in eademq; vua acina alia nigra, alia candida cohæreant, Duo sarmenta diuersi coloris vuas ferentia superiori parte contundunt ab latere, deinde coniūgunt qua parte hiant, quaq; communicari succus potest, & sic alligata defigunt, sic ex vtroq; compages vna coagmentatur. Ratio est, quòd omne viuum cum viuo sociabile sit, & maximè quæ societatem generis habent, cùm colluxata in naturam conflantur vnicam, sed vtrumque per se alimentum sine confusione transmittit, itaque fit, vt fructus reddatur varius, prout vtrique conueniat. Quod etiam fluuii faciunt inuicem concurrentes Cephisus, & Melas in Bœotia: seruat enim vterque suum meatum, in his tamen nec inuicem alimenta iunguntur, sed æquè distantia deriuantur, & perfluūt. Columella verò hoc tali ratione efficit, quòd vuas tales creat, in quibus varii generis, colorisq; reperiūtur acini. Quatuor, vel quinque, siue etiam plures voles, virgas diuersi generis sumito, easque diligenter & equaliter compositas

positas colligato, deinde in fictilem tubulum vel cornu arctè inserito, ita vt aliquantum extent ab vtraque parte, easque partes, quæ extabunt resoluito, in scrobē deinde imponito & terra stercorata obruito, & rigato donec gemmas agant. Quum inter se virgæ cohæserint, post biennium aut triennium, facta iam vnitate dissolues tubulum, & circa medium ferè crus, vbi maximè videbuntur coisse, vitem serra præcidito, & plagam leuato, terramq; minutam aggerato, ita vt tribus digitis altè plagam operiat. Ex eo codice, quū egerit coles duos optimos submittito, reliquos deiicito, sic vuæ nascentur, quales proposuimus. Ab his Plinius: Est & luxuriosa ratio vites inserēdi, vt quatuor malleoli vehementi vinculo colligentur in parte luxuriosa, atque ita vel per ossa bubuli cruris, vel per colla fictilia traiecti obruantur binis eminentibus gemmis: humescunt hoc modo, recisique palmitem emittunt. Postea fistula fracta, radix liberè capit vires, vuamque fert, & omnium corporum suorum acinos. Sed hucusque vana, & impossibilia dicta sunt, quæ Palladius affert veriora sunt. Vt vitis botryones & albos afferre possit, & nigros: Græci hoc fieri debere iusserunt. Si vicinæ sunt vites, nigra & alba, quum putantur, sarmenta vtriusque inter se diuisa sic iunges, vt medios vtriusque generis oculos ęquando reddere possis vnitati. Tunc papyro ligabis stricto, & molli atque humida terra curabis adlinire, & interiectis ternis diebus adaquare, donec germen nouæ frondis erumpat. Hinc exempto tempore si libuerit, genus efficies per plura sarmenta. Hic modus est verus, & à me expertus. Didymus cum superioribus errat. Accipienda sunt duo sarmenta diuersi generis differentia, eaque findenda per medium, cum animaduersione ne in oculos fissura perueniat, neque quicquam de medulla excidat, atque ita alteri alterum adiungere oportet, & adglutinare, vt oculi coincidant, & quantum possibile est se mutuò contingant, vt duo oculi quasi vnus fiat. Inde verò validè constringere sarmenta cum papyro oportet, & scylla integere, aut glutinosissima terra, atq; ita plantare, & interiectis tribus diebus, aut quinque irrigare, vsquequo germen producant. Quæ Theophrastus affert valdè ridicula sunt, virgæ enim noxam ex contusione recipiunt, vt interire potius, quàm viuere condiscant: atque longo temporis interuallo opus est, vt concipiant, vniantur, secentur, & colē ex omnibus emittant. Columellæ & Didymi ratio eodē morbo laborat. Nos vicinarum vitiū duo sarmēta eligimus, albæ nigręve vuæ, & vbi cohæsurę sunt gemmæ diuidimus, vt tertia ferè oculi pars remaneat, sic æqua labra labris coniungimus rectè abraso, ac lauato vulnere, vinculo arctè constricto, ne libertatem dehiscendi habeant, & obseruato vt ex duabus gemmis vnus colis nascatur: & eodem anno vuas eiusmodi proferet: hoc sarmētum alteri eodem modo addimus varij generis, sic vuæ botryonem efficiemus, vt non solùm rotundos, sed corniculatos acinos, eosdem alios albos, alios nigros, alios multifidos habeat.

De elæostaphylo, & vua myrtea. Cap. XIIII.

NON est silentio prætereundum, quod de vitis & oleæ naturali cõcordia Africanus Florentini testimonio fretus posteritatis memoriæ mãdauit, scribens oleam, si viti inseratur, non vuas modò sed & oliuas quoque parere. Addit se vidisse hanc arborem apud Marium Maximum, qui quum fructum eius degustasset negauit vnquam se quippiam comesse, quod magis oleam, vuamq́ue resiperet, tam exactè simul vtriusq; sapor linguæ repræsentabatur. Nasci huiusmodi arbores in Libya, gentiliq́ue voce vbolima nominari. Perticæ subiiciendæ sunt, quæ possint brachiorum onus fulcire. Si verò alio modo quouis inserantur, longuriis non erit opus. Ergo propter terram vitem terebramus, & oleæ ramulum imponimus, simul vt à vite dulcedinem, simul vt ab humo vernaculum alliciat nutrimentum, vt tandem eius iucundiore cibo fruamur. Postremo si non dum ferentis viticulæ sarmenta fructuaria transferantur, misturam progenitorum seruabunt. Porrò fructus à promiscua parentum conditione insitoris vtriusque nomen adoptauit, elæostaphylos Græcis, quasi dicatur vuolea nominatus. Docet & Tarentinus monstrosam vitis insitionem, promittens vuam fieri posse, quæ in imo suo fundo myrti baccas habeat. Id autem fieri, si in myrtum arborem ipsa vitis sarmenta inseras, sic fiet vua myrto mista.

Quomodo vitem præcocem, & serotinam efficiamus. CAP. XV.

FIT etiam insitione, vt præcox vua nascatur. Præcocem vuam nigra vitis, vt Tarentinus monet, creabit in vere, si ceraso inseratur, si quidem eodẽ tempore feret vuam, quo cerasus arbor sua mala gerit. Eadem Florẽtinus, & Pamphilus tradidere. Fit & aliis artibus. Celerrimè idem vitem germinare promittit, si trito nitro & aqua, vt mellis crassitudo contrahatur, permistis post putationem protinus gemmantes oculi largè linantur, germina intra septem dies citabit. Pręcocem itidem fieri tradidit, si dulces vinacei, hoc est nõ calcati, cum plantulis abundè coniiciantur; aut quum panguntur, scrobiculis accumulentur. Serotina efficitur vitis, eodem authore, si racemos, qui primum nati fuerint, auferes, rursus enim alii pro ipsis nascentur. Insuper & plantæ multam curam habeto: iterum enim racemos producet, qui maturi facti, serotini erũt.

Quomodo vua vinaceis vacua fiat. CAP. XVI.

QVAMQVE semen naturæ opus proximius sit, nos fructus, inquit Theophrastus, qui nucleo vacant, præcipuè quærimus quoad possumus, & tales vt fiant operam damus, vt quum vuas sine vinaceis nasci molimur, quod euenit detracta medulla palmitis, qua vinaceum gignitur. Columella, vt vuę sine vinaceis nascantur, ita docet. Malleolum scindito ita ne gemmæ lædantur, medullamq́ue omnem eradito, tum demum in se compositum colligato, sic ne gẽmas allidas, atq; ita stercorata terra deponito & rigato, quum coles agere cœperit, sæpe & altè refodito. Adulta vitis tales vuas sine vinaceis creabit. Ab eis Plinius: In alio genere inuentu nouitio finditur malleolus, medullaq; erasa

in

in se colligantur ipsi caules, ita vt gemmis parcatur omnimodo. Tum malleolus in terra fimo mista seritur, & quum spargere cœperit caules, deciditur, foditurque sæpius. Talis vuæ acinos nihil intus ligni habituros Columella promittit, quum viuere semina ipsa perquàm mirum sit, & medulla adempta nasci. Sine granis interioribus vuas arte nasci posse Democritus Grȩcus docuit hac ratione. Sarmentum quod est obruendum, quantum latebit in terra, tantum findi debet omni sublata medulla, ac diligenter exculpta membra diuisæ partis iterum cogi, & vinculo constricta deponi. Vinculum papyro iubent faciendum, humidoque solo figendum. Aliqui reuinctum sarmentum quantum fuerit excisum intra scillȩ bulbum demergunt, cuius beneficio sata omnia faciliùs comprehẽdere confirmant. Alii iam putatȩ vitis fructiferum sarmentum in ipsa parente non diuisum, sublata medulla quàm altè possunt excauãt, & adfixo adligant calamo, ne possit inuerti: tum in foramen Cyrenaicum lac, vel succum suffundunt ex aqua ad sapæ spissitudinem resolutum. Hoc idem transactis diebus octonis renouant, & tantisper dum vitis nouella pariat germina. A quo Palladius: Est pulchra species vuæ, quæ granis interioribus caret. Hinc efficitur, vt summa iucunditate sine impedimento sorberi possit, velut vnum omnium corpus vuarum. Fit autem Græcis authoribus hac ratione per artem succedente natura. Sarmentum quod obruendum est, quantum latebit in terra, tantum findere debebimus, & medulla omni sublata, ac diligenter excalpta, membra iterum diuisæ partis adunare, & vinculo constricta deponere. Vinculum tamen papyro asserunt esse faciendum, & sic in humida terra esse ponendum. Diligentiùs quidam sarmentum reuinctum, quantum excisum est, intra scillæ bulbum demergunt, cuius beneficio asserunt sata omnia comprehendere posse facilius. Alii tempore quo vites putant, sarmentum fructiferum putatæ vitis in ipsa vite, quàm possunt de alto sublata medulla excauant non diuisum, & calamo affixo alligant, ne possit inuerti. Tunc ὀπὸν κυρηναϊκὸν, quod Græci sic appellant, in excauata parte suffundũt, ex aqua prius ad sapæ pinguedinem resolutum, & hoc transactis octonis diebus semper renouant, donec vitis germina nouella procedant. Sed lignum in fructibus non puto nisi ex siccitate gigni, argumento quòd siccis temporibus gigartorum maior copia, & magnitudo. Crassior enim succus ab anni squallore minus ad pulpam aptus est, accessio verò ad pulpam fit ex fusiori liquidiorique materia, ex humidiori aëris constitutione proueniente. Ob id ex fossione, irrigatione, stercoratione, calidæ aquæ affusione, vt diximus alibi, testæ, & gigarta fructuum fiunt minora. Sed ex abstractione medullæ quod fiat vua sine interiori acino, omnino falsum: nam omnifariam periclitantibus falsum occurrit. Sunt tamen apud nos vuæ, quas Corinthiacas dicimus, hæ pusillos continent acinos. Et apud Orientales legimus vuas grandissimos acinos habentes internis lignis carere. Sed medullæ abstractione factas esse non credimus.

De vite medicata. Cap. XVII.

DICEMVS de vite medicata, scilicet theriaca, purgatoria, & vnguentaria, alteriusq; efficaciæ, vt lubitum fuerit. Plinius, Mira est vitiũ natura saporem alienum in se trahendi: qualẽ & salicum redolent Patauinorũ in palustribus vindemiæ. Sic & helleborum seritur in Thaso, aut cucumis syluester, aut scammonea, quod vinum phthorium vocant, quoniam abortus facit. Scribit Florentinus animalia venenum eiaculantia frequenter agricolas infestare, vt viperæ, phalangia, serpentes, mures aranei venenũ iaculantes, & scorpii etiamsi domestici fuerint, & persuasos esse agricolas oportere vitem theriacam ad omnes horum animalium morsus sufficientem curationem præstare. Non solùm enim vinum vitis theriacæ commorsi dolorẽ sedat, sed ex eadem acetum, & vua ipsa, atque vua passa: foliorum etiam & sarmentorũ vstorum cinis morsui impositus, dolorem sedat, & hominẽ seruat. Vitem theriacam ita fieri docet. Sarmentum, quod pangendum est, trium digitorum spatio in ima parte findatur, & sublata medulla theriacę medicamẽ addatur, tunc terræ mandetur vinculo papyri diligenter adstrictum. Aliqui eadem sarmenta iam antidoto satiata intra scyllæ bulbum recondunt, & terris supradicta ratione committunt. Aliqui medicamentum, vt combibant radices vitis, infundunt. Sanè sarmentum si de hac vite sumatur ad transferendum, aut inserendum, potentiam materni medicaminis non tenebit, processuque temporis adsciticiam vim expirabit. Ex his Palladius: Thyriacam vitem sic facies, cuius iste profectus est, vt vinum eius, vel acetum, vel vua, vel sarmentorum cinis proficiat cõtra morsus omnium bestiarum. Fit autem sic. Sarmẽtum quod pangendum est, trium digitorum spatio in ima parte findatur, & sublata medulla, ad eius vitem thyriacæ medicamen addatur. Tunc terræ mandetur vinculo diligẽter astrictum. Aliqui eadem sarmenta iam medicamine satiata, intra squillæ bulbum recondunt, terrisque prædicta ratione committunt. Aliqui antidoti eius affusione radices vitis infundunt. Sanè sarmentum, si de hac vite sumatur ad transferendum, potentiam materni medicaminis non tenebit. Oportebit autem thyriacæ affusione assidua vim succi senescentis iterare. Possumus & vitem purgatoriam facere sic ex Catonis doctrina. Vinum si voles concinnare, vt aluum bonam faciat, secundum vindemiam, vbi vites ablaqueantur, quantum putabis ei rei satis esse vini, tot vites ablaqueato & signato, earum radices circumsarrito, & purgato. Veratri radices in pila contundito, eas radices ponito circum vitem, & his stercus vetus & veterem cinerem & duas partes terræ circumaddito. Radicibus vitis terram insuper iniicito. Hoc vinum seorsum legito. Si voles seruare in vetustatem, ad aluum mouendam seruato, nec commisceas cum cætero vino. De eo vino cyathum sumito, & demisceto aqua, & bibito ante cœnam. Sine periculo aluum mouebit. Et alibi. Vites quum ablaqueabuntur, signato rubrica, ne admisceas cum cætero vino. Tres fasciculos veratri circumponito circum radices, & terram insuper iniicito. Per

vinde-

vindemiam de his vitibus quod delegeris, seorsum seruato, cyathum in cæteram potionem indito, aluum mouebit, & postridie perpurgabit sine periculo. Ab eo Plinius, Fieri elleboriten ex veratro nigro circa radices vitium sato, Cato docet. Sic fit & scammonites. Florentinus purgatoriam vitem facit eo modo, quo & theriacen fecerat, scilicet veratrum in fissum sarmentum subdens. Sed vnguentariam vitem facere docet Paxamus, si odoratam fieri vuam velis, quæ suauitate locum impleat: in fissa sarmenta, modo quo supra dictum, odoriferum omne quod velis vuam olere, coniici poterit. Melius fieri putat idem si odore prius imbuta sarmenta macerentur, quàm pangantur, vel inserantur.

De vitium morbis, & medelis. CAP. XVIII.

NVNC de vitium morbis, & medelis dicemus: Theophrastum sequemur, qui omnium primus, & morbos, & medelas descripsit. Et primò de articulatione. Articulatio accidit vitibus ex nimietate, & quæcunque fructificare nequeant, propter luxuriam germinis, eodem proculdubio pertinent. Nec enim ista pabulum excoquere possunt, sed ad germinandum vis tota conuertitur, quasi detracta fluxu rapido nimii alimenti. Remediũ esse potest, vel quum nimia nutrimenti vbertas detrahitur, vel quum arbor firmior, atq; robustior redditur. Depampinatio quoque vitium & prægrandium foliorum contortio per totam æstatem identidem facit. Item resectio summarum radicum & sarmenta superiniecta, & demissæ propagines eodem proculdubio pertinent. Adde suffossiones, & ablaqueationes, quibus radices deteguntur, vt flatibus, atque frigoribus assuescant, cauendo ne quid paxillus officiat, hæc omnia alimentum diminuunt, viresq; augent. Aliam quoq; addit morbi rationem. Vitis articulatio venit, aut flatu ablatis germinibus, aut imperitia culturæ concisis, aut tertio in supinum excisis. Sic enim humor largus collectus, vehementer ad germinandum excurrit, ita vt nil queat fructificare. Plinius ab eo: Vitibus morbus peculiaris articulatio tribus de causis. Vna vi tempestatum germinibus ablatis, altera, vt notauit Theophrastus, in supinum excisis, tertia, culturæ imperitia læsis: omnes enim earum iniuriæ in articulis sentiuntur. Ad hæc Palladius: Locis calidis, & apricis, vites, quæ fructu carent, fronde luxuriant, & pauperiem fœtuum compensant vbertate foliorum. Nouembri putare pressius conuenit, frigidis verò mense Februario. Si permanebit hoc vitiũ, circum fossas arena fluuiali, vel cinere debebimus aggerare. Quidam lapides inserunt inter flexuosa radicum. Sotion Græcus: Effundentes se in multam materiem vites, breuius præsecare oportet, sarmentis enim priuatæ quiescunt. Si verò adhuc non cessent, facta pastinatione, harenam fluuialem aggeremus, & modicum cinerem. Alii circum radices lapides ponunt, quo vitem perfrigerent. Accidit & roratio, cuius gemina causa est, aut enim quod rores statim post florem inciderint, aut quod exuperantia fuerit. Quod si ita

fit, aerem dixerim in profluuio floris humidiorem, velut eruginem procreare: exuperantia verò quasi auocare dimouereque alimentum videtur. Itaque vtraque de causa defluere acina, quæq; permanere potuerint esse exigua, ratio est. Hæc Theophrastus. Plinius ab eo: Siderationis genus est vitibus deflorescentibus roratio. Aut cùm acini priusquã crescant, decoquuntur in callum. Sotion hoc affert remedium. Vites rhyadas Græcis appellatas, Latinis defluæ, siue fluxæ vocari possunt, à defluxu, quasi fructum non continentes, ex foliis cognosces subalbidis, & subarefactis, sarmentis latis, mollibus & in lori modum tractabilibus. Medeberis igitur cinere, aceto acerrimo subacto illinens stirpes, & irrorans, quæ in ambitu sunt trunci. Ipsæ enim vites cinere liquido facto respergendæ sunt. Quidam verò marinam aquam radicibus affundunt, alii racemorum summas partes auferunt. Est quoq; vuarum morbus crambus vocitatus à Theophrasto. Hoc animal est erugini simile, nascitur quum tempore humido, residente humore, Sol acrior consequutus inusserit, quod etiam pampinis accidere constat. Plinius: Sunt & eadẽ causa nascentes & erucæ, dirum animal, eroduntq; frondem, aliæ florem, ac depastam arborem turpi facie relinquunt. Nascitur hoc animal tempore humido, & lento. Fit aliud ex eodem, si sol acrior insecutus inussit ipsum vitium, ideoq; mutauit. Africanus ad erucas, pediculos, & ad glaciem hoc affert remediũ. Vrsino adipe corticem illinito, & vitis pedunculos non producet, aut adipe vrsino falces vngito nemine sciente, quibus vites puraturus es, sic neque pedunculi, neq; glacies vitem iniuria afficient. Aut falces oleo, in quo allium contritum sit, illinito. Si verò erucas, quæ in rosis reperiũtur, in oleo coxeris & inde falces illeueris, neque ab alio animalculo, neque à pruina vitis iniuriam perpetietur. Aut adipe hircino, aut sanguine ranarũm falces inungito. Aut coticula cinerum cũ oleo perlita falces acuito, vitis sarmenta vsta, & vitis lachryma permista cũ vino in mediam vineam deponito, & vermes non enascentur. Pessimum est vitibus, si dum florent, impluerit. Defluunt enim flores & fructus, causa imbecillitatis. Plinius à Theophrasto: Pessimum est inter omnia quum deflorescentem vitem percussit imber, quoniam simul defluit fructus. Theophrastus, Caudicis fissionem citra iacturam substinet, & corticis quoque detractionem citra noxam patitur, quod arborum plerisq; exitiale est: sed non principis illius, atq; vitalis, verum externi, & qui plerunque subnascente nouo decidit. Ratio est quod partes disiectas celerrimè comprimit, & coagmẽtat, atque tenaci compage constat. Sed dimutilatione nouella vitis maxime interit, et si quid tenellum, imbecillum, atq; rectifluum sit. Hæc enim istis moriendi causam donant. Exesis primis germinibus nihil amplius germinatur, sed protinus ipse germinandi effluxus cessat, extinguiturq; quasi vitis excæcata & manca quodammodo fuerit. Principiũ enim & validissimũ & infirmissimum est, non tamen modo eodem: nam vitem fertilem admodum germinibus esse, germinationes sequentis temporis latissimè indicant. Plinius ab eo: Intereunt pleraque fissa

stirpe, excepta vite. Idem si vites sint lachrymosæ, earum radicibus aquam salsam iubet affundi. Sotion Græcus: Vites lachrymam emittentes, quantum vix credi par est, & in totum corpus vitis non distributam abiiciunt. Falce igitur truncum incidemus, & exulcerabimus, sinu in ipso facto, si nil profuerit, radicum crassitudinem exculpemus, aut aliquo modo vlcerabimus: & amurca ad medietatem cocta, ac perfrigerata, plagas illinemus. Subrectum verò cęsuræ oculum foris inungemus: quod multo melius esse experimento constat. Palladius: Vites, quæ lachrymarum nimietate tabescunt, & deplorando vim roboris sui auertunt à fructu, trunco earum lacerato, Gręci sinum fieri iubent. Si hoc minus proderit, radicum robur pingue rescindi, vt afferat medicinam, vulnus impressum, tunc insulsa amurca ad medietatem decocta, & refrigerata plagæ excisio perlinetur, & sub hac acetum acre fundatur. At si quæ fructum ostendunt vites ad maturitatem non perducunt, sed prius quàm mitescant vuæ, inarescunt, hoc modo emendabuntur. Quum scipiones amplitudinem acini habuerint, radice tenus vitem præcidito, plagam acri aceto pariter, ac lotio veteri permista terra linito, eodemq; radices rigato, sæpe fodito. Hæc materias citant, vuæq; succum perferunt. Ab eo Palladius: Ægras vites, vel quibus fructus arescit, circumfodies, & vrinam veterem suffundes. Item cinerem sarmenti, vel quercus aceto mistum subiice, aut incisas circa terram lætamine refoueto, & quæ germinant fortiora dimitte. Vindanionius Græcus: Quum acinus racemi erui magnitudinem inde prius siccari incipit, tunc omnem arescentem racemi partem deradito, & à sana, siue potius à saniore vicina arescenti adimito: indeq; cæsuram cin ere acerrimo aceto misto linito. Præstantior autem cinis est sarmentitius. Sic enim quæ ægrotatura erant in racemo illita, cladem ampliorem euitabunt. Truncus autem vitis similiter oblinatur. Quidam & infernas stirpis partes circa radices vrina veteri, & acerrima conspergunt. Ex hac enim medela non solum fructus seruabitur, sed & ipsa vitis diuturnitatem recipiet. Ab his Plinius: Quod si fructum non maturent, prius inarescentem præcisarum ad radices plagam, fibrasq;, aceto acri, & vrina vetusta madefacere iubent, atq; eo luto obruere, sæpè fodere. Infructuosas vites Columella ita fœcundas facit. Vites quum exiguum dant fructum, aceto acri cum cinere rigato, ipsumq; codicem eodem cinere linito. Ab eo Plinius: Si verò fertiles non sunt, aceto acri subacto cinere rigari, atq; oblini. Damageron, Ægrotantē vitem cinere sarmenticio, aut quercinō cū aceto misto ad truncum consperso curabis. Valdè prodest & vrina hominis radicibus affusa. Quidam ægrotas vites excidunt iuxta terram, deinde leniter obruunt terra adiacente, modico stercore ipsi ammisto: & quum turiones egerminauerint, debiles quidam extirpant, generosos sinunt, & sequenti anno, commodiorem ex relictis eligentes, reliquos tollunt. Sterilibus vitibus Democritus hoc affert remedium: Truncum scalpro, aut serra, vel quercino cuneo findito, lapidem in fissuram indito, vt partes trunci inuicem disparentur,

& in ipſum vrinam humanam veterem infundito ad menſuram heminarum quatuor, ita vt eam ſenſim omni trunco circumfundas, vt etiam radices inde perfuſæ in integrum reſtituantur. Deinde iniice ſtercus terra miſtum: oportet tamen eos, qui lapidem in truncum imponunt defodere, & vertere ea, quæ ſunt circa radicem. Id in autumno facito. Sunt etiam quædam vites quæ fructum recens productum putrefaciunt, priuſquam racemi connutriantur, & matureſcant. Talibus igitur medeberis portulacæ folio. Alii autem polentam portulacæ ammiſtam trunco circumlinunt. Alii portulaca dimidiam racemi partem illinunt. Quidam cineris veteris heminas quatuor radicibus iniiciunt, aut etiam arenam. Palladius ad id: Vitis cuius fructus humore putreſcit, per latera pampinanda eſt ante vigeſimum vindemiæ diem, & ſola frons illa ſeruanda eſt, quæ in ſummitate poſita ſolem nimium defendit à vertice. Vites quoque algore intereunt, hoc quidem eſt quo deprehenditur ſoli vitium, quoniam non euenit niſi in frigido: itaque per hyemem cœli rigorem probamus, non ſoli. Ne igitur rubigo vineam vexet, docet Columella palearum aceruos inter ordines verno tempore poſitos habere in vinea. Quum frigus contra temporis conſuetudinem intellexeris, omnes aceruos incendito, ita fumus nebulam, & rubiginem remouebit. Diophanes, ne à pruina & rubigine vites lædantur, docet ita: Stercus aridum per diuerſa ſpatia in vinea deponito ſecundum vineti ventum, vbi incumbentem pruinam videris, ſtercus ſuccendito, fumus inde elatus pruinam diſperget. Quæ verò à pruina aduruntur vites, tardius putare oportet, quum ad germen fundendum concitantur, ſic enim tardius effloreſcunt. Hippuris vitis tardius germinat, ob id credita eſt minus pruinam curare calido iam ſole exiſtente. Quidam fabam in vineis ſerunt, & vites à pruina illæſas futuras putant. At ſi contigerit vites à pruina lædi, incidendæ ſunt, & valdè breuiter præſecandæ, vt vis earum permaneat: nam & ſequenti anno priorem fructum reddent. Alii miricæ cinerem in vinea ventilant, nam oculis cinis inſidens, illabentem pruinam pellit. Aliud affert Berytius. Simul vt videris rubiginem in aëre congregari, ſtatim bouis cornu ſiniſtrum vnà cum bubulo ſtercore vrito, & fumum multum per ambitum arui, ſecundum ventum facito, quo ventus omnem fumum ad rubiginem ferat, nam diſperget. Apuleius tradit trium cancrorum vſtorum cum bubulo ſtercore, aut paleis, aut ſtercore caprino, fumum ſufficienter iuuare. Si verò anticipet rubigo, damnum reſarcies hoc modo: Cucumerum ſylueſtrium, aut colocynthidis radices, aut folia contundito, & aqua macerato, indeque apprehenſa à rubigine irrorato ante ſolis exortum. Idem facit cinis ficulneus, aut quercinus maceratus, & irroratus. Prodit Apuleius: Si lauri ramulos in aruum proieceris, tranſire in ipſos rubiginis noxam. Noſſe operæ pretium eſt, quod pleniluniis omnia rubigine afficiuntur, præcipuè frumentum, propterea quod tunc Luna calidiſſima,

liditlima,

lidissima, & humida, noctuque fructus putrefacit. Quidam silurum piscem concisum vrunt secundum ventum, per omnem regionis partem odorem spargentes. Quin & per naturam contraria affectione resistit, si in cribro phocæ pellis circumponatur, perforeturq;, ita vt per cribrum semen excutiatur, & terra conseminetur. Idemq; grandinem cadere non sinit naturali proprietate. Plinius, Simili modo ne conuoluolus fiat in vinea, amurcæ congios duos decoctos in crassitudinem mellis, rursus cum bituminis tertia parte, & sulphuris quarta, sub dio coqui iubent, ne excandescat sub tecto. Hoc vites circa capita, ac sub brachiis vngi, ita non fore conuoluolum. Quidam contenti sunt fumo huius mixturæ suffire vineas secundo flatu continuo triduo. Plerique non minus auxilii, & alimenti arbitrantur, in vrina, quàm Cato in amurca, addita modò aquæ pari portione, quoniam per se noceat. Nunc remedia contra animalia describemus. Contra sorices id affert Columella, Vites quæ secundum ædificia sunt, à soricibus, vel muribus infestantur. Id ne fiat plenam lunam obseruabimus, quum erit in signo Leonis vel scorpionis, vel sagittarii, vel tauri, & noctu ad Lunam putabimus. Genus est animalis, volucra appellatur: id ferè prærodit teneros adhuc pampinos, & vuas, quod ne fiat, falces quibus vineam putaueris, peracta putatione sanguine vrsino linito, vel si pellem fibri habueris in ipsa putatione, quoties falcem acueris, ea pelle aciem detergito, atque ita putare incipito. Plinius ab eo: Alii voluocem appellant animal prærodens pubescentes vuas, quod ne accidat, falces, quum sint exacutæ, fibrina pelle detergent, atq; ita putant. Aut sanguine vrsino liniri volunt post putationem easdem. Ne formica vitem ascendat, iubet Columella lupinum teri, & cum fracibus misceri, eoq; imam vitem linea circumlini, vel bitumen cum oleo coqui, eo quoq; imas vites tangi: formicæ non excedent. Plinius: Sunt arborum pestes & formicæ. Has abigunt rubrica, ac pice liquida perunctis caudicibus. Nec non & pisce suspenso iuxtà in vnum locum congregant. Aut lupino trito cum oleo radices linunt. Africanus contra bestiolas vites vastantes hæc docet: Enecabuntur vermes vitem infestantes, aut vineam sua habitatione ęgram reddentes, fimo bubulo secundum ventū suffito. Quidam galbanum, aut cornu cerui, aut vngues caprinos, aut eboris scrobem, aut lilii radicem in vinea suffiunt. Fugabis etiam muliebris pili suffitu. Alii pæoniam, vel personariam suffientes. Alii succum cyrenaicum, & oleū coquunt & truncos vitium illinūt, à fundo paulo superius initio facto. Alii allio trito vites illinunt contra erucas. Alii canthar des oleo macerant, inde cotē, in qua falces exacuunt, illinunt cōtra easdem. Quidam contra maiora animalia stercore canino vrina veteri macerato, ac dissoluto, omnia per ambitū respergunt. Democritus: cancros fluuiales plurimos, aut paguros marinos, nō pauciores quàm decē in vas fictile cum aqua indito, & addito operculo sub diuum exponito, vt ad denos dies insolentur. Deinde quæcunq; illæsa esse volueris, hac aqua conspergito, idq; alternis diebus, donec adoleuerint, & mi-

raberis rei efficaciam. Plinius: Contra veſpas remedio eſt oleo aſpergi ex ore vuas. Tradunt ſucco cucumeris ſylueſtris tactis radicibus vitium, non attingi vuas ab auibus. Vuæ flores in cibis edère gallinacei, vuas non attingunt. Vites cæſas bidente curare docet Palladius: Quum vitis bidente læditur, aut ferro, plagam, ſi terræ iuncta eſt, adline ſtercore ouillo, vel caprino, tunc terra miſta circumfoſſa ligare curato. Si in radice læſa eſt, operiens liquidum lætamen admiſce. Eadem Caſſianus Græcus.

De vitis inimicitia cum braſſica, & aliis. CAP. XIX.

BRASSICA & laurus vitem offendunt, ſuccoq; ſuo & odore deteriorem faciunt, nam & eam allicere, & olfacere dicunt, quamobrem cum germen iis propius acceſſerit, auerſum retrograditur, inimicum fugiens odorem. Ideo Androcides ſapientia clarus braſſicam aduerſari vino, ac ebrietatem arcere hoc prodidit exemplo, quòd vitis etiam viua braſſicæ fugetur odore, vt ex Theophraſto habetur. Plinius ſylueſtrem braſſicam vino inimiciſſimam prædicat, quam præcipue vitis fugiat, aut ſi non poſſit fugere, moriatur. Berytius ſcribit, Maxime cauere homines debent braſſicam inter vites ſerere, velut natura ſiccam, & naturaliter contrariam affectionem aduerſus vitem habentem. Si autem contingat complantata eſſe ex propinquo vitem & braſſicam, vitis ipſa augeſcens, vbi braſſicæ appropinquat, non amplius directe procedit, ſed retrouertitur, contrariam affectionem ad braſſicam habens. Inquit Timæus, Athenæo referente, vineam, in qua braſſica naſcitur, vinum exilius proferre. Odit præterea maximè corylum, iubente Virgilio,

Néve inter vites corylos ſere.

A quo Plinius: Vitis odit corylum, & ni procul abſit, triſtis, & ægra. Odit & cupreſſum, vt diximus in eius capite.

Prognoſtica ad cognoſcendas vini vbertates, vel caritates ante vindemiam. CAP. XX.

INTER Democriti ſcita connumeratur illud, vt qui cognoſci poſſit ante vindemiam futuram vini vbertatem, & bonitatem, vel contrà prauitatem hoc modo. Acinum, hoc eſt, vuam particularem de racemo leniter per digitos detrahito: ſiquidem igitur quiddam exilierit, vbertatem oſtendit. Quidam ſi multum frumenti prouenit, etiam liquidum fructum abundaturum pollicentur. Cæterum vinum bonum, & potens futurum coniectamus, ſi per vernum tempus imbres plures fiant. Idem futurum indicant imbres oborti, quum erui magnitudinem vuam habet, & adhuc acerba exiſtit. At verò quæ ad ipſum vindemiæ tempus oboritur pluuia, non ſolùm aquoſum, ſed & deprauatum vinum vt vappam faciet. Plinius. Vinearum conceptus Vergiliarum exortu incipit, ad VI idus Maii. Aliud hoc quatriduum eſt, quod neque rore ſordere velint, exhorrent enim frigidum ſydus Arcturi poſtridie occidens,

cidens, & multo minus plenilunium incidere. IIII nonas Iunii, iterum aquila exoritur vesperi, decretorio die florentibus vitibus, si plenilunium in eum incidat. Equidem & solstitium VII calendas Iulii in simili causa duxerim, & canis ortum post dies à solstitio XXIIII. Sed interlunio accidente, quoniam vapore constat culpa, aciniq; præcoquuntur in callum. Rursus plenilunium nocet ad IIII nonas Iulii, quum Ægypto canicula exoritur, vel certè XVI calend. Aug. quum Italiæ. Item XIII calen. Aug. quum aquila occidit, vsque ad X calen. eiusdem.

Maturitatis vuarum tempus quomodo cognoscatur. Cap. XXI.

INSTANTE vuarum maturitate, docendum est quo tempore vindemiæ celebrandæ sint. Canit Hesiodus,

Dum tamen in media cœli statione refulget
Syrius, Orionq; loco splendescit eodem,
Et rosea Arcturi cernit Pallantias astrum:
Tunc vuas tenero abscindens de corpore matrum,
Per bis quinque dies tepido sub sole iacentes
Pande. Dies etiam mollescant quinque sub vmbra.
Dehinc torque, & capiant vegetes iucunda Lyæi
Munera.

Varro vuas legere, & vindemiam facere iubet inter æquinoctium autumnale, & Vergiliatum occasum. Columella calendis Octobris fieri vindemias pluribus regionibus inquit: Vuarum maturitatem alii aliter interpretati sunt. Quidam quum vidissent partem aliquam vuarum virescere, crediderunt tempestiuam esse vindemiam. Quidam quum coloratas, & perlucidas vuas animaduertissent, nonnulli etiam quum pampinos, ac folia decidere considerassent: quæ omnia fallacia sunt, quoniam immaturis vuis omnia eadem possunt accidere propter intemperiem solis, & anni. Itaq; nonnulli gustu explorare maturitatem tentauerunt, vt siue dulcis esset sapor vuæ, siue acidus, exinde æstimarent: sed & hæc ipsa res habet aliquam fallaciam: nam quædam genera vuarum nunquam dulcedinem capiũt propter austeritatem nimiam. Sed hoc modo ipsa naturalis maturitas consideratur: scilicet quum expresseris vinacea, quæ acinis celantur, si iam infuscata, & nonnulla propemodum nigra fuerint: nam nulla res colorẽ illum afferre potest, nisi maturitas, quum in media acinorum parte sint, vt à sole ęstuante & ventis protegantur, humorque ipse non patitur ea percoqui, aut infuscari, nisi suapte natura. Diophanes Græcus adhæc: Non facile est cognoscere, quando vindemiandum sit: nam alii ante maturitatem vuas legentes, infirmum, & non perenne vinum faciunt: alii tardius vindemiantes, non solum vitem lædunt, vltra tempus onus gestantem, sed & si grando, & glacies oboriretur, iniuriæ expositum vinum habebunt. Cognoscitur igitur opportunum tempus visu, & gustu, aliisque

notis à veteribus proditis. Democritus & Africanus sex tantum dies & non plures rectè permanere vuam maturam tradunt. Si igitur vinaceus non amplius viridis pellucet, sed nigricans, vuam maturam esse significat. Alii acinos premunt, & si vinaceus exilierit nudus, citra omnem carunculæ circum se complexum, maturas ad vindemiam esse vuas iudicant. Si verò prosilierit vinaceus partem carnium secum trahens, maturas negant. Quidam quòd passa fieri incipiat, maturam coniectant. Alii hoc modo: Vbi densissimus est racemus, inde acinum vnum eximunt, & post vnum, aut alterum diem racemum respiciunt, & contemplantur. Si in eadem figura permanserit locus, velut vicinis, & iuxta sitis acinis, nullum augmentum capientibus, vindemiam accelerant. Si verò exempti acini locum minorem factum viderint, velut circumsitis acinis auctis, vindemiam inhibent, donec augmentum progressum fecerit. Zoroaster verò addit, quòd vindemiare oportet Luna existente in Cancro, aut Leone, aut libra, scorpio, capricorno, aut aquario. Diligenterque prouidendum vt desinente ipsa, & sub terra existente vuarum collectionem absoluamus. Plnius, Iustum vindemiæ tempus ab æquinoctio ad Vergiliarum occasum dies XLIIII. Musta calcari debere quum Luna sub terra, XI calend. Septemb. Cæsaris & Assyriæ stella, quæ vindemiator appellatur, exoriri mane incipit, vindemiæ maturitatem promittens. Eius argumentum erunt acini colore mutati. Vindemiam antiqui nunquam existimauere maturam ante æquinoctium: iam passim rapi cerno. Quamobrem & huius tempora notis, argumentisq; signentur. Leges ita se habent. Vuam calidam ne legito, hoc est in eius siccitate, ac nisi imber interuenerit. Hanc ne legito rorulentam, hoc est, si ros nocturnus fuerit, nec prius quàm sole discutiatur. Vindemiare incipito quum ad palmitem pampinus procumbere cœperit, aut quum exempto acino ex densitate interuallum non compleri apparuerit, acinum non augeri. Acino plurimum refert, si contingat crescente Luna vindemiare.

De vindemia facienda. CAP. XXII.

CATO, Columella, Varro, cęteriq; multa vasa præparari iubent ante vindemiam, sed quia aliena sunt ab his, quæ nostris temporibus habemus, superuacuum duximus recensere. Didymus torcularia viginti diebus ante vindemiam aperienda esse dicit, quo perflentur, & transpirent, aqua marina respergenda, suffumigandaq;. Apuleius: Qui corbibus præfecti sunt, folia eligant, & si quis racemus acerbus, aut acidus afferatur. Oportet & calcantes, si quid cophinis pręfectos fefellerit, eligere: nam folia cum vuis contrita, vinum magis astringens, & corruptibile faciunt. Ex acerbis, & siccis racemis detrimentum accedit. Iniectas in torcular vuas, statim pedibus conterant, qui ad hoc destinati sunt, omnesq; acinos æqualiter conculcãtes, vinacea extrahant, quo plurima liquoris pars in subtorcularios lacus defluere possit, & vbi ite-

tum

tam calcarunt discedant: & quum calida, & non valdè humecta fuerint vinacea, sub lignum prælii imponant: calida enim, & mollia existentia fluidiora sunt. Si valdè humida superponantur, necesse est onere imposito disrumpi, ac disparari composita. Ingredi autem calcatores oportet torcularios pedibus benè lotis: neq; in torculari quicquam edant vel bibant, neq; sæpè ingrediantur, & exeant, & si qua necessitas abeundi fiat, nudis pedibus ne abeant. Sint calcatores induti, ob vrgentes sudores. Bonus odor in torculario sit oportet ex thure, vel aliquo alio suffumigio. Varro vindemiam ita fieri oportere dicit, vt videas à quo genere vuarum, & à quo loco vineti incipias legere, nam & præcox multo ante coquitur, quo prior legenda, & quæ pars arbusti, ac vineæ magis aprica, prius debet descendere de vite. In vindemiam diligentius vua non solum legitur ad bibendum, sed eligitur ad edendum. Itaq; lectius defertur in forum vinarium, vnde in dolium inane veniat, electa in secretam corbulam, vt condatur. Quæ calcatæ vuæ erunt, earum scopi cum folliculis subiiciendi sub prælum, vt si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Quum desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt, & rursus, quum expressum, circumcisitum appellant, ac seorsum quod expressum est seruant, quod resipit ferrum.

Lora optima quomodo fiat. CAP. XXIII.

A VARRONE docetur lora quomodo fiat. Expressi acinorum folliculi in dolia coniiciuntur, eoq; aqua additur, ea vocatur lora, quòd lota acina, ac pro vino operariis datur hyeme. Columella expressius docet. Quantum vini vno die feceris, eius partem decimam quot metretas efficiat considerato, & totidē metretas aquæ dulcis in vinacea, sed quibus vnius diei vinum expressum erit, addito. Eodem & spumas defruti, siue sapæ, & fæcem ex lacu confundito, & permisceto, eamq; intritā macerari vna nocte finito, postero die pedibus proculcato, & sic permistā prælo subiicito. Quod deinde fluxerit, aut doliis, aut amphoris condito, & quum deferbuerit, obturato. Commodius autem seruatur in amphoris. Hanc loram Columella suus patruus ex vetere aqua faciebat, & nonnunquam plus biennio innoxiam seruabat. Anatolius ita facit: Vinacea post musti defluxum è vestigio deiicienda sunt, & in dolia indenda, ac postea conculcanda, etenim fæx ex his non iniucundus potus fit ruralibus: ipsaque deinde remanentia vinacea abundans alimentum brutis præbent. Oportet autem statim, vt vinacea ex torculari ablata sunt, & torcular, & lacus subtorcularios euertere, & aqua marina, aut muria per spongiam expurgare, & suffumigare: humor enim remanens omnino corruptus acescit, & proinde fructum, qui sequenti die calcatur, corrumpit, & culicem gignit, quod signum est vini in vappam peruerti. Plinius. Non possunt iure dici vina, quę Gręci deuterias appellant, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis, sed tamen inter vina operaria numerantur. Tria eorum genera. Decima parte

aquæ addita, quæ muſti expreſſa ſit, & ita die ac nocte madefactis vinaceis, rurſus prælo ſubiectis. Alterum quomodo Græci factitauere, tertia parte eius quod expreſſum ſit addita aquæ, expreſſoq; decocto ad tertias partes. Tertium eſt fecibus vinum expreſſum, quod fecatum Cato appellat. Nulli ex his plus quàm anno vſus.

Quomodo muſtum in dolia condendum. CAP. XXIIII.

POST perfectam vuarum calcaturam, quomodo muſtum in dolia condendum ſit, docet Diophanes. Dolia ante vini infuſionem meraca muria per ſpongiam emundare oportet, & thure ſuffumigare. Oportet neque valdè plena facere, neq; nimium vacua, ſed coniicere quantum veriſimile eſt muſtum efferueſcens augmentum facere poſſe, vt ne ſuperfundatur, & vt ſpuma vſq; ad labia eleuata, quod ſolum eſt impurum expuat. Purgandum eſt conſequenter muſtum in doliis ad dies quindecim, & tum manibus, tum ſcyphis ſpuma auferenda, & ſi quid aliud ſuperfluum fuerit: purgamenta verò omnia, extra locum, in quo dolia ſita ſunt, exportentur, & valdè procul reiiciantur. Si enim in vicino manſerint, culices ex ipſis corruptis enaſcuntur, & malus fœtor excitatur, quæ ambo vinum in vappam conuertunt: quare bonum odorem in torcularibus, & cellis vinariis procurandum. Florentinus ne vinum ſuperfundatur, hoc adinuenit: Coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano ad colla vaſorum circumponit. Quidam interna doliorum labra caſeo bubulo perlinunt, cohibet enim intro muſti ipſius feruorem. Docet Democritus muſtum, quod per pluuias frequentes imbecillitatem contraxit, crebro imbre perfuſa vua, quod probari ipſius guſtu poterit, ſic curari debere. Statim atq; primum efferbuerit muſtum, in noua dolia transferunt, in fundo enim ſidit ſuo pondere feculentum omne & aquoſum, atque in metretas decem vini tres ſalis heminas adiiciunt. Vel muſtum decoquunt, donec pars eius vigeſima poſſit abſumi. Melius fieri dicunt ſi centeſima gypſi pars adiiciatur. Lacedæmonii eo vſque decoquunt, donec vini quinta pars pereat, & quarto anno vſibus miniſtrant.

Quomodo vina elutrianda. CAP. XXV.

VINVM elutriari oportet, Zoroaſtræ doctrina, borealibus ventis ſpirantibus, nequaquam verò auſtralibus, infirmiora vere, fortiora æſtate. Quæ verò in ſquallidis locis nata ſunt, poſt hyemale ſolſtitium. Vinum plenilunio in alia vaſa transfuſum aceſcit. Noſſe oportet: vinum à fece, vnde alimentum habet, liberatum, tenuiorum partium, & imbecillius redditur. Prouidendum eſt hyeme calefiat, æſtate frigeſcat. Intermeſtruo quum Luna ſilet, elutrianda vina. Sotion in prælunaribus maxime diebus, hoc eſt prima, & ſecunda die priuſquam Luna hominibus appareat, transfuſionem fieri tradit. Obſeruari prætere a exortus ſyderum, & emerſus, in iis enim fæcem moueri volunt. Item quum roſa floret, aut germinat vitis, qua fron-

dente

dente consulunt sapientes, præsertim Hesiodus, aperto dolio, summũ imumq; vinum expendendum: quod medias tenet dolii partes, seruãdum vtpote quod & validius, atq; durabilius, ac vetustatis patiens existimetur. Quod enim summis vasis faucibus residet, aëris consuetudine vires exhauriente, degenerat in vappam, quod fundo sidit, fęcis vicinitate vitiatur. Quod ita cecinit Hesiodus,

Principio vasis saturum, & fine esse iubemus,
In medio parcum.

Vasa non ad summum vsq; labrum replenda, sed faucibus tenus, ne occluso spiritu strangulentur, coercitaq; suspiret aura. Addit Plinius. Vinum transferre in vasa, in quibus acetum fuerat, melius, quàm in ea, in quibus dulce, aut mulsum.

Prognostica vinorum durabilium, peruertendorumq;.
CAP. XXV.

TRANSFVSO in dolia vino, monet Africanus, fex ipsa in dolio relinquatur, ac diligenter dolium cooperiatur, frequenterq; olfactu experimentum sumendum est, an aliqua transmutatio fecum fiat, vt si culices, aut eiusmodi quippiam gignatur, id signum vinum corruptum iri; si nil tale contingat, permansurum. Alii pertusam harundinem ad fæces vsq; dimittunt, supernumq; harundinis foramẽ digito magno obturãt, mox ablato digito per foramen olfaciunt, vel aliquid fæcis exugunt, & ex fæcis qualitate quale futurũ erit vinum coniiciunt. Alii parum de vino feruefaciunt, & refrigeratum gustant, & ex sapore de cætero quale vinum futurum sit iudicant, verũ de medio vase vinum accipiendum ad experimẽtum. Alii ex operculis vasorum prognostica concipiunt. Detecto enim dolio, humiditatem ipsis inhærentem degustant, & tale vinum fore coniectant: nam si vinosus est sapor, optimi vini signum, si aquosus, peruersuri. Alii à sapore auspicantur præsagia: nam si austerum sapit, securitatem indicat, si molle, contrarium. Licet idem ex supernatante flore coniicere. Si mollis, latus, & purpurei coloris, securius vinum promittit, si glutinosus, reprobi signum: si niger, imbecille: albus diuturnum vinum significat. Si telæ araneæ contextus, acoris indicium. Rursus si serpentem viti implexum vindemiæ tempore videbis, vinum acidum expectabis. Si dum calcatur mustum, aut in dolia conditur, crassum & glutinosum fuerit, quod tactu deprehendes, durabilius vinum erit: si tenue, facilè peruersurum. Vinum in musto austerum, perenne, & in posterum iucundum fore, dulce verò nõ durabile. Tactu etiam cognosces, vas tactu calidum, nõ firmum vinum, frigidum contra diuturnius. Vinum gustu calidum, vel frigidum idem ostendit. Operculum dolii siccum, firmissimum vinum indicat, si humidum, peruersionem. Si aceti mulsi odorem habebit, transuasari ostendit, vas talis odoris causam scito. Alii manus in vinum immergunt, iisque exiccatis ex odore coniiciunt: peruertendi enim vini acidior olfactus. Alii super harenam vinum coniiciunt,

& percolant, si non transmutabitur, probatissimum habent. Vina quia peruerti solent in solstitiis, & vite germen fundēte: ob id eo tempore probationis talia experimenta sumunt. Alii laminas ex plumbo, stanno, vel ære faciūt longitudine, & latitudine trium digitorū, & detersas operculo doli adglutinant, & opercula doliis ob lunt, & post quadragesimū diem aperiunt, si laminas puras reperient, vinum dulce, odoratum, & sanum iudicant, at si plumbeā albescentem, in cerussæ speciem, si stanneam, nigrescentem, si æneam, in bullas erumpētem, non sanum. Alii polentam ammiscent, & vbi desederit, gustant. Alii apii semen, hordei furfures, lauri folia, vitis nigræ sarmenta in efferuescens & bulliens vinum iniiciunt, & refrigeratum gustant: & hoc modo experimētum capiunt. Plinius. In vitium inclinantis vini experimentum est laminæ plumbeæ mutatus in eo colos. Flos vini cādidus probatur, rubeus triste signum est, si non is colos vini sit. Item vasa incalescentia operculave sudantia. Quod celeriter florere cœperit, odoremq; trahere, non fore diutinum.

De tempore, & modo gustandi vinum. CAP. XXVI.

SVNT & fraudes œnopolarum, quæ peruersum vinū optimum gustātibus demonstrare possunt, nō quòd ipsi eiusmodi imposturas aliis faciamus, sed ne per tales circumueniamur & ne ab eis fallamur, eas nos docet Florentinus. Qui borealibus ventis flantibus vina degustant, qualia sint non cognoscunt, quia tunc incommota manent. Sed experti œnoptæ Austro spirante gustant, quia auster vinū commouet, & quale sit arguit. Ieiunus vinū ne gustet, tunc enim gustus est hebes, neq; à crapula id degustandū. Oportet gustantem, neq; acres, neq; salsos cibos, qui comedentis gustū immutant, præsumpsisse: sed paucissimum cibum, eumq; nondum concoxisse. Emptoribus borea spirante, vinū ad gustandum exhibeto. Alii emptoribus imposituri, doliū nouum habent, quod optimo, vetere, ac odoratissimo vino replent, & ita fallunt gustātes, putantes odoris fragrantiam contēti vini esse, quū in dolio diutius ea qualitas inhæreat. Caupones caseum, & nuces exhibent potantibus, quo exactus sensus gustus corrumpatur. Zoroaster syderū exortu dolia aperiri nō debere admonet, tunc enim motus fit vini, & non cōuenit ipsum cōtrectare. Et si in die dolium aperies, soli vmbrosum aliquod oppones, ne splēdor vino illibatur. Si noctu, necessitate vrgente, doliū aperturus, aduersum lumē Lunæ indē excipies. Laborat vinū, vt Paxamus tradit, occasu Pleiadum, itē bruma, vel quū flore vitis exuitur, æstiuo solstitio, vel exortu Caniculæ. Sentiunt vitia, quum cœlum incendio flagrat, quum etiā nimio frigore riget, quū vehementer incesserunt pluuiæ, item quum duro tonitru cōcutitur aut violentis coruscat fulgetris. Plinius. Bruma aperiri vetant, nisi sereno die: vetant Austro flante plenave Luna.

Quomodo mustum dulce toto anno habeamus. CAP. XXVII.

MVSTVM vt semper dulce, & tanquam recens toto anno permaneat, sic facito. In amphoram mustum indito, & corticem oppicato, demittito in piscinā, post trigesimum diem eximito, totum annum mustum erit. Cato,

Vel antequam prœlo vinacea subiiciantur de lacu quàm recẽtissimum addito mustum in amphoram nouam, eamq; oblinito, & picato diligenter, ne quicquam aquæ introire possit. Tunc in piscinam frigidæ, & dulcis aquæ totã amphoram mergito, ita ne qua pars extet, dein post quadraginta dies eximito, & vsq; in annũ dulce permanebit. Hęc Columella à Florentino Gręco. Mustum prochyma dictum Græcis, quod sponte distillat antequã calcetur, eodem die in vas intus, & extrà picatum conde, vt ad medietatẽ vas repleatur, & addito operculo diligenter obline gypso. Ad multũ enim tempus mustum dulce permanet. Diutius permanebit, si vas per pelliculã obturatũ, & conclusum in puteũ per triginta dies dimittatur, propterea quod nõ efferuescit, & semper mustũ erit. Si quis etiã leniter vuas calcauerit, vt nõ premãtur, hoc ipsum habebit. Alii in vetus vas à vetere vino mustum infundunt. Alii vas intra & extra picatũ in puteũ imponunt, vt labra tantũ superemineant. Alii in humidã arenam vas infodiunt. Alii super vas vinaceis obrutũ harenã humidam accumulant. Alii in vas non picatũ mustum condunt, & nitro Alexandrino fuso adiecto in vmbra deponũt. Experimentũ suprà descriptũ probauimus, & verũ inuenimus, immo etiam per bienniũ sub aqua latuit, & optimũ repperimus. Alio quoq; artificio dulce vinũ Columella facit. Vuas legito, in sole triduũ expãdito quarto die meridiano tẽpore calidas vuas proculcato, mustũ lixiuium, antequã pręlo sit pressum, de lacu tollito, quũ deferbuerit in sextarios quinquaginta irim benè pinsitã nec plus vncię pondere addito. Vinũ à fęcibus eliquatũ diffundito: hoc erit suaue, firmum, & corpori salubre. Didymus ita facit. Triginta diebus antè vindemiã sarmentum ferens botros intorquẽt, omniaq; folia auferunt, quo illabens sol humorẽ consumat, & vinũ dulce facit, quemadmodũ per cocturã nos facimus. Intorquent sarmenta nimirum, vt racemos ab humiditate, & alimento ex vite abstrahant. Alii postquã racemos foliis denudarunt, & vuæ iã corrugari incipiũt, collectas racematim ad solem exponũt, donec passę fuerint, post sub eodẽ meridiano sole sublatas in torcular transferunt, & reliquam diem ac insequentẽ noctem sinunt, & sub diluculũ calcant, vel iã expressum, & in doliis conditũ mustum per triduũ deoperta relinquũt, mox opercula addunt nõ valdè osculis congruentia, sed virgis interpositis superpendẽtia: post quintum diem opercula exactè obducenda, cinere aqua subacto illita, paruis foraminulis relictis, quæ & post septimum diem claudantur. Et si dulcius quæris, ad dies quinq; dolia deoperta sinito, mox opercula addito. Plinius Mediũ inter dulcia vinumq; est quod Gręci aigleuces vocãt, hoc est semper mustũ. Id euenit cura, quoniã feruere prohibetur: sic appellant musti in vina transitũ. Ergo mergũt è lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat & cõsuetudo fiat algẽdi. Est etiamnum aliud genus eius per se, quod vocat dulce Narbonensis prouincia, & in ea maximè Vocõtii. Asseruatur eius gratia vua diutius in vite pediculo intorto. Ab aliis ipse palmes inciditur in medullã, ab aliis vua torretur in tegulis.

An vinum habeat ammistam aquam. Cap. XXVIII.

PYRA syluestria, hoc est crudissima Sotion in mustum coniicit, & si aquam habuerit, ad fundum merguntur. Democritus verò inquit. Si scire cupis emptor, si nullam mistionis fraudem vinum experitur, mala, aut pyra syluestria, aut locustam, aut cicadam in vas mittito, quod si supernatauerint fluitantia, meri sincerique putat indicium, si demergantur, aquam contineri. Aliqui arundinem, papyrum, fœnum, lignum, aut aliquid sarmentosum oleo illitum dolio mandant, deinde extrahentes considerát, si oleo guttulæ aquæ stillatim congestæ cohæreant, quòd si deprehendatur, aquam côtineri certű est. Vel si in ollam nouam antea nullo perfusam humore biduo vinum adhibeatur, ea mistam aquam extillabit. Alii calefactum vinum sub dio in nouum mittunt fictile, si aquam habeat degenerat in acetum. Alii in viuam calcem vinum iniiciunt, si sincerum est, hanc cogit: sin aquosum, diffundit. Porrò si in sartaginem feruens oleum capientem vinum aquam habens funditur, obstrepet, & bullans exiliet. Alii spongia oleo imbuta spiraculum vasis obturant, & inuertunt, si aqua insit, à spongia manans effluet. Africanus in dolium vini liquidum alumen infundebat, & penicillo oleo peruncto dolii spiraculum operculabat, per quod inclinatum sola profluebat aqua. Ad hęc Cato: Si voles scire in vinum aqua addita sit nec ne, vasculum facito de materia hederacea. Vinum id, quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit, nam non continet vinum vas hederaceum. A quo Plinius: Ederæ mira proditur natura ad experienda vina. Si vas fiat ex ligno eius, vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mixta. Sed hoc falsum est, nam quum experiremur, aqua effluit, vinum remanet. Sed lignum viride sit oportet. At quomodo à vino aqua separetur, in Naturali Magia longius exequuti sumus.

De defruto coquendo. CAP. XXIX.

VASA, quibus defrutum coquitur, aut sapa, plumbea potius, quã ęnea esse debent: nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis saporem vitiant. Odores qui cum defruto apti sunt coquantur, iris, fœnumgræcum, schœnum. Harum singulæ libræ in defrutarium quod ceperit musti amphoras nonaginta, quum iam deferbuerit & expurgatum erit, tum adiici debent. Deinde si natura tenue mustum erit, quum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & fornax aqua refrigeranda. Quanto plus decoquitur (si modo non aduritur) melius, & spissius erit. Plinius: Decoquitur mustum vsque ad tertiam partem mensuræ. Quod vbi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Ipsa quoque defruta ac sapas coquũt quum sit cœlum sine Luna, hoc est in syderis eius coitu, neque alio die coqui iubent. Præterea plumbeis vasis non æreis, nucibus iuglandibus additis: eàs enim fumum excipere. Campaniæ nobilissima exposita sub dio in cadis verberari Sole, Luna, imbre ventis aptissimum videtur.

Tempus defrutum coquendi, noctu silente Luna, aut si interdiu plena, cæteris diebus, aut ante exortũ Lunæ, aut post occasum. Ne de nouella vite, aut palustri, nec nisi è matura vua, nec nisi foliis despumandum, quia si ligno contingatur vas, adustũ ac fumosum fieri putant. Leontius sapam docet. Musti optimi sextarios V I I, vini optimi sextarios centum, si ad tertias decoxeris, & despumaueris, sapam egregiam parabis.

Remedia ad vina. CAP. XXX.

MVLTA sunt apud antiquos rei rusticæ scriptores ad vina remedia, nos ea tantùm, quę ad vsum nostri tẽporis esse possunt, huc afferemus. Columella affert remedia acescentis vini. In quo agro vinũ acescere solet, curandum vt quum vuam legeris, & calcaueris, priusquã vinacea torculis exprimantur, mustum in corbem defundas, & aquæ dulcis puteanæ ex eodem agro partem decimã adiicias, & coquas, donec aqua quã adieceris, decocta sit. Quum refrixerit, in vasa defundas, operias, & oblinas, ita diutius durabit, & detrimenti nihil fiet. Melius erit, si aquam pluribus annis seruatam addideris: longè melius si nil aquæ addideris, & decimam musti decoxeris, frigidumq́; in vas trãstuleris, & si in sextarios V I I musti heminã gypsi miscueris, postquã decoctum refrixerit. Mustum reliquum, quod è vinaceis fuerit expressum, primo tẽpore absumito, aut ęre cõmutato. E Frõtonis doctrina: Gypsum iniectũ à principio quidem acrius vinũ facit, progressu temporis acre quidem transpirat. Vtilitas autem de gypso resultans ad multũ tempus perseuerat, durabile vinũ facit, & acescere non permittit. Vino quod acorem quendam iam concepit, vt author est Tarentinus, medetur ollula aquę bonę plena, quæ diligenter operta in dolium demergatur, modica tamen respiratione relicta dolium occludatur. Post triduum inuenietur ab acore vinum sese recollegisse, & aquam olere, si pristinum robur resumpserit. Quare vsq; quò vinũ perfectè conualescat, hoc facito. Alii lactis caprini quinquagesimam partẽ infundunt, & integunt, post quinq; dies elutriant. Diximus suprà vina laborare, quũ cœlum tonitru cõcutitur, aut crebris coruscat fulgetris. Arcere tonitrus, & fulguris noxam credidit Zoroastres, ferrũ operculis doliorũ superpositũ. Alii admotos lauri ramulos cęca naturarũ discordia vinũ ab huiusmodi iniuria vindicare scripserunt. Vitiũ musto quibusdã in locis iterũ sponte feruere, qua calamitate iterũ deperit sapor, vappæq́; nomen acquirit. Docet Fronto: vinũ peruersum in vappã, si à propria vitiosa fæce segregetur, & super vini boni fæcẽ fundatur, diuturnũ erit. Quidam tedas accensas in musto extinguunt, & vinũ transmutari non permittunt. Alii ferrum candens. Quidam cedri fructũ, & gallas tostas, alii thus poticũ vstum, alii cinerem sarmentorũ vino iniiciunt. Alii in vasa recentia transfundunt, & in aliã domum transferunt, si à caliditate læsa sunt, in frigidos locos deponunt, si ab humiditate & frigiditate, in calidos & siccos. Alii fructum, aut lignũ quercinũ vrunt, & cinerem in vinũ mittunt, alii nucleos oliuarum combustos vino cocto, sapa, defruto extinguunt, & tusos in vinũ diffundunt. Sal tostus iniectus

Deinde mittũtur in vasculo cui fontanea, aut pluuialis aqua miscetur, & opertum vas per triginta dies relinquitur, ac subinde quantum sublatum fuerit aceti ad vsum, tãtum redditur aquæ ad reparationem. Plinius, Vasa mellaria, aut fauos lauari aqua præcipiunt, & hac decocta fieri saluberrimum acetum.

Quomodo citra vuam vinum fiat. CAP. XXXII.

SOTION: Myrti, & corni recens fructus molitus, & expressus vinũ facit. similiter vinũ faciunt grana mali punici pura expressa, ablatis his, quæ in medio granorum existunt. Quidam & à viridibus ficubus vinum faciunt, explentes ipsis dimidiam vasis partem, ac reliquam aqua pura superfusa complentes, assiduéq; ex gustu experimẽtum sumunt: quum enim vinosus apparuerit sapor, excolato vtuntur. Fit etiam potus è frumẽto & ordeo, quo maximè vtuntur barbari. Fit ex olyra & auena parata, fit ex panico & milio. ex Berytio. Palladius ex pyris vinum fieri dicit, si contusa, & sacco rarissimo condita ponderibus comprimantur, ac prælo. Hyeme durat, sed prima æstate acescit. Februario mense, & Octobri, ex omnibus pomis vina conficit. Plinius Indos vinum ex palmis exprimere dicit. Cariotæ maximè celebrantur & cibo pridẽ, sed & succo vberrimæ, ex quib. præcipua vina Oriẽti, iniqua capiti, vnde pomo nomen.

Quomodo vinum album fuscum facias, & vicissim nigrum album. CAP. XXXIII.

IN album colorem nigrum mutari vinum asserit Cassianus ex Varrone, si salis sordidi drachmas octo in decem heminis vini nigri miscueris. Idem contingere dixit, si serum lactis vino infuderis. Si quis vitis albæ sarmenta vsserit, cineremq; in vas indiderit, & commoto probè vino, ad dies quadraginta siuerit, vinum album erit. Contra verò album reddetur nigrum, cinere sarmentorum nigrorum in ipsum coniecto. Palladius in Octobri ex his. In album colorem vina fusca mutari asserunt, si ex faba lomentum factum vino quis adiiciat, vel ouorum trium lagenæ infundat alborem, diuq; cõmoueat, sequenti die candidũ reperiri: quod si ex afra pisa lomẽtum adiiciatur, eadem die posse mutari. Vitibus quoq; hanc esse naturã, vt alba vel nigra si redigantur in cinerem, vinoq; adiiciantur, ei vnamquamq; formam sui coloris imponere, vt ex nigra fuscũ, cãdidum verò reddatur ex alba, ea ratione scilicet, vt combusti sarmenti cineris modii vnius mensura mittatur in dolium, quod habebit amphoras decem, & triduo sic relictum post operietur, ac lutetur. Album vel (si ita visum fuerit) nigrum reperiri quadraginta diebus exactis.

Quomodo vuæ in sua vite vsq; ad ver permaneant. CAP. XXXIV.

SERVANTVR & vuæ in sua vite, & à vite collectæ. Asserit Berytius vuã in patente seruari vsq; ad veris initia, si loco vmbroso scrobẽ fodis altitudine binum cubitorum, & misso sabulone adminicula figis, quib. intorques assiduè sarmẽta fructibus plena, & illæsis vuis alligabis vt solũ non contingãt, & cooperies, vt imber eò penetrare nõ possit. Itẽ Tarentino docẽte, vuas in vite si diu

seruare

seruare volueris, vasculis clausas fictilib⁹, ab ima parte pertusis, diligēter à summo tectas suspēde: sic in longā seruantur ætatem. Sed id exactius docet Columella. Nihil est tamen certius, quàm vasa fictilia facere, quæ singulas vuas laxè recipiant. Ea debent quatuor ansas habere, quibus illigata viti dependeant, itemq; opercula eorum sic formari, vt media diuisa sint, vt quum suspensa vasa singulas vuas receperint, ex vtroq; latere appositi operculi duæ partes coeant, & contegant vuas: & hæc vasa, & opercula extrinsecus & intra diligenter picata esse debebunt. Deinde quum contexerunt vuas, luto paleato multo adoperiri, sed vuæ dependentes à matre sic in pultarios condi debebunt, ne quæ partes vasa contingant. Tempus autem quo includi debent, id ferè est, quo adhuc siccitatibus, & sereno cœlo crassa, variaq; sunt acina. Plinius, Est duracina sine vllis vasis in vite seruabilis: tanta est contra frigora, æstus, tempestatesq; firmitas. Durant vuæ per hyemem pensili concameratæ nodo. Palladius, Vt vuam serues in vite vsq; ad veris initia: Circa ipsam vitem, quæ fructu plena est, loco vmbroso scrobem defodies altitudine trium pedum, latitudine duorum, & mittis sabulonem, & ibi calamos figis, in quibus retorques assiduè sarmenta fructibus plena, & illæsis botryonibus alligabis, vt solum non contingant, & cooperies, vt imber eò penetrare non possit. Quæ huc vsq; recitauimus maiorum adiumenta fuere, quę difficilis operationis incommodaq; sunt. Nos nostro inuento vsque ad Maium, & Iunium menses adseruauimus integram, vt vnà vetus vua & recens, vno, eodemq; palmite viseretur. Vitium, quæ prope domum consitæ sunt, quum iam vindemiarū tempus recessit, sarmenta, flagella, flexilia per fenestram in contectum intorquemus, ac domicilii laquearibus, genistæ iuncis, qui loci vicem expleant, diligenter alligamus, vt immotæ permaneāt, sed aptè vt fenestræ reserari, & claudi possint: hoc modo frigoris tyrannidem, & sæuitiam anteuertendo, ab auibus custodiendo, ne eis depascantur, quum venti & gelicidia sæuiant, fenestras claudito, tepido, & sereno cœlo eas aperito, idq; vsq; ad ver. Quum iam vitis noua germina & frondes ostendit, eam aperto cœlo crede, & tepidis solibus apricari sinito, iam noua pullulante, vtramq; eodem palmite habebis. Nobis etiam aliter licuit idem facere. Putationis tempore iam aduentante, eligito bina sarmenta in vite, quæ certam spem fructus pariundi spondeant, desecato cacumina vtriusque, duos vel tres oculos relinquendo, ne tamen à sua matre reseces, ea per cretacei vasculi pertusum fundum traducito, ac vbi paululum supra vasis ora extabunt, repleto vas terra. Et si certius ac citius quoad fieri poterit id agere concupieris, æstate vas aqua plenum supra id accommodato, vt per laneam linguam paulatim, & continuò aquam in vas instillet, sic radices vegetius iniiciet, & induet se in frondes & fructus. A vindemiis sub vase sarmenta abscinde, & in contectam domum feras, loco sicco, & tempestatibus tuto, videlicet cellis vinariis. Fenestras retibus obtegito, ne aues eas deuorent, hyeme serenis diebus apricari sinito: vbi gelicidia horrent, in calidio-

ribus locis adseruato, & vsq; ad Augustum seruabis, vt simul vno palmite, & noua & vetus vua vigeat, colore, & vigore seruatis.

De variis vuarum condituris. CAP. XXXV.

CATO amineas maiusculas, & minusculas, & apicias condit in ollis, ollas in vinaceis. Eadem in sapa, & musto rectè condi dicit. Quas suspendas duracinas, amineas maiores, & stantianas opportunissimas esse. Columella ita seruat. Vuas bumastos, duracinas, & purpureas quum desecueris à vite, continuo pediculos earum impicato dura pice: deinde labellum fictile nouum impleto paleis, quàm siccissimis cribratis, vt sine puluere sint, & ita vuas superponito, tum labello altero adoperito, & circumlito luto paleato, atq; ita in tabulato siccissimo cōposita labra paleis siccis obruito. Omnis autē vua sine noxa seruari potest, si luna decrescente, & sereno cœlo post horam quartā quū iam insolata est, nec roris quicquam habet, viti detrahatur, sed ignis in proximo decumano fiat, vt pix ferueat, in qua pediculi vuarum statim demittantur. In dolium benè picatū defruti amphoram coniicito, deinde transuersos fustes spisse arctato, ita vt defrutum non contingant, tum superponito fictiles nouas patinas, & in his sic vuam disponito, vt altera alteram non contingat, tū opercula patinis imponito & linito. Deinde alterum tabulatum & tertium, & quamdiu magnitudo patitur dolii, similiter instruito, & eadē ratione vuas componito, deinde picatum operculum dolii defruto largè linito, & impositū cinere obturato. Nonnulli adiecto defruto contenti sunt transuersas perticas arctare, & in his vuas ita suspendere, ne defrutum contingant, deinde operculū impositum oblinire. Quidam vuas in vmbra refrigerant, & dolia noua sine pice in sole siccant, furfures ordeaceos adiiciunt, & vuas ita superponunt, vt altera alteram non comprimat, tum generis eiusdem furfures infundunt, & alterum tabulatum vuarum eodem modo collocant, idq; faciunt vsq; dum dolium alternis furfuribus, & vuis compleant, mox opercula imposita linūt, & vuas siccissimo & frigidissimo tabulato reponunt. Quidam eadem ratione arida populnea, vel abiegna scrobe virides vuas custodiunt. Nonnulli sicco flore gypsi obruunt vuas, quas non nimium maturas vitibus detraxerunt. Alii forficibus si qua sint vitiosa grana ex vuis amputant, atque horreo suspendunt, in quo triticum suppositum est. Sed hæc ratio rugosa facit acina, & tam dulcia, vt passa. Vel ex ea creta, ex qua fiunt amphoræ, lata vasa in modum patinarum fieri iubebant, eaque intrinsecus, & extrinsecus crassè picari, tum vuas picatis pediculis in prædictis patinis separatim cuiusque generis ita componi, ne vuæ inter se contingerent, posthæc opercula superponi, & oblini crasso gypso, tum pice sic picari ne quis humor transire possit. Tota deinde vasa in aqua fontana, vel cisternina, ponderibus impositis mergi, nec vllam partem earum pati extare: sic optimè seruatur. Sed quum est exempta, nisi eo die consumatur, acescit. Illud præcipiendum ne eodem loco mala

&

& vuæ componantur, nec malorum odor ad eas possit peruenire: nam huiusmodi halitu acina corrumpuntur. Sed rationes, quas retulimus, non omnes omnibus regionibus aptæ sunt, sed pro conditione locorũ, & vuarum aliæ aliis conueniunt. Quibusdã in locis sereno cœlo, quũ iam sol rorem sustulit, quarta vel quinta hora, Luna decrescente, & sub terris existente, modicè maturæ leguntur, in cratibus separatim ponuntur, sub tectum referuntur, arida tolluntur acina, & quum paulũ sub vmbra refrixerint, ternę aut quaternę in ollas demittuntur, opercula pice obturantur, ne humorẽ transmittant, vinacea in dolio substernuntur; & deorsum versus spectantes ollæ cõponuntur distantes, vt interculcari possint vinacea, quę vbi conspissata primũ tabulatum fecerũt, aliæ ollæ eodem modo componantur vsq; ad summum labrum, & superposito operculo cinere doliũ linitur. Didymus vuas desecari à vite ad hunc vsum præcipit decrescente Luna post horam quartam, cœlo sereno aut discussis à vento roribus. Similiter deligi è locis siccioribus ante perfectam maturitatẽ, addito vt Luna infra terrã sit, vuas cum malleolo sarmenti sui duro, demptis forcipe corruptioribus acinis tabidis, & adhuc pubescentibus, sic ne vitium tabis proximi sentiant. Falcis acie citra violentiam secari, & illius pice igni resoluta surculis seorsum, ita ne se contingere possint, pauimento substratis paleis, si fieri possit, maximè lupinorum, collocari, siquidẽ & duriores, & sicciores eæ existimãtur, & mures infestos abigunt. Sin desint lupinorũ paleę, fabagineę aut eruinę, aut reliquorũ leguminum inuicẽ substituuntur. Ordeaceę in frumentaceo genere pręcellunt. Si desiderentur, fœnũ quàm siccissimũ in minutas dissectum particulas substernitur. Simili ratione frondosos palmites pauimento spargere, vel suspendi conuenit. Alii vuas suprà paululum obruunt. Sunt qui malunt in picatis capsis vuas in scobe, ramentísve siccis piceæ, abietis, populi, vel milii farina recondere. Alii in marinam aquam feruentem, aut si non adsit, in muriam, permisto vino macerantes immergunt, & ita ordeaceis paleis seruant. Quidam in cinere vitigineo, vel ficulneo lixiuio tingunt, mox in sole siccant, tum inuolutas paleis stipant. Sunt qui in granariis protinus suspendi iubeant, quibus frumentum vannis agitatur, quoniam optimo sit operimento puluis insidens pensilibus: ita longissimo tempore seruari volunt. Alia custodiendi ratio. Aquam ad tertias incoctam mox sub dio refrigeratam in dolium picatum fundunt, postea maturas vuas, solidos acinos habentes, detractis putribus & immaturis obruunt ita, vt superueniat aqua, nec fluitent, gypsatoq; diligenter operculo, vas loco frigido, solem diei non admittente, quo etiam nullus succendatur ignis, reponitur. Vinosa reperietur aqua, fallendæ laborantium siti non inutilis. Pensiles quoq; in tabulatis custodiantur. Alii mustum habentibus doliis, dum ne contingant ipsum vuæ, suspendunt: quo genere tales remanent, quales à vite fuerint decerptæ. In dolio quoque picato exclusa omni aura, gypsato diligenter operculo, integræ, quæ nulla in parte senserunt offensam, appenduntur. Simili

modo litæ figulino luto, sic subacto, vt mellis referat crassitudinem, intinctæ pendeant, & ad vsum eluantur. Item portulacæ succo illitæ pensiles diu custodiuntur. In solidum annum vuas seruabis, si ante vindemias paulo lectas aqua calida alumen continente demerseris, & protinus raptas sustuleris. Seruantur etiam in melle. Palladius hæc in vniuersum. Vuas quas seruare volumus, legamus illæsas, neq; acerbitate rigidas, neq; maturitate defluentes, sed quibus est & granum luce penetrabili splendidum, & tactus cum molli iucunditate callosus. Si qua sunt corrupta vel vitiosa resecemus, nec patiamur interesse, quibus inexpugnabilis acerbitas contra blandimenta æstiui caloris induruit. Tunc incisos botryonum tenaces, calida pice oportet ambiri, atque ita in loco sicco, frigido, & obscuro, sine luminis irruptione suspendi.

Vuæ passæ faciendæ ratio. CAP. XXXVI.

APATIENTIA nomen acinis datur passis. Ita facere docet Florentinus passam vuam. Melioris acini, dulcis, & lucidi pediculos vuarum in parente torqueri, & vt sponte inarescant pati, deinde sublatas in vmbra suspendi, constrictasq; substratis pampinis algore sicco frigentibus componi, & impleto vase operculari, statimq; loco sicco, quem nullus fumus infestet, recondi. Columella. Albæ, dulcissimi saporis, maximis acinis, nec spissis, Luna decrescente, sereno & sicco cœlo discussis roribus leguntur, & paulisper sic, ne inter se pondere suo pressæ possent collidi, in sabulas porriguntur. Deinde in aheno, vel olla fictili noua, lixiuium cineris sarmenti calefieri conuenit, quæ quum feruebit, exiguum olei quàm optimi adiici, atque permisceri. Deinde vuas pro magnitudine binas aut ternas inter se colligatas, in ahenum feruens demitti, & exiguum pati, dum decolorentur, nec rursus committendum, vt excoquantur, nam quadam moderatione, temperamentoq; opus est. Exemptæ dein in crate, rarius quàm vt altera alteram contingat, disponuntur, & post tres horas vnaquæq;, sic tamen ne eodem vestigio cohæreant, conuertitur, ne in humorem, qui defluxerit, vitietur: noctibus contegi debent vt à rore vel pluuia tutæ sint. Quum modicè tamen aruerint, in vasa noua, sine pice operculata, & gypsata recluduntur. Quidam vuam passam foliis ficulneis inuoluunt, & assiccant, alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semiuietas vuas contegunt, & ita in amphoras contegunt. Sunt qui culmos fabæ exurant, & ex eo quem cremauerint cinere lixiuium faciant, deinde in sextarios decem lixiuiæ salis tres cyathos, & olei cyathum adiiciant, tum adhibito igne calefaciant, & cætera eodem modo administrent.

De vitis materie. CAP. XXXVII.

NEC de eius materie tacendum est. Theophrastus hæc de eius materie habet. Vitis lenta materies, qua de causa scuta ex ea facere solent. Icta enim protinus plagam contrahit. Sed quæ minus fructificat, solidior est. Plinius.

nius. Iouis ſimulacrum in vrbe Populonia ex vna conſpicimus vite, tot æuis incorruptum. Item Maſſiliæ pateram: Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetit. Etiamnum ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite vna Cypria, vt ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec eſt ligno vlli æternior natura. Verùm iſta ex ſylueſtribus facta crediderim. De ſimulacro Dianæ Epheſiæ ambigitur. Cæteri ex ebeno eſſe tradunt. Mucianus ter conſul, ex his qui proximè viſo eo ſcripſere, vitigineum, & nunquam mutatum, ſepties reſtituto templo.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI VILLAE

LIBER NONVS SIVE HORTVS CORONARIVS.

PROOEMIVM.

ARBVSTO vix egredientis flores ex proximo coronario horto miris ſuis illecebris viſum, olfactumque ceperunt odoris effluiuo, & inenarrabili colorum varietate. En hortum reſeramus, ingredimini hilares, licet ſpatiari, & eius iucunditate frui. Nullibi enim maior, quàm ex aſpectu, odore, & viribus noſtri animi recreatio accedit: flores enim tam vario colorum ornatu laſciuiens natura depinxit, vt nulla in re tam magno ſuæ fertilitatis gaudio eouſq; luſiſſe videatur. Nec maius ornamentum ex vllis quãtumuis artificioſè contextis topiariis, aliiſve operibus, hortis accedit, quantum ex odoratis coronariis, ſine quibus horti gratia, & amœnitate deſtituuntur. Eorum odore ſpiritus refouetur, torpens animus exhilaratur, collapſæ vires redintegrantur, & ſubinde ſomnus conciliatur. Omitto medices materiæ vtilitatem, vt nulla pars corporis male affecta ſit, quin ex floribus remedium adhiberi nequeat. At ſi quis hoc munus agricolis minimè conuenire dicat, nónne Cato in horto ſuburbano coronamentorum omne genus conſeri debere præcipit? Et Plinius hortis coronamenta conuenire ſcribit, quibus apes depaſcantur, præ-

cipui quæstus, compendiiq;. Decebat quippe Campanum hominem anthologicô scribere, quum antiquitas Ægyptum terrarum omnium accommodatissimã vnguentis habuerit, & Campaniam rosarum copia celebrauerit. Sed quem seruauri sumus ordinẽ, pronunciemus. In arbusto & vinea de vite diximus, media inter herbas & arbores, vtpote frutice, sed medii inter frutices & herbas suffrutices sunt: vocat autem Theophrastus coronarios flores suffrutices: id tertium est ex generibus, in quæ principio plantas digessimus. Hortus hic herbas coronarias, & flores cõtinebit, diceimusq; de corollis, quę ex his nectuntur. Nos de floribus primò, post de herbis. Sed flores vel odorati, & hi verni, vt rosa, liliũ, leucoiũ, viola, narcissus: vel æstiui, vt iasmes, & flos caryophyllorũ odore, vel hyberni, vt crocus. Vel inodori & verni, vt hyacinthus, chalta, gladiolus, helyochrysus, vel ęstiui, vt cyanus, lychnes, & amarantus, vel autumnalis vt anemone, petilius, vel hyberni vt cyclaminus, hedera, cilicia, spina, ægyptia. Herbę vel odoratæ, vt abrotonum, serpillum, amaracus, sisymbrium, helenũ, trifolium, baccaris, libanotis, melissophyllon, conita, lauandula, vel inodoratę, vt hedera. Sed floralia ingrediamur, & primum coronas nectamus.

De corollis, earum vsu, & inuentoribus. CAP. I.

COROLLAS breuiter attingemus: esset enim friuolum amplam de iis suscipere tractationem, quum ab Athenæo, & aliis satis amplè tractatum sit pòst de floribus, quæ digna videbũtur, memorabimus. Tenuioribus corollis vtebantur antiqui, strophia appellantes, vnde nata strophiola. Quũ verò è floribus fierent serta, à serendo seruiæ appellabantur: paulatimque & Romæ coronæ subrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollariis. Hæc Plinius. Sunt qui coronas à choro dictas putent, licet aspiratione careat, siue quod honorent eos, quibus imponuntur. Auctorem & inuentorem coronæ Ianum biformem Græci prædicant, eáq; in Græcia factitatam à Stephano primum asserunt, ob id & nomen sertis datũ vt stephani vocarentur. Oleagineis coronis ministri triumphantium donabantur, quòd Minerua dea belli esset, & oleæ præesset. Obsidionalis corona è gramine erat viridi, ex eo loco decerpto in quo erant inclusi, dabatur Imperatori, qui liberauerat obsidione hostibus obsessos, & magnæ authoritatis fuit. Ciuica iligna fuit, frondem habens perennem. Hanc dabant testem vitæ, salutisque percepę ciui, à quo liberatus fuerat in pręlio: è fronde querna texebatur, quoniam antiquissimus cibus ex quercu capi erat solitus. Myrtea corona Papyrius vsus est, quòd Sardos in campis myrteis superasset. Ouantis etiam myrtea erat, quã gerebant Imperatores, qui vrbem ouantes introirẽt, quum bella sine sanguine cõfecta erant. Transiere deinde ad rosarias, eoq; luxuria processit, vt non esset gratia nisi mero folio. Laudatissimæ habebantur, quæ ex folio nardi necterẽtur. Mos tamen antiquis inoleuit, vt post cœnã circumferrentur conuiuis, sed aut hedera, aut lauro, aut herbarum floribus versicolore commistu struebãtur: quas ludicras, & puellares vocabant. Liber vini repertor, quòd medicamentum

dicamentũ suauissimum simul, & vehementissimum adinuenisset, fertur hederá suis viribus huic repugnãtem, in honorem ac pretium adduxisse, eaq; coronari debacchantes edocuisse, quo minus vini noxam sentirent, hedera suo frigore temulentiam restinguente. Iuglandẽ è coronamentis abdicarunt, quæ καρύα à capitis grauitate propter odoris virus dicitur. In cœnis quum merum caput occuparit, arcemq; sensuum obsederit, hominẽ conturbat, cui mitis aura florum naribus hausta succurrit, caputq; ab ebrietate propugnaculi vice tutatur, quia si flores calida præditi sunt natura, laxant spiracula, quibus vinosus euadat vapor. Si frigidis vt rosis violisq; coronę struuntur, astringẽti sua vi noxios halitus repellunt, & capitis grauitatem corrigunt. Ligustri, croci, & baccaris flores, odore somnos alliciunt, & ad placidam quietem potos perducunt: expirant enim lenem auram, ac blandum odoris effluuium, quo in temulentorũ corporibus inęqualitates obortæ sensim dissipentur, & excoquantur, vt conciliata tranquillitate crapula retundatur. Sic flores bifariam coronamẽtis inseruntur, vel vt capitis grauitatẽ abigant, aut somnum placidum accersant. Verùm quę floribus concinnatæ, ceruici colloq; tanquam pensiles gestantur, Græcis ὑποθυμίδας appellantur, hinc odores naribus rapti, suo calore cerebrum feriunt. Cæterũ coronarum, quæ sola varietate placent, duo genera: nam aliæ flore, aliæ folio constant. Florem dixerim genistas: nanq; in iis decerpitur luteus. Item rhododendrõ. In vepribus nascitur cyclaminũ, cuius flos colossinus in coronas admittitur. Folia smilacis, & hederæ se coronamentis dedere, coronæ earum obtinent principatum. In coronamenta folio venere cunilago, melissophyllon, & melilotõ, quod sertulam Campanam vocant. Coronas ex hac antiquitus factitatas indicium est nomen sertulæ, quod occupauit: placet maximè foliis breuibus, & pinguissimis. Folio coronat trifolium asphaltiõ maiore folio, quo vtuntur coronarii, vtũtur hederę foliis, corymbis, & flore purpureo, in iis colos tantũ delectat, odor abest. Helichrysi flore immortali aureo se plerosq; coronare Theophrastus scribit, vt gratiam ineant, & vitæ gloriã concilient, & cætera quæ longi esset laboris describere. Aristoteles & Ariston Peripateticus, vterq; libro amatoriorũ secundo scribit, ob dolorẽ & grauitatem capitis à vini potu molestam, vinculũ quoduis tẽporibus antiquos admouisse, quod eã ligaturã prodesse crederẽt, posteros autẽ vt quidpiam ornatus adderent, tẽporibus quod cõpotationis oblectamentũ est, coronas excogitasse, quòd tempora, & frontem vinciri ad vini noxam conducat. Ad id Anacreon,

Superciliis ex apio corollas superimposuimus,
Lætumq; Baccho festum, & conuiuium celebrauimus.

At quæ odore caput feriunt, & quicquid grauare, aut opplere alioqui posset, reiecerunt, vt ex lauro & amaraco. Sed hæc sufficiant, si quis plura volet, adeat Athenæum libro decimoquinto.

De Flora dea, & floralia quomodo celebrarentur. CAP. II.

aquæ addita, quæ musti expressa sit, & ita die ac nocte madefactis vinaceis, & rursus prælo subiectis. Alterum quomodo Græci factitauere, tertia parte eius quod expressum sit addita aquæ, expressoq; decocto ad tertias partes. Tertium est fecibus vinum expressum, quod fecatum Cato appellat. Nulli ex his plus quàm anno vsus.

Quomodo mustum in dolia condendum. CAP. XXIIII.

POST perfectam vuarum calcaturam, quomodo mustum in dolia condendum sit, docet Diophanes. Dolia ante vini infusionem meraca muria per spongiam emundare oportet, & thure suffumigare. Oportet neque valdè plena facere, neq; nimium vacua, sed coniicere quantum verisimile est mustum efferuescens augmentum facere posse, vt ne superfundatur, & vt spuma vsq; ad labia eleuata, quod solum est impurum expuat. Purgandum est consequenter mustum in doliis ad dies quindecim, & tum manibus, tum scyphis spuma auferenda, & si quid aliud superfluum fuerit: purgamenta verò omnia extra locum, in quo dolia sita sunt, exportentur, & valdè procul reiiciantur. Si enim in vicino manserint, culices ex ipsis corruptis enascuntur, & malus fœtor excitatur, quæ ambo vinum in vappam conuertunt: quare bonum odorem in torcularibus, & cellis vinariis procurandum. Florentinus ne vinum superfundatur, hoc adinuenit: Coronam ex pulegio, aut calamintha, aut origano ad colla vasorum circumponit. Quidam interna doliorum labra caseo bubulo perlinunt, cohibet enim intro musti ipsius feruorem. Docet Democritus mustum, quod per pluuias frequentes imbecillitatem contraxit, crebro imbre perfusa vua, quod probari ipsius gustu poterit, sic curari debere. Statim atq; primum efferbuerit mustum, in noua dolia transferunt, in fundo enim sidit suo pondere feculentum omne & aquosum, atque in metretas decem vini tres salis heminas adiiciunt. Vel mustum decoquunt, donec pars eius vigesima possit absumi. Melius fieri dicunt si centesima gypsi pars adiiciatur. Lacedæmonii eo vsque decoquunt, donec vini quinta pars pereat, & quarto anno vsibus ministrant.

Quomodo vina elutrianda. CAP. XXV.

VINUM elutriari oportet, Zoroastræ doctrina, borealibus ventis spirantibus, nequaquam verò australibus; infirmiora vere, fortiora æstate. Quæ verò in squallidis locis nata sunt, post hyemale solstitium. Vinum plenilunio in alia vasa transfusum acescit. Nosse oportet: vinum à fece, vnde alimentum habet, liberatum, tenuiorum partium, & imbecillius redditur. Prouidendum est hyeme calefiat, æstate frigescat. Intermestruo quum Luna silet, elutrianda vina. Sotion in prælunaribus maxime diebus, hoc est prima, & secunda die priusquam Luna hominibus appareat, transfusionem fieri tradit. Obseruari præterea exortus syderum, & emersus, in iis enim fæcem moueri volunt. Item quum rosa floret, aut germinat vitis, qua fron-

dente

dente consulunt sapientes, præsertim Hesiodus, aperto dolio, summũ imumq; vinum expendendum: quod medias tenet dolii partes, seruãdum vtpote quod & validius, atq; durabilius, ac vetustatis patiens existimetur. Quod enim summis vasis faucibus residet, aëris consuetudine vires exhauriente, degenerat in vappam, quod fundo sidit, fęcis vicinitate vitiatur. Quod ita cecinit Hesiodus,

Principio vasis saturum, & fine esse iubemus,
In medio parcum.

Vasa non ad summum vsq; labrum replenda, sed faucibus tenus, ne occlusos spiritu strangulentur, coercitaq; suspiret aura. Addit Plinius. Vinum transferre in vasa, in quibus acetum fuerat, melius, quàm in ea, in quibus dulce, aut mulsum.

Prognostica vinorum durabilium, peruertendorumq;.
CAP. XXV.

TRANSFVSO in dolia vino, monet Africanus, fex ipsa in dolio relinquatur, ac diligenter dolium cooperiatur, frequenterq; olfactu experimentum sumendum est, an aliqua transmutatio fecum fiat, vt si culices, aut eiusmodi quippiam gignatur, id signum vinum corruptum iri; si nil tale contingat, permansurum. Alii pertusam harundinem ad fæces vsq; dimittunt, supernumq; harundinis foramē digito magno obturãt, mox ablato digito per foramen olfaciunt, vel aliquid fæcis exugunt, & ex fæcis qualitate quale futurũ erit vinum coniiciunt. Alii parum de vino feruefaciunt, & refrigeratum gustant, & ex sapore de cætero quale vinum futurum sit iudicant, verũ de medio vase vinum accipiendum ad experimētum. Alii ex operculis vasorum prognostica concipiunt. Detecto enim dolio, humiditatem ipsis inhærentem degustant, & tale vinum fore conicctant: nam si vinosus est sapor, optimi vini signum, si aquosus, peruersuri. Alii à sapore auspicantur præsagia: nam si austerum sapit, securitatem indicat, si molle, contrarium. Licet idem ex supernatante flore coniicere. Si mollis, latus, & purpurei coloris, securius vinum promittit, si glutinosus, reprobi signum: si niger, imbecille: albus diuturnum vinum significat. Si telæ araneæ contextus, acoris indicium. Rursus si serpentem viti implexum vindemiæ tempore videbis, vinum acidum expectabis. Si dum calcatur mustum, aut in dolia conditur, crassum & glutinosum fuerit, quod tactu deprehendes, durabilius vinum erit: si tenue, facilè peruersurum. Vinum in musto austerum, perenne, & in posterum iucundum fore, dulce verò nō durabile. Tactu etiam cognosces, vas tactu calidum, nō firmum vinum, frigidum contra diuturnius. Vinum gustu calidum, vel frigidum idem ostendit. Operculum dolii siccum, firmissimum vinum indicat, si humidum, peruersionem. Si aceti mulsi odorem habebit, transuasari ostendit, vas talis odoris causam scito. Alii manus in vinum immergunt, iisque exiccatis ex odore coniiciunt: peruertendi enim vini acidior olfactus. Alii super harenam vinum coniiciunt,

& percolant, si non transmutabitur, probatissimum habent. Vina quia peruerti solent in solstitiis,& vite germen fundēte: ob id eo tempore probationis talia experimenta sumunt. Alii laminas ex plumbo, stanno, vel ære faciūt longitudine,& latitudine trium digitorū,& detersas operculo doli adglutinant,& opercula doliis ob lunt,& post quadragesimū diem aperiunt, si laminas puras reperient, vinum dulce, odoratum,& sanum iudicant, at si plumbeā albescentem, in cerussæ speciem, si stanneam, nigrescentem, si æneam, in bullas erumpētem, non sanum. Alii polentam ammiscent,& vbi desederit, gustant. Alii apii semen, hordei furfures, lauri folia, vitis nigræ sarmenta in efferuescens & bulliens vinum iniiciunt,& refrigeratum gustant:& hoc modo experimētum capiunt. Plinius. In vitium inclinantis vini experimentum est laminæ plumbeæ mutatus in eo colos. Flos vini cādidus probatur, rubeus triste signum est, si non is colos vini sit. Item vasa incalescentia operculave sudantia. Quod celeriter florere cœperit, odoremq; trahere, non fore diutinum.

De tempore,& modo gustandi vinum. CAP. XXVI.

SVNT & fraudes œnopolarum, quæ peruersum vinū optimum gustātibus demonstrare possunt, nō quòd ipsi eiusmodi imposturas aliis faciamus, sed ne per tales circumueniamur & ne ab eis fallamur, eas nos docet Florentinus. Qui borealibus ventis flantibus vina degustant, qualia sint non cognoscunt, quia tunc incommota manent. Sed experti œnoptæ Austro spirante gustant, quia auster vinū commouet, & quale sit arguit. Ieiunus vinū ne gustet, tunc enim gustus est hebes, neq; à crapula id degustandū. Oportet gustantem, neq; acres, neq; salsos cibos, qui comedentis gustū immutant, præsumpsisse: sed paucissimum cibum, eumq; nondum concoxisse. Emptoribus borea spirante, vinū ad gustandum exhibeto. Alii emptoribus imposituri, doliū nouum habent, quod optimo, vetere, ac odoratissimo vino replent,& ita fallunt gustātes, putantes odoris fragrantiam contēti vini esse, quū in dolio diutius ea qualitas inhæreat. Caupones caseum,& nuces exhibent potantibus, quo exactus sensus gustus corrumpatur. Zoroaster syderū exortu dolia aperiri nō debere admonet, tunc enim motus fit vini,& non cōuenit ipsum cōtrectare. Et si in die dolium aperies, soli vmbrosum aliquod oppones, ne splēdor vino illabatur. Si noctu, necessitate vrgente, doliū aperturus, aduersum lumē Lunæ indē excipies. Laborat vinū, vt Paxamus tradit, occasu Pleiadum, itē bruma, vel quū flore vitis exuitur, æstiuo solstitio, vel exortu Caniculæ. Sentiunt vitia, quum cœlum incendio flagrat, quum etiā nimio frigore riget, quū vehementer incesserunt pluuiæ, item quum duro tonitru cōcutitur aut violentis coruscat fulgetris. Plinius. Bruma aperiri vetant, nisi sereno die: vetant Austro flante plenave Luna.

Quomodo mustum dulce toto anno habeamus. CAP. XXVII.

MVSTVM vt semper dulce,& tanquam recens toto anno permaneat, sic facito. In amphoram mustum indito, & corticem oppicato, demittito in piscinā, post trigesimum diem eximito, totum annum mustum erit. Cato,

Vel

Vel antequam prœlo vinacea subiiciantur de lacu quàm recẽtissimum addito mustum in amphoram nouam, eamq; oblinito, & picato diligenter, ne quicquam aquæ introire possit. Tunc in piscinam frigidæ, & dulcis aquæ totá amphoram mergito, ita ne qua pars extet, dein post quadraginta dies eximito, & vsq; in annũ dulce permanebit. Hęc Columella à Florentino Gręco. Mustum prochyma dictum Græcis, quod sponte distillat antequã calcetur, eodem die in vas intus, & extrà picatum conde, vt ad medietatẽ vas repleatur, & addito operculo diligenter obline gypso. Ad multũ enim tempus mustum dulce permanet. Diutius permanebit, si vas per pelliculã obturatũ, & conclusum in puteũ per triginta dies dimittatur, propterea quod nõ efferuescit, & semper mustũ erit. Si quis etiã leniter vuas calcauerit, vt nõ premãtur, hoc ipsum habebit. Alii in vetus vas à vetere vino mustum infundunt. Alii vas intra & extra picatũ in puteũ imponunt, vt labra tantũ superemineant. Alii in humidã arenam vas infodiunt. Alii super vas vinaceis obrutũ harenã humidàm accumulant. Alii in vas non picatũ mustum condunt, & nitro Alexandrino tuso adiecto in vmbra deponũt. Experimentũ suprà descriptũ probauimus, & verũ inuenimus, immo etiam per bienniũ sub aqua latuit, & optimũ repperimus. Alio quoq; artificio dulce vinũ Columella facit. Vuas legito, in sole triduũ expãdito quarto die meridiano tẽpore calidas vuas proculcato, mustũ lixiuium, antequã pręlo sit pressum, de lacu tollito, quũ deferbuerit in sextarios quinquaginta irim benè pinsitã nec plus vncię pondere addito. Vinũ à fęcibus eliquatũ diffundito: hoc erit suaue, firmum, & corpori salubre. Didymus ita facit. Triginta diebus antè vindemiã sarmentum ferens botros intorquẽt, omniaq; folia auferunt, quo illabens sol humorẽ consumat, & vinũ dulce facit, quemadmodũ per cocturã nos facimus. Intorquent sarmenta nimirum, vt racemos ab humiditate, & alimento ex vite abstrahant. Alii postquã racemos foliis denudarunt, & vuæ iã corrugari incipiũt, collectas racematim ad solem exponũt, donec passę fuerint, post sub eodẽ meridiano sole sublatas in torcular transferunt, & reliquam diem ac insequentẽ noctem sinunt, & sub diluculũ calcant, vel iã expressum, & in doliis conditũ mustum per triduũ deoperta relinquũt, mox opercula addunt nõ valdè osculis congruentia, sed virgis interpositis superpendẽtia: post quintum diem opercula exacte obdenda, cinere aqua subacto illita, paruis foraminulis relictis, quæ & post septimum diem claudantur. Et si dulcius quæris, ad dies quinq; dolia deoperta sinito, mox opercula addito. Plinius Mediũ intęr dulcia vinumq; est quod Gręci aigleuces vocãt, hoc est semper mustũ. Id euenit cura, quoniã feruere prohibetur: sic appellant musti in vina transitũ. Ergo mergũt è lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat & cõsuetudo fiat algẽdi. Est etiamnum aliud genus eius per se, quod vocat dulce Narbonensis prouincia, & in ea maximè Vocõtii. Asseruatur eius gratia vua diutius in vite pediculo intorto. Ab aliis ipse palmes inciditur in medullã, ab aliis vua torretur in tegulis.

An vinum habeat ammistam aquam. CAP. XXVIII.

PYRA ſylueſtria, hoc eſt crudiſſima Sotion in muſtum coniicit, & ſi aquam habuerit, ad fundum merguntur. Democritus verò inquit. Si ſcire cupis emptor, ſi nullam miſtionis fraudem vinum experitur, mala, aut pyra ſylueſtria, aut locuſtam, aut cicadam in vas mittito, quod ſi ſupernatauerint fluitantia, meri ſincerique putat indicium, ſi demergantur, aquam contineri. Aliqui arundinem, papyrum, fœnum, lignum, aut aliquid ſarmentoſum oleo illitum dolio mandant, deinde extrahentes conſiderãt, ſi oleo guttulæ aquæ ſtillatim congeſtæ cohæreant, quòd ſi deprehendatur, aquam cõtineri certũ eſt. Vel ſi in ollam nouam antea nullo perfuſam humore biduo vinum adhibeatur, ea miſtam aquam extillabit. Alii calefactum vinum ſub dio in nouum mittunt fictile, ſi aquam habeat degenerat in acetum. Alii in viuam calcem vinum iniiciunt, ſi ſincerum eſt, hanc cogit: ſin aquoſum, diffundit. Porrò ſi in ſartaginem feruens oleum capientem vinum aquam habens funditur, obſtrepet, & bullans exiliet. Alii ſpongia oleo imbuta ſpiraculum vaſis obturant, & inuertunt, ſi aqua inſit, à ſpongia manans effluet. Africanus in dolium vini liquidum alumen infundebat, & penicillo oleo perunсto dolii ſpiraculum operculabat, per quod inclinatum ſola profluebat aqua. Ad hęc Cato: Si voles ſcire in vinum aqua addita ſit nec ne, vaſculum facito de materia hederacea. Vinum id, quod putabis aquam habere, eodem mittito. Si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit, nam nõ continet vinum vas hederaceum. A quo Plinius: Ederæ mira proditur natura ad experienda vina. Si vas fiat ex ligno eius, vina transfluere, ac remanere aquam, ſi qua fuerit mixta. Sed hoc falſum eſt, nam quum experiremur, aqua effluit, vinum remanet. Sed lignum viride ſit oportet. At quomodo à vino aqua ſeparetur, in Naturali Magia longius exequuti ſumus.

De defruto coquendo. CAP. XXIX.

VASA, quibus defrutum coquitur, aut ſapa, plumbea potius, quã ęnea eſſe debent: nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis ſaporem vitiant. Odores qui cum defruto apti ſunt coquantur, iris, fœnumgræcum, ſchœnum. Harum ſingulæ libræ in defrutarium quod ceperit muſti amphoras nonaginta, quum iam deferbuerit & expurgatum erit, tum adiici debent. Deinde ſi natura tenue muſtum erit, quum ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis ſubtrahendus eſt, & fornax aqua refrigeranda. Quanto plus decoquitur (ſi modo non aduritur) melius, & ſpiſſius erit. Plinius: Decoquitur muſtum vſque ad tertiam partem menſuræ. Quod vbi factum ad dimidiam eſt, defrutum vocamus. Omnia in adulterium mellis excogitata. Ipſa quoque defruta ac ſapas coquũt quum ſit cœlum ſine Luna, hoc eſt in ſyderis eius coitu, neque alio die coqui iubent. Præterea plumbeis vaſis non æreis, nucibus iuglandibus additis: eas enim fumum excipere. Campaniæ nobiliſſima expoſita ſub dio in cadis verberari Sole, Luna, imbre ventis aptiſſimum videtur.

Tempus

Tempus defrutum coquendi, noctu silente Luna, aut si interdiu plena, cæteris diebus, aut ante exortū Lunæ, aut post occasum. Ne de nouella vite, aut palustri, nec nisi è matura vua, nec nisi foliis despumandum, quia si ligno contingatur vas, adustū ac fumosum fieri putant. Leontius sapam docet. Musti optimi sextarios v I I, vini optimi sextarios centum, si ad tertias decoxeris, & despumaueris, sapam egregiam parabis.

Remedia ad vina. Cap. XXX.

MVLTA sunt apud antiquos rei rusticæ scriptores ad vina remedia, nos ea tantùm, quę ad vsum nostri tēporis esse possunt, huc afferemus. Columella affert remedia acescentis vini. In quo agro vinū acescere solet, curandum vt quum vuam legeris, & calcaueris, priusquā vinacea torculis exprimantur, mustum in corbem defundas, & aquæ dulcis puteanæ ex eodem agro partem decimā adiicias, & coquas, donec aqua quā adieceris, decocta sit. Quum refrixerit, in vasa defundas, operias, & oblinas, ita diutius durabit, & detrimenti nihil fiet. Melius erit, si aquam pluribus annis seruatam addideris: longè melius si nil aquæ addideris, & decimam musti decoxeris, frigidumq; in vas trāstuleris, & si in sextarios v I I musti heminā gypsi miscueris, postquā decoctum refrixerit. Mustum reliquum, quod è vinaceis fuerit expressum, primo tēpore absumito, aut ęre cōmutato. E Frōtonis doctrina: Gypsum iniectū à principio quidem acrius vinū facit, progressu temporis acre quidem transpirat. Vtilitas autem de gypso resultans ad multū tempus perseuerat, durabile vinū facit, & acescere non permittit. Vino quod acorem quendam iam concepit, vt author est Tarentinus, medetur ollula aquę bonę plena, quæ diligenter operta in dolium demergatur, modica tamen respiratione relicta dolium occludatur. Post triduum inuenietur ab acore vinum sese recollegisse, & aquam olere, si pristinum robur resumpserit. Quare vsq; quò vinū perfectè conualescat, hoc facito. Alii lactis caprini quinquagesimam partē infundunt, & integunt, post quinq; dies elutriant. Diximus suprà vina laborare, quū cœlum tonitru cōcutitur, aut crebris coruscat fulgetris. Arcere tonitrus, & fulguris noxam credidit Zoroastres, ferrū operculis doliorū superpositū. Alii admotos lauri ramulos cęca naturarū discordia vinū ab huiusmodi iniuria vindicare scripserunt. Vitiū musto quibusdā in locis iterū sponte feruere, qua calamitate iterū deperit sapor, vappæq; nomen acquirit. Docet Fronto: vinū peruersum in vappā, si à propria vitiosa fæce segregetur, & super vini boni fæcē fundatur, diuturnū erit. Quidam tedas accensas in musto extinguunt, & vinū transmutari non permittunt. Alii ferrum candens. Quidam cedri fructū, & gallas tostas, alii thus poticū vstu[m], alii cinerem sarmentorū vino iniiciunt. Alii in vasa recentia transfundunt, & in aliā domum transferunt, si à caliditate læsa sunt, in frigidos locos deponunt, si ab humiditate & frigiditate, in calidos & siccos. Alii fructum, aut lignū quercinū vrunt, & cinerem in vinū mittunt, alii nucleos oliuarum combustos vino cocto, sapa, defruto extinguunt, & tusos in vinū diffundunt. Sal tostus iniectus

vinum in vappam abire prohibet, impedit antè feruorem vltra quàm cõuenit extendere, & ſpumam vberiorem ſuperſtare. Ob id Plinius: Vinorũ medicaminis tanta cura eſt, vt cinere apud quoſdam inſtaurentur. Sed cinerem è vitis ſarmentis, aut quercu præferunt. Quum & marinam aquam eiuſdẽ rei gratia ex alto petii iubent, ſeruariq; ab æquinoctio verno, aut certè nocte ſolſtitio & Aquilone flante hauriri, vel ſi circa vindemiam hauriatur, coqui. Ob id vt diuturnius vinum fiat, idem Fronto amygdalas dulces in vinum nigrum coniicit, vel vuam paſſam ſua ſponte in vite factam, exempto vinaceo, cum harena madefacta muſto, aut ſapa, vel vitis radices, oleum ſtillaticium cum ſapa infuſum, veratrum nigrum & album modicè inditum, cicer nigrum, modicè toſtum & molitum, ſapam, lini ſemen muſto ammiſtũ, picem brutiam, contuſam, & per cribrum excuſſam, pinus reſinam, & alumen ſciſſum. Turbulentiã vini confeſtim reſidere promittit Anatolius, ſi decoctę ad tertias amurcæ ſingulas heminas in ſingulas vini metretas quis infundat. Fronto tradit argillam poſtquã vina deferbuerũt immiſſam ipſum purgare deferentẽ ſecum turbidum ad fęcẽ, atq; id magis toſtam. Itẽ candida ouorũ tria in vas coniecta, vt ſpumeſcãt, conturbato, adiicitoq; ſalem album, & vini partem, atq; emolito, donec quã albiſſima euadãt, deinde vino vas impleto, & in doliũ ſic diffundito ac reponito. Si ſitum oleat vinũ, aut aſperginẽ ſentiat, iubet Apuleius tædas pingues igni flagrantes in doliũ coniici, & accenſas in vino reſtingui. Alii candentem teſtã immergunt. Alii vas continens aquam obruunt, & poſt triduũ liberari vitio experiuntur. Alii apii ſemen, & folia intingunt, alii recentis caſei ſerũ permiſcẽt. Salignum lignũ vino inditum omnem nequitiam tollit. A ſerpente immiſſum virus, vt Democrito placet, ferreus anulus elicit. Sed aliud ad id affert Columella præſtantius. Si quod animal in muſtum ceciderit, & interierit, vti ſerpẽs, aut mus, ſorexve, ne mali odoris vitium faciat, ita vt repertum corpus fuerit id igne aduratur, cinisq; eius in vas, quò ceciderat, frigidus infundatur, atque rutabulo ligneo permiſceatur, ea res erit remedio. Sotion remedium affert, quo vinum florem non habeat. OEnanthem ſiccatam in vinum inſpergito, aut farinam erui, vbi verò infra ſeceſſerint flos & farina, vinũ in aliud vas transfundito. Columella monet, Si vinum florere incipiet, ſæpius curare oportebit, ne flos eius peſſum eat, & ſaporem vitiet. Si qua vina erunt duriora aut minus bona, quod agri vitio, aut tempeſtate ſit factum, ſumito fæcem boni vini, & panes facito, & in ſole arefacito, & coquito in igne, poſtea terito, & pondo quadrantem amphoris ſingulis infricato, & oblinito, bonum fiet.

Varii acetum conficiendi modi. CAP. XXXI.

SED res expoſtulat, vt quomodo acetum fiat diſſeramus ex vino, atque non ex vino commentitium multis modis. Eſt acetum vini vitiũ, quod ad luxuriam ceſſit hominibus, tot ad vſus expetitum, vt ſine eo vita mitior exigi non poſſet. Acetum ſubito ſic fieri Caſſianus ex Varrone promittit, ſi tuſam betæ

radicem.

radicem in vinum cõieceris, post horas tres in acetum degenerabit. Quod si in pristinum statum restitui voles, brassicæ radicẽ indidisse satis est. Mirũ acorem concipere tradit Sotion, si aridi vinacei, aut pauci vuæ acerbæ acini demittantur. Pyrethrum infusum acorem supra modum accendit, si cũ vna parte feruefactum reliquæ miscueris. Acerrimum idem fieri putat, & suaue, vetustis graminis radicibus, aut immerso lactis sero, aut cinere querno, aut candentibus carbonibus in eo restinctis, aut si ciceribus, testisve igni fragrantibus acetum vtatur. Diu suum acorem tueri refert Apuleius, si fabæ cũ citrii mali succo vasi cõfundantur. Si scire vis acetum an aquam habeat, iniecto alumine si tanquã feruescens intumuerit aquam continere, Apuleius existimat. Dulce sic fieri acetũ Sotion docet, quo post triginta dies quis vtatur: Musti quod vuarũ calcatu confluxit vnã metretam in duas aceti addũt, simulq; coquũt vt triens modo supersit. Alii mensurã musti duplam, aquæ potabilis triplã ad aceti vnã partem discoquunt, dũ totius modi dimidiũ restet. Alii acerrimi aceti amphorã & musti tantundẽ miscent, pice vase oblito, & post idẽ tempus vtuntur. Duplicari acetũ promittit Africanus, si conspicuã mensuram aceti acceperis, velut metretã, & ad ipsam aquæ marinæ ad dimidia coctæ metretã vnam adieceris, & permista in vase reposueris. Quidam ordeum macerãt, & percolãt, & ex cremore metretã ammiscẽt, & simul agitant, & salis torrefacti adhuc calentis partẽ sufficientẽ superingerunt, quo facto vasi operculũ obdunt, ipsumq; ad dies octo relinquũt. Fit cõmentitiũ ex non vino, hoc modo: Persica mala mollia, & torrefactũ hordeũ in vase mistim cõputrescere sinunt: expressus fisco succus, acorẽ concipit. Alii sine vino ita acetũ confingunt. Fici veteres & torridũ ordeum, & citriorũ malorum interna caro crebrius subacta, cõturbataq; colis exprimũtur, vt in aceti vicem succus cedat. Alii marinã aquam, & gypsum coquũt, admistaq; aqua fluuiali percolant in aceti vsum. Alii ex ficubus, quas in arboribus commadefactas in aquã coniiciunt cõputrescereq; sinunt, acetũ efficiunt. Ficulneũ acetum ita exactius docet Columella. Sunt quædã regiones, in quibus vini, ideoq; & aceti penuria est. Itaq; hoc eodẽ tempore ficus viridis quã maturissima legenda est, vtiq; etiam si iam pluuiæ incesserint, & propter imbrem in terrã decidit, quę quum sublecta est, in dolium vel in amphoras conditur, & ibi sinitur fermentari: deinde quum exacuit, & remisit liquorem quicquid est aceti diligenter colatur, & in vasa bene olida diffunditur. Hoc primæ notæ acerrimi aceti vsum præbet, nec vnquam situm, aut mucorem contrahit, si non humido loco positum est. Sunt qui multitudini studentes, aquam ficis permiscent, & subinde maturissimas ficus recentes adiiciant, & patiantur in eo iure tabescere, donec satis acris aceti sapor fiat. Postea in iunceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant, liquatumq; acetũ inferuefaciunt, dum spumam & omnem spurcitiam eximant, tum torridi salis aliquid adiiciunt, quæ res prohibet vermiculos, aliáve innasci animalia. Acetum de pyris ita componit Palladius: Pyra syluestria vel asperi generis matura in cumulo reseruantur per triduum.

Deinde mittūtur in vasculo cui fontanea, aut pluuialis aqua miscetur, & opertum vas per triginta dies relinquitur, ac subinde quantum sublatum fuerit aceti ad vsum, tātum redditur aquæ ad reparationem. Plinius, Vasa mellaria, aut fauos lauari aqua præcipiunt, & hac decocta fieri saluberrimum acetum.

Quomodo citra vuam vinum fiat. CAP. XXXII.

SOTION: Myrti, & corni recens fructus molitus, & expressus vinū facit. similiter vinū faciunt grana mali punici pura expressa, ablatis his, quæ in medio granorum existunt. Quidam & à viridibus ficubus vinum faciunt, explentes ipsis dimidiam vasis partem, ac reliquam aqua pura superfusa complentes, assidueq; ex gustu experimētum sumunt: quum enim vinosus apparuerit sapor, excolato vtuntur. Fit etiam potus è frumēto & ordeo, quo maximè vtuntur barbari. Fit ex olyra & auena parata, fit ex panico & milio. ex Berytio. Palladius ex pyris vinum fieri dicit, si contusa, & sacco rarissimo condita ponderibus comprimantur, ac prælo. Hyeme durat, sed prima æstate acescit. Februario mense, & Octobri, ex omnibus pomis vina conficit. Plinius Indos vinum ex palmis exprimere dicit. Cariotæ maximè celebrantur & cibo pridē, sed & succo vberrimæ, ex quib. præcipua vina Oriēti, iniqua capiti, vnde pomo nomen.

Quomodo vinum album fuscum facias, & vicissim nigrum album. CAP. XXXIII.

IN album colorem nigrum mutari vinum asserit Cassianus ex Varrone, si salis sordidi drachmas octo in decem heminis vini nigri miscueris. Idem contingere dixit, si serum lactis vino infuderis. Si quis vitis albæ sarmenta vsserit, cineremq; in vas indiderit, & commoto probè vino, ad dies quadraginta siuerit, vinum album erit. Contra verò album redditur nigrum, cinere sarmentorum nigrorum in ipsum coniecto. Palladius in Octobri ex his. In album colorem vina fusca mutari asserunt, si ex faba lomentum factum vino quis adiiciat, vel ouorum trium lagenæ infundat alborem, diuq; cōmoueat, sequenti die candidū reperiri: quod si ex afra pisa lomētum adiiciatur, eadem die posse mutari. Vitibus quoq; hanc esse naturā, vt alba vel nigra si redigantur in cinerem, vinoq; adiiciantur, ei vnamquamq; formam sui coloris imponere, vt ex nigra fuscū, cādidum verò reddatur ex alba, ea ratione scilicet, vt combusti sarmenti cineris modii vnius mensura mittatur in dolium, quod habebit amphoras decem, & triduo sic relictum post operietur, ac luteur. Album vel (si ita visum fuerit) nigrum reperiri quadraginta diebus exactis.

Quomodo vuæ in sua vite vsq; ad ver permaneant. CAP. XXXIV.

SERVANTVR & vuæ in sua vite, & à vite collectæ. Asserit Berytius vuā in patente seruari vsq; ad veris initia, si loco vmbroso scrobē fodias altitudine binum cubitorum, & misso sabulone adminicula figis, quib. intorques assiduè sarmēta fructibus plena, & illæsis vuis alligabis vt solū non contingāt, & cooperies, vt imber eò penetrare nō possit. Itē Tarentino docēte, vuas in vite si diu

seruare volueris, vasculis clausas fictilib⁹, ab ima parte pertusis, diligēter à summo tectas suspēde: sic in longã seruantur ætatem. Sed id exactius docet Columella. Nihil est tamen certius, quàm vasa fictilia facere, quæ singulas vuas laxè recipiant. Ea debent quatuor ansas habere, quibus illigata viti dependeant, itemq; opercula eorum sic formari, vt media diuisa sint, vt quum suspensa vasa singulas vuas receperint, ex vtroq; latere appositi operculi duæ partes coeant, & contegant vuas: & hæc vasa, & opercula extrinsecus & intra diligenter picata esse debebunt. Deinde quum contexerunt vuas, luto paleato multo adoperiri, sed vuæ dependentes à matre sic in pultarios condi debebunt, ne quæ partes vasa contingant. Tempus autem quo includi debent, id ferè est, quo adhuc siccitatibus, & sereno cœlo crassa, variaq; sunt acina. Plinius, Est duracina sine vllis vasis in vite seruabilis: tanta est contra frigora, æstus, tempestatesq; firmitas. Durant vuæ per hyemem pensili concameratæ nodo. Palladius, Vt vuam serues in vite vsq; ad veris initia: Circa ipsam vitem, quæ fructu plena est, loco vmbroso scrobem defodies altitudine trium pedum, latitudine duorum, & mittis sabulonem, & ibi calamos figis, in quibus retorques assiduè sarmenta fructibus plena, & illæsis botryonibus alligabis, vt solum non contingant, & cooperies, vt imber eò penetrare non possit. Quæ huc vsq; recitauimus maiorum adiumenta fuere, quę difficilis operationis incommodaq; sunt. Nos nostro inuento vsque ad Maium, & Iunium menses adseruauimus integram, vt vnà vetus vua & recens, vno, eodemq; palmite viseretur. Vitium, quæ prope domum consitæ sunt, quum iam vindemiarũ tempus recessit, sarmenta, flagella, flexilia per fenestram in contectum intorquemus, ac domicilii laquearibus, genistæ iuncis, qui loci vicem expleant, diligenter alligamus, vt immotæ permaneãt, sed aptè vt fenestræ reserari, & claudi possint: hoc modo frigoris tyrannidem, & sæuitiam anteuertendo, ab auibus custodiendo, ne eis depascantur, quum venti & gelicidia sæuiant, fenestras claudito, tepido, & sereno cœlo eas aperito, idq; vsq; ad ver. Quum iam vitis noua germina & frondes ostendit, eam aperto cœlo crede, & tepidis solibus apricari sinito, iam noua pullulante, vtramq; eodem palmite habebis. Nobis etiam aliter licuit idem facere. Putationis tempore iam aduentante, eligito bina sarmenta in vite, quæ certam spem fructus pariundi spondeant, desecato cacumina vtriusque, duos vel tres oculos relinquendo, ne tamen à sua matre reseces, ea per cretacei vasculi pertusum fundum traducito, ac vbi paululum supra vasis ora extabunt, repleto vas terra. Et si certius ac citius quoad fieri poterit id agere concupieris, æstate vas aqua plenum supra id accommodato, vt per laneam linguam paulatim, & continuò aquam in vas instillet, sic radices vegetius iniiciet, & inducet se in frondes & fructus. A vindemiis sub vase sarmenta abscinde, & in contectam domum feras, loco sicco, & tempestatibus tuto, videlicet cellis vinariis. Fenestras retibus obtegito, ne aues eas deuorent, hyeme serenis diebus apricari sinito: vbi gelicidia horrent, in calidio-

ribus locis adſeruato, & vſq; ad Auguſtum ſeruabis, vt ſimul vno palmite, & noua & vetus vua vigeat, colore, & vigore ſeruatis.

De variis vuarum conditurìs. Cap. XXXV.

CATO amineas maiuſculas, & minuſculas, & apicias condit in ollis, ollas in vinaceis. Eadem in ſapa, & muſto rectè condi dicit. Quas ſuſpendas duracinas, amineas maiores, & ſtantianas opportuniſſimas eſſe. Columella ita ſeruat. Vuas bumaſtos, duracinas, & purpureas quum deſecueris à vite, continuo pediculos earum impicato dura pice: deinde labellum fictile nouum impleto paleis, quàm ſicciſſimis cribratis, vt ſine puluere ſint, & ita vuas ſuperponito, tum labello altero adoperito, & circumlito luto paleato, atq; ita in tabulato ſicciſſimo cõpoſita labra paleis ſiccis obruito. Omnis autẽ vua ſine noxa ſeruari poteſt, ſi luna decreſcente, & ſereno cœlo poſt horam quartã quũ iam inſolata eſt, nec roris quicquam habet, viti detrahatur, ſed ignis in proximo decumano fiat, vt pix ferueat, in qua pediculi vuarum ſtatim demittantur. In dolium benè picatũ defruti amphoram coniicito, deinde tranſuerſos fuſtes ſpiſſe arctato, ita vt defrutum non contingant, tum ſuperponito fictiles nouas patinas, & in his ſic vuam diſponito, vt altera alteram non contingat, tũ opercula patinis imponito & linito. Deinde alterum tabulatum & tertium, & quamdiu magnitudo patitur dolii, ſimiliter inſtruito, & eadẽ ratione vuas componito, deinde picatum operculum dolii defruto largè linito, & impoſitũ cinere obturato. Nonnulli adiecto defruto contenti ſunt tranſuerſas perticas arctare, & in his vuas ita ſuſpendere, ne defrutum contingant, deinde operculũ impoſitum oblinire. Quidam vuas in vmbra refrigerant, & dolia noua ſine pice in ſole ſiccant, furfures ordeaceos adiiciunt, & vuas ita ſuperponunt, vt altera alteram non comprimat, tum generis eiuſdem furfures infundunt, & alterum tabulatum vuarum eodem modo collocant, idq; faciunt vſq; dum dolium alternis furfuribus, & vuis compleant, mox opercula impoſita linũt, & vuas ſicciſſimo & frigidiſſimo tabulato reponunt. Quidam eadem ratione arida populnea, vel abiegna ſcrobe virides vuas cuſtodiunt. Nonnulli ſicco flore gypſi obruunt vuas, quas non nimium maturas vitibus detraxerunt. Alii forficibus ſi qua ſint vitioſa grana ex vuis amputant, atque horreo ſuſpendunt, in quo triticum ſuppoſitum eſt. Sed hæc ratio rugoſa facit acina, & tam dulcia, vt paſſa. Vel ex ea creta, ex qua fiunt amphoræ, lata vaſa in modum patinarum fieri iubebant, eaque intrinſecus, & extrinſecus craſsè picari, tum vuas picatis pediculis in prædictis patinis ſeparatim cuiuſque generis ita componi, ne vuæ inter ſe contingerent, poſthæc opercula ſuperponi, & oblini craſſo gypſo, tum pice ſic picari ne quis humor tranſire poſſit. Tota deinde vaſa in aqua fontana, vel ciſternina, ponderibus impoſitis mergi, nec vllam partem earum pati extare: ſic optimè ſeruatur. Sed quum eſt exempta, niſi eo die conſumatur, aceſcit. Illud præcipiendum ne eodem loco mala

&

& vuæ componantur, nec malorum odor ad eas poſſit peruenire: nam huiuſmodi halitu acina corrumpuntur. Sed rationes, quas retulimus, non omnes omnibus regionibus aptæ ſunt, ſed pro conditione locorũ, & vuarum aliæ aliis conueniunt. Quibuſdã in locis ſereno cœlo, quũ iam ſol rorem ſuſtulit, quarta vel quinta hora, Luna decreſcente, & ſub terris exiſtente, modicè maturæ leguntur, in cratibus ſeparatim ponuntur, ſub tectum referuntur, arida tolluntur acina, & quum paulũ ſub vmbra refrixerint, ternę aut quaternę in ollas demittuntur, opercula pice obturantur, ne humoré tranſmittant, vinacea in dolio ſubſternuntur; & deorſum verſus ſpectantes ollæ cõponuntur diſtantes, vt interculcari poſſint vinacea, quę vbi conſpiſſata primũ tabulatum fecerũt, aliæ ollæ eodem modo componantur vſq; ad ſummum labrum, & ſuperpoſito operculo cinere doliũ linitur. Didymus vuas deſecari à vite ad hunc vſum præcipit decreſcente Luna poſt horam quartam, cœlo ſereno aut diſcuſſis à vento roribus. Similiter deligi è locis ſiccioribus ante perfectam maturitaté, addito vt Luna infra terrá ſit, vuas cum malleolo ſarmenti ſui duro, demptis forcipe corruptioribus acinis tabidis, & adhuc pubeſcentibus, ſic ne vitium tabis proximi ſentiant. Falcis acie citra violentiam ſecari, & illius pice igni reſoluta ſurculis ſeorſum, ita ne ſe contingere poſſint, pauimento ſubſtratis paleis, ſi fieri poſſit, maximè lupinorum, collocari, ſiquidé & duriores, & ſicciores eæ exiſtimãtur, & mures infeſtos abigunt. Sin deſint lupinorũ paleę, fabagineę aut eruinę, aut reliquorũ leguminum inuicé ſubſtituuntur. Ordeaceę in frumentaceo genere prę cellunt. Si deſiderentur, fœnũ quàm ſicciſſimũ in minutas diſſectum particulas ſubſternitur. Simili ratione frondoſos palmites pauimento ſpargere, vel ſuſpendi conuenit. Alii vuas ſuprà paululum obruunt. Sunt qui malunt in picatis capſis vuas in ſcobe, ramentíſve ſiccis piceæ, abietis, populi, vel milii farina recondere. Alii in marinam aquam feruentem, aut ſi non adſit, in muriam, permiſto vino macerantes immergunt, & ita ordeaceis paleis ſeruant. Quidam in cinere vitigineo, vel ficulneo lixiuio tingunt, mox in ſole ſiccant, tum inuolutas paleis ſtipant. Sunt qui in granariis protinus ſuſpendi iubeant, quibus frumentum vannis agitatur, quoniam optimo ſit operimento puluis inſidens penſilibus: ita longiſſimo tempore ſeruari volunt. Alia cuſtodiendi ratio. Aquam ad tertias incoctam mox ſub dio refrigeratam in dolium picatum fundunt, poſtea maturas vuas, ſolidos acinos habentes, detractis putribus & immaturis obruunt ita, vt ſuperueniat aqua, nec fluitent, gypſatoq; diligenter operculo, vas loco frigido, ſolem diei non admittente, quo etiam nullus ſuccendatur ignis, reponitur. Vinoſa reperietur aqua, fallendæ laborantium ſiti non inutilis. Penſiles quoq; in tabulatis cuſtodiantur. Alii muſtum habentibus doliis, dum ne contingant ipſum vuæ, ſuſpendunt: quo genere tales remanent, quales à vite fuerint decerptæ. In dolio quoque picato excluſa omni aura, gypſato diligenter operculo, integræ, quæ nulla in parte ſenſerunt offenſam, appenduntur. Simili

modo litæ figulino luto, sic subacto, vt mellis referat crassitudinem, intinctæ pendeant, & ad vsum eluantur. Item portulacæ succo illitæ pensiles diu custodiuntur. In solidum annum vuas seruabis, si ante vindemias paulo lectas aqua calida alumen continente demerseris, & protinus raptas sustuleris. Seruantur etiam in melle. Palladius hæc in vniuersum. Vuas quas seruare volumus, legamus illæsas, neq; acerbitate rigidas, neq; maturitate defluentes, sed quibus est & granum luce penetrabili splendidum, & tactus cum molli iucunditate callosus. Si qua sunt corrupta vel vitiosa resecemus, nec patiamur interesse, quibus inexpugnabilis acerbitas contra blandimenta æstiui caloris indurruit. Tunc incisos botryonum tenaces, calida pice oportet ambiri, atque ita in loco sicco, frigido, & obscuro, sine luminis irruptione suspendi.

Vuæ passæ faciendæ ratio. CAP. XXXVI.

APATIENTIA nomen acinis datur passis. Ita facere docet Florentinus passam vuam. Melioris acini, dulcis, & lucidi pediculos vuarum in parente torqueri, & vt sponte inarescant pati, deinde sublatas in vmbra suspendi, constrictasq; substratis pampinis algore sicco frigentibus componi, & impleto vase operculari, statimq; loco sicco, quem nullus fumus infestet, recondi. Columella. Albæ, dulcissimi saporis, maximis acinis, nec spissis, Luna decrescente, sereno & sicco cœlo discussis roribus leguntur, & paulisper sic, ne inter se pondere suo pressæ possent collidi, in sabulas porriguntur. Deinde in aheno, vel olla fictili noua, lixiuium cineris sarmenti calefieri conuenit, quæ quum feruebit, exiguum olei quàm optimi adiici, atque permisceri. Deinde vuas pro magnitudine binas aut ternas inter se colligatas, in ahenum feruens demitti, & exiguum pati, dum decolorentur, nec rursus committendum, vt excoquantur, nam quadam moderatione, temperamentoq; opus est. Exemptæ dein in crate, rarius quàm vt altera alteram contingat, disponuntur, & post tres horas vnaquæq;, sic tamen ne eodem vestigio cohæreant, conuertitur, ne in humorem, qui defluxerit, vitietur: noctibus contegi debent vt à rore vel pluuia tutæ sint. Quum modicè tamen aruerint, in vasa noua, sine pice operculata, & gypsata recluduntur. Quidam vuam passam foliis ficulneis inuoluunt, & assiccant, alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semiuietas vuas contegunt, & ita in amphoras contegunt. Sunt qui culmos fabæ exurant, & ex eo quem cremauerint cinere lixiuium faciant, deinde in sextarios decem lixiuiæ salis tres cyathos, & olei cyathum adiiciant, tum adhibito igne calefaciant, & cætera eodem modo administrent.

De vitis materie. CAP. XXXVII.

NEc de eius materie tacendum est. Theophrastus hæc de eius materie habet. Vitis lenta materies, qua de causa scuta ex ea facere solent. Icta enim protinus plagam contrahit. Sed quæ minus fructificat, solidior est. Plinius.

nius. Iouis ſimulacrum in vrbe Populonia ex vna conſpicimus vite, tot æuis incorruptum. Item Maſſiliæ pateram: Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis ſtetit. Etiamnum ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur vite vna Cypria, vt ferunt, quoniam ibi ad præcipuam amplitudinem exeunt. Nec eſt ligno vlli æternior natura. Verùm iſta ex ſylueſtribus facta crediderim. De ſimulacro Dianæ Epheſiæ ambigitur. Cæteri ex ebeno eſſe tradunt. Mutianus ter conſul, ex his qui proximè viſo eo ſcripſere, vitigineum, & nunquam mutatum, ſepties reſtituto templo.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI VILLAE LIBER NONVS SIVE HORTVS CORONARIVS.

PROOEMIVM.

ARBVSTO vix egredientis flores ex proximo coronario horto miris ſuis illecebris viſum, olfactumque ceperunt odoris effluiuo, & inenarrabili colorum varietate. En hortum reſeramus, ingredimini hilares, licet ſpatiari, & eius iucunditate frui. Nullibi enim maior, quàm ex aſpectu, odore, & viribus noſtri animi recreatio accedit: flores enim tam vario colorum ornatu laſciuiens natura depinxit, vt nulla in re tam magno ſuæ fertilitatis gaudio vſq; luſiſſe videatur. Nec maius ornamentum ex vllis quãtumuis artificioſè contextis topiariis, aliiſve operibus, hortis accedit, quantum ex odoratis coronariis, ſine quibus horti gratia, & amœnitate deſtituuntur. Eorum odore ſpiritus refouetur, torpens animus exhilaratur, collapſæ vires redintegrantur, & ſubinde ſomnus conciliatur. Omitto medicæ materiæ vtilitatem, vt nulla pars corporis male affecta ſit, quin ex floribus remedium adhiberi nequeat. At ſi quis hoc munus agricolis minimè conuenire dicat, nónne Cato in horto ſuburbano coronamentorum omne genus conſeri debere præcipit? Et Plinius hortis coronamenta conuenire ſcribit, quibus apes depaſcantur, præ-

cipui quæstus, compendiiq;. Decebat quippe Campanum hominem anthologicô scribere, quum antiquitas Ægyptum terrarum omnium accommodatissimã vnguentis habuerit, & Campaniam rosarum copia celebrauerit. Sed quem seruaturi sumus ordinẽ, pronunciemus. In arbusto & vinea de vite diximus, media inter herbas & arbores, vtpote frutice, sed medii inter frutices & herbas suffrutices sunt: vocat autem Theophrastus coronarios flores suffrutices: id tertium est ex generibus, in quæ principio plantas digessimus. Hortus hic herbas coronarias, & flores cõtinebit, dicemusq; de corollis, quę ex his nectuntur. Nos de floribus primò, post de herbis. Sed flores vel odorati, & hi verni, vt rosa, liliũ, leucoiũ, viola, narcissus: vel æstiui, vt iasmes, & flos caryophyllorũ odore, vel hyberni, vt crocus. Vel inodori & verni, vt hyacinthus, chalta, gladiolus, helyochrysus, vel ęstiui, vt cyanus, lychnes, & amarantus, vel autumnalis vt anemone, petilius, vel hyberni vt cyclaminus, hedera, cilicia, spina, ægyptia. Herbę vel odoratæ, vt abrotonum, serpillum, amaracus, sisymbrium, heleniũ, trifolium, baccaris, libanotis, melissophyllon, conita, lauandula, vel inodoratę, vt hedera. Sed floralia ingrediamur, & primum coronas nectamus.

De corollis, earum vsu, & inuentoribus. CAP. I.

COROLLAS breuiter attingemus: esset enim friuolum amplam de iis suscipere tractationem, quum ab Athenæo, & aliis satis amplè tractatum sit. pòst de floribus, quæ digna videbũtur, memorabimus. Tenuioribus corollis vtebantur antiqui, strophia appellantes, vnde nata strophiola. Quũ verò è floribus fierent serta, à serendo seruiæ appellabantur: paulatimque & Romæ coronæ subrepsit appellatio, corollis inter initia propter gracilitatem nominatis, mox & corollariis. Hæc Plinius. Sunt qui coronas à choro dictas putent, licet aspiratione careat, siue quod honorent eos, quibus imponuntur. Auctorem & inuentorem coronæ Ianum biformem Græci prædicant, eáq; in Græcia factitatam à Stephano primum asserunt, ob id & nomen sertis datũ vt stephani vocarentur. Oleagineis coronis ministri triumphantium donabantur, quòd Minerua dea belli esset, & oleæ præesset. Obsidionalis corona è gramine erat viridi, ex eo loco decerpto in quo erant inclusi, dabatur Imperatori, qui liberauerat obsidione hostibus obsessos, & magnæ authoritatis fuit. Ciuica iligna fuit, frondem habens perennem. Hanc dabant testem vitæ, salutisque perceptę ciui, à quo liberatus fuerat in pręlio: è fronde querna texebatur, quoniam antiquissimus cibus ex quercu capi erat solitus. Myrtea corona Papyrius vsus est, quòd Sardos in campis myrteis superasset. Ouantis etiam myrtea erat, quã gerebant Imperatores, qui vrbem ouantes introirẽt, quum bella sine sanguine cõfecta erant. Transiere deinde ad rosarias, eoq; luxuria processit, vt non esset gratia nisi mero folio. Laudatissimæ habebantur, quæ ex folio nardi nectererẽtur. Mos tamen antiquis inoleuit, vt post cœnã circumferrentur conuiuis, sed aut hedera, aut lauro, aut herbarum floribus versicolore commistu struebãtur; quas ludicras, & puellares vocabant. Liber vini repertor, quòd medicamentum

dicamentũ suauissimum simul, & vehementissimum adinuenisset, fertur hederá suis viribus huic repugnãtem, in honorem ac pretium adduxisse, eaq; coronari debacchantes edocuisse, quo minus vini noxam sentirent, hedera suo frigore temulentiam restinguente. Iuglandẽ è coronamentis abdicarunt, quæ καρύα à capitis grauitate propter odoris virus dicitur. In cœnis quum merum caput occuparit, arcemq; sensuum obsederit, hominẽ conturbat, cui mitis aura florum naribus hausta succurrit, caputq; ab ebrietate propugnaculi vice tutatur, quia si flores calida prædici sunt natura, laxant spiracula, quibus vinosus euadat vapor. Si frigidis vt rosis violisq; coronę struuntur, astringẽti sua vi noxios halitus repellunt, & capitis grauitatem corrigunt. Ligustri, croci, & baccaris flores, odore somnos alliciunt, & ad placidam quietem potos perducunt: expirant enim lenem auram, ac blandum odoris effluuium, quo in temulentorũ corporibus inęqualitates obortæ sensim dissipentur, & excoquantur, vt conciliata tranquillitate crapula retundatur. Sic flores bifariam coronamẽtis inseruntur, vel vt capitis grauitatẽ abigant, aut somnum placidum accersant. Verùm quę floribus concinnatæ, ceruici colloq; tanquam pensiles gestantur, Græcis ὑποθυμίδες appellantur, hinc odores naribus rapti, suo calore cerebrum feriunt. Cæterũ coronarum, quæ sola varietate placent, duo genera: nam aliæ flore, aliæ folio constant. Florem dixerim genistas: nanq; in iis decerpitur luteus. Item rhododendrõ. In vepribus nascitur cyclaminũ, cuius flos colossinus in coronas admittitur. Folia smilacis, & hederæ se coronamentis dedere, coronæ earum obtinent principatum. In coronamenta folio venere cunilago, melissophyllon, & melilotõ, quod sertulam Campanam vocant. Coronas ex hac antiquitus factitatas indicium est nomen sertulæ, quod occupauit: placet maximè foliis breuibus, & pinguissimis. Folio coronat trifolium asphaltiõ maiore folio, quo vtuntur coronarii, vtũtur hederę foliis, corymbis, & flore purpureo, in iis colos tantũ delectat, odor abest. Helichrysi flore immortali aureo se plerosq; coronare Theophrastus scribit, vt gratiam ineant, & vitæ gloriã concilient, & cætera quæ longi esset laboris describere. Aristoteles & Ariston Peripateticus, vterq; libro amatoriorũ secundo scribit, ob dolorẽ & grauitatem capitis à vini potu molestam, vinculũ quoduis tẽporibus antiquos admouisse, quod eã ligaturã prodesse crederẽt, posteros autẽ vt quidpiam ornatus adderent, tẽporibus quod cõpotationis oblectamentũ est, coronas excogitasse, quòd tempora, & frontem vinciri ad vini noxam conducat. Ad id Anacreon,

Superciliis ex apio corollas superimposuimus,
Lætumq; Baccho festum, & conuiuium celebrauimus.

At quæ odore caput feriunt, & quicquid grauare, aut opplere alioqui posset, reiecerunt, vt ex lauro & amaraco. Sed hæc sufficiant, si quis plura volet, adeat Athenæum libro decimoquinto.

De Flora dea, & floralia quomodo celebrarentur. CAP. II.

LACTANTIVS Firmianus refert Floram ex arte meretricia magnas opes sibi comparasse, & populum Romanum hæredem scripsisse, certamque pecuniam reliquisse, ex cuius annuo fœnore suus natalis celebraretur, ludorum editione, quos floralia nuncupauerunt. Quod quum senatui nō satis decorum immò flagitiosum potius videretur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, vt pudendæ rei dignitas quædam adderetur. Vnde deam esse finxerunt, quæ floribus præesset, eamq; oportere placari, vt fruges cum arboribus benè, prospereq; florerent. Ouidius nobiliori fictione prosequutus est in Fastis, non ignobilem nympham dicit, Clorim vocitatam, à Zephyro vim passam, quam duxit, hæc à viro dotis loco id muneris accepit, vt supra flores potestatē haberet. Floralia igitur in honorem Floræ celebrabantur, vt arbores optimè efflorescerent, deflorescerentq;, & ad iustam fructus magnitudinem accederēt. Instituta autem fuere vrbis anno sextodecimo ex Sibyllæ oraculis, & quatto Calendas Maii fiebant. Ouidius,

Exit & in Maias festum florale Calendas.

Hanc verò diem Varro determinat, sole partem quartamdecimam possidente. Ergo si in hoc quatriduum plenilunium inciderit, quæ florescunt lædi necesse est. Ob id Varro in limine statim de re rustica sui libri Robigum, & Floram aduenerarur, quibus propitiis rubigo frumenta non corrumpat, & omnia tempestiuè floreant.

Qui locus, quod cœlum & solum horto deputetur. CAP. III.

IN suburbano horto Cato genus omne coronamentorū seri iussit. Florentinus: locum intra domesticam habitationē, si id fieri commodè potest, deligere debet, aut si id nō detur, ex propinquo, vt non solùm oculis spectantium intra ædes iucunditas hauriatur, sed etiā ambiens aër ex fragrantia plantarum infectus, salubrem habitationē, ac totam possessionem reddat. Ipsæ verò plantæ non inordinatæ, neq; mixtæ plantentur, tanquam sanè, quod aiunt, plantarum diuersitas decorem inducat, sed secundū genera separatim singulæ plantæ ponantur, ne minora à potentioribus superentur, aut etiam alimento priuentur. Nos areas interstinguere solemus, vt ex quadrangulis areis in rotundas, ex rotundis rursus in angulares, & ex iis in alias progressus detur, quæ neq; totæ rotundæ, neq; rectis lineis concludantur. Theophrastus libro de causis, de cœlo loquens floribus coronariis cōuenienti, ait. Quæ siccaneis tractibus, quibus placidior arridet aura, suauiora, odorataque prosiliunt: quippe quum exhausta humoris parte quadam, calor melius suo fungitur munere, reliquias concoctui cedentes perficit. Siccitas enim non parum odori suffragatur, eoque spectant odorata, cuius rei fidem facit, quòd æstuosis regionibus, meliora odorum genera prouenìunt. In Ægypto flores, cæteraq; coronamenta omnium ferè deterrima gignuntur, quia cœlū caliginosum, & roscidum habeatur, in quo nullus penè odor contrahi potest, quippe coquendi

abest

abest facultas: aridis longè melius excoquitur. Quæ verò circa Cyrenam proueniunt, non nisi ratione siccitatis odorata consistunt, tum cętera, tum vel maximè rosa, & crocum. Ager enim tenuis, siccus, nec nimio feruore flagrans, cœlo puro, sitientique lustratus, odoribus creandis aptissimus iudicatur. Videtur & annus ad bonam olentiam referre, quum scilicet talis aut talis incesserit, non imbrium, squallorumq; tantū ratione, sed etiam quū tempus certum, & aquę, & flatus, & in totū cœli commodę mutationes accessēre. Quæ dilutis, & opacis tractibus degunt, inodora percipiuntur: etenim humor sese largius immiscens, odorem obtundit, & eius hebetat acrimoniam. Cæterùm genus syluestrium aridius cernitur, ieiuniore donatum habitu, nec silens à flatu, sed magis, atq; magis auræ patens, hinc feruentior natura. Et tandem de coronariis loquens quibusdam: Quæ locis circumseptis, apricisque continentur, vt œnantha, & viola nigra, & alia quædam assiduè florere videntur. Locis enim huiusmodi pleraq; exeunt, quæ alibi nasci nequeunt, & fructum eadem afferunt, quum cætera generis eiusdem aliis locis afferre nequeant, & præflorent, & prægerminant prius, quàm reliqua. Varro apricis locis hortum locat, vbi serat violam, quia ea omnia sole nutricantur.

De generatione, & cultu florum coronariorum. Cap. IIII.

COMMVNIS plantarum generatio ex semine est, nam quę semen ferunt, è semine quoq; nasci oportet. Ex semine exeunt viola, Iouis flos, iphyum, flammula, elium: nam & ipsa, & eorum radices ligno nimirum constant. Nascuntur & auulsione, sed quod auellitur, radicis, aut stipitis aliquid habere oportet. Abrotonum, sisymbrium, serpillū radices è germinibus suis quamprimùm dimittunt, non secus ac hedera. Abrotonum lignosum est: verùm spissitate, acoreq; suo seruari aliquantulùm temporis potest, nam hæc defixa quoque erumpere valent. Communis coronariorum cultus rigatio, stercoratio, & sarcitio; alia propria generatim habentur, vt purgatio in coronariis pariter, atque oleribus. Quippe serpillum obarescit, nisi purgetur, sisymbrium, & cætera. Rosas non solum præcidunt, verùm adurunt, desinunt enim florere, syluescuntque pastus fœcunditate, nisi ita tractentur. Intempestiui imbres pessimi, atq; ex toto inopportuni, qui circa floris exortum accesserint, omnia nanque imbecillia redduntur, pereunt, deciduntq; partim rubigine, partim nimio humore: quæ resistere poterunt, deterius florent.

De rosa. Cap. V.

QVONIAM rosa inter flores facilè principatum obtinet, eiusque nimius in coronis est vsus, cogit me, vt ab ea initium auspicemur. Achilles Tacius libro amorum Leucippes, & Clitophontis ait, Si floribus Iuppiter vellet Regem imponere, rosa quippe regnum inter flores obtineret, terræ est ornatus, plantarum lumen, oculus florum, prati iubar, pulchritudo coruscās, amoris igniculum, veneris conciliatrix. Anacreon Poeta Græcus:

Roſa, flos odorq; diuûm,
Hominum roſa eſt voluptas,
Decus illa gratiarum,
Florente amoris hora.
Roſa ſuauium Diones,
Roſa opus laborq; vatum,
Et amica planta Muſis.
Eſt grata colligenti,
Licet antè ſpina pungat
Mordacibus rubetis.
Eſt grata eam fouenti
Manu ſubinde molli,
Eadem decens coronis:
Et expetita menſis,
Solennibusq; Bacchi.
Roſis quid abſq; fiat?
Aurora nonne fertur
Roſea manu decora?
Roſeisq; nonne nymphæ
Spectabiles lacertis?
Roſicolor ipſa Cypris,
Vocitata nonne doctis?
Quid plura? nonne multis
Medicina certa morbis? &c.

Roſam antiqui Veneri dicarunt: nam ea conſiderata tum venuſtatis, tum amoris ſymbolum oſtendit, quod omnium in ſe amores trahat, omniumq; ſibi animos conciliet. Poeta:

Ros vnus, color vnus, & vnum mane, duorum
Syderis & floris eſt domina vna Venus.
Forſan & vnus odor: ſed celſior ille per auras
Difflatur, ſpirat proximus iſte magis.
Communis Paphia dea ſyderis, & dea floris,
Præcipit vnius muricis eſſe habitum.

Philoſophi ille veteres, qui rerũ omnium originem altius perſcrutati ſunt, odorem, coloremq; illum à Veneris ipſius ſtella proficiſci autumant, & Maro Venerem ſemper ore loqui roſeo dixit. Fingunt Poetæ Gratias eſſe tres, ex Libero patre progenitas, quarũ in Elide, atq; in foro templum fuit, & illarum ſimulacrũ, cuius vultus, manus, & pedes ex cãdido marmore fuerunt, veſtimenta autem aurea. Harum vna ſola roſam tenebat, media talum, tertia myrti ramum, hoc modo effigiatæ, quòd roſa & myrtus Veneri dicatæ ſunt. Præterea vt quemadmodum roſa breui tẽpore durat, ocyus floret, ocyſſimè marceſcit, ſic homines admoneantur formam & veneream voluptatem cito perire. Rubet etiam, pungitq;, ſic & libido ipſa verecundiæ opprobrio erubeſcit, acutoq; ſtimulatur aculeo. Philoſtratus Cupidini, non eius matri donauit, quem tota facie æmulari videtur. Primùm enim paruo tempore permanet, & recens ſemper ſit oportet temporis non ſentiens ſenium; ita Cupido recens, atq; ſemper iuuenis, mollisq; eſt. Coma eius aurea eſt: nam & roſa aureum quid in floſculo habet. Pro ſpinis roſæ, iaculum fert, pro foliis alas, pro facibus fulgorem. Roſam multiplex comitatur fabula, non niſi candidam per initio fuiſſe, mox vulnerato Veneris pede, dum Adonidi opem latura præcipiti curſu per dumeta rapitur, adrubuiſſe. Alii ſanguine Cupidinis, vt Auſonius. Græci admirandam illam pulchritudinem, odorisq; ſuauitatem à Venere contributam fingunt, quãdo deam Adonidis amore captam Mars deperibat, qui zelotypus, Adonidis

donidis morte initam consuetudinem solutum iri sperans, Adonim interfecit. Venus resciens gestum facinus, dum omni studio, diligentiaque propere fertur subsidiũ allatura, in rosæ frutices irruens, pedem nullo munitum sandalio eius spinis transfigit, ita rosæ pristinum candorem, in profusi cruoris memoriam, in ruborem conuertit. Alii aliter fabulantur. Cupidinem quum in deorum conuiuio lasciuis saltationibus indulgeret, pateram nectaris plenam alæ concussu subuertisse, nectar inde fusum humi florem rosæ rubicundum reddidisse. Rosam prius albam mox icto Veneris pede aspergine tinctam cecinere Poetæ.

Illa quidem studiosa suum defendere Adonin,
Gradiuus stricto quem petit ense ferox.
Affixit duris vestigia cæca rosetis,
Albaq; diuino picta cruore rosa est.

Ambrosius dum de rosa philosophatur, spinam tanquam humanæ vitę speculum ostentare dicit, quæ etsi summam suauitatem præ se ferat, finitimis curarum stimulis sæpè compungitur, vt amarescere videatur, vitæ elegantia vallata est, & sollicitudinibus quibusdam obsepta, vt tristitia semper adiuncta sit hilaritati. Quare non illepide Catullus Venerem, quæ iucunditatis, hilaritatisque auctrix præcipua habetur, spinosas ait in pectore curas serere. Nec reticebimus rosam sordidissimum animal scarabeum, cui res plurimum est cum stercore, suo odore enecare, vt tradidit ex Aristotele Cassianus. Ob id Democritus apud Absyrtũ, rosę radicem, torquis modo, seu alio quouis modo portatã venefícii scorpionis esse amuletum dicit. Tarantius apud eũdem ictos à serpente seruari contendit, qui rosæ radicem amuleti vice gestauerint. Palladius apes ex rosis mel colligere dixit, quod à Varrone excepit.

Rosam Græci ῥόδον vocãt, ὅτι ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀσμῆς ἀφίησι, quòd ingentem odoris redundantiam difflet, authore in Symposiis Plutarcho, aut ἀπὸ τῆς ῥοῆς ὀδωδῆς, quod odoris effluxum emittat. Timachides in cœnis scribit rosam ab Arcadibus vocari εὐόμφαλον, id est odoratam. Latinis, & Italis rosa. Nomen.

Duplicẽ rosæ florem Theophrastus esse inquit, quũ in flore aliũ florem insidentem habeat. Flos tantum odore iucundus, reliquæ partes ignauæ, quod excoctioni tribuendum est. Nouissima inter vernos flores erumpit, ita prima desinit, parum enim temporis durat eius prouentus. Semen fert sub flore. Serenis diebus lecta, odoratior. Recens longè redolet, sicca non nisi propius admota. Sicca suum odorem tuetur, dum deficiat penitus. Ratio quod induratæ quodammodo proprii caloris inopia halitum efflare nequit, nam ad vsum quidem vnguentarii eas quoque aliquatenus siccare consueuerunt, vt odorem sinceriorem relinquant. Vrbana odoratior. Plinius ita describit: Nascitur spina verius quàm frutice. Germinat omnis primo inclusa granoso cortice, quo mox intumescente, & in virides alabastros fastigiato paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantis complexa luteos Descriptio.

apices. Longè olet recens, ſicca propius. Dubitat Ariſtoteles cur roſæ ſuauius olent, quibus vmbilicus aſper, quàm quibus leuis. An quòd ſuauius olent, quæ modum conſequuta ſunt ſuæ naturæ? roſa autem ſpinoſa natura eſt, ſuauiſſimè ideo olent, quod magis ſecundum naturam conſtiterint. Nos ita deſcribimus. Flammeo colore rutilat roſa virgineis genis, & malis concolor. Pars, quæ calycem ambit, aperta roſa in quinq; pinnulas finditur, globulus in ima roſæ parte ſolidus, quem ſi aperueris lanugine quadam refertum reperies, foliis & floribus ſubſtratum, ceu baſis totam roſam ſubſtinens. Capillamentum quod ſubtile eſt veluti filum, florum fulcrum eſt.

Genera. Eius genera quamplurima. Nos primò in ſylueſtrem partiemur, & ſatiuam. Sylueſtres, Theophraſto authore, ex toto aſperiores tum virgis, tum foliis, odore, colore, & magnitudine ſuperantur. Plinius κυνόροδον vocat, tale nomen adeptũ, quòd canis rabidi morſibus auxilio ſit. Alterum genus eſt rubi, in quo roſa naſcitur. Gignit pilulam caſtaneæ ſimilem, præcipuo remedio calculoſis. Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus, pauorem aquæ, potusq́ue omnis afferens odium. Nuper cuiuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt radicem ſylueſtris roſæ, quam cynorhodon vocant, blanditã ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam. In Lacetania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte, caſu accidit, vt milite à morſu canis incipiente aquas expaueſcere, ſuperueniret epiſtola orantis, vt pareret religioni, ſeruatusq; eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium tẽtauit. Aliàs apud authores vna medicina cynorhodi erat, ſpõgiolæ, quæ in mediis ſpinis eius naſcitur, cinere cum melle allopecias capitis expleri. Nos has ſpongiolas in ſylueſtri roſa Baroli Apuliæ vidimus, magnitudine caſtaneæ, villoſas, colore in fuluo rufeſcentes, naſcũtur vere. Satiui permulta genera, quæ odore, colore, & magnitudine, foliorum numero, aſperitate, & læuitate differunt. Inter celeberrima roſarum genera Plinius Campanã præfert, quæ præcox eſt. Apud nos Cãpanos *roſa canina* vulgò dicta eſt, dicta canina quod horridis ſpinis armetur. Vniuerſo noſtro tractu præclara, præcoci partu cæteras antecellit, Aprili floreſcens, quinis ſeniſve foliis, cuius pars ima ſcabra, ſuauiſſimi odoris indicium. Athenæus ex Theophraſto, ſuauius olere ſcribit, quibus folia quina, & ſcaber eſt cortex inferior. Proxima trachinia, minus rubens, inquit Plinius. Neapoli vulgus *roſe maiatiche* dicit & *incarnate*, quod ſint candore, & rubore cõfuſæ, & Maio floreant, nobilitate dictis proximæ. Malũ quod ſub flore gerit magis rotundum, eiq́ue duodena folia. Mileſia ſera eſt, cuius ardentiſſimus colos, nec excedens duodena folia, vt ex Plinio habemus. Hanc affirmare auſim, quam *incarnata nera* vocamus, quæ in purpura ſanguinea ſaturatè punicat, vltimo Maio effloreſcens, duodenorum foliorum. Celebratur præneſtina, quæ nouiſſimè deficit, Plinius dixit. Neapolitanis *damaſcena* vocata, cæterarũ odoratiſſima, germinatu poſtrema, continuò & diutius floret, & hyeme tepidioribus locis bifera, foliis circiter viginti, ex rubro candicantibus, ramorum proceritate cæ-

[redacted]

cæteras superans: nam surgit crassis & lignosis virgis, vt ea sit, cui Athenæus chameçerasum similem arborem dicat. Apud nos celeberrima. Elicitur ex ea odoratissima aqua vitreis organis. Huic dicit Theophrastus plura folia. Nunc ad albas transeamus. Theophrastus rosas esse ait numerosiore folio, quas centifolias dicant, quæ ex Philippis in Græcia à Pangeo monte vicino translatitiæ sunt, numerosis foliis, sed paruis, nec odore, nec specie commendabiles. Atheneus fert eadē. Plinius in Cāpania Italiæ esse ait, & Cępio Tiberii Cæsaris principatu negauit centifoliam in coronis addi, præterquā extremos veluti ad cardines, nec odore, nec specie probabilē. Apud nos Campanos copiosa est centifolia, & vulgò *rosa a cento frondi* dicimus: sed folia interiora parua sunt, ita enim oriuntur, vt alia intus, alia extra emicent, non iucundi odoris, nec amplæ magnitudinis. Herodotus in Macedonia in Mediæ hortis dicit rosas esse sexagenum foliorum. Alabandica vilior, albicātibus foliis ex Plinio. Est Alabanda regio Asiæ, ex qua aduectæ fuere. Nos *rosa bianca* vulgò vocamus, similes centifoliis odore, coloreq;, sed vicenis circiter foliis. Vtimur ex ea stillatitia aqua vitreis organis pro morbis oculorum: quia frigidior. Didymus. Ros ille, qui insidens rosis inuenitur hærere, munda pinna lectus, & specillo genarum palpebris instillatus, oculorum lippitudini medetur. Zoroaster anno toto oculos eius dolorem sentire negat, qui calyces ante, quàm in flores explicentur, leui tactu lustret, tribusq; earum alabastrulis visum detergat, relictis in parēte rosis. Inter has media magnitudine autumnalis, quam coroneolā vocant. Omnes sine odore præter coroneolā, Plinius dixit. Hanc Neapolitani ab insigni moschi odore, quem redolet, *rosa moscatella* dicūt, ita strenuè olet, vt caput feriat: non ambigo Plinii coroneolam esse, nā pauca & medię magnitudinis folia affert, ab ęstate vsq; ad hyemem, & interdū tota hyeme floret. Odoratissima est, spinis & virgis syluestrem quodāmodo rosam æmulari videtur. Rosæ plurimę sunt vna cohærentes. Inter cæteras arborescit. Sunt præterea alui subductione insignes sine molestia. Nostri pharmacopœi persicas vocāt, nam in Camolanga Indiæ persicas vocant. Nescio cur Matthiolus hanc Plinii spineolam vocet, quam è minutissimis dicat. Nos hanc etiam centifoliam habemus, & spectabilissimi odoris, valentius mouet aluum, & diutius floret. Sunt & apud nos rosę crocei coloris, eiusdem cum reliquis floris, sed planta odoris medicati, floris inodori.

Rosas cœlo gaudere calido, & meridionalibus partibus exposito tradidit Plinius, vt libero sole fruantur, sic enim & germine, & floribus luxuriant. Carthagine Hispaniæ præcox tota hyeme visitur. Locis siccis quàm humidis odoratior, ob id quæ apud Cyrenam proueniunt, odoratiores sunt: ager enim ille tenuis, nec nimium feruidus, aëre puro, sitientiq; ambitus. Contrà quæ in Ægypto minus odoratæ, quia cœlum roscidū, & caliginosum est. Præterea montibus longè deteriores emergūt. Ex Theophrasto. Nicander ex Athenæo, *Cœlum.*

Operisq; principio precibus Themidem Oleniam venerare:

Alendas deinde rosas cœlestibus dimitte pluuiis,
Semper illæ augescent foliis circumcirca comantibus,
Post Olenum secundas tenet Megara Nisæa: at nec Phaselis,
Nec Leucophrys improbanda, si cui placet earum situs.
Prouenit & optime rosa ad Magnetis aquas Mæandri.

Aëthlius Saurius in libro de iis, quæ Sami pulchra & rara sunt, præter cætera rosas biferas nasci scripsit. Polybius, Lusitania rosas non minus, quàm trimestri spatio durare. In Pesto Calabriç oppido, aëre placido, benignoque, bis florent rosæ. Virgilius,

——— *biferiq; rosaria Pesti.*

Solum. Seri nec pinguibus vult, nec argillosis locis, nec riguis, contenta raris, proprieque ruderatum agrum amat, ex Plinio. In suburbano horto rosam Cato seri præcepit, vt possint illicò venundari, decerpta enim non patitur moram, quin subito marcescat.

Satio. Nasci ex semine dixit Theophrastus, quod flori subditum suo in malo cnecæum, vel acanaceum lanugine quadam obductum gerit, vt primis seminibus proximum sit. sed tardè perficitur. Palladius, Semine ponuntur rosæ. Semina autem rosarũ non putemus medios flosculos esse aurei coloris, quos rosæ ferunt, sed baccas nutriunt, quas in breuissimi pyri similitudinem plenas seminibus post vindemiam reddunt maturas, quarum tamẽ maturitas ex colore fusco, & mollitie poterit æstimari, quæ sulco breuissimo, aut scrobibus ponenda sunt. Plinius, Proueniũt tardissimè semine, quod in ipso cortice est, sub ipso flore opertum lanugine. Sed apud nos nemo est, qui rosam semine serat, quod raro & sine colore nascitur, vt syluestris penè videatur. Seritur & conciso caule ex Theophrasto, vt gramen. Varro ita docet. Rosa conciditur radicitus in virgulas palmares, & obruitur, hæc eadem postea transfertur facta viuiradix. Plinius. Surculis quaternum digitorum longitudine, aut ampliore, post Vergiliarum occasum sata, dein per Fauonium translata, pedalibus interuallis, crebroque circumfossa. Didymus. Alii in palmares taleolas cum suis radicibus in sobolis modum cubitali interuallo deponũt, & crebris irrigationibus, & stercore iuuant. Nicander secundo libro Georgicorum suorum,

Præterea rosæ spinis armata excisa germina
Terræ tumulis infige, ad duos palmos aperta via.

Palladius ita exactius docet: Si indigus plantarum volueris ex paucis virgultis habere copiosa, Februario mense, sed locis calidis & apricis, atque maritimis Nouembri, quaternorum digitorum surculos gemmantes cum geniculis suis de hebis excidere, & in modum propaginis sternere, & stercore ac rigationibus adiuuare. Vbi anni ætatem compleuerint, pedis spatio inter se transferre disiunctos, atque ita solum, quod huic generi deputabis, implere. Seritur ex Plinio ocellis radicis, vt harundo. Alio item modo Didymus. Nonnulli vt maiorem odoris fragrantiam adsciscant, intertextas iis coronas simul

adi-

adobruunt. Theophrastus caule toto propagato nasci dixit. Palladius, Februario mense rosaria quæ rara sunt, possunt virgarum ducta propagine reparari. Quintilii plantant Februario mense, augescente Luna. Apud nos viuiradicibus seruntur. Post quinquennium à quo plantatæ fuerint pastino trium vel quatuor digitorum altitudine sub terra inciduntur, & viuiradices plantantur, calidis locis, Septembri, vel Octobri, frigidis Februario vel Martio, sed quæ Martio plantaueris rosas producent, nam quod alibi conceperint, hic parient. Sed loca quibus rosas excideris, iniectis stramentis comburantur: nam hoc modo radicum reliquiæ luxuriosius repullulabunt, & densius germina sobolescent.

Cultus.

Rosæ vita quinquennium est, non recisæ, nec adustæ: relicta pluribus annis syluestris euadit, & priorem gratiam exuit, eo enim modo vegeta iuuenescit, flos senescẽtis deterior transferendo pulchriorẽ rosam effundit, ex Theophrasto. Plinius: Omnis autem adustione, atq; recisione proficit, translatione quoq; vt vitis optimè ocyssimeq; prouenit. Rosa & quinquenniũ perfert, nec recisa, nec adusta, illo enim modo iuuenescit. Rosaria à Fauonio fossa oportet esse, iterumq; solstitio. Et id agendum, vt intra id tempus purgata, ac pura sint. Fodiuntur altius quàm fruges, leuius quàm vites. Columella, Omnibus annis fodiri ante Calen. Mart. & interputari oportet: hoc modo culta multis annis perennat. Palladius, Februario mense, si qua sunt antiqua rosaria, hoc tempore circumfodiuntur sarculis, vel dolabris, & ariditas vniuersa reciditur.

Insitio.

Florentinus est author florem rosæ inoculationis modo cortici mali insitam, eodem quo malus tempore, partus suos excludere. At si maturius producere velis in amygdalę corticem, idem experieris. Rosę inuicem inoculari possunt mense Martio, & Aprili, & in syluestres optimè apprehendunt. Fieri posse iudicamus, vt in eodem surculo alba simul, & rubra rosa emergat, & in eodem flore alba simul & rubra folia nascantur, eo artificio, quo persica fieri diximus, videlicet diuisis oculis, & simul coalitis. Moscatulam in syluestrem sepibus nascentem inseruimus, & optimè concepit, nam florem illa inodorum producit: idq; videtur Plinius intellexisse: vnum genus inseritur pallidæ spinosæ longissimis virgis quinquefoliæ, quæ è Græcis altera est.

Ars.

Didymus author est. Præcox emerget rosa, si pedali scrobe ab radice facta calida infundatur. Democritus fruticem bis in die rigatum Ianuario mense rosas ædere promittit. Præterea si fictilibus, & cophinis plantaueris, eademque cura eas digneris, quasi cucumeres, & cucurbitas tractare solemus, idem efficies. Et si velis sine temporis intercapedine eis frui, singulis mensibus plantato, & stercorato. Plinius: Qui præcocem faciunt, pedali circa radicem scrobe aquam calidam infundunt, germinare incipiente calyce. Theophrastus odoratiores prouenire ait, si cæpas vel alia iuxta eas plantaueris, cuius rationem libro de causis reddidit: nam ait quantum illis mali odoris adsit, detrahunt, quum vnumquodque retinium alatur attrahitque

sibi cognatum, aut quod sua caliditate, edacitateq; locũ exiccat: nam siccis locis omnia odoratiora proueniunt. Odoratiores fieri rosas Didymus affirmat, quibus allia propè fuerint consita. Palladius, si rosam temporius habere volueris, duobus palmis ab ea in gyrum fodies, & aqua calida bis rigabis in die. Nos rosam bruma hoc modo nacti sumus, vel non multo ante. Plãtam ipsam dum in eo est, vt erumpat in flores, amoue loco, atq; in alium transfer, modò non incommodum: nam rosa calycem non aperit nisi prius cõfirmetur. Sunt & sexcenta ferè lenocinia rosarum ad colorem, odorem, magnitudinem, & foliorum numerum demutandum, quæ toto hoc opere in aliis docuimus.

Conditura. Rosas nondũ patefactas seruare docet Palladius, si in canna viridi stãte fissa recludas, & fissurã coire patiaris, eoq; tẽpore cannam recidas, quo rosas virides habere volueris. Aliqui olla rudi conditas, ac benè munitas sub dio obruũt, ac ita reseruant. Quæ ex Didymo excepit. Quidam rosas conseruant recentes, calycibus in viridem plantam harundinem fissam immissis, & harundine leniter per papyrum obligata, vt perspirare possit. Alii vt diu seruentur, ordeum dum in herba est, cum radicibus euulsum, in fictile non picatum demitti, rosamque priusquam dehiscens se pandat, operiri præcipiunt. Alii virentem ordei segetem pauito loco sternunt, & rosas ipsas recondunt. Conseruabis etiam recẽtes & in vigore, si ipsas in amurcam immiseris, ita vt liquor eis supernatet.

De lilio. CAP. VI.

LILIVM rosæ nobilitate proximum, eiusq; flos etiam in coronis venit, & vt coronã elegantius contexamus, purpureis aderunt lilia mista rosis. Perhibent Græci Iunonis lacte natum, resperla terra: nam Herculem, quẽ ex Alcmena Iuppiter sustulerat, quum vellet immortalitati donare, dormiẽtis Iunonis vberibus clàm admouit, & quum lacte se replesset, post suctum digressus, mamma copiosè profluxit: quod in cœlo à puero perfusum est, galaxiam, id est lacteam viam, quod humi respersum, florem lilium, lacteo colore nitentem creauit. Fuit antiquitus pulchritudinis symbolum: siue formam, siue colorem, aut odorem contemplere. Susas Persiæ vrbẽ, vbi hyberna regia erat, ob amœnam & mitissimam cœli plagam, id nomen adeptam tradunt, quod Persarum lingua lilium significet. quãuis Stephanus à multitudine liliorum ita dictã scripserit. Nicander in alexipharmacis ait lilium Veneri inuisum, quòd de forma, & candore ausum sit secum certare: hinc mediis eius foliis fœda probra obiecit, id est deformem illic rudentis asini clauam, id est genitalia crescere fecit.

Quoniam Diuæ colos hic placet, at in floris medio turpe
Armamentum rudentis asini prominet, quod membrum dicitur:

Quærit Aristoteles cur aliqua germinare possint non terra cõtenta, sed abscissa, euulsa, vel condita, vt caules liliorum. An quod alimentum in se contineant? crescere autem vnumquodque potest, non eò, quòd in se continet alimentum, sed quòd decoctum iam & digestum illud pabulum est. Continent igitur

gitur vel antehac alimentum, sed augeri tum duntaxat incipiunt, quum tempus ad id adest, cuius opera res illa effici potest.

Græcis κρίνον, planta κρινωνιὰ dicitur. Dioscorides λείριον quasi ῥοιᾶν ob diuini odoris effluuium. Nicãder Aphrodites charma, id est Veneris volupe. Vocant & Iunonis rosam, è cuius lacte effuso, vt diximus, lactea via in æthere, candido colore visenda est. Græci etiam ἄνθος ἀνθῶν, id est florum florem vocant. Alia nomina recenset Nicander. *Nomen.*

Lilia, quæ leiria vocant alii Poetæ:
Ambrosiam alii, multi Veneris oblectamentum.

Idemq; scribit apud Coos è capite statuæ Alexandri enatam fuisse, quam vocant ambrosiam, vt Carystus etiam suis commentariis memorat. Latini lilium vocant, alii regium florem, quòd sua proceritate supra alios flores attollatur, & regia quadam celsitudine, & maiestate præstare videatur.

Simplici lilium caudice assurgere dixit Theophrastus, raro duplici, singulis caulibus lilia modo singula, modo plura sustinentibus, quod & rarius est. Parte postrema florescit. Radice copiosa, carnosa, orbiculataq; adhæret. Fructus detractus germinat, & lilium reddit, verùm minus. Facit & lachryma cæcum quoddam confluuium, quod etiam serunt. Vere exit paulò post albam violam. Caules plantis abscissi seruare suum vitale principium possunt, ita vt ad germen excitandum mouere se valeant. Adde: eius caules solstitiis florent, quod permirum est. Plinius ita describit. Nulli florum excelsitas maior, interdum cubitorum ternum, languida semper ceruice, & oneri suo impar. Flore emaculati candoris, foliis striatis, & ab angustiis in latitudinem paulatim se laxantibus, effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuiq; filo, & semine, stantibus in medio crocis. Ita odor, colorq; duplex, & alius calycis, alius staminis, differentia angusta. Est & flos non dissimilis illi in herba, quam conuoluolum vocant, nascens per fruteta, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturæ rudimentum, lilia facere condiscentis. Surgit apud nos recto, cubitali, vel bicubitali caule. Foliis pallido virore nitentibus, carnosis, & secundum longitudinem striatis. In cuius summitate flores emicant intaminati candoris, blandi, & concupiti odoris, senis foliolis compacti, sed repandi. Fibræ, vel crocea stamina è medio educuntur, radice bulbacea, è quamplurimis nucleolis squamatim compacta. *Descriptio.*

Theophrastus liliorum genera variari dixit: nam & purpurea lilia non desinere audiuit. Plinius, Est & rubens lilium, quod Græci crinon vocant. Nos non nisi album vidimus. *Genera.*

Laudatissimum Plinius ait esse in Antiochia, & Laodicea Syriæ, mox in Phaselide. Quartum locum obtinere in Italia nascens. *Cælum.*

Non nisi pingue, & stercoratum solum mihi exposcere videtur. *Solum.*

Plinius omnibus modis seri dixit, sicut rosa. Vnde & semine plantari affirmat. Vere post foliorum delapsum, vasculum oblongum remittit, pomi figu- *Satio.*

ra, simile prorsus illi, quod in aristolochia, in quo quædam videntur semina. Id confirmare videtur Anatolius: nam dum lilia purpurea facere docet, ait, Cauliculos ipsorum accipies, supra fumum suspẽdes, sic remittẽt ex cauliculis bulbulos quosdam, quos plantabis. Seritur & caule conciso, vt rosa, & vt gramen exit. Et vt rosa etiam propagatur ex Theophrasto. Fitque hoc modo. Prius quàm dehiscens se pandat, propagetur caulis in terram diligenter ne à bulbo diuellatur, & vnusquisq; ex nodis bulbulos remittet. Est & peculiaris generatio, quę fit è lachryma sua. quum id quod defluxit, sole exaruerit, vt olusatrum, cæco quodam confluuio, ex Theophrasto. Cuius rationem reddit libro de causis. Lachryma enim caulibus planè respõdet. Nihil enim aliud, quàm quod illarum quoq; fœcundum principiũ coactum esse oportet: nõ enim sine calore, humoreq; generatio talis cõsequitur. Sed cur non omnes lachrymę vim obtineant eandẽ, fit quòd non omnes eandẽ vim sortiantur. Plinius ab eo: Seritur amplius & lachryma sua, vt hipposelinum. Seritur & bulbis suis: nihilq; est fœcundius vna radice quinquagenos sępe emittente bulbos. Varro inter Vergiliarum occasum & brumam illud serit. Palladius Februario ponit. Bulbi à matre subtracti, atq; in alios digesti ordines, noua lilieta formabunt.

Cultus. Bulbos, qui positi sunt, Februario mense summa cum diligentia sarriemus, ne oculos circa radicem nascentes, & minores bulbos sauciemus. Ex Palladio.

Ars. Anatolius purpurea lilia facere docet. Deni, vel duodeni eorũ scapi in fasces vel scopas vnà colligati, dum floruerint, fumo suspenduntur, qui radiculos, vel bulbos inibi iaciũt, quumq; pangendi tẽpus appetiuerit, in fęce nigri vini macerãtur, dum infecti colorẽ purpureum cõtraxerint, eoq; intinctu affatim saturẽtur: mox scrobiculis deponũtur, effusa largius fæce, & ita flores nascentur purpurei. Plinius ab eo. Inuenta est & in his ratio inserẽdi, monstrificis hominum ingeniis. Colligantur nanq; mense Iulio scapi arescentes, liliaq; suspendũtur in fumo. Dein nudantibus se nodulis in fęce nigri vini vel Gręci, mense Martio macerantur, vt colorẽ percipiant, atq; ita in scrobiculis seruntur, heminis fęcis circũfusis. Sic fiunt purpurea lilia, mirũmq; ita tingi aliquid, vt nascatur infectum. Rubra fieri lilia confirmat Florentinus, si inter cortices cinnabaris infundatur, hac tamen obseruatione, ne bulbi quouis modo vulnerentur. Et si quemuis alium colorem ebiberint, par erit eum referre, quo delibuta fuerant lilia. Cæterum vt vicissim, & variis temporibus flores pariant lilia, bulbi ita seruntur, vt aliqui duodecim digitorum altitudine obruantur, alii octo tantum, alii quatuor duntaxat profunditate mergantur, sic diuersis diebus dabunt lilia. Quod & in aliis floribus fieri pollicetur.

Conditura. Lilia, vt idem Anatolius testatum reliquit, totum annum viridia durabunt. si quum occlusa silent, nec dum patentia dehiscunt decerpta, nouis fictilibus nõ picatis, indito diligenter operculo, recondantur: sic clausa perpetuum annum vegeta manebunt. Sed vt intermedio tempore ad vsum promuntur, statim ad solem producta, quum senserint eius calorem, aperta panduntur.

De

De leucoio. Cap. VII.

ANTIQVIS post rosam, & lilium proximus honos violis fuit, ideo post illa, de violis tractabimus. Nec solum coronamentis, sed etiam aluearia curantibus conueniunt. Putant Græci Io puellam, quam Iuppiter adamabat, quum eius esset compressu grauida, ne à Iunone probris incesseretur, cùm stuprum celare cuperet, ab eo in iuuencam mutatam fuisse. Terra Ioui gratulans, florem eiusdem nominis bouis pabulum fudisse dicitur, puellæ conditionem exprimens: nam viola russa, vt virgo pudore perfunditur, purpurea purpurascit, vt bos, cādida candicat, vt in sydus relata, atq; vt fœcunda humi germinat. Græcis λευκόϊον, & si nomine ipso albam violam significat, pro lutea, cærulea & purpurea, siue nigra semper capitur. Columella candida leucoia dixit. Nomen. Latini violam, quasi vitulam, detrita t litera Græca imitatione appellasse videri possunt, ab Io vitula, siue vacca in illum florem conuersa, sic etiam vaccinia. Neapolitanis *fior di vacca & fior vaccino*, in quo etiam nomine priscæ fabulæ, vt diximus, de Io in vaccam mutata relucent vestigia, quasi vaccinum florem dixeris. Ad hanc fabulam, & vulgare nomen Virgilianus Corydon (nam Virgilius vixit Neapoli, & mortuus est) allusit, vocando hos flores vaccinia:

Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Nam quum se negligi ab Alexi videret, (nam fuscus erat) facta amatoria, & rustica comparatione inter duos flores ligustrum album, & vaccinia nigra, ait, ligustri flos etsi albus, pastoribus intactus, arescere incipiens, ac humore destitutus, caducus labitur, vnde vilissimus habetur. Contrà vaccinia, & si nigra, ad coronas texendas, decerpuntur, & in pretio habentur, vt coronarius flos fuerit. Subscribit nostro iudicio Seruius grammaticus, nam per vaccinia violas intellexit, quas purpurei coloris esse constat. Sed ne aliquis in eundem, in quo alii, errorem impingat, scito violarum duo esse genera, aliæ enim sessiles sunt, quas posterius describemus, aliæ autem leucoi: vtræq; enim eiusdem coloris. Idemq; expressit Virgilius,

Sunt & violæ nigræ, & vaccinia nigra.

Sed nescio cur Hermolaus, & eum sequutus Ruellius Seruii opinionem distorqueant, quum ipse vaccinia purpureas violas esse dicat, ipsi verò iacinthum dixerint, conanturque persuadere Romanorum vaccinium iacinthum esse, authore in spuriis nominibus Dioscoride: quum ignorent de quo vaccinio loquatur Dioscorides, ac Plinii testimonium adferant de vaccinio loquentis, quod feratur ad aucupia, & ad vestes seruorum tingendas. Theocriti versus, quos alii adducunt, contra eos sunt,

Viola nigra est, & inscriptus iacinthus,
Sed tamen in coronis in primis leguntur.

Quum Theocritus de poetico iacintho loquatur lilii forma, & inscriptio, vt mox videbimus, non de Dioscoridis iacintho loquitur de quo est contentio, & Virgilius Theocritum imitatus est, non interpretatus.

Descriptio. Theophrastus ita depingit: Suffrutex leucoium est, lignosis nimirum radicibus surgens, flore odoris iucundi, reliquis partibus ignauis, cuius rationem in rosis reddidimus. Florum prima ver nunciantium, tepentibus verò locis, ante exactam hyemem emicat. Vita ei longissima à trimatu est, ab eo enim tempore senectam sentiens degenerat, ac incanos senio fert flores. Cæterum debilium odor vt fugax, ita celeriter euanescit, vt leucoia, viridia enim à longe gratum odorem iaculantur, sicca non nisi propius admota. Ratio quia iam durata vernaculi caloris inopia, halitum efflare nequeunt. Apud nos cubitali prosilit altitudine, ramosa: folio molli, canescente, & potius à foliorum canitie, & cineritio colore leucoion dictum, quàm à floribus albis. Flore quadrifolio, semine foliaceo, quod tenuibus quidem, sed quincuncialibus siliquis continetur. Inter duo tegmina siliquarum sepimentum aliud habet, separatq; hinc inde semina, ne se inuicem contingant. Post triennium senescit, & desciscit in flores, albis lineis interlitos, pòst dimidiatos albos, demum pallescentes.

Genera. Theophrastus genus variari liquido dixit. Dioscorides quatuor genera facit, sola florum diuersitate inter se differentia, quoniam candidum, luteum, purpureum & cæruleum fert florem. Purpureum & album genus simile est, frondibus & arbore, tamq; sunt visu grata, vt à mulieribus in fictilibus fenestris alantur, omniumq; manibus verno tempore versentur. Luteo verò folia oblongiora, numerosiora, & nigricantia, vt flos odorata. Plinius syluestres & satiuas dixit. Earum plura genera, purpureæ, luteæ, albæ. Sed satiuis maxima authoritas luteis. Genera iis Tusculana, & quæ marina appellantur, folio aliquanto latiore, sed minus odorato. In totum verò sine odore, minutoq; folio calathiana, munus autumni, cæteræ veris. Apud nos lutea maceriis, & muris ædificiorum familiaris hæret, licet quoque hortis vbique altilis, habitu & statura humiliore, viridiore folio, flore minore, vehementi tam spirat odore, vt caput feriat. Cærulea quæ sit apud quemquam non constat. Plinius eius non meminit, neq; Paulus, neque Aetius, qui Dioscoridem transcribunt, nisi pro cæruleo colorem intellexerit, maximè purpureum, vt ad ceruleũ vergat, nam inter purpurea genus est gratissimum coloris ad cæruleum vergẽtis.

Cælum. Cœlum apricum desiderat, nam locis tenuibus & admodum sitientibus, vbi cœlum vehementer feruet, minus odorata sentitur, quum nimium resiccetur. Montibus longè deteriores proueniunt Theophrasti authoritate. Varro aprico loco seri præcepit.

Solum. Pingue quærunt solum, & repastinatum, ex Columella.

Satio. Semine seri Theophrastus dixit, quum eorum radices nimium lignosę sint. Tempus serendi vt plurimum, autumnus. Hæc enim primùm seri nimirum properant, cæterùm vere etiam seruntur. Leucoion, vt Tarentinus scribit, purpureum, luteum, rubrum post idus Martias plantantur, & post calen. Maias albũ, sulcis seritur, transfertur à Ianuario, vsque ad idus Februarias. Columella

mella ita serere docet. Violam qui facturus est, terram stercoratam, & repastinatam minimum alte pedem in puluinos redigat, atq; ita plantas hornotinas scrobiculis pedalibus factis ante cal. Mar. dispositas habeat. Semen autem violæ sicut olerum in areis duobus temporibus seritur, vere, vel autumno. Theophrastus è supernis etiam partibus nasci scripsit, vt sisymbrium, serpillus, aliúve suffrutices.

Columella coli eodem modo, quo & cætera olera, vt runcetur, vt sarriatur, vt interdum etiam rigetur, scribit. Cultus.

De leucoio altero bulbaceo Theophrasti. Cap. VIII.

NON est, vt putat doctissimus Fuchsius diuersum Theophrasti leucoion à Dioscorideo, & à communi, quum Dioscorides lignosas radices ei tribuerit, & suffruticem dixerit, & Theophrastus bulbaceas: nam duplex est apud Theophrastum leucoii genus, & lignosas radices habens, & bulbaceas. Septimo enim libro inter bulbacea bulbacei leucoii meminit, & libro sexto florere post narcissum dixit bulbi florem, quem quidam coronariis inserunt. Habet enim hoc folia porro similia, tenuiora tamen & molliora, & radice bulbosa prodeuntia, pediculum etiam profert dodrantalem, tenuem, ac ferè incuruum, in quo candidus flos est, in medio croceus, purpurearum violarum odorem referens, quo decidente capitula nucis auellanæ quantitate erumpunt, in quibus semen sinapi haud dissimile continetur. Februario floret, Aprilis calce tabescit, ac semen capitulis ostendit. Emicat vbi cœlum apricum, & vbi clementius fuerit, citius floret, prouenit enim syluosis & vmbrosis locis. Matthiolus inter narcissi species locat.

De viola. Cap. IX.

VIOLÆ nigræ in coronis auidissimè expetuntur, vt ab Theophrasto habemus, & eum imitato Athenæo, tũ sua pulchritudine, tum suaui odore crapulam, & capitis grauitatem corollis impositis, olfactuque discutiunt. Sed Athenæus in compotationibus inutilem è violis coronam dicit, quòd vehementi odore caput feriat, vt etiam ex lauro, & amaraco. At Athenæus non de hac sessili, aut nigra viola, sed de leucoio loquutus est, & præsertim luteo, quod vehementissimè olet. Icesius leucoia præstantissimum odorem iacere, & suauẽ, sed breuissimo tẽpore, & idem de viola nigra dicit, sed huius odorem esse, quàm illorũ gratiorem. Vitruuius docens purpureũ colorẽ facere, quum tectores volunt sil atticum imitari, violã aridam coniicientes, cum aqua conferuescere faciunt ad ignẽ, deinde quum est temperatum cõiiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes recipiunt in mortarium aquam ex violis coloratã, & ex ea eretriã infundentes, & eam terentes, efficiunt silis attici colorem.

Theophrastus μελάνιον vocat à nigricante purpuræ colore. Nicander in Georgicis ἴον dictam Græcis putat, quod quædam Nymphæ Ionæ Ioui primum muneri dederint. Versus sunt: Nomen.

Ionides nymphæ puram ac renidentem corollam Ioni
Texere, quum cuperent, in Pisa hortis,
Et terra flores peperit: tum autem Ion cum canibus venatus,
Suorum membrorum sordes abluebat in Alpheo,
Ad vesperam cum Iaonibus nymphis dormiturus.

Plinius solas Græco nomine à cæteris discerni dicit, appellatas ia, vt ab his ianthina vestis. Columella sarranas violas vocat, vnde sarrana purpura. Latini violas dicunt, vulgus quia ramis caret, sessiles, siue loripedes vocat. Itali *viole*.

Descriptio. Theophrastus violas ita describit. Humilis est, latiore folio, statim ab radice multa exeunte, sine ramis, perpetuo virens. Flos eius duplex: nam in flore alterum florem medium insidentem gerit. Floret post vitifloram ante iacinthum. Odorem longinque halat, propius hebescit, cuius rationem reddit libro de causis, quòd ad remotiorem locum merus odor, sincerusque defertur: manant enim à cæteris partibus herbæ nonnulla, quæ permeare longius nequeunt, quòd terrena, crassioreq; constent natura. Vetustate flores fiunt inolidi. Ratio est, quum debilium odor fugax sit, ita celerrime euanescit, ac vernaculi caloris inopia halitum efflare nequeunt. Flos olet, planta minimè. Aristoteles in problematis quærit, cur odores aliquorum florum, & suffimentorum è proximo minus suaues spirant. An quòd portio terrena vnà cum odore se defert, quæ vt in proximo mista vim hebetat, sic in longinquo purior defertur? Hinc etiam flores contusi suum odorem amittunt. Nicander humi iacentes vocat.

——— *Humi iacentes violæ,*
Quas colligebat atra Proserpina.

Dioscorides, Folio minore, tenuiore, nigrioriq; quàm hedera. Stylus à radice medius prosilit, & in eo flosculus, suauiter olens, purpureus. Flore hiperici. Plinius. Floret primò viola alba, postea quæ appellatur purpurea. Ex iis verò quæ sponte apricis, & macris locis proueniunt, purpureæ, latiore folio, statim ab radice carnosa exeunt. Sed Plinius perperam ab radice carnosa Theophrastum interpretatus est, nam de foliis non de radice protulit. Addimus nos. Semen minutum in folliculis, vasculisque rotundis, extrema ferè æstate producens.

Genera. Syluestres specie, nec aliam generum differentiam nouit Theophrastus, immo quò syluestriores, eò odore præstantiores: nam quum odor ex humiditate, & siccitate exoriatur, quumq; viola non multum alimenti desideret, quum satis ex se habeat, iis locis moderatur: quamobrem genus satiuum suæ alimoniæ copiam excoquere nequit, & hinc fit vt cinerem alii congerant, alii respergant. Vidimus ex his luteas, pallidasque.

Solum. Opacis & asperis Dioscorides nasci dixit. Odoratissimæ quæ apud Cyre-
Cælum. nem nascuntur, Theophrastus dixit, & proinde illic vnguentum suauissimum.

mum faciunt. Montibus longè deteriores exeunt. Athenæus ab eo. Præstantissima odore Cyrenis, quamobrem suauissimum illic vnguentum, & eximius odor.

Tarentinus post idus Martias, & calendas Maias plantari iubet. Nascitur vitis modo è supernis, quasi è puppi dicas, non prora: ex Theophrasto. [Satio.]

Quæ locis apricis, & circumseptis satæ sunt, assiduè ferunt, & si certo genere colatur, perpetuo viret, & toto anno ferre spondet. Theophrastus. Adiicimus nos: si fictilibus vasculis colatur, hyemes, æstusque vitabimus, serenis diebus hyeme soli ostendendo, æstu vmbra, & aquationibus adiuuando, quantum fieri possit. Varro in fundo violaria facere non esse vtile dixit, ideo quod necesse est à terra ad ea obruenda puluinos fieri, quos irrigationes, & pluuiæ, & tempestates abluunt, & agrum faciunt minorem. Tradit idem Theophrastus violas iuxta cæpe, vel allium satas fragrantiores fieri, cuius rationem reddidit in rosis. Plutarchus vbi ea recitat commoda, & vtilitates, quas ex inimicis consequi possumus, dicit nos fieri vigilantiores ad vitia declinanda, & ardentiores ad capessendam virtutem & illustriores, atque id violas cæpis insitas optime hieroglyphico demonstrare posse. [Cultus.]

De viola flammea. CAP. X.

MEMINIT & alterius violæ coronariæ, flammeæ dictæ, Theophrastus: flores nanq; tricolori elegantia variegatos profert, vt venustas eorum oculos longe alliciat, blandiaturque.

Theophrasto φλὸξ, & φλόγινον dicitur, Theodorus flammeam vertit. Plinio quoque phlox dicitur. Italis *viole di tre colori*. Aliqui iaceam vocant. [Nomina.]

Theophrastus vere nonnunquam cum viola alba, vel post lilium exire dixit, syluestris duntaxat, nam cæteris omnibus, quibus coronarii vtuntur, longè præcurrit. Plurimum durat. Sine odore. Plinius, Colore tantum placet Iouis flos, odor abest, sicut & illi, qui Græcè phlox vocatur. Florum prima viola alba, pòst purpurea, postea flammea, quæ phlox vocatur. Nos hanc violam putamus esse, quæ in flore triplicem colorem ostendit, candidum, luteum, & cæruleum, videturq; non potuisse decentiori vocabulo à Theophrasto nominari, quàm flammea, quum in lucernæ siue lignorum flamma, terni eiusmodi colores conspiciantur, cæruleus in imo, luteus in medio, candidus vel rufus in cacumine, vt & in iride cœlesti. Sunt ei folia oblóga, modicè per ambitum serrata, caulis angulosus, geniculatus, flores longiusculis pediculis pendentes, triplici colore donati, radiculis fibrosis, plurimum florens durat. [Descriptio.]

Theophrasto syluestris tantum, ex Plinio. Apud nos duo visuntur genera: alterum maius, alterum minus, in cuius flore bini conspiciuntur colores, cæruleus, & candidus, aut luteus, & candidus. [Genera.]

Seritur semine ex Theophrasto: & colitur, vt cætera quæ diximus. [Satio.]

De iasme. CAP. XI.

ANTEQVAM è violis discedamus, de iasme dicemus, etsi odoris & similitudinis nonnihil nancisci videtur, nomen tamen odoratam violam resonat, & si veteribus frutex hic vt arbitror fuerit incognitus, volumus tamen in coronario hoc nostro horto eleganter vireat, & latè loca suo suauissimo odore repleat. Frutex hic harundineos parietes, hortorumque testudines, & concameratos sinus topiario opere conuestit: hic apibus gratissimum fert florem, quum ad eum auidissimè aduolent apum examina: hic vnguentariis sua odoris iucunditate maximè est expetitus & oleo conficiendo, & odore chirothecis conciliando.

Nomen. Quamquam Græcis indictum existimetur, Grecam tamen eius nomen videtur originem subolere: iasmes, quasi odoratam violam dicas. Sunt qui dicant iosmenon, apiariam, quod eius flos apibus gratissimus existat. Mauritani zambac eorum lingua dicunt, & iesseminum. Neapolitani has voces imitantes *gelsomino* vocant.

Descriptio. Frutex attollitur sambuci caudice, sed procero, flagellis sequaci lentitia flexibilibus, foliis septem ex vno pediculo prodeuntibus, in viridi nigricantibus, oblongis, in mucronem sed languidum illico properantibus, lentisci magnitudine rosacei, sed angustioribus, floribus in caulium summitate racematim prodeuntibus, candidis, quaternis, quinis, vel senis foliolis constantibus, præcipuæ suauitatis, Maio, & Iunio florentibus.

Genera. Duo primum iasmes fastigia, syluestre & satiuum. Syluestre tria etiam genera continet, colore differentia, alba, lutea, & cærulea: alba passim conspicua, lutea habemus, sed inodora, & dissimili frutice nascentia, cærulea videre non contigit, etsi Babylonico agro, & Ægyptio, & in oriente vulgaria esse dicant. Satiuum florem longè maiorem habet & diuinioris odoris, Augusto, Septembri, & interdum tota hyeme placida florescens.

Cælum. Calidos, & amœnos tractus amat.

Solum. Solum pingue, & humidum, proinde æstate rigationibus, hyeme fimo foueri debet.

Satio. Semine non nascitur: nam non perficit, sed suis plantis seritur: nam fœcundissimè sobolescit. Seritur & propagine, nam prælongis suis caulibus se sustinere non valet, nec vt vitis clauiculas, aut hedera radiculas habet, quibus alteri hæreat, vel amplexetur, vnde caducus prorepit, & vbi terram attingit, ibi rubi more radicatur. Vel prosternitur plantæ more vitis, & post annum, vbi radices iniecerit, transplantatur. Serendi tempora vere, & autumno. Syluestre seritur suis flagellis vel taleolis, melius tamen si in calce aliquid veteris inhæserit.

Insitio. Satiuum in syluestre inseritur fisso ligno, mense Martio, & optimè apprehendit. Nos Iulio, & Iunio inoculamus, in eodem anno comprehendit &

flores

flores fert. Sunt qui in vitabulam inseri dicant. Nobis non successit. Luteum dicunt procreatum ex insitu genistæ, à nobis multifariam probatum est, & lusit experientia.

De flore cariophyllorum odoris. CAP. XII.

NVNC de eo flore noster erit sermo, qui ab insigni cariophyllorum odore à nostris cariophylli dicuntur: quùm illius veterum nemo, quod sciam, meminerit: etsi sylvestres in montibus & syluis latè florescant, vnde dubitatur vtrũ illis fuerit incognitus. Nos inter coronarios flores reposuimus, quum rosis pulchritudine, amplitudine, & varietate inferiores minimè videri possint, immò cum eis de principatu vsque ad victoriam certent. Rosa ad marcescentia concitè properat, longissima enim decerptæ dies mora, venerem, decusque facilè deperdens, huic diuturnior mora, supra triduum vita, vigorque durat, aliquibus præterea magnitudo tanta inest, vt orbis vtramque manum compleat. Superat & colorum varietate. Sunt albi, rubore misti, nudam carnem referentes, *incarnati* dicuntur. Sunt vermiculati, qui candidi sanguineis venis distinguantur, ruffi, vinei, dilutius purpurascentes, aut intensiore virore nitentes, sunt & punctorum purpureorum aspergine versicolores. Sunt quibus foliorum luxuriam calyces capere nequeant, at à latere rumpantur. Et cùm cæteris floribus menstrua, vel sesquimenstrua sit duratio, ii vernas, æstiuas, autumnales & hybernas coronas replent, nec nisi sesquimense silent. Et si nostra ætas coronarum vsum aboleuit, nunc manibus omnium ferè iuuenum, & magnatum continuò gestantur, neque viridaria, vel in fenestris ędium horculi pensiles, vel fictilia vasa visuntur, quæ his non scateant.

Recentiores ab insigni, & suaui cariophyllorum odore, quem halant, cariophyllos dicunt, Fuchsius veronicam alteram Plinii vocat, alii cantabricam. *Nomen.*

Caulibus assurgit sesquipedalibus, teretibus, geniculatis, foliis ex singulis geniculis binis, porraceis, oblongis, angustis, incuruis, & per extremum mucronatis, colore cæsiis, floribus omnium speciosissimis, cariophyllorum odoratu, sed longè odoratissimo, calathis teretibus, longiusculis, orbiculo superiore denticulatis, à quo quina, senáve folia prodeunt, lente quidem fimbriata, & interdum vicena: geminis vtrinque emicantibus stamineis apicibus, radice promissa, simplici & geniculata, semine in calathis minimo. *Descriptio.*

Species primùm duæ, satiua vna, altera voluntaria & fera. Hæc maceriis familiaris, vel petreis montosis, sponte naturæ crescit, cuius species duæ colore discernuntur, candidis & purpureis floribus, paruis, oblongis, per ambitũ magis dissectis, inodoris, in calycis medio sui complexa cæruleos apices, nec à satiua nisi feritate dissidens. Vidi Neapoli, & vasculis colui, quinis foliolis, adeò dissectis, vt capillacea viderentur: in foliorum vmbilico varietas iucundissima colorum conspicua, ex auro, cœruleo, albo, & purpurascente, vt pauonum pectora, & caudæ colorata. Caulis iunceus, folia, & genicula, vt syluestrem habi- *Genera.*

tum referret. Modici, sed suauis odoris. Satiua licet à priore oriunda, culturæ diligentia lætius assurgit, colorum varietate diuersificatur. Flos enim alter cocco rutilat, alius saturatus nitet purpura, alius emaculato blanditur colore, alius versicolori variegatur mistura. Est & in foliis differentia, nam alii constant leuiter fimbriatis, alii profundioribus incisuris crenantur, alii paucioribus, alii numerosa foliorum serie stipantur, vt quum fuerint prorsus explicata radiantem orbem concinnent. Sunt & trifero prouentu, vt qui flores continuo gerant. Præterea quorundam flos mirabili culturæ ratione, dehiscente alabastro, in ipso staminum loco alterum alabastrum ostendit, pandentem se paulo post in florem, cauliculo priore consenescente. Apuliæ Baroli vidi, & locis calidis.

Cœlum. Cœlo gaudet aprico, & sole illustrari, vnde etsi locis à frigore tutis seruetur, hyeme tamen etsi frigida, continuè profert flores.

Solum. Et solum pingue, vel fimo saturatum, & humidis, vel continuis rigationibus adiutum amat.

Satio. Semine seritur. Calidissimis locis, vt in Apulia semen perficit exiguum, nigrum, oblongis in vasculis clausum. Sed ad agrestem naturam redit, & mirabiles diuersitates efficit. Si seras rubrum, album producit, & vermiculatum, vel eodem in palmite album, rubrum, & mistum florem. Sed frequentius auulsione seritur. Mulieres enim (muliebre est opus) ineunte autumno vel vere, sobolem à radice copiosam, in patulis fictilibus, vel turbinibus cadorum in terram pingui lætamine saturatam pangunt, & quum hyemis gelicidia increscũt, recondunt sub tecta, quum sol illuxerit, vel cœlum serenat, reuocant in apertum, & illuc sinunt apricari. Si pluuia incesserit, cœlestem pluuiam haurire sinunt, vnde cellis vinariis & fruticare, & flores interdum parere potest. Qui in areis pangunt, per hyemis frigora lætamine muniunt, quo ab iniuria gelantis cœli seruari possint.

Cultus. Maximis æstibus aqua saturari, frigoribus verò fimo oportet. Sæpius diuellere, & plantare: nam si diutius steterit, vt de violis leucoiis dixit Theophrastus, degenerat, & syluester euadit, continuò flores minores profert, minus odoratos, & ex rubro, interlitos albis venis, demum ex toto albescentes.

Ars. Refert Matthiolus seminibus diuersorum florum simul constrictis effici posse, vt versicolores nascantur, sed id sine doctrina, & experientia scripsit, fieri enim non posse demonstrauimus. Facilius id fieri potest, radicibus dimidiatis, & sub terra propagatis, donec vniantur. Et hoc modo factum est, vt anno vno florem candidum, altero purpureum, tertio colorum varietate promiscuum, & quod mirabilius videtur, ramulus idem niueum, ruffum, & vermiculatum proferat florem. Olitores factis stylo foraminibus in radicibus Indicos cariophyllos adegisse creduntur, quo illorum odorem flores alliciant, & naribus repræsentent, vt ex syluestri herba, & flore minus odoro nouitatis studiosi odoratum florem tali lenocinio mentirentur. Vt hyeme continuò flores

flores promat, æstate germina decutiunt, dum calyculos ostendunt, sic enim noua promendo, seram maturitatem vsque ad hyemem retardant.

De narcisso. CAP XIII.

NARCISSVS fert florem pulchrum, & odoratum, quem dat coronis, puellis maximè expetitum, quo se coronent. Narcissi fabulam talem reperies in Græcorum monumentis. Fuit & ipse Cephei amnis, & Liriopes nymphæ filius, sui corporis forma excellenti à multis nymphis fuit adamatus: in aquis propriam imaginem conspicatus, ac sui amore irretitus, quum vmbram suam nesciret à se distinguere, eam amplexando periit, & contabuit, & in florem sui nominis conuersus est. Hoc inuolucro innuentes Poetæ adolescentem in tenui corporis fluxu vmbram propriam inspexisse, id est corporis vitam, quæ animæ idolum est, eam quum is perinde ac veram, puramque amplexari arctius festinasset, id est quum vitæ corporeæ totus inhæsisset, præfocatus interiit, quum animalem per inscitiam amisisset. Theocritus Europam narcissos carpentem cecinit. Proserpina etiam dum narcissos legeret, capitur à Plutone. Coarguit hanc fabulam Pamphilus Poeta vetustissimus, quum Proserpinam multis annis ante, quàm Narcissus esset, à Plutone raptam dicat. Palladius narcissum apibus gratum dixit.

Theophrastus νάρκισσον, & λείριον vocat: vt ipsemet testatur. Narcissum alii lirinum vocant. Quod etiam Iulius Pollux annotauit: Et Homerum lirii appellatione complecti omne genus florum dixit. Plutarchus in Symposiacis ita dictũ censet, quod neruos hebetet, membrisq́; torporem sensus sopiens afferat: odore enim est tam acuto, vt sæpius odoratus, caput tentet ac feriat. Plinius à narce dictum putat, caput grauante, non à fabuloso puero illo. Athenæus ait, Theophrastus de plantarum historia dicit, narcissum etiam dici leirium: deinde progressus, tanquam inter se discrepent, vtrumq; seorsim nominat. Eumachus Corcyræus in Rhizotomico, & acacallidem, & crotalon vocari narcissum, tradit. Et Sophocles magnum deorum terrestrium coronamentum dicit, quod scilicet defuncti, & morte torpidi, torpido flore meritò coronentur. Apuleius αὐτοφυῆ vocat, id est à se ipso genitum, quum sese ipse propaget, & serat suo semine. Latini narcissum vocant Itali *narcisso*. Nomen

Plura sunt narcissi genera. Multa Theophrastus, multa Dioscorides, & multo plura nostra obseruauit ætas. Ordine recensebimus. Ex Theophrasti descriptione. Narcisso folium angustũ, frequẽs, & pingue, caulem tantũ floris sortitur, vt crocum. Mirum quod caulis, & cum eo flos erumpit antequam folium. Ter florendo, tria sationum tempora demonstrat, primo primam, secundo mediam, tertio nouissimam. Quum senuerit, foliorum exortum inceptat, fructumque inconspicuum parit, quia caulis cum suo flore emoritur, quod non antequam reflorescat cernitur. Germinat post scillam, folium largè emittens. Radix neque parua, neque magna, bulbo assimilis, nisi quod non est squamata. Vere post leucoion, & phloga floret. Alterum ita describit. Genera.

Narcissus folium albuci habet, terræ proximum gerit, sed latius vt lilium, caulem sine folio herbaceum, in cacumine florem ferentem, in membrana, seu vasculo inclusum, ampliusculum, nigricanté, oblongum, qui decidens sponte germinat, præsertim defixus in terram manu. Seritur & radice ampla, carnosa, rotundaq;. Serotinus admodum, post Arcturum, & circa æquinoctium florens. Alibi habet. Narcisso folium angustum, frequens, & pingue. Huius serò florentis meminit Virgilius,

—— Nec sera comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi.

Dioscorides tria genera descripsit, duo calycis colore differentia. Vni enim intus croceo, alteri purpureo. Folia porro similia, tenuia, multo minora, & angustiora, caulis vacuus, & sine foliis, supra dodrantem attollitur, intus croceus, in quibusdam purpureus. Radix intus alba, rotunda, bulbosa, semen velut in tunica, nigrum, longum. Cæteri porrum imitantur, atq; herbaceum virus olent. Purpurei narcissi meminit quoq; Virgilius, lutei Ouidius. Virgilius,

Pro molli viola, pro purpureo narcisso.

Ouidius,

Nusquam corpus erat, croceum pro corpore florem
Inueniunt, foliis medium cingentibus albis.

Plinius à Theophrasto. In coronamentorum genere narcissus: nam ter floret, primoq; flore primam arationem ostendit, medio secundam, tertio nouissimam. In Italia floret post rosam. Narcissi alterum genus flore candido, calyce purpureo. Differentia à liliis hæc est, quòd narcissis folia in radice sunt. Tertio generi cętera eadem, calyx herbaceus. Omnes serotini: post arcturum enim florent, ac per æquinoctium autumni. Croceus narcissus apud nos floret, adeò flagranti iesemini odore, vt sæpius odoratus caput feriat & tentet. Sed hic primo vere floret, non ter, vt dicit Theophrastus, nec possibile videtur, vt ter eodē caule florere possit. Sed verisimilius est, quòd ex circa agnascentibus bulbis variis temporibus floreant, & vnus putetur.

Cœlum. Dioscorides in montibus nasci dixit. Sed croceum & purpureum, Græci
Solum. anydros vocāt, id est siccitate gaudentes, nos arenaceis & siccis locis vidimus.

Satio. Sponte nascitur, & semine seritur, & qui legunt defigere eum solent. Nec simul eodem anno ex iisdem seminibus nascitur, sed partim anno primo, partim secundo. Radice etiam sata proueniunt, extra terram perdurant, vt quæ radice capitata constant, crassa carnosaq; & tunicata, & simul lentitiam quandam habente, denique carnis & succi bonitate vacare minimè debent, vt ad perdurandum valeant, vt lirium. Hæc Theophrastus. Didymus, Martio mense viui radix plantari debet, & transplantari.

Ars. Iactant se quamplurimi florum mangones olitores, culturæ lenociniis eiusmodi narcissos posse à pristina effigie deflectere, & in aliam mutare nouā, & visendam, insitis bulbo seminibus quibusdam, atq; insertis pullulationibus, vt

flores

flores multiplices producant & foliosos, ad lusus & artis ostenta demonstranda. Vnde numerosissima nunc sunt narcissorum genera, vt non facilè scripturæ cancellis claudi queant.

De croco. Cap. XIV.

CROCVM flos coronarius, sed ad hybernas coronas venit, tunc quum alii desunt flores. Idque etiam Athenæus annotauit ex Nicandro:

——*Acanthus.*

Haud minus quàm populus, viuaces sunt, diuturnus etiam crocus, vere abditus. Plinius, in coronas venire scribit ad arcendam ebrietatem, & qui biberit eum prius crapulam non sentire, præterea somnum conciliare leui blandoq; suo defluxu: herbæ vsus nusquã fuit in coronis, etenim folio angusto penè in capillamenti modum. Troianis temporibus iam erat honos ei, tres flores Homerus laudat.

Lotum roscidam, & crocum, & hyacinthum.

Columella crocum apud aluearia seri laudat, quòd coloret, & odoret mella. Idem ab eo Palladius, vt herba suauissimi odoris, & floris. Smilax virgo, vt fabulata est antiquitas, ob amorem iuuenis Croci mutata est in fruticem smilacis hæderæ, vt dicemus in hedera Cilicia, & Crocus puer in florem sui nominis. Quod Ouidius testatur,

Et Crocon in paruos versum cum Smilace flores.

Eiusmodi poëtices philosophiæ inuolucrum nil aliud innuit nisi abditam vim croci, Venereis voluptatibus celebrem. Nostra verò tempestate præcipui est vsus ad coloranda coquinaria condimenta.

Græcis κρόκος dicitur, vel quod κρόκη fila, villosamque tramam significet, cu- *Nomen.*
iusmodi sunt croci stamina, vnde & villi, & flocci κροκίδες dicuntur, vel παρὰ τὸ ἐν κρύει θαλλεῖν, id est quòd frigore floreat, ex sentẽtia scholiastæ in Callimachi hymno Apollinis. Latini crocum, Itali *zaffarano.*

Crocum, ex Theophrasti traditione, erumpit folio, etsi cęteris bulbis angu- *Descriptio.*
sto, ei tamen ad vsq; capillamenti penè exilitatem. Cauliculo tamẽ floris, quem sortitur, angusto. Germine & flore serotino aut præmaturo, vtro scilicet modo tempus acceperis. Floret quippe autumno statim primis imbribus, Vergiliarum occasu, qui paucissimis diebus marcescat. Cum folio florem obiter expellit, quin & prius. Subest radix multa carnosa & peruicax. Plinius. Notabilis & croci natura, quod quum omnes herbæ folium primùm emittant, mox in caulem rotundentur: in eo caulis prior intelligitur, quàm folium: flos quidem caule impellitur. Carnosa radix betæ, at magis etiamnũ croco: numerosiorq; radix quàm folium. Addimus, Foliatur crocum humi cubantibus foliis: cũ flore stamina prodit aureo cruore virentia, flammeaq; crassiuscula in cacumine, terna, quaternáve. Bruma spretis algoribus viret, vere crescit, deperditurque, tota æstate nullibi conspicua. Radice copiosa, viuacique.

Genera. Croci duorum generũ meminit Theophrastus, montani, & satiui. Sed prius hebes, posterius odoratum. Idemq́;. Crocum tam odoratum quàm candidum, & spinosum, quæ carent odore. Præterea crocum agreste præstantius olere, quàm vrbanum. Plinius. Satiuum latius, maiusq́;, & nitidius, sed multò leuius degenerans, sed nec vbiq; fœcundum. Est & per se genus satiui blandissimum vulgò, quum fit medio candidum: dialeucon vocant. Montanum in Surrentinis collibus videre licuit autumno, præruptis locis, florem sine foliis gerẽtem, maiorem satiuo, sed adeò frondes foris erant nigris maculis, lineis & lituris affabrè depictæ, vt nil gratius oculis occurri posset, sed inodorum.

Solum. Cœlo puro, sitientiq;, nec nimium feruido gaudet crocũ, quæ ad odorem creandum aptissima sunt: ob id quod apud Cyrenam prouenit odoratũ consistit inter cętera: ex Theophrasto. Dioscorides optimũ Coryceum dicit, è tractu Lyciæ cõtermino. Tertiũ Lycium è monte Olympo, dein Ægibus Ætolię. Cyrenaicum, & Centuripinum Siciliæ infirmius. Plinius ab eo. Non fœcundum Cyrenis, vbi semper flores laudatissimi. Prima nobilitas Cilicio, & ibi in Corico monte, dein Lycio, monte Olympo: mox Centuripino Siciliæ, aliqui Phlegræo secundum locum dedere: Virgilius Tmolum Ciliciæ montem laudat,

——— *non ne vides croceos vt Tmolus odores.*

Agrum siccum & tenuem laudat Theophrastus: nam crocum paruo alimento indiget, ob id Cyrenaicum cæteris laudatius. Agreste suauius redolet: nam & satiuum suam excoquere alimoniam nequit, & hinc fit, vt cinerem alij congerant, alij respergant. Iuxta semitas & fontes lætissimum nasci idem dixit, quando calcari gaudet, & atteri pede, sed temporibus nostris notissimũ, & optimũ crocum non solùm regiones ad Meridiem, sed etiã ad Septentrionem sitæ abundè dant, vt Brutia tellus & Samnitum: vt in Aquila Vestinorũ vrbe.

Satio. Satus ex Theophrasto radicibus fieri solet. Plinius, Seritur radicis bulbo. Syluestre serere in Italia minimè expedit, ad scrupula vsque singula areis decoquentibus. Mucianus author est, in Lycia anno septimo, aut octauo transferri in locum subactum, atque ita degenerans renouari. Viret bruma, & colligitur. Palladius Februario mense serendos bulbos monet, & ante satos sarriendos. Nos autem hîc ita serimus.

Tertio vel quarto à satione anno, quum iam bulbi perfectam maturitatem consequuti fuerint, à terra eruuntur, & æstate tota in horreis, vel calido loco reponuntur, substratis herbis, vel tabulis, ne soli humiditate corrumpantur. Deinde vltima Augusti parte, vel prima Septembris in sulcis; pedis interuallo, alter ab altero deponitur, altitudine non plus quatuor digitis sub terra, Maio, Iunio, & Iulio mensibus. Sarritionibus herbæ tollantur, repastineturq́ue terra; modò ne bulbi saucientur, inde Augusti, vel Septembris fine herbis mundentur, vt flores facilius colligi possint. demum elapso triennio, vel quadriennio cohærentes bulbi, quibus caput extumuit, seorsum distincti separentur, vt subinde creare nouam sobolem possint.

Florem.

Florem tunc meti debere, Florentinus est author, quum media florũ stamina grato colore nitent, & nutant: detractis à medio flore capillis, triduo, aut quatriduo resiccatis, cacumẽ croci repurgatur, & si quid albi hæsit detrahitur, & vasis ad vsum reconditur. Diophanes in vmbra siccandum, & refrigerandũ esse ait. Croci odor, ait Theophrastus, tam acris, & validus est, vt ad quoddam vsq; temporis spatium odoratius reddatur: nã terrenæ parti vis quædã aquosa permixta est, eaq; siccatur, inueteraturq; vnà, & quantum aquosi humoris est, exhalatur, & alimenti cessat actio, & quædam veluti concoctionis aliquid per se ipsa recipiũt. Plinius. Adulteratur nil æquè. Probatio sinceri, si imposita manu crepat, velut fragile: humidum enim, quod euenit adulteratione, cedit. Altera probatio, si manu prolata ad ora leuiter faciẽ, oculosq; mordeat. Optimũ vbicunq;, quod pinguissimũ, & breuibus capillis, pessimũ verò, qđ sitũ redolet. *Cōditura.*

De floribus non odoratis coronariis, & primum de hyacintho.

Cap. XV.

IAM ad alteram diuisionis partem deuentum est, scilicet florum coronariorum non odoratorum. Ordinẽ hunc sequemur, quòd primo vernos, deinde æstiuos, mox autumnales, & demum hybernos dicemus, vti etiam coronæ antiquitus nectebãtur, & in coronas à montibus petebantur. Ab hyacintho initium auspicabimur. Palladius hyacinthum nutrire in hortis monet, quo habeant apes, vnde mel colligant. Duplicis hyacinthi veteres meminere, historici & fabulosi: prius de historico siue medico, in sequenti de fabuloso. Vnus ex tribus est floribus, quos laudat Homerus. Pueris illita radix, eos mangonizat; ita vt silens pubertas non erumpat. A Dioscoride Plinius, Mangonicis venaliciis pulchrè nota, quæ è vino dulci illita, pubertatem coercet, & non patitur erũpere. Quo inuolucro Poetæ Apollinem semper imberbẽ figurant, & Hyacinthum puerum, vt in sequenti capite declarabitur.

Græcis ὑάκινθος, Latinis hyacinthus, Dioscorides Romanis vaccinium nominari dixit, vt in leucoio dictum. Neapolitanis, *cepolla seluaggia*. *Nomen.*

Dioscorides ita pingit. Folia fert bulbi, caulem dodrantalem, leuem, minimo digito tenuiorem, herbacei coloris, comam procumbentem purpureorũ florum plenam, radice bulbacea. Theophrastus vere florere dixit cum violis, ante rosam, plurimumq; durare. Addimus. Prouenit foliis porraceis, in terrã reflexis, caule læui, albicante, quem à summo tenus numerosi flosculi, spicatim congesti amiciunt, in tantillis pedicellis lauendulæ flores imitantibus, supra comosam vmbellam, circinatam, deorsum nutantem efficientibus, ex violacea purpura suaui rubore permistam, cæpacea, quanta narcissi. *Descriptio.*

Columella duplex genus ponit, album & cæruleum. Nec non & niueos, & cæruleos hyacinthos. *Genus.*

In Gallia eximiè prouenire scripsit Plinius, hoc ibi pro cocco hysginum tingitur. Color nanque hyacinthinus non solum ex hoc fit hyacintho, *Color.*

ſed è viola nigra, quæ ſylueſtris hyacinthus quoque dicitur, vnde ianthinum potius, quàm hyacinthinum dicere conuenit.

Satio. Non ſeritur, ſed campeſtribus, & ſyluis ſponte prouenit.

De hyacintho Poetarum. CAP. XVI.

FABVLOSVM hunc hyacinthum, quaſi poeticum dicas, duplex fabula comitatur, luctum præferens eius, quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore æditi, ita diſcurrentibus venis, vt literarum græcarum figura A I legatur inſcripta. Quum enim Aiax ſuo ſe ferro traiecisſet, è cruore natum hyacinthum aſſerunt, ac in foliorum medio cernatur αι, quarum prior ad Aiacem, poſterior ad hyacinthum pertinet. Ouidius metamorphoſeos decimo.

Ecce cruor, qui fuſus humo ſignauerat herbas,
Deſinit eſſe cruor, Tyrioq; nitentior oſtro
Flos oritur, formamq; capit, quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.
Non ſatis hoc Phœbo eſt, (is enim fuit author honoris)
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcribit, & ai, ai,
Flos habet inſcriptum, funeſtaq; littera ducta eſt.

Pauſanias in Atticis, florem, qui natus eſt, extincto Aiace, apud Salaminam ęditum primò tradi refert, nec hyacinthum, ſed florem literis hyacintho ſimilem ex candido rubentem, ac lilio minorē fuiſſe dicit. Idem author tradit coſmoſandalon dici florem apud Hermionēſes, quem ipſe hyacinthum interpretari videtur, eo flore coronatos feſta, quæ cithonia vocant, agere. Hyacinthus enim puer, quum Apollini cariſſimus eſſet, & à Borea adamatus, quumq; eum magis in Phœbum pronum Boreas videret, cùm diſco Phœbus cum puero luderet, diſcum iactum in eum retorſit, quo vulnere extinctus eſt: ex commiſeratione demum ex humano cruore florem eiuſdem nominis protulit. Narrat hanc fabulam Nicander in theriaca, & Ouidius,

Expulit ipſe cruor: rubefactaq; ſanguine tellus
Purpureo viridi genuit de ceſpite florem,
Qui prius OEbalio fuerat de vulnere natus.
Litera communis mediis pueroq;, viroq;,
Inſcripta eſt foliis, hæc nominis, illa querelæ.

Nomen. Theocrito ὑάκινθος, Theophraſto λείριον. Virgilio, & Ouidio hyacinthus, Neapolitanis *giglio ſeluaggio.* Hunc puto lilium rubrum Plinio dici, quod Gręci crinon vocant, alii eius florem cynorrhodon.

Deſcriptio. Nos ita deſcribimus. Caule aſſurgit procero, & folio lilio ſimili, ſed anguſtiori, & nigriori, circa caulem multo, ante eius exortum nullo flore, ſummo caule copioſo, lilii forma, diuiſura & magnitudine, colore rubro ad crocum inclinante, multis exiguis, nigris, quaſi punctulis literarum quarundam veluti rudimentis reſperſo, vt in floribus fabarum ferè ſimiles conſpiciuntur. Radice

dice bulbosa, ex multis nucleis coagmentata, vt lilii candidi, sed minore. Qui funestas verò literas inscriptas punctula illa inscripta non esse contendunt, ii inspiciant quæso Plinium, qui de faba loquens, literas etiam lugubres in flore fabæ ex sententia M. Varronis reperiri tradit, in quo tamen flore non literas vllas, sed nigras tantum notulas inspicere licet: non temere igitur Virgilius, & Columella ferrugineum hyacinthum appellarunt, quum hilari purpura in flauum coruscet, vt ferrugo, quod idem Pausanias docet, & si Nonius ferrugineos hyacinthos cæruleos interpretatus sit, ignorans poeticum hyacinthum à medico diuersum esse. Theocritus in epitaphio Dionis.

Nunc hyacinthe loquantur tua literæ, & plus αι, αι,
Accipe tuis foliis, Et suaue rubens hyacinthus,
Et viola nigra est, & inscriptus hyacinthus.

Sed tamen in coronis in primis leguntur. Virgilius,

Et pinguem tedam, & ferrugineos hyacinthos.

Columella,

Syrpiculum ferrugineis cumulare hyacinthis.

Vergilianus Menalca obscurum ænigma proponens Damætæ, inquit,

Dic quibus in terris nascuntur nomina Regum
Inscripti flores?

Quod de Aiace, & Hyacintho, qui Regum filii fuerint, intelligit. Hoc rubens lilium puto à Dioscoride hemerocallida vocari. Caulem & folium lilii ferre dicit, herbacei coloris, vt porrum, florescenti caule per singulos exortus terni, aut quaterni erumpunt lilii diuisura, quoties dehiscere cœperunt, colore perquam croceo, radix magna atq; bulbosa. Notæ omnes præter ramulares adnascentias, ex quibus terni aut quaterni flores erumpunt, huic conueniunt, nisi duæ fuerint hemerocallides, vna apophises, alia non habens. ἡμεροκαλλὶς nomen apud Græcos traxisse videtur, quòd flos fugax pulchritudinem suam interdiu tueatur, nocte verò appetente, languidius efflaccescat, ex Athenæo. Plinius addit, Pallidum ex viridi, & molle folium habet, radicem bulbosam, atq; odoratam. Sed Theophrasti hemerocallis, quam Theodorus elium vertit, alia est à prædicta, hæc & ramis & radice lignosa est, & semine exit. Cuius verba interpretans Plinius, ait: Hemerocalles folio coronat, surculosum rosæ modo.

De gladiolo. CAP. XVII.

QVVM gladiolus vere cum hyacintho floreat, & è syluestribus, & è montanis sit vterq;, post hyacinthum de gladiolo subnectemus. Inter coronarios flores à Theophrasto annumeratur, purpureo enim is placet floris colore. Palladius eiusmodi florem serendum suadet, quòd apes ex eo trahant mella, vocat iridem, vel gladiolum à foliorum similitudine.

Theophrastus ξίφιον, & φάσγανον idem esse ait, Theodorus illud pugionem, Nomen.

hoc ensem vertit, videturq; eodem authore id nominis nactum, quod gladii speciem foliis præbeat. Dioscorides μαχαίριον vocat, & à Romanis gladiolum dici, & si Theodorus pugionem verterit, & segetalem ab aliquibus dici, quod segetibus nascatur. Latinis gladiolus. Italis *gladiolo*.

Descriptio. Theophrastus ita pingit. In caulem nimirum assurgit. Folium ad ensis effigiem, vnde ei nomen inditum. Floret cum viola nigra, sed vterque post anemonem, comitatus hyacinthis. Radice rotunda & sine cortice, capillata fibris, vt gethyum. Scolopendræ frequentes in eam herbam conueniunt, mirumque in modum gaudent huius consuetudine frui. Radix dulcis, decocta, & commanducata panificiis, si trita farinæ misceatur. Germen à radice laterale producit, quod è semine hoc idem euidentissimè facit. Dioscorides addit, quæ Theophrastus omiserat: ad clariorem illius delineationem, ait. Folia iridi similia, nisi minora, & angustiora viderentur, & in gladii speciem mucronata, neruosaque, in caulem exit cubitalem, in quo purpurei flores in ordinem digesti inter se distant, rotundo semine, radicibus geminis, vna paruorum bulborum modo, super alteram insidente, quarum inferior gracilis, superna habitior, & adultior. Matthiolus Plinium notat à Dioscoride dissidentem, quum gladiolum palustrem dicat, quem segetalem Dioscorides dixerat, non animaduertens Plinium Dioscoridis xiphyon, & Theophrasti phasganon, non cyperum describere, quem & gladiolum vocant Theophrastus & Dioscorides: decepit hominem vagum, & multis commune gladioli nomen.

Solum. In aruis nasci Dioscorides dixit, nos autem in copiosis Apuliæ segetibus frequentissimum obseruauimus, flore hilari, saturaq; purpura rutilante: qui senis, septenisve foliis constat, ornithogali simili, sed minus repando, aut diuulso, ad vnam partem verso: geminis bulbis radix constat, quorum superior habitior, & corpulentior interdum, interdumq; inferior maior, fibrosa coma, villoso inuolucro, fuscoq; tecta.

De œnanthe. CAP. XVIII.

OENANTHEM à nostro horto coronario non exclusimus, quum Theophrastus à coronariis floribus non excluserit, vrbanis, & vernis. Sed œnanthes nomen vagum, nam & florem quoq; labruscæ significat, quæ vuam suam ad maturitatem non producit, Dioscoride authore.

Nomen. Græcis οἰνάνθη, vt si vini florem dicas. Theodoro vitifloram vertere placuit ex Theophrasto. Odor germinantis ei vuæ, vnde nomen, vt ex Plinio habemus. Latinis œnanthe.

Descriptio. Natura herbacea constat, flos ei candidus racematim coit, vt labruscæ, odor germinantis vuæ. Floret post narcissum, ante violam nigram, durare plurimum potest si florem auferas, nec sementescere sinas, nec solum desit apricum. Sicca odoratior euadit, quod euenit, quum sit terrena & humore copiosa,

piosa, vnde siccata odoratior redditur. Quæ habet Theophrastus Plinius vertit. OEnanthe maximè durat, sed hæc si diuulsa prohibeatur in semen ire, odor ei germinantis vuæ. Nos in Apuliæ campis satis hilarè germinantem vidimus, floribus candidis, exiguis, stellatis, in spicæ aut racemi modum congestis, suauiter quidem halantibus cuiusmodi filipendulæ, floret Maii initio.

Nascitur, vt Plinius dixit, tepidis locis, at Theophrastus, Si locum apricum, & circumseptum habuerit, cœlum mite, & commodè temperatum, assiduè germinabit, & flores pariet: & floridior euadet. Cælum.

Idem obseri semine dixit. Satio.

De helichryso. CAP. XIX.

NVNC de helichryso, siue amarantho loquemur. Duplex enim est amaranthus, luteus vnus, purpureus alter: dicemus primum de luteo, dicturi paulo post de purpureo: vterque enim illud nomen sibi adsciuit, quòd eorũ flores nunquam marcescant. E syluestribus floribus est, eximium decus, venustatemque corollis afferens, tum suis tuberibus ampullosis auri fulgore ad solis repercussum radiantibus, tum immortali floris corymbo per hyemem, cæteraque anni tempora durante: nam exiccati aureum colorem diutius retinent, ob id deos eis coronabant, quod diligentissime Ptolemæus Rex Ægypti obseruauit, Plinio authore. Præterea vestes odore commendat, non ineleganti, & ab animalium noxis tuetur, & eo flore coronatis existimationem & gloriam parere scripsit Theophrastus, si vnguento se profundant ex auro apyro, id est ignem non experto. Philostratus & amarantho sepulturas quoque coronari solitas affirmat, idq; Thessalos ad Achillis tumulum instituisse.

A Græcis, vt Dioscoride ἑλίχρυσον, ab aliis χρυσάνθεμον dici inuenio, quasi flos aureus, quod auream & coruscam lucem intuentibus vibret. A nonnullis ἀμάραντος, immarcescibilis, scilicet quòd diuturnam gratiam floribus suis tueatur: & ob id deorum simulachra coronet. Galenus, & Paulus amaranthum vocant, Ægineta chrysanthemon, quum huic easdem vires tribuat, quas tribuit Dioscorides. Plinius à sole nomen trahens ἡλιόχρυσον scribendum ducit, quod ad solis repercussum aureæ lucis in orbem, veluti corymbis dependentibus, splendeat. Theocritus, & Nicander vetustissimi Poëtæ ἑλίχρυσον vocant: κισσὸς ἑλιχρύσῳ κεκονισμένος, id est hedera helichryso implicata. Sunt qui ab ἕλει, palude, quam deamat, factum nomen existiment. Theodorus Theophrastum vertẽdo aureliam vocat ab aureo fulgore. Athenæus narrat, Themistagoram Ephesium in suo aureo libro scripsisse id nomen traxisse ab Eliochryse nympha, quæ hoc flore primum Dianam coronauerit. Latinis & Italis idem nomen. Nomen.

Theophrastus ita suum helichryson delineat. Flos auri modo fulget, folium candidum, fructus tenuis, & durus, radix tenuis summo terræ corio innixa. Descriptio.

Floret post violam nigram. Dioscorides addit folia angusta, ex interuallis abrotano similia, comam aureæ lucis in orbem, vmbellam rotundam, aridis corymbis dependentibus, radicem exilem. Plinius. Ramulos candidos habet, folia subalbida abrotano similia: ad solis repercussum, aureæ lucis in orbem, veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marcescunt, quæ omnia ex Dioscoride excepit. Floret post violam nigram, & syluestribus heliochrysos. Heliochrysos florem habet auro similem, folium tenue, cauliculum quoque gracilem, sed durum. Hoc coronare se Magi, si & vnguenta sumantur ex auro, quod apyron vocant, ad gratiam quoque vitæ, gloriamq; pertinere arbitrantur: hæc ex Theophrasto. Apud nos abundè nascitur cubiti altitudine, foliis abrotoni, per interualla digestis in caule, quem rectum, & solidum habet, vmbella in cacumine aurea, millefolii, aut eupatorii Mesues, flores diutissimè vigent, & aridi etiam suum colorem seruant. Exucca herba, florésve, ob id decerpti longo tempore seruantur, odor non ingratus. Dioscorides in asperis, & torrentium alueis, & pratis nasci dixit, Plinius in frutetis. Nos in maceriis, montibus lapidosis, arenosis, & siccis locis.

De bellio. Cap. XX.

Plinivs inter coronarios flores bellii meminit, hybernis nascentis coronis, nam hyeme tota floret, & vere.

Nomen. Græco nomine destituitur, quum Græcis videatur indictus. Plinius bellium vocat. Vulgus margaritas vocat: videntur enim glomeruli illi, è cauliculis dependentes, veluti vnionis, è mediis foliis.

Genus. Genera multa: nam & sponte nascentia, & vrbana. Vrbanaq; in varias differentias partiuntur discrepantes colore, magnitudine, & foliorum numero, sine barbularum stipatu densiore, in plerisq; punicei & versicolores flosculi, siue flocci spectantur.

Descriptio. Maior bellis procerius assurgit, folio non admodum à minori diuerso, altioribus duntaxat crenaturis laciniato, coliculis tenuibus, surculosis, cubitum altis, flore à minori non dissimili, maiore, paucioribus tantum barbulis, & in vniuersum candidis, medium luteum orbem concinne cingentibus. Maio mense floret, quo etiam mense carpi debet. Minor hortensis, sylue stri, præter florem, qui rubicundus est, per omnia similis. Constant verò flores ii, interdum simplici, interdum multiplici foliorum contextu. Primo vere apparet, & tota ferè æstate durat. Syluestris Plinio authore flore constat albo, aliquatenus rubente, quinquagenis ternis, interdum etiam quinquagenis quinis barbulis circinato, folio pingui, in terra iacente, in rotundum oblongo, leuissimè serrato. Neq; obstat, quòd bellio florem luteum esse tradat, quia non ad ambitum, sed ad discum, mediumque floris, quod sanè luteum est, respexit.

Solum. Vterque in pratis nascitur.

Eiusmodi

Eiuſmodi flores annua, & frequenti tranſplantatione, frequenti lætamine & irrigatione, maiores, habitiores, duplicati, triplicatique & elegantiores euadunt. Cultus.

De caltha. Cap. XXI.

EST flos, quem poſthac caltham dicemus, ſpecioſus tum croceo colore, tum odore, quamuis aliquantulum graui, non tamen ingrato, nulli non horto decora, & inquilina, paucis coronariorũ elegantia & ſpecioſitate ſecunda, vnde iis dotibus non immerito venit in coronamenta. Præterea cibo cedit, condimentis inditur, guſtu & odore non ingrato, acetariis immiſcetur, mulieribus amica, quòd penſilibus hortulis, & teſtis eam ſerant, & diligenter colant, nam icteritiæ fœdis coloribus vexatæ ea liberantur, & cymæ ouorum luteo in placentulis immiſtæ, manſæq;, menſes nimis fluentes, cunctantesq; ſiſtunt, impelluntque.

Dioſcorides χρυσάνθεμον chaltam cognominare videtur, inquiens, chryſanthemon, aut κάλθα, nonnullis buphthalmos: Quia flores admodum ſplendidos & magnos ferat, magnos oculos, non bouis oculos vocat. Latini, vt Virgilius, & Plinius caltham vocant. Vulgò vbique *calendula*, quod ſingulis menſium calendulis florere conſpiciatur. Sunt qui caltham quaſi cachlam, id eſt hiantem & apertam dicant, alii à calatho, ſiue calyce, quem oſtentant flores. Neapolitani à Latina nomenclatione deducto nomine, *fior d'ogni meſe* dicunt. Sunt qui ſolſequium putẽt, quòd flores ſub veſperam contrahantur, ſub ortum pandantur. Nomen.

Plinius ita deſcribit. Proxima leucoio flauo caltha eſt concolori amplitudine. Vincit numero foliorum marinam, quinque non excedentem. Eadem odore ſuperatur: eſt enim grauis caltha. Virgilius luteo colore eius florem cecinit tinctum,

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Columella aureum, luteúmve colorem floris inſpiciens, & orbem circinatum, vmbone in centro extante conſpicuo, luminis, ſiue oculi magni in ſpeciem buphthalmum videtur vocare:

Candida leucoia, & flauentia lumina caltha.

Dicit Plinius, proxima violæ calatianæ, quam ipſe odoratam, ac minuto folio inter cæteras violas dixerat, concolori amplitudine: nam lutei leucoii prius meminerat, & magnitudine calthæ conſimilis: vincit numero foliorum marinam, quinq; non excedentem, calthæ verò foliola circa vmbonem ſuperant numerum duodenarium, & ſatiuæ centenarium. Eadem odore ſuperatur, nam marina viola inter cæteras odorata eſt, & caltha tam odore graui, & acuto eſt, vt caput feriat, non leuior ei, quam ſcopam regiam appellant, quamquam folia eius oleant, non flores: & ipſe regiam ſcopam alibi ſideritim appellat latifoliam, cuius folia ſi terantur, fœdi odoris dixit. Folio nempe cal-

tha surgit dilutè virenti, multiplici, oblongo, aliquantulum lato, molliq́ue vt leucoii, nonnihil lanuginoso, caule folioso, striato, flore in summo copioso, eleganti, eximio fulgore nitenti, amplum orbem effigianti, argutis, minutulisq́ue crenulis laciniato. Semine in singulis floribus copioso. Radice fibrosa, & parua. Floret Martio, Aprili, Maio, vsque ad hyemem, & interdum tota hyeme.

Genus. Est genus duplex, satiuum & syluestre. Id passim nascitur. Satiuum hortis colitur, duplici, tripliciq; florum vallo cingitur, speciosiusq; est.

Cultus. Culta altero, aut tertio anno, pluribus, aut habitioribus floribus prouenit, ac numerosiore foliorum floris stipatu: nam fera passim in incultis aruis, & ruderibus parua, & foliorum inops prouenit.

De anemone. Cap. XXII.

OB floris præstantiam, elegantiámve antiquitas anemones florem corollis dicauit. Fabulantur Poëtæ ex Adonidis cruore natum ab apro extincti, quod Ouidius expressit, & eo prior Nicander,

——— Sic fata cruorem
Nectare odorato sparsit, qui tactus ab illo
Intumuit, sicut pluuio perlucida cœlo
Surgere bulla solet, nec plena longior hora
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus,
Qualem quæ lento celant sub cortice granum
Punica ferre solent, breuis est tamen vsus in illo.
Namq; male hærentem, & nimia leuitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Theocritus autem in bucolicis ex Veneris lachrymis Adonidem lugentis prodiisse finxit, eiq; epitaphium dicantis, hoc carmine,

Quotq; cruoris agit guttas hic casus Adonis,
Tot Venus effudit lachrymas, quæ singula flores
Cespite demittunt, lachrymæ pariunt anemonem,
Sed cruor ille rosam creat.

Hoc verborum figmento Poëtæ admonent, non esse pulchritudini fidendum, nam sicut anemones flores vento excutiuntur, ita venustas per Adonidem figurata, fugax, ac breui tempore durans. Ægyptii anemones florem pingunt, quoties hominum morbos intelligi volunt, vt ex Oro Apolline habetur. Flos anemones pulcher est, etsi cum multis de venustate certet, tamen rosis comparari nequit. Extat antiquum prouerbium, Rosam cum anemone confers; contra eos dictum, qui res magnas cum paruis comparare volint. Nicander. Et anemonides fulgentes ipsæ, antequam contrectentur, splendidiore procul colore allicientes.

Nomen. Græcè ἀνεμώνη dicitur ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, id est à vento: nam, vt Plinius in-

quit,

quit, flores nunquam se aperiunt, nisi vento spirante, vnde & nomen accepit. Theophrastus anemones genus ἀνεμωνίαν vocari dixit. Sosibius anemones à Spartianis phænidas vocari tradit. Græci etiam anemones, & papaueris folium platagonium vocant, παρὰ τὸ πλαταγεῖν ἦχον ἠχεῖν, id est, à sono, quē collisa faciunt. Iis siquidem periclitabantur ecquid amasiis suis forent grati, siquidem pollici imponentes ea, indici mox collidebant, quod si percrepuissent, amari se augurabantur, sin minus frustrati ingemiscebant. Latini anemone vocant. Theodorus vertendo Theophrastum fremium interpretatur. Itali vulgò *herba di vento* vocant, quia primo cuique, vt diximus, afflatui venti flores pandat, & reseret.

Plura sunt anemones genera, alia corollis, alia Medicinæ dicata. Quæ corollis dicata sunt, in duo genera diuidit Theophrastus. Vnum erumpit Autumno, primis imbribus post aphacam, cum croco, & cæteris hybernis. Aliud genus syluestris anemones, quod limonium, siue palustre vocat, floret vere post narcissum, ante rosam. Edit florem suum haud multo post germen. Surgit à radice foliata. Et libro de causis. Quia natura herbacea & annua est, suæ debilitatis causa facilè germinat, vnde verno tempore floret. Hæc Theophrasti descriptio nimis breuis, & concisa est, addemus Dioscorideam, quæ etsi fortasse non eandem anemonem describat, nihilo tamen minus in dignoscendis earum generibus, & agnatis non parum afferet lucis. Dioscorides duo eius genera tradit, syluestre, & in cultis nascens, & huius plures sunt species. Satiuum alterum phœniceum florem profert, alterum candidum, aut lacteum, aut purpureum. Harum folia coriandro similia, cæterum scissa tenuius, in terram inclinantur, cauliculi exiles, lanuginosi, in quibus flores, vt papaueris, & in medio capitula nigra, aut cærulea, radix oleæ magnitudine, aut amplius paulo grandescit, veluti geniculis quibusdam distincta. Syluestris amplitudo prorsus maior, latioraque folia, & duriora, caput oblongius, flore puniceo, tenuibus, & multis radicum capillamentis. Sed quia plerosque in errorem traxit similitudo, & colorum florum cognatio inter argemonem, & erraticum papauer, quod rheda vocatur, verum earum Dioscorides affert discrimen. Papauer, & argemone, colore minus saturato spectantur, & vtraq; serius floret. Est & succorum distinctio: nam argemone croceum, & acrimonia insignem, papauer verò lacteum, anemone nec vllum quidem illorum fundit. Præterea si flos anemones papauerino similis est, non tamen capitulum ostendit, quale papauer, sed velut recens asparagi caput fastigiatur. In argemone latiusculum superne capitulum, in erratico papauere subangustum.

Genera.

Descriptio.

Dioscorides in aruis nasci dixit, nos in montibus, syluis, & frutetis vidimus. *Solum.*

De flore cyano. CAP. XXIII.

FFF 2

CYANVS flos quamquam inodorus, tum ob speciei formam, tum ob coloris gratiam, puellarum & rusticorum corollis inseritur, & hac etiã dote hortis seritur. Honorem, nomenq; dedit cæruleo colori. Si quis enim barbulas calycibus erutas ex candido oui liquore triuerit, in pingendis literis cęruleum colorem mentietur. Plinius, Flos iste & alii nõ fuere in vsu Alexandri magni ætate, quoniam proximi à morte eius authores siluere de illis, quo manifestum est postea placuisse: à Græcis tamen repertos quis dubitat? non aliter Italia illorum nomina vsurpante.

Nomen. Κύανος Græcis ex grato cyaneo colore, nomen flori cyanus: ex Plinio. Blaptisecula ruribus dicitur, quoniam secantibus, & metentibus officiat, retusa in occursu eius falce, nam & seculam falcem veteres dixere: βλάπτειν Græcis nocere est. Neapoli *fior di liso*.

Descriptio. Surgit caule bicubitali, anguloso, lanuginoso, folio oblongo, circa pediculum scisso, acutis laciniis sinuato, piloso, acuminato, in virore albicanti, calyce squamis foris compacto ex acerosis tessillis nitidis, plurimis stipãtibus cęruleis barbulis, flore inodoro, semine paruo, forma oblongo, lęui, splẽdido, superiori parte barbato, radice tenui, fibrosa. Floret Aprili, Maio, Iunio & Iulio mẽsibus vnà cum frugibus. Plinius, Rosam cyanus excipit, cyanum amaranthus.

Genera. Huius diuersitates insigniores, hortensis, & erratici. Hortensis non diuersus foliis, sed maioribus, latioribus, flaccidis, minus laciniosis, floribus maioribus, speciosioribus, saturatiore cæruleo in purpuram vergentibus. Syluestris, vt diximus, cæruleis, senis vt plurimum foliolis constantibus. Hortensis minor niueo conspectu, & purpureo nitet.

Cælum. *Solum.* Frigidiusculis terris, importuno luxu segetes vbiq; necat.

De æstiuis floribus, & primum de amaranto purpureo.

CAP. XXIIII.

SVCCEDVNT vernis floribus ęstiui, qui mox dicentur. Quia post cyanum floret, ideo post eum amaranthi meminerimus: est enim altera amaranthi species. Solo colore commendatur, quo nil gratius aspectu cernitur, quãdo & purpuras Tyrias, Laconicasq; suo rutilanti nitore prouocet. Hac dote non solũ hortis, sed fictilibus seritur, & fenestris asseruatur. Collectum & vmbra, vel furni tepore siccatum, puellæ ad coronarios hyemis lusus recondunt, mirum postquã cuncti flores defecerunt, aqua madefactus reuiuiscit. Thessali ad tumulũ Achillis libamina, & expiationes quotãnis oraculi Dodonęi admonitione ferre iussi, quũ omnia, quę sacrificio rite operãdo necessaria essent, ex patrio solo asportare cõsuessent, coronas insuper amaranthinas primi omnium excogitauerũt, easq; ad sacrũ eiusmodi ferre sanxerunt, vt si fortè vẽti nauem repulissent, aut alia quapiam de causa mora iniecta esset, coronæ tamen neque flaccidæ, neque deformes suspenderentur. Ægyptii si quem inoffensa valetudine vixisse corporis ad extremum vsq;, dignitate, viribusq; seruatis hieroglyphicè

phicè ostendere voluiſſent, amaranthi corollam capiti eius imponere mos erat, quòd minimè marceſcat.

Græcis ἀμάραντος dicitur ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, quod perennis, & immarceſcibilis diutius perſtet. Summa eius natura in nomine eſt, quia nõ marceſcat, decerptus maximè aſſeruatur. Dioſcorides eius nõ meminit, etſi hac nomenclatura plures flores immarceſcibiles complexus ſit, vt chryſocomen, heranthemum, ageratum, alioſque pertinacis coloris, & decoris flores. Putant aliqui πορφύρεον Theophraſti eſſe, quam Plinius purpuram tranſtulit. Latini amaranthum, Neapolitani vulgò *fiornelluto* vocãt, quod ex coccineo ſerico, quod *cremesino* dicunt, cum quo de coloris principatu certat, conformari videatur. Nomen.

Plinius ita deſcribit. Amarantho non dubie vincimur, eſt enim ſpica purpurea veriùs, quàm flos aliquis, & ipſe ſine odore. Prouenit Auguſto, durat in autumnum. Addimus, Prouenit ferulaceo caule, ſubrubenti, cubitali altitudine ſtriato, foliis latis, acuminatis, mollibus, ocymo ſimilibus, radicibus breuibus & fibroſis, ſemen ſpicis inſidet, paruum, nigrum, nitens. Deſcriptio.

Plures ſunt ſpecies. Vulgatior holoſericum vellere, mollitie, ac nitore prouocat. Maior floribus ſuperna parte luxuriat multis pannulis, ſe mutùo implicantibus, ſpicatim inflexis, obſoletiore coccino nitet, iucundiſſimo ſpectaculo. Sunt & foliis verſicoloribus. Sunt & ſanguineis, tæniatis & reticulatis floribus. Sed ex Plinio palma Alexandrino datur. Genera.

Gaudet decerpi, & quo frequentius legitur, lætius renaſcitur. Cultus.

De lychnide. CAP. XXV.

HORTORVM, viridariorumque deliciæ ſunt lectiſſimi lychnidum flores, ob id à Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, cæteriſq; inter coronarios flores aſcripti ſunt, ſuæ elegantiæ illecebris. Amerias Rhizotomus lychnim è Veneris labro natam putauit, quum à Vulcano compreſſa ſe lauiſſet.

Græcis λυχνὶς στεφανωματική, quaſi coronaria lychnis. Videtur ex argumento lychnis appellata, nempe λύχνον Græcis lucerna dicitur, ἐλλύχνιον funiculus, qui è goſſypio paratur ad flammam nutriendam, quare quum antiquitus goſſypii copia non daretur, innumeris quarundam herbarum foliis, vtpote lychnidis, verbaſci & aliarum vtebantur. Sunt qui non à frondium tomento, ſed à flammeo colore, lucido luculentoque dictas fuiſſe lychnides autument. Alii quòd noctu luceat, lychnidis nomen inditum. Theodorus in Theophraſti verſione lucernulam interpretatus eſt. Latinis lychnis coronaria dicitur. Nomen.

Theophraſtus æſtate florere ait. Dioſcorides: flore eſt albæ violæ ſimili, ſyluestris in omnibus vrbanę ſimilis. Plinius: nunquam excedens quina folia violæ magnitudine, odore nullo. Nos clarioris deſcriptionis gratia notas aliquas addemus delineando quandam herbam, quam veram lychnidem putamus, in tanta veterum ſcriptorum verborum caritate. Fruticoſa herba, incaui caules, ſurrecti ramuli, tomentoſi, geniculis pluribus donati, folia anguſta, mollia. Deſcriptio.

Flores in summo apice rosea purpura rutilantes, ac veluti flammea, vt igneo micent aspectu oculorumque aciem perstringant. sed inodori. Radix fibrosa oblonga. Columella corymbem vocat.

Nunc veniat quamuis oculis inimica corymbe.

Nam & Dioscorides inter cætera eius nomina corymbion vocari testatur.

Cœlum. Athenæus in Lemno, & Cypro gigni, itemq; in Strõgile, Eryce, & Cytheris scribit. Eandem ex omnibus, quæ in Europa iucundius olent, vnguentis & odoribus solam immisceri. Optimam in Illyrico prouenire, in locis editis, non procul à mari.

Cultus. In hortis studiose culta adeo flores confectos, & ingeminatos fert, vt semine orbetur, exhausta pabulo in florum commodum absumpto. Sed quæ sponte oritur & negligitur, floribus obsoletioribus minimis, semine donatur.

De malua rosacea hortensi. Cap. XXVI.

EST maluæ genus hortense dictum, quod florum gratia seritur hortis, vt æstiuas coronas nectere possit. Flores venustate rosis nõ cedunt, & si suppeteret odor, de principatu certarent, nec fugax flos, sed diu vita, vigorque durat. Nunc de rosacea, de aliis suo loco dicemus.

Nomenq. Audio hortensem maluam, vel roseam vocari, quòd flores rosei coloris elegantia, & similitudine ferat. Neapolitani *rose di Francia* vocant, fortasse quod illinc ad nos venerint.

Genus. Trifariam in nostris hortis variat, prima purpuræ saturatæ concolor, altera dilutè rubet, tertia candida est, vel ex omnibus confusis coloratur. Est cui flos multiplicior, confertiorque structili foliorum serie aperiatur.

Descriptio. Rosea malua in arboream proceritatem assurgit, cuius scapus tanta magnitudine crescit, vt baculi vsum præbeat. Folia huic ampla, circinatæ rotunditatis, multis in ambitu segmentis. Caudex à medio vsq; ad verticem pulcherrimis floribus decoratur, breui admodum pediculo dependentibus. Capitula primum prosiliunt, breuibus innixa petiolis, in mucrone fastigiata, iisq; paulatim intumescentibus, prægnantia florum inuolucra fathiscunt, in quibus dehiscentes rosæ se pandunt, & explicantur in folia quina calycibus paucos apices complexis, qui lutei è mediis emicant, iisq; decidentibus, erumpunt purpurea stamina. His fœtus succrescit, multipliciter tunicatus, atque in vmbilici formam numeroso semine coagmentatus, in quibus quum decussa sunt folia, reliquarum maluarum modo semina recluduntur. Floret Iulio, & Augusto.

Solum. Pingui, & irriguo solo, quale hortense, proueniunt.

Satio. Semine seritur, & si caulis post fœturam arescit, iterum vere rediuiuus, vt semel sata pluribus annis perennet.

De floribus hyemalibus, & primum de cyclamino. Cap. XXVII.

IAM dicentur hyberni, ne corollis eo tempore desint flores, vel ne tẽpus intermittatur, habebimus & hyemales ipsos, & autumnales prorogatos, & si cœlum clementius sit, & locus apricus, vernos præcoces: sic perpetua florum coronatio, & contextus habebitur. A cyclamino incipiemus, & quũ gratissimo eius colossino colore à sertis non excludatur, nec à nostris hortis excludemus. Præsertim quum iubeat Plinius in omnibus domibus serendam, nam vbi fuerit sata, nil nocere ei posse mala medicamenta. Præterea à terra erutã radicem, vinoq; subactam, digestamq; in pastillos siccæ fæcis vini, qua maculæ abstergũtur, ad amatoria valere author est Theophrastus, si in hoc ei fides adhibenda est. Pernicialia sunt etiam brassicę & vitis odia, nam ipsum olus quo vitis fugatur, aduersum cyclamino perarescit.

Græcis κυκλάμινος, quasi sphæritis dicitur, siue orbicularia, tum à folii ambitu circinato, vel à circumacta orbis circinitate, ἀπὸ τοῦ κύκλου, vt ab orbe, orbicularem dixerint. Latinis vt Plinio cyclaminus, & tuber terræ dicitur, ob id Theodorus vertendo Theophrastum κυκλάμινον terræ tuber vertit. Romanis terræ rapum dicitur, quoniam in terra velut rapum extuberat, vel terræ tuber, quod in molem quandam intumeat, vel terræ vmbilicum, siue libeat intelligere vmbilicum mediam animantis partem, siue extremam voluminis clausuram, quæ velut nodus opus finiebat. Appellare Campanos piscatores terræ venenum Plinius retulit: nam eius radicem pisces summopere expetunt, atque si contusam admista calce mari sparseris, aduolabunt pisces cupiditate mira, continuoque exanimati fluitabunt, idque coram se factum testatur. *Nomen.*

Theophrastus terræ tuber olfactu odoratum dicit, gustu vehemẽter amarum. Colore nigrum. Constat cortice, & carne. Folio muris auriculę simili, tamen rotundiori. Dioscorides tribuit ei folia hederæ varia, in quibus supra, infraque albicant maculæ. Caule nudo, quaternos digitos æquante, floribus in eo purpureis, rosarum effigie. Radice nigra, aliquantulum lata, vt rapum videri possit. Plinius folia ferre minora, quam hedera tradit nigriora, & tenuiora, sine angulis, in quibus albicãt maculæ, caule exiguo, inani, floribus purpureis, radice lata, vt rapum videri possit, cortice nigro. Flos eius colossinus, in coronas admittitur. Colossinus color, vt Straboni placet, à Colossis vrbe Troadis dicitur, vbi præcipua lanicii commendatio erat, quem purpureum esse colorem non ambigimus. *Descriptio.*

Theophrastus optimum in montibus nasci dixit, Dioscorides in vmbrosis & maximè sub arboribus. Plinius in vepribus. *Locus.*

De clematide daphnoide. CAP. XXVIII.

E CORONARIO genere est clematis, hybernas sua fronde & flore coronas texit: inopiã florum aliquando supplet, semper virens, authore Plinio. Nostra ætate mulieres puellis, & puellulis virginibus funestas corollas nectunt.

A Græcis κλημαιτίδες quin sint dictæ à viticulorum sarmentosa sobole, nullus est qui neget, δαφνοειδὲς à lauri forma foliorum. Plinius à Græcis chamædaphnem vocari dixit, quasi pumilam laurum. Ipse vincam peruincam vocat, quia obuia quæque vincit. Viderurque ei alibi clematis Ægyptia dici, cognomine quòd Ægyptus hanc maximè gignat, quum ab aliis daphnoides, ab aliis poligonoides vocetur. Folio lauri, lóga, tenuisq;. Neapolitani vincam peruincam, & *triuencola* dicunt. In prouerbium vsque cessit, ita nominando eos, qui procero & nigro sunt corpore, vt est apud Demetrium Phalereum, tales enim ab eo Ægyptiæ clematides nominantur. Sed hæc alia est à Theophrasti, & Dioscoridis chamædaphne, similis laureolæ, quam & Plinius descripsit.

Genus. Apud nos albo, & cæruleo flore viret hyeme, hyacinthino, vel subpurpureo. Dioscorides hanc humi serpere dixit, viticulas spargere crassitudine iunci exiguas, folio lauri, figura & colore multo minore. Plinius. Semper viret. In modum lineæ foliis geniculatim circundata. Topiaria herba. Sed ne in posterũ non dignoscatur, aliqua nos addemus. Virgis repit viticulosis, flexibilibus, caducis, humi sparsis, sed non obuias plantas irretientibus, foliis ligustri lauri facie, ex interuallis binis ex aduerso. Floribus violaceis, quinis distinctis foliolis, ex oblongo, & viridi calyculo se pandentibus, longisque innituntur pediculis. Radice numerosa, gracili, & albicanti. Floret ineunte hyeme Nouembri, Decembri, & Februario. Dioscorides, læto pinguique solo prouenire, dixit, nobis in senticetis, & vmbrosis nemoribus passim obuia.

De hedera Cilicia. CAP. XXIX.

E SYLVESTRIVM genere in coronis flos venit smilacis, id est hederę Ciliciæ, vt Theophrastus inquit. Et Plinius. In coronamentis eorum corymbi obtinent principatum. Sed omnibus sacris, & coronis infausta, quoniam sit lugubris, virgine huius nominis propter amorem iuuenis Croci mutata in hũc fruticem. Id vulgus ignorans, plerunque sua festa polluebat, hederam existimando: Nam & Poetis, & Libero patri, aut Sileno, smilax iam pro hedera sacrabatur ab iis, qui omnino, quibus coronandi essent, ignorabant.

Meminit huius Ouidius,

Et Crocon in paruos versum cum Smilace flores.

Plinius ex ea fieri codicillos dicit, propriumque materiæ esse, vt auribus admota, leuem sonum reddat. Ex hac corona, impari foliorum numero facta, aiunt capitis doloribus medicinam venire.

Nomina. Theophrasto σμίλαξ, siue hedera cilicia. Dioscoridi σμίλαξ τραχεῖα, id est smilax aspera, ab aculeis, quos habet. Galeno μίλαξ. Plinius, Nicophoros cognominatur. Et è Cilicia quidem primũ profecta, sed in Græcia frequentior, quam vocant smilacem. Latinis smilax aspera.

Descriptio. Ita describitur à Theophrasto. Amplexicaulis est, vnde aliquid, cui incubat, quærit, quod si deest, humi se proiicit, atque humi caulis fit. Fructus aculeatus,

& velut

& velut præhorridus (sed corruptus textus Theodorum errare coegit, quippe non fructum spinosum dicit, quem paulo pòst spinis carêtem depingit, sed ramos spinosos, vt ex Dioscoride & Plinio corrigi potest) Folio in cacumine pinnato quidem, sed in angulum depresso, nec tamen anguloso, hederaceo, paruo, & vbi pediculo adalligatur, ferè madido, medium callum, spinæ modo tenuem habente, staminaq; nõ porrecta ex vno, vt in cæteris foliis, sed circa eum coacta in orbẽ ab annexu pediculi, ex quo & villus quidam gracilis, & conuolutus pampini modo emittitur, flore candido bene olente, verno tempore se prodente, fructu solani, aut melothri, etiamnum labruscæ racemis, vt hederæ, pendentibus, aut labruscæ potius, quoniam ab eodem pediculo acinorũ prodeunt. Acinis color ruber, cõplexis nucleos binos, maioribus ternos, minimis singulos. Nigri sunt nuclei, atq; duri. Peculiare habẽt racemi, ꝙ latera caulium sepiunt, quodq; vnus omnium grandissimus propẽdet summo caule, vt in rhamno, atq; rubo. Hactenus ille. Dioscorides verò: Smilax aspera folia habet periclimeni, sarmẽta tenuia multa, rubi modo, aut paliuri aculeata, arbores scandit ab imo ad summa perreptans, se conuoluens eis, fert racemos exiles, quã maturi rubescunt, gustumq; leuiter mordent. Radice dura crassaq;. Plinius. Densis geniculata caulibus, spinosa, fruticosa ramis, folio ederaceo paruo, non anguloso, à pediculo emittente pampinos. Flore candido olente lilium, fert racemos labruscæ modo, non hederæ, colore rubro, complexa acinis maioribus nucleos ternos, singulos minoribus, nigros, durosque.

Duo eius genera Plinius recenset, alterum immortalitati proximũ, in conuallibus opacis, scandens arbores, comantibus acinorum corymbis, alterum genus culta amare, & in his gigni tradit. *Genera.*

In opacis conuallibus nasci dixit Plinius. Sed Dioscorides in palustribus, & asperis.

De spina Ægyptia. CAP. XXX.

E SYLVESTRIVM genere spinæ Ægyptiæ fructu, & ederæ ciliciæ flore in coronis vtebantur antiquitus, vt ex Theophrasto habetur. Flos & coronis addi, & medicamentis petitus. A quo Plinius. Flos & coronis iucundus, & medicamentis vtilis.

Theophrasto ἄκανθος est, eoq; nomen accepisse tradidit, quasi tota arbos aculeis horreat, excepto caudice. Dioscoridi ἀκάνθα ἀραβικὴ, spina Arabica. Plinius Ægyptiam vocat. *Nomen.*

Arbor tota, præterquã caudice, spinis horret, foliis ac germinibus aculeatis, magnitudine spectanda, vt cuius materies duodenum cubitorũ proceritatem impleat. Fructũ fert siliqua leguminũ modo, quo incolæ coria perficiant vice gallæ. Flos aspectu pulcher, quo coronas nectant, ad medicamenta perutilis, qua de causa à medicis colligi solet. Ex ea tum sua sponte gummi profluit, tum arbore percussa. A cæsura protinus anno tertio resurgit. A quo Plinius. Acu- *Descriptio.*

leus ſpinarum in foliis, ſemen in ſiliquis, quo coria perficiuntur gallæ vice. Manat ex ea gummi. Sed præcipua vtilitas, quod cæſa anno tertio reſurgit.

Genera. Duûm eſt generum, candida, & nigra. Candida imbecillior, faciliusque putreſcēs: nigra incorrupta, & in aquis durior: ob id vtiliſſima nauium coſtis, ventrisq; compagibus in fabrica. Plinius ab eo: Celebratur ſpina dumtaxat nigra, quum incorrupta in aquis duret, ob id vtiliſſima nauium coſtis, candida facilè putreſcit.

Locum. Numeroſa omnino arbor, ingenti ſylua eius Thebaica præfectura, vbi oleæ & quercus, & perſea, loco non aquis fluuii riguo (diſtat enim pluſquā trecentis ſtadiis) ſed ſuis fontibus, qui circa eū tractum permulti exiliunt. Ab eo Plinius. Circa Thebas hæc, vbi & quercus, & perſica, & oliua, c c c à Nilo ſtadiis ſylueſtri tractu, & ſuis fontibus riguo. Dioſcorides in aquis naſci ſcribit.

De herbis coronariis odoratis, & primum de abrotono. Cap. XXXI.

DIXIMVS de coronarum genere, quæ floribus texebantur, nunc ad aliud genus deueniendum, quod ſcilicet ſolo folio coronat. Sunt enim ſuffruticum quorundam rami, folia, & in totum vniuerſa natura odorata. Et primo in hortum noſtrum abrotonum conſeremus, tum ob ſui odoris fragrantiam, tum quod ſerpentes fuget, & efficaciſſimam eſſe herbam dicant contra omnia veneficia, quibus coitus inhibetur, immo ramo puluinari ſubiecto, venerem ſtimulari, & armariis ſparſum, veſtes à tineis vindicare.

Nomen. Nomen ἀβρότονον ſibi apud Græcos vſurpauit, vt Nicandri ſcholiaſtes teſtatur in theriacis, quod conſpectum tenerum, vel delicatum habeat. Dioſcorides à quibuſdam thelyphthoron, & thelythamnon, & glycyn ancona dicit appellari. Saneque videntur ii ad hiſtoriam, & vetus prouerbium reſpicere. Ea eſt huiuſmodi. Lydorum gens in libidinem effuſiſſima, fœminas ingenuas conſtuprare in hortis ad hoc flagitium quæſitis amœnitatibus, aliquandiu impunè ſolita eſt. Demum Omphale mulier dominatione haud magno negotio, effęminatis illis, & luxu diffluentibus, excuſſa imperitare cœpit ipſa, & vbi eos cruciatibus variis affectos vlta eſt, in vxores eorum deſæuiit, incluſas enim eas eiſdem ſeptis proſtituit ſeruitiis, vnde viridario nomen glycys ancon, & thelyphthori, & thelythamni vocabulo ſignificatur, ceu fortaſſe abrotono conſitus eſſet is locus. Sunt qui hanc herbam ab Abrotono fœmina in hanc mutata nomen adſciuiſſe credant. Neapolitani *canſarata* vocant.

Deſcriptio. Theophraſto ſurculoſus frutex eſt, minutisq; foliis præditus, immortali virēs coma. Radices rectas altasq; agit, & veluti vniſtirps craſſa ſcilicet illa radice, reliquis verò de illa exeuntibus ſpargitur, quod non ſampſuco, neq; ſerpillo, neq; ſiſymbrio, neq; helenio datum eſt, ſummo terræ radice leniter hærētibus, etſi radices omnes ſint lignoſæ, longè magis abrotoni, magnitudinis, ſiccitatisque cauſa. Semine abundat, nec inodoro. A vetuſtate odor acutius validiusque vibrat, non hebeſcens, vt alii. Dioſcorides. Fœmina quadam arboris ſpecie fruticans,

rans candicat circa ramulos, foliis seriphii modo minutim incisis. Floribus referta est, comātibus in summo fulgore auri corymbis, quod per æstatem prodit, suauiter olet cum grauitate quadam. Plinius ab his. Abrotono radix vna altè descendens, cæteris in summo terræ leuiter hærens. Semē copiosum. Floret cum fraxino, acri odore.

Dioscorides genere distinxit, in marem, & fœminam. Plinius marem campestre vocauit, fœminam montanum, quod idem Nicander sentit. *Genera.*

Alsiosum admodum est, & frigus multum reformidat, ac sole nimio læditur. Miratur Theophrastus eiusmodi plantæ naturam, quæ quum calidiori vi prædita sit, & apricationem horret, & loca sole illustrata mirum in modū prosequitur, quod non nisi in plantæ infirmitate collocauit, quum viribus tum contra frigus, tum aduersus æstum deficiat. Dioscorides plurimum in Cappadocia gigni, & Galatia Asiatica, atque in Syriæ Hierapoli scribit. *Cal. Sol.*

Radice, & auulsione facile germinat. Etiam cacumine suo se propagat, nam quum lignosum sit spissitate acoreq; suo, seruari aliquantum temporis potest, modo hederæ: nā hæc defixa quoq; nimirum erūpere valet, vnde dicto modo feliciùs, quàm seminio germinare prodidit Theophrastus. Æstate seritur, quū semine difficulter exeat, eoq, prius in testis viui radicis gratia deposito, in quē modum Adonidis hortulos pangebant. Nec sine negotio in plantaria transfertur. Vbi verò vegetū creuerit rutæ modo fruticat, sed surculosius, & squalidius. Plinius. Seritur autem semine melius, quàm radice, aut surculo, semine quoq; non sine negotio plantaria transferunt, sic & adonium. Vtrunq; æstate. Alsiosa enim admodum sunt, & sole tamen nimio læduntur, sed vbi conualuere, ritu vitis fruticāt. Sed Plinius contra quàm dixerat Theophrastus de seminio protulit. Sed id potius librariorū incuriæ, quàm Plinio vitio vertendum est, qui totam germanam hanc Plinii lectionem multifario lapsu peruerterūt. *Satio.*

De serpillo. CAP. XXXII.

ET si Columella serpillum condimentario vsui notissimam herbam esse, quum sit quibusdam esculentis aptissima, & magis aluearia curantibus, quam olitoribus studiosè cōseri dixerit, nos, qui Theophrasti placita, Dioscoridis, & Plinij consectamur, qui eius ramos, & folia odorata, & proinde folia coronis quæsita dixerunt, non alienum putamus inter odoratas & coronarias herbas in horto nostro locum illi dare. Nec admodū referre arbitramur, quo loco res dicantur, dummodo quæ dicenda sunt, non ineptè dicātur. Columella saporem præcipuum post thymum serpillo melli tribuit. Varro serpillum serere iubet, vt apes naturale pabulum habeant, & ab his Palladius eadē docet.

Græci ἕρπυλλον, Latini serpillum vocant à serpendo authore Varrone. Dioscorides à serpendo nomē obtinuisse quoq; dicit, quoniā si qua eius particula terrā attingat, inibi radices dimittit, quod à Theophrasto excepit. Propriū quoddā ramulorum eius incrementum, quippe cum possit in quantā voluerit quis- *Nomen.*

piam longitudinē trahi, adiecto illi pedamento aliquo, aut si prope sepes plantetur, aut ex altiore loco deorsum demittatur, præcipuè in puteis, in longum protrahuntur, vt serpere videatur. Neapolitani *serpollo*.

Descriptio. Theophrastus cremium dicit, lignosum, immortali virens coma, vtpote omnia, quæ angustiorib. foliis pinguibus, & suaueolentibus cōstituuntur. Planta vniuersa odorata est, flos tamen inodorus. In agresti durus odor, & omnino expers dulcedinis. Ratio est, quia siccum plusquā modicū est. ob id acris odor ꝓpter siccitatē: quum autem in vrbanum habitum traducitur, mollius redolet, moderationem autē causam tum odoris, tū coctionis existere nulli dubiū est. Semper nōnihil quærit, cui caducū incubet, vitam enim apud aliud agit, quod si obtinere non valeat, humi se proiicit, atq; humicaule fit. Radix ei lignosa, & 1
multifida, sublimis, & retorrida, crescit in longitudinē. Dioscorides verò ita depingit: Serpillū hortense odore sampsucum imitatur, folia & ramulos origani habet, sed candidiores: sin maceriis multo procerius assurgit, serpit humi. Syluestre zygis appellatur, non serpit, sed in altitudinem crescit, ramulos edēs tenues, surculosos, foliis refertos longioribus, quā rutæ, & durioribus, angustis. Flores iucundè olent, gustanti acres. Dioscorideæ opinioni subscribit Aëtius. Plinius verò contra, Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinē increscit, quod syluestri euenit in puteis maximè: pinguius voluntarium, & candidioribus foliis, ramisq;. Dioscorides nil aliud inter hortense, & voluntarium discrimē ap 2
posuit, nisi quod hortense sua cultu edomita feritate, horridiori deposita facie ad speciosiorē habitū se redegit, hortiq; deliciis nimia humoris copia luxuriās, longè magis saturatū viret, sic fracto rigore pristino, delicatius factū per se stare nequit, sed victum per terrā serpit. Voluntariū autem, quod vernaculus rigor tutatur, minus humi reptabit. Nescio igitur qua ratione duct⁹ Plinius serpillū dixerit in hortis se in altū attollere, syluestre verò terrā lambere. Theophrastus in eo negauit discrimina, quū lignosa sint specie simplicia, neq; differentias aliquas sortiri posse, præterquā syluestre, & vrbanū, odoratū, & minus odoratū, quod diuerso solo, & cœlo, & cultu mangonio ascribendū est, & potius ex ferocium, quàm vrbanorum genere esse, quum ipse serpillum compe- 3
risset in montibus satureiæ odorem referens, nec vehementissimum illum quidem, sed mollem atque gratum, idque serentes ex montibus deferunt, vt apud Sicyonem fieri solet, atque etiam Athenis ex monte Himetto, apud alios verò in Thracia. Sed nobis in Gargano monte, & in fageto Surrentino, aliisque syluestribus locis, tum etiam in hortis luxuriosissimè excultis serpillum semper serpens, nec vnquam in altum surrectum, ac per se stans vidimus.

Cultura. Montes plerunq; eo scatere dixit Theophrastus, sicut in Thracia, Sicyone ex suis montibus, Athenis, ex Himetto. Montes item, & plana omnia serpillo scatere. Ocimum præterea soli expositum in serpillum transire, folio nanque minus, odoreque vehementius redditur, quippe cum alimenti minus habeāt, 4
quæ sicca sunt. Columella, locum apricum desiderare.

Squalorem

Squalorem patitur, aqua ei modica satis facit, & fimo præcipue iumentorum gaudet. Columella ait solum neq; pingue, neq; stercoratum desiderare, vt quod macerrimo solo per se maritimis plerisq; regionibus nascatur. Nicander aliter sentit. Serpillum sese diffundit, viuaxq; vliginosam pascit humum, foliis radiculas agentibus innixum, nam magna ex parte serpit. Palladius lætius frondescere, si iuxta piscinam vel lacū, vel putei margines cōseratur, scribit. *Solum.*

Seminio comprehendere pertinaciter contendit Theophrastus: nam fuerunt qui tritum, exiccatumq; solo crediderint, nullum tamen erupisse germen testatur. Columella verò semine seri docuit, circa æquinoctium vernum. Palladius Martio mense serpillum seri plantis, & semine, sed vetustate meliori. Varro à Fauonio vsq; ad Arcturi exortum rectè serpillum è seminario transferri. Theophrastus quoq; auulsione seri dixit. Deferentesque ex his auulsos ramos serit: nam & radices è germinibus suis quamplurimas dimittit, non secus ac hedera. Tempus serendi autumno: hoc enim tempore omnes id serere properant, sed vere etiam seritur. Propagatur ex semetipso. Nicander, Folia radices agunt, nam magna ex parte terram lambit, & noua continuo sobole, vel propagine sese radicat: Interpres concinne subdit, non aliter quàm hedera: reliquis floribus sese quadam vertigine conuoluens adrepit, depascensque complectitur. *Satio.*

Transferendum id sæpius censent, quo lætius surgat, purgarique oportet: nam nisi purgetur, perarescit. *Cultus.*

De thymo. CAP. XXXIII.

FERT & thymum ramos odoratos, quibus coronæ intorqueantur, vt Plinio placere videtur. Fert & odoratos flores apibus gratissimos, vnde odorata mella reddit. Virgilius,

—— Redolentq; thymo fragrantia mella.

Redditq; eius sapor præcipui saporis mella. Florenti apes decerpunt flores, auguriumq; mellis est, prouentum enim sperant apiarii, largè eo efflorescente: si defloruerit, æstiua mellatio minus proba sequetur, Theophrasto authore. Aptissimum existimatur è thymo mel, coloris aurei, saporis gratissimi, thymosum non coit, ex Plinio. Varro optimum mel è thymo fieri dicit, sic Columella & Palladius. Et condimentorum etiam gratia, quum sit condimentis aptissimum, studiosè nostro horto conserendum venit.

Græcis θύμος, ab excitando, quod θύειν dicunt, nomen inuenit. Alii thymos, quasi thyemos, hoc est, sanguinem impellens. Latinis thymus. Italis, *timo.* *Nomen.*

Theophrastus serò florere, nam circa æstiuum, scripsit. Semen nullum ostendi potest, sed floribus quodam permiscetur modo. Dioscorides. Surculosus frutex, exilibus foliis multis, & angustis circundatus: capitulis in acumine purpureo flore refertis. Percontatur Aristoteles, cur in solo Attico cæteri fructus dulcissimi fiant, thymum inibi acerrimum? Diluit controuersiam,

quòd ager ille tenuis, siccusq; est, quæq; in eo nascuntur, parum humoris possident, fructus, qui dulces sunt dulciores redduntur, qui verò sicci, sed minimè dulces proueniunt, inopia sui humoris, retinent quantum suo conueniat generi. Sol dulcissimum, ac leuissimum eximit, quapropter qui superuacuo humore carent, acerrimi relinquuntur.

Genera. Duo genera describit Theophrastus, candidũ, & nigrum. Plinius candidum radice lignosa, in collibus nascens, quod & præfertur, nigrum floris nigri.

Cœlum. Quò flatus à mari peruenire nequit, illic nasci, durareq; posse omnino negant. Qua de causa nec in Arcadia satureia & origanum prouenire possunt, dixit Theophrastus. Vidimus ex Aristotele in Attico solo acerrimum prouenire. Athenæus optimũ prouenire in Himetto scribit. In Gaditano freto transfigurari in lapidem. Plinius. Mellis Attici in toto orbe summa laus existimatur. Ergo translatum est ex Attica thymum, & vix flore satum. Sed alia ratio naturę obstitit non durante Attico thymo, nisi in afflatu maris. Erat quidẽ hęc opinio antiqua in omni thymo, ideoq; non nasci in Arcadia. Palladius apricum agrum quærere dicit. Thymum è Thyna laudatur ab Hippocrate. Est autem, vt inquit Galenus, Thyna quidam in Thracia locus.

Solum. Dioscorides gracili & petroso solo prouenire ait. Columella neque pinguem, neq; stercoratum, sed macerrimum solum diligere ait, vtpote quod in maritimis regionibus reperitur. Plinius. Nunc prouincia Narbonensi lapidei campi thymo scatent. Nos Garganum montem, & latos Apuliæ campos thymo optimo scatere vidimus.

Satio. Semine seritur. Sed thymi semen fallit, nec potest comprehendi, vnde flore sato nascitur, qui tamen Athenis deportare desiderant, quęrunt atq; inueniunt. Thymũ flosculis suis nascitur. Hęc Theophrastus. A quo Plinius. Semen thymi non potest deprehendi, cum origani perquàm minutum, non tamen fallat. Sed quid interest occultasse id naturam? in flore ipso intelligitur, satoq; eo nascitur. Quid nõ tentauêre homines! Columella. Melius thymi nouellas plantas disponere, quę quum subacto solo depressæ fuerint, ne tardè comprehendant, aridi thymi fruticem contundi oportet, atq; ita pinsito, pridie quàm volueris vti, aqua medicare, quæ, quum succum eius perceperit, depositis fruticibus infunditur, donec eos rectè confirmet. Palladius Septembri mense thymum serit, sed melius plantis nasci, quamuis possit & semine.

De sisymbrio. CAP. XXXIIII.

SISYMBRIVM quum odorata sit planta, vniuersa suis foliis coronat, vt Theophrastus, & ab eo Dioscorides, & Plinius docuerunt. Præterea eius cacumina, turionesque acetariis immiscentur, condimentisque & iuribus innatant, quamobrem alienum non videtur si nostro hoc in hortulo sibi locum vendicauerit.

Nomen. Græci σισύμβριον, Damageron verò σισύμβριον dicunt. Latini sisymbrium. Putat

tat Varro à Sisymbrio, quæ fuit veteribus comœdiis meretricula, nomen traxisse. Nonnulli coronam Veneris vocant. Vel quod ob odoris suauitatem, quam præfert, eo iuuentus, quæ amoribus gaudet, coronata, in comessationibus suis blando odoris oblectamento suas illecebras commendaret, vel potius quòd sisymbrii caulis, articulatim per internodia verticillato florum ambitu concinne coronetur, ab eleganti igitur corollarum venere nomen deriuauit. Itali *sisimbrio*.

Genera. Etsi Theophrastus simplex esse genere scripserit, quũ lignosum sit, nec vrbanũ, aut syluestre, odoratum, aut minus odoratũ esse, libro tamen de causis syluestris, & satiui meminit. Dioscorides aquatici, quod alii cardamina vocát.

Descriptio. Cremium sisymbrium est. Radice lignosa, multifida, retorridaq; summo terrę corio innixa. Planta suauiter olet, flores inodori, vt omnibus contingit. Atqui ratio exigit, vt quod in cæteris quamquá inodoratis odoratissimũ est, idẽ etiam in odoratis sit odoratissimũ. Hęc satiui Theophrasti descriptio est. Dioscorides mentæ hortensis similitudine, dicit, odoratius, latiore folio. Plinius, Quod in sicco ortũ, odoratum est, & inseritur coronis, angustiore folio. Addimus: folio serrato nigriore, & paulo rotũdiore, caule quadrato, quadamtenus purpurascente. Flosculis internodia geniculatim cingentibus verticillato semper ambitu, reliquis mentá ęmulatur, sed odorem acriusculum vibrat. Syluestre Plinius à quibusdá thymbræũ appellari ait, pedali non amplius magnitudine. Aquaticũ, quod alii cardamina vocant, Dioscorides riguis gaudere ait, iisdem locis quibus sion. Gustu nasturtiũ reprę sentat, folia primùm rotunda, adulta erucę modo finduntur. Addimus, Caule prosilit cauo sesquipedali, ima sui parte pluribus radicularum fibris subinde capillato, è cuius alarum cauis cirri frequentes sinuatim erumpunt, candido flore, folio inter initia quum emicat orbiculato, quum succreuit in erucæ folium laciniatim finditur, nec exactè sisymbrium aquaticum noueris, nisi iuuentam primam, deinde senectam accuratè inspexeris, quum folia mutent subinde faciem.

Cælum. Damageron, Situ gaudet aprico, sole ingiter illustrato, arboribus expedito, quæ areas inopacent: nam lætius prouenit, quum libero fruitur cœlo. Plinius, Sisymbrio montes pleriq; scatent, sicut in Thracia, vbi aquæ deferunt ex iis auulsos ramos, serunt'que.

Solum. Dioscorides inculto solo nasci scribit. Alterum verò sisymbrii genus, quod cardaminam vocant stagnorum vernacula, & laueris comes.

Satio. Semine non seritur: nam eo carere affirmant, sæpe enim exiccatum, tritũq; seuisse se inquiunt, sed nũquam germen erupisse, & huius quoq; periculum se fecisse affirmant, vnde natura è syluestrium genere esse. Sed Damageron seri semine dicit, & tertio anno fructum dare. Cacumine seri etiam Theophrastus docet, radices enim è germinibus suis quamprimum emittunt, non secus ac hedera. Damageron. Si quis à vertice radicis, ex quo germen habet, quod quidam oculum appellant, plantent, eodem anno fructum producet.

Cultus. Continuò rigari oportet, sin aliter, obarescit, & continuo transferri debet, nam si olitor non excoluerit, sed neglectum omiserit, odore in mẽtam deficiet, specie verò in calamintam, vt permulta etiam, quæ cultu omisso in sylueſtrem sortem redeũt: nam radices altius agit, in quam partem tota vis conuersa decumbit, eaque superiores partes spoliatę redduntur infirmiores, & illam odoris fragrantiam exuunt, quæ postquam exoleuit, reliquus odor elanguescens, edomitusq; , proximè ad mentam accedit. Argumento est, quod agreste sisymbrium talem reddit odorem. Speciem tamẽ calamintę accipit similem, omne nanq; in simile sibi quiddam mutatur, non in remotum penitus: quod ne eueniat, est apud agriculturæ consultos tradita ratio sæpius transferendi, vt sibi nouos natales quotannis adsciscat.

De sampsuco, siue amaraco. Cap. XXXV.

SAMPSVCVM sua perpetuo virens coma, & odore, quem tota planta suauissimum expirat, cæteras herbas antecedens, ad coronamenta quæsitum est, suisque ramis coronas intorquet Dioscoridis, & Plinii authoritate. Catullus etiam,

Cingite tempora floribus
Suaueolentis amaraci.

Poëta de amaraci vmbra, cuius opacitate mollior fieret Ascanii somnus, hæc cecinit:

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

Amaracum comitatur hæc fabula. Amaracus Cynaræ Regis Cypri puer, dum ferret vnguenta, casu quodam lapsus, alabastrum confregit, qui quum nimio dolore confossus intabuisset, versus est in sampsucum. quæ herba ex eius nomine cœpta est amaracus appellari. Sed Athenæus authoritate Apollodori libro de vnguentis coronam ex amaraco compotationibus inutilem esse iudicauit, & quicquid grauare, & opplere alioqui posset. Palladius apibus gratissimum dicit.

Nomina. Græcis σάμψυχον, & ἀμάρακον. Dioscorides scribit: sampsucum gens Sicula, & Cyzicena amaracum appellat. Diocles libro de medicamentis lethalibus scribit amaracum à quibusdam vocari sampsucum. Plinius. Amaracum Diocles Medicus, & Sicula gens appellauere, quod Ægyptus, & Syria sampsucum. Latini sampsucum, & amaracum. Veteres Poëtæ modo sampsucum, modo amaracum vocant. Sed contraria sunt sententia Galenus, & Paulus, & longè aliter de amaraco sentiunt, nam à sampsuco & viribus & natura dissidere. Sed hi amaracum pro parthenio assumunt, vt videre est in eorum scriptis. Itali *maiorana*, & *persa*.

Sampsucum

Descriptio. Sampsucum suffrutex est ex Theophrasto, & perpetua fronde comatur. Radix ei lignosa, retorrida, summo cespite leniter hærens, multifida. Floret æstate, non omne, sed quod Phrygium cognominant. Semen ei copiosum, odor molliter iucundus: quia terreno aquosa vis admiscetur, ad vetustatem exarescens per quoddam temporis spatium, validius odorem vibrat, & acrem odorem reddit. Vnà enim & quantum humoris aquosi est, exhalatur, & alimenti cessat accessio, & quædam veluti coctionis, aliquid per se ipsa recipiunt. Vnde fit, vt à suis decerpta arboribus odoratiora reddãtur. A quo Plinius. Amaracus acres habet odores. Dioscorides autem, Herba est ramosa per terram repens, foliis calaminthæ tenuifoliæ hirsutis, & retorridis. Nos describemus nostram maioranã, quam verum sampsucum credimus. Maiorana suffrutex est humilis, cãdicans, & suauis odoris, surculis tenuibus, in plures alas diuisis, circa quos foliola penè rotunda, incaua, mollia. In summo flosculi candidi, pusilli, spicis exiguis, oblongis, & squamatim cãpactilibus, radicibus tenuibus. Ramuli tam obsequiosi, vt in quamcunq; volueris formam topiario opere, facile effigies.

Genera. Est apud nos maior, & minor species. Sed minor est foliis, & ramulis tenuior, odore præstantior, nobis dicta *maiorana gentile*, æstate florens, puto Theophrasti sampsucum Phrygium, & Dioscoridis legitimum maturum.

Cælum. Athenæus tradit multos interpretari naucraticem coronam ex amaraco, eumq; florem abundare in Ægypto. Plinius in Cypro laudatissimum esse, & odoratissimum. Et quia ex Cypro antiquitus amaracus ad vnguenta expetita fuit, Poëtæ adulari Cypri regi Cynaræ, fabulati sunt Amaracum puerum alabastrulum vnguenti fregisse, præq; luctu intabuisse, & in amaracum versum, quam sampsucum Ægyptus & Syria dixêre.

Satio. Seritur semine & auulsione. Sed planta transferenda est viuit radix, magnopere viuax, ex Theophrasto. Plinius ab eo. Seritur semine, & ramo. Florentinus. Sampsucum ex semine seritur, & transplantatur Aprili, & Maio, iucundum odorem habens, & calidissimum.

De meliloto, siue sertula Campana. CAP. XXXVI.

VENIT & in coronamenta meliloton herba, quam sertulam campanam vocant, coronas enim ex hac antiquitus factitatas indicium est nomen herbæ sertulæ, quod occupauit, placetq; maxime foliis pinguissimis, atq; breuissimis, ex Plinio. Pherecrates in hominem, qui suauiter loqueretur, dicebat: melilotum loqueris; quòd herba suauiter oleret. Cratinus etiam recenset quòd coronaria esset herba.

Et hedera floribus, meliloto circumsepiente caput.

Præterea maximè aluearia curantibus conuenit meliloton serere, scribebat Plinius. Coronas etiam texuerunt prisci, quibus caput redimendo febriles æstus arcerentur.

Nomen. Græcis μελίλωτον, Latinis melilotus dicitur, & sertula Campana. Cato sertu-

lam Campanicam vocat. Columella quum defruti condimenta describit, eandem nominat. Plinius, vt diximus, causam nominis reddit, quod ex hac antiquitus fierent coronæ. Melilotum dixerunt, quasi melitam lotum.

Descriptio. Postquam inaruerit vegetiorem odorem reddere tradidit Theophrastus. Dioscorides, Eius odor vicinus est croco, boni odoris. Plinius, foliis breuissimis & pinguissimis, odor eius croco vicinus & flos, ipsa caua: vbicunq; verò recens, nec candicans, & croco quàm simillima.

Fruticat ramosis cauliculis hinc inde deflexis, geniculis distinctis, vnde emicant folia in pediculis terna, flores lutei, pallidi, certa serie & modo, vt in securidica, semen fœnugræci in vaginulis contentum. Sunt & apud nos duæ aliæ species huic persimiles.

Cœlum. Dioscorides in Attica laudatissimã dicit, & Cizico, & Chalcedone natam: nasci & in Campania circa Nolam. Ab eo Plinius. Est in Campania Italiæ laudatissima, Græcis in Sunio, mox Chalcidica, & Cretica.

Solum. Vbiq; verò asperis, & syluestribus nata. Meliloros vbiq; nascitur, ex Plinio.

De trifolio asphaltite. CAP. XXXVII.

FOLIO etiam coronare trifolium, Plinius dixit. Minyanthes vocant Græci, alii asphaltion maiore folio, quo vtuntur coronarii.

Nomen. Græci τρίφυλλον. Dioscorides mænianten, vel asphaltion vocat. Plinius dixit serpentes nunquã in trifolio aspici. Præterea celebratis authoribus contra omnia venena pro antidoto sufficere XXV grana eius, quod minyanthes ex eo appellauimus, tradi. Asphaltion etiam dici, quod folia vbi adoleuerint, bitumen oleant. τριπέτηλον Nicandro dicitur in antidoto aduersus serpentes. Archigenes asphaltitin. Latini trifolium dicunt. Neapolitani *fasolara.*

Descriptio. Dioscorides ita illud delineat. Frutex supra cubiti altitudinem attollitur, virgas habens tenues nigras, vnde ramulares adnascuntur appendiculæ, in quibus terna singulis germinationibus exeunt folia, loto arbori similia: iis recenter enatis, rutæ odor inest, vbi autem adoleuerint, bitumen olent. Florem edit purpureum, sed quadamtenus latum, subhirsutum, ex altera summitate exertum, antennæ modo corniculum gerens. Radix tenuis, longa, valida. Columella ita describit: Odore graui, nec absimili bitumini, longis hirsutis foliis, caulem robustiorem, quàm pratense habet. Nicander in Theriacis ita de eo,

A tribus hinc dictam foliis, si sumpseris herbam,
Non leue præsidium contra illa venena pararis,
Sunt, & qui minyanthes eam, sunt qui tripetelon
Appellant, qualis loto est, apparet imago,
Et similem rutæ, donec viget, edit odorem.
At flores vbi magna suos, adnataq; membra
Ceperit, ingratum solet eructare bitumen.

Colu-

Columella locis confragosis nasci ait. Totus Neapolitanus tractus his scatet, immo mons Neapoli imminens ab eiusmodi trifolio, Trifolinus dictus. Vnde solo potius tenui, & aprico gaudet. Solum.

De loto satiua. Cap. XXXVIII.

TROIANIS temporibus erat honos floribus, quorũ Homerus tres laudat, & inter herbas subnascẽtes deorũ voluptati, lotos prima nominatur:

Quos subter terra diuum procreauit nouam herbam,
Lotumq́ roscidam, crocum, & hyacinthum.

Loti Theophrastus meminit inter herbas, quibus in vnguentis vterentur. Λωτὸς Theophrasto authore, æquiuocum nomen, formisque pluribus constat. Dioscorides λωτὸς ἥμερος, Latinè lotus vrbana. alibi trifolium vocat. λωτὸς videtur dici, quasi voluptas, à verbo λῶ, videturque Homerus allusisse ad deorum lubescentiam, & vocat roscidum, vel quod paradisis, & lætioribus locis oriatur. Latinè lotus vrbana, ac trifolium dicitur. Hinc deflexo nomine Neapoli *tripoli* dicitur, quasi odoratum trifolium. Hodie colitur, decerpiturque ad odoratam aquam conficiendam ab vnguentariis. Nomen.

Dioscorides hanc describens paucis contentus est. Est herba tota odorata, ex genere trifolii, caule bicubitali, & foliato, odore eximio ac suaui. Pediculos, & folia è geniculis educta trifolii pratensis, ambitu obliquè dentata, habitiora, subpallida: decerpta, & exiccata, etiam odorem retinet. Descriptio.

Loti herba non nisi post annum è suo semine nascitur. Satio.

De helenio. Cap. XXXIX.

QVVM rami & folia odorata sint helenio, iure à Theophrasto inter coronarias herbas connumeratur, quę folio coronat, itemq; Plinio. Narrant Poetæ lachrymis Helenæ natum dum gubernatorem Canopum Hęmorrhoi serpentis ictu exanimatum fleuisset. Celant sub hac fabula Poëtæ huius herbę in se medicã facultatem, quòd faueat formæ, cutem in facie incomptam, reliquumq; corpus perpetua venustate condecorans. Præterea eius vsu quãdam gratiam iis, veneremq; conciliari putant. Attribuunt etiã hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eumq; quẽ habuerit nepenthes illud prędicatũ ab Homero, quod eo tristitia omnis aboleatur. Animi enim nubila pręclare discutere ex Hippocratis testimonio creditur. Breuior his est, sed torosior, amariorq; inula, per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis saluberrima. Pluribus modis austeritate victa gratiam inuenit: nanq; & in pollinẽ tunditur arida, liquidoq; dulci temperatur, & decocta posca, aut asseruata, vel macerata pluribus modis, & tũc mista defruto, aut subacta melle, vuisve passis, aut pinguibus caryotis. Alio rursus modo cotoneis malis, vel sorbis, aut prunis, aliquando pipere aut thymo variata, defectus pręcipuè stomachi excitat, illustrata maximè Iuliæ Augustæ quotidiano cibo. Docet & alia Columella ad inulę cõdituras. Quum eius radicẽ mense Octobri, (quo maximè matura est) è terra erue-

ris, aspero linteolo, vel etiam cilicio detergito quicquid harenæ inhęrebit, deinde acutissimo cultello summatim eradito, & quæ plenior radicula fuerit, pro modo crassitudinis in duas, vel plures partes digiti longitudine, diffindito: deinde ex aceto modicè in cacabo æneo coquito, ita ne taleolæ inuri possint. Post hæc in vmbra triduo siccentur, & ita in fideliam picatam recondantur, adiecto passo, vel defruto, quod supernatet, spissamentoque cunilæ imposito contectũ vas pelliculetur. Alia inulæ conditura. Quũ radices eius raseris, taleolas, vt supra, facito, & in vmbra triduo, vel etiã quatriduo siccato, deinde siccatas in vasis sine pice, interiecta cunila, coniicito, cunila imposita, sex partibus aceti vna pars sapę misceatur cum hemina salis cocti, vt hoc iure macerẽtur taleolę donec quam minimum amaritudinis resipiant. Postea exceptę iterum siccentur per dies quinq; in vmbra, tum crassamẽtum vini fæculenti, nec minus, si sit, mulsi, & vtriusq; eorum quartam partem boni defruti confundito in ollam, quæ quum inferbuerit, taleolas inulæ adiicito, & statim ab igne remouęto, ac rudicula lignea peragito, donec perfectè refrigescant. Postea transfũdito in fideliã picatam, operculo tegito, tumq; pelliculato. Tertia eiusdem inulæ conditura. Quum radiculas diligenter eraseris, minutè conscissas in muria dura macerato, donec amaritudinem dimittãt. Deinde effusa muria sorba quam optima, & maturissima semine detracto contere, & cum inula misce, tum siue passum, seu quã optimum defrutum adiicito, & vas obturato. Quidam quum condiuerunt inulam, muriaq; macerauerunt, exiccant, & malis cydoniis tritis, quæ in defruto, vel melle decoxerant, miscent, atq; ita superfundunt passum, vel defrutum, & vas operculatum pelliculant.

Nomen. Græcis ἑλένιον dicitur, Latinis helenium à luctu vel satu Helenæ, vel quia in Helena insula laudatissimum. Columella inulam vocat. Neapolitani *enula campana*.

Cremium esse narrat Theophrastus, radice lignosa, retorrida, & multifida, summo terrę adhęrente. Ramis & folio odorato. Flore inodoro. Siccis locis acrius redolet, mollius autẽ, quum in vrbanũ habitum traducitur. Dioscorides alterum helenium ita describit, quod Cratenas Medicus tradit. Herba est, cubitalibus ramulis, serpilli modo per humũ repentibus, foliis lenticulæ circa ramulos, sed longioribus, crebris, radice pallida, digiti minoris crassitudine, per ima tenui, supernè crassa, cortice nigro. Primũ genus folia verbasci habet angustioris folii, asperiora, oblonga, caulem quibusdam in locis non emittit, radicem subalbidam, interdum subruffam, odoratam, subacrem, vegetam, magnam. Plinius de primo. Est succi prædulcis, radix est intus candida. & dulcis: breuior, torosior, amariorq; quàm siser, per se stomacho inimica. Sed mendum in Dioscoride, quippe non verbasci angusti folii, sed platyphylli folia habet. Apud nos florem fert buphthalmi aureum, stellatum; fundente scapo secto in summo Iunio, & Iulio, tres aut quatuor cubitos, aut plus procero, radicis amplæ, & crassioris, odoratæ, carpum ferè æquantis.

Quum

Quum lignosum sit simplex specie à Theophrasto ponitur. Agreste suauius *Genera.* olet. A Dioscoride tria recensentur genera.

Primum genus à Dioscoride in montibus vmbrosis prouenire dicitur, sic- *Solum.* coque solo. Secundum genus in Ægypto in maritimis collibus. Columella alto, & pastinato loco. Plinius in Helena insula laudatissimum.

Theophrastus semine carere ait, sæpe enim exiccata, tritaque seruisse se in- *Satio.* quiunt, sed nunquã germen erupisse. Dioscorides: è suis radicibus agnatæ propagines liliorum, aut ari modo seruntur. Columella, Quàm rarissimè ponenda est, vt maiora capiat incrementa, trium verò interuallo pedum seri conuenit, quoniam vastos facit frutices, & radicibus vt oculus harundinis serpit, nec est alius cultus ipsius, nisi vt sarritionibus herbæ tollantur. Commodissimè autem deponentur prima parte Septembris, vel vltima Augusti parte. Palladius. Februario mẽse inula ponitur, quo canneta ponuntur. Seritur oculis, sicut calami, quos abscindere, & terra leuiter debem⁹ obruere, terra fossa & subacta, excitatis ad lineam puluinis, quibus eius oculos oportet infodere, trium pedum spatio inter se separantur. Plinius, Superuacuum eius semen, quoniam oculis radice excisis, vt harundo seritur, vere, & autumno, magnis seminum interuallis, nullàve minus, quàm ternorum pedum, quoniam spatiosè fruticat.

De baccari. CAP. XL.

BACCARIS è coronario genere, vt Dioscorides testatur. Virgilius Maro non solum coronariam stirpem, sed fascini depulsoriam scripsit.

—— baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Dioscorides somnum suo odore accersere scripsit, & Plinius. Cuius causam Plutarchus Symposiacorum tertio quærit. Causatur enim leuem auram, & blandum floris effluuium, quo in temulentorum corporibus obortæ inæqualitates, aspritudinesque sensim dissipantur, & exteruntur, conciliaturq́; tranquillitas, crapula retunditur, excoquiturq́;, vnde ad placidam quietem potos perducit. Vestibus etiam odoris gratiam inserit, ex Plinio. Ex cuius radicibus vnguentum fieri apud Aristophanem antiquus comediæ author testis est, & Athenæus idem memorat.

Dioscorides Βάκχαριν vocat, nos potius πάνχαριν putamus, nomenclatura in- *Nomen.* dita propter eximiam fragrantiæ gratiam cinnamomeæ radicis, ex qua cùm multa alia, tum vnguen conficiebatur. Et πάνχαρις apud Athenæum legitur, ex qua serta concinnabantur, qua tempora cingebantur. Latinis baccaris. Italis *baccari.*

Dioscorides ita delineat. Aspero fruticat folio, magnitudine inter violam *Descriptio.* & verbascum, anguloso caule, iustam cubiti altitudinem exæquãte, subscabro, circa quem coliculi agnascentis modo sobolis fundãtur, flore in purpura candicante, odorato. Radicibus veratro nigro similibus, quibus odor inest cina-

momo proximus. Plinius. Radices tantùm odoratæ, odor cinnamomo proximus. Nos apud Gariliani fluuii pontem, via qua Romam itur, copiosissimè fruticare vidimus. Erat enim foliis asperis, veluti lanuginosis, subrubenti caule, radice cariophyllatæ, odorē halante pręstātissimi & suauissimi cinnamomi.

Gracili solo, nec humido prorumpere scripsit Plinius à Dioscoride, qui squalidum, & asperum dixit.

De rosmarino coronario. Cap. XLI.

LIBANOTIS coronarius frutex non solùm coronis acceptus, Dioscoride authore, quum eius folia thus redoleant, sed & topiarius: nam apud nos hortorum areas tam eleganti conuestit opere, vt nullum non animal olitoris mangonio suffragante confingat. Præterea fictilibus vasis plantatur, vt folio, quo semper comatur, & odore suo ædium fenestras exornet. Expetitus etiam culinis, quum eo ad multa condimenta vtantur. Præterea ad mellificia optimus: quippe Varro ex roremarino apes mel spissum facere dixit: Columella idem scribit itemq́; Palladius. Libanotim hæc Græcorum fabula comitatur. Libanotim tradunt fuisse adolescentem Assyrium, deos studiosissimè colentem, quem inuidia mali homines peremerūt. Dolens eius vicem terra, in fruticem emortuo gentilis corpore transtulit, seruato priore eius ingenio, & desiderio, quod erga deos habuit. Hoc verborum inuolucro innuunt Gręci thure nil esse diis gratius, vnde thuriferis fruticum odoribus numinibus supplicandum Deumq́; thure nobis reconciliandum.

Nomen. Græcis λιβανωτὶς στεφανωματικὴ dicitur, quasi rosmarinus coronarius. Cassianus Græcus ἀνδρολίβανον vocat, quasi arborescentem, ad differentiam herbacei. Latinis libanotis coronaria accepto nomine à libani, siue thuris odore, quem redolet, adiecimus coronariam ad differentiam vmbelliferarum libanotidum aliarum. Romani rosmarinum vocant. Neapolitani *rosmarino*.

Descriptio. Dioscorides ita describit. Ramos emittit tenues, & circa eos folia minuta, densa, longa, exilia, subter incaua, supernè virētia, grauiter odorata. Addimus nos. Flore cæruleo, bis florens anno, vere & autumno. Semine atro, exili, residet sub flore, calice triangulari, tria continens acina, quę non vbique producit, sed Apuliæ vidimus.

Cœlum. Gaudet cœlo aprico, calido, vel temperato. Frigidis regionibus Meridiei exponatur.

Solum. Solo leui, & sicco, vel sterili, & collibus maritimis gaudet: vnde nomen rorisinarini.

Satio. Propagine, & auulsione seri narrat Plinius, quum semine careat. Democritus autem viuiradice, vel auulsis ramis in terra depactum, & humatum mense Martio. Sed ramulus biennalis, vel triennalis esse debet. Figatur solo, ac circum circa terra optimè calcetur, continuis aquationibus blandiatur, donec radiculas iniecisse noueris: idq́ue Martio mense, quum germinare gestiet. Potest

teſt & ſemine ſeri, quum ſemen habere compererimus. Iulio menſe, quum maturum fuerit, colligitur, priuſquam decidat, inſolatur, inde altè paſtinato ſolo, & in areolis diuiſo ſeritur, leui terra ſuperiniecta irrigando ſemper, idque Martio menſe, vel Septembri. Cultu lætius luxuriat, adultior, & procerior perennat.

De meliſſophyllo. Cap. XLII.

VENIT & in coronamenta folio meliſſophyllum, Plinii anthoritate, idemq; apibus gratiſſimum. Hoc enim florente mirum in modum gaudent, vt ab eiſdem nomen acceperit. Varro ait. Apes maxime ſequuntur apiaſtrum, & examen vbi volunt conſidere, eum ramum, aliámve rem oblinunt apiaſtro. Idem Columella, Plinius, & Palladius. Virgilius item,

—— in iuſſos ſparge liquores,
Trita meliphylla, & cerinthe ignobile gramen.

Præterea ſale, oleo, & aceto condita in acetariis maximè expetitur.

Nomen. Græcis μελισσόφυλλον, ſiue μελίφυλλον, ſiue melittena, id nomen ab apum delectatione ſibi vſurpaſſe ait Dioſcorides. Apud Latinos apiaſtrum dici Plinii authoritate. Palladius meſphyllum, & citraginem ab odoris ſimilitudine ſcribit: nam ſi nares conſulantur, citreum malum olent. Varro apiaſtrum: ab citro Neapoli deflexo nomine, *citrara* vulgò dicitur.

Deſcriptio. Dioſcorides ita delineat. Cauliculi & folia ballotæ ſimilia eſſent, niſi maiora, tenuioraq;, nec hirſuta ita ſpectarentur. Citreum malum olent. Addimus: fert flores albidos, in verticillis copioſos.

Genera. Duo apud nos genera, in hortis vnum, in ſyluis alterum: quod hortis ſeritur, cimicum odorem magis refert, alterum veluti ocimum citratum olet. De hoc fortaſſe Palladius intellexit, quum citraginem à meliſſophyllo diſtinxit, herbas enumerando, quibus apes delectarentur, Aprili, & Iunio.

De pſeudonardo. Cap. XLIII.

PSEVDONARDVS odora ſtirps flore, & fronde, tanti odoris fragrantia, vt flores omnes, & herbas prouocet. Huius maximus apud nos vſus: nam veſtibus iniecta, eas odore cõmendat, & cacumina manipulatim in ſcopis cõpoſita ad varios odorũ vſus repenũtur. His dotibus noſtro horto ſeréda venit.

Nomen. Primum genus quia non minus, quàm nardus ſuaui ſpirat odore, ſpicæ nomen ſibi arrogauit, vulgò *ſticados*. Alterum genus, quòd folia, & flores minus ſuaui ſpirent odore, pſeudonardum vocare libuit, quod genuina nardus non ſit, cuius veteres ſcriptores meminerunt. Saliuncam eſſe Virgilianam multis eruditis ſuſpicari placuit. Neapolitani *lauanda, & lauandula* vocant, quod balneis, & hominum lauacris expeteretur.

Deſcriptio. Stirps eſt humilis, virgas profert tenues, quadrangulares geniculatas, cubitales, aut longiores, flores circa ſingula genicula bina, carnoſa, oblonga, anguſta, colore ab vtraq; parte languido in candidũ vergente, perpetua cal. eſcẽs

coma, in summo frequentibus spicis in aristas sparsis, flosculis refertis purpureis, radice lignosa, in fibras diuisa, exitu veris, Iunio, & Iulio mensibus spicatur.

Solum. Gaudet apricis, & petrosis.

Satio. Seritur viuiradicibus à matre diuulsis, Octobri ac Nouembri mēsibus. Seritur & cacumine. Sed Martio mense, terra circum optimè calcata, vetustate deteriorescit. Eius vita ad quatuor annos. Sed cespes in plures plantulas diuiditur, & singulæ quatuor pedum interuallo separatim plantantur.

De hedera. CAP. XLIIII.

HEDERÆ folia in coronamenta venere, eiusque corymbi in his obtinēt principatum, vt author est Plinius. Placet corymbis & flore: nam odor abest. Ferunt primum omnium Liberum patrem coronam imposuisse capiti suo ex hedera. Cysson Liberi patris fuisse adolescentem, & saltatorem Græcia confinxit, qui coram Deo tripudians, allisus terræ periit. Terra in Bacchi honorem in sui nominis fruticem conuertit. Germen è terra progressum vitem amplecti solet, modo quo adolescens Bacchum in tripudiis amplecti consueuerat. Hæc in tutelam Liberi patris putabatur esse, tū quia primus in Græciam ex Indis exportauit, tum quia, vt ille iuuenis semper, ita hæc semper virens, & sicut ille hominum mentes, ita hæc omnia illigat. Quærit Plutarchus, cur flamen dialis si hederam attigisset piaculum cōmisisset. An quod hederam tanquam sterilem, & hominibus inutilem, & propter fragilitatem adminiculo egentem, solum vmbra & viriditate oculos capientem non temere in ædibus ali atque innasci permiserunt? quippe quæ plantas complexa maximè noceret, nec solo extirpari facilè possit, quo fit vt cœlestium templis penitus amoueatur, vt in æde Iunonis Athenis, ac Thebis in æde Veneris. Nocturnis verò Bacchanalibus adest, vt à Thyasis, & reliquis debacchanalibus abstinerent: nā mulieres bacchicis furoribus correptæ, ad hederam feruntur, & manibus abreptam diuellunt, & dentibus lacerant, vt non omnino incredibilia dicere videantur, qui asserunt hederam, quòd spiritum habeat, quo mentes in furorem concitet, & loco moueat, ebrietatem absque vino inducere, & hilares eos reddere, qui in furorem procliues fuerint. Andreas Medicus, quum aliquem fortè dolor capitis angeret, qui eius compressu leuatus fuit, vinculum intellexit esse doloris præsens auxilium. Hac igitur medicina opitulans, eorum, qui nimium bibissent, caput reuinciebat hederacea præcipuè corona, facie alioqui non inuenusta corymbis, & foliis virentibus frontem opacat, astrictionisque vehementiam patitur, & postremo refrigerat citra odoris grauitatem. Ob hāc rationem coronam illam vita Baccho dedicasse videtur, qui & potum inuenerit, & malis inde nascentibus succurrat. Sunt & coronæ, quas tortiles Alexandrini vocant. Harum ita meminit Chæremon,

Hederæ, narcissiq; ter circumuoluto circulo

Torti-

Tortilium coronarum.

Hæc Athenæus. Ægyptii Bacchum hederam inuenisse asserebant, quare illi dedicarunt, authore Diodoro Siculo, vocabantque illi chenosirin, vt Plutarchus in Onosiride testis est. Hæc enim vox Osiridis plantam denotat. Ositim autem eundem cum Baccho esse multi prodiderũt. Lucius Apuleius in somnis se vidisse Osiridis sacerdotes dicit, thyrsos, & hederam ferentes, quemadmodum Bacchi sacerdotes faciunt. Sunt qui dicãt hederam Baccho dicatam, cùm ob historiam, tum ob hederæ naturam. Ouidius in Fastis Nysiades nymphas Bacchum puerum (quærente nouerca) in cunis hedera cooperuisse scribit. Pharnutus ad hederæ naturam retulit. Frequentibus est enim articulis nodosa, quibus significet ebriosos vacillare, & titubare, & portatu faciles, vel quod ebriorum vox, quasi articulata sit, ac titubans, nec vno contextu intelligibilis, quare thyrsus, cuius mucro labente hedera protegebatur, Baccho dicatus. Eo enim, authore Macrobio, furoris impetus patientiæ vinculo obligandos esse significabatur: nam hedera vinciendi naturam habet: ebriorum pedes parum suo funguntur munere. Alii contrariæ sunt opinionis, non quod ebrietatẽ repræsentet, aut quod vino aduersetur, vt Plutarchus narrat, verũ quod ille anni tempestates imitatus sit: nam quũ vitigineam coronam desideraret, & ex anni ætate vitis frondibus vidua esset, hedera faciẽ cœpit adornare, qua vitis vice vsus est, sic etiam quod viti similis sit, & corymborum baccæ vinearum botris respondeant. Inimica arbor satis omnibus, sepulchraq́;, ac muros rumpẽs, serpentium frigori gratissima, vt mirum sit vllum honorẽ habitum ei. Est & hederacea corona Poëtis ascripta, nam vnà cum lauro eorum coronam perficiebat, non quia perpetuo virens, diuturna eorum opera futura ostenderet, sed per laurum insitam ingenio vim ac facundiam, per hederam autem & industriam peruigili labore partam significare volebant, cuius rei indicium, quòd hedera suapte vi admodum imbecilla humi reperet, neq; se vnquã attolleret, pertinaci tamen labore, artificioq; peruincit, vt parietibus adhærescẽs, & paulatim irrepens, supra omne fastigium victrix euadat: vtroque enim opus est, si quis velit excellere, & nisi excelluerit nil proficiet. Eadem sententia fuit Pindarus, Poëtas lacte, & melle pasci, lac fœcunditatem significare, mel autem artem labore partam. Athenæus Antocabalos Iamborum Poetas vocat, hederacea corona vti solitos. Virgilius ad id,

Pastores hedera nascentem ornate Poetam.

Phalangiũ ceruis exitiale est, & ceruis medicina est hedera adesa, ex Æliano. Harpæ aues, vt à nidis suis bestiolas adigant, hederam ingerunt. Vespertiliones hederæ suffitu necantur. Apri in morbis sibi hedera medentur. Agni morbo non laborant, si septem dierum curriculo hedera pasti fuerint. Vitis autem stirpem prope terram aduersus cantharidas inungunt.

Græcis κισσὸς, vel κιττὸς dicitur, quo nomine sola rigens hedera significatur. *Nomen.* Sed aliquibus videtur κισσὸς potius dicta à porosa textura & innumeris spira-

culis peruia, quàm à puero Citto saltante, vt fabulant Græci. Est & κισσηρὶς pumex, siue porosus lapis, quale Catoni cissymbion poculum. Dioscorides citharon, à corymbis, corymbia. Κιττὸν vt Pausanias tradit Bacchum appellant. Antiquissimi Athenienses σ, & τ promiscuo vsu vtebantur, quare κισσὸν & κιττὸν protulerunt. Alii Dionysiam appellauere, quasi Bacchicam. Latini hederam, Pompeius dictam putat, quòd hæreat, id etiam Apuleius confirmat. Alii ab edendo, etenim vetustiores maceries suis radicatis propaginibus enecat, & exedit. Alii hederam, quod edita loca petat, & altè diuagetur, altiores parietes conscendens. Itali *edera*.

Nom. & descriptio. Quum difficile sit valde describere species omnes separatim, ideo secundum Theophrastum vnà describemus. Edera multigena est, quædam humi repens, quædam se in altum extollens. Excelsarum genera plura, sed trina summa patescunt, candida, nigra, & helix. Harum item species plures, quippe alia fructu candida, alia etiam foliis. Rursus fructum candidum ferentium, alia maiusculum, densum, & velut in globum circumactum fructum profert, quam corymbiam quidam vocarunt. Athenienses acharnicam riguam eam appellant. Habet nigra differentias, sed non in hunc modum conspicuas. Sed helix maximis differentiis discernitur, etenim foliis plurimum distat, cùm paruitate, tum quòd angulata, concinnioraq; sint, cum hedera rotundiora, simplicioraq; habeat. Distant enim internodiorum longitudine, atq; etiã sterilitate, quoniam fructum quędam non ferunt, quod non in hederam transfigurentur, vt quidam volunt, at verò si omnes hederascunt, vt aliis placet; ætatis certè, dispositionisq;, non generis erit discrimen, quemadmodum pyri ad pyrastrum. Tamen eius quoq; folium multum ab hedera distat, verum id rarum, & in paucis euenit, vt vetustate permutetur, ceu in populo alba, & crotone. Ergo elicis plura genera, sed quæ conspectiora, summaque occurrunt, tria sunt: Herbacea ac virens, quæ plurima est, secunda candida, tertia versicolor, quam Thraciam quidam appellant. Et harum quæque distare videtur, quippe herbaceæ quædam folio tenuiori, oblongiori, atque etiam densiori, quædam minus hæc omnia habens, & in versicoloris genere, alia folio ampliori, alia minori, macularumque habitu diuersa, pari modo, & magnitudine, coloréve distant. Auctu perfacilis herbacea, inque plurimum venit: manifestam quæ hederescat affirmant, non tantum foliis, quæ maiora, latioraque habet, verùm etiam germinibus, protinus enim erecta gerit, non inflexa gracilitate, & longitudine. Herbacea verò crassiora, breuioraq;, ac hedera, vt ferre semen incipit, germen sublime, rectumque edit. Est quidem vniuersa hedera radice numerosa, densa, flexuosa, surculosa, crassa, nec nimis alta, sed præcipuè nigra, & inter candidas, quæ asperrima, immitissimaque habetur: quamobrem eius amplexus arbores omnes infestat, omnes enim necat, & exiccat, ablato alimento. Crassatur enim maiorem in modum, atq; arborescit in tantum, vt per se ipsa hederæ arbor fiat. Attamen

tamen ex maiore parte semper super aliud vitam degere solet, atq; (vt ita dixerim) amplexicaulis est, ita pro sua natura, vel quiddam eiusmodi illico gerit. Nam è germinibus radiculas assiduè inter folia mittit, quibus arboribus, murisq; obrepit, quasi de industria à natura exhibitis, atq; ita humorem auferens, exhauriensq; arefacit, & si inferius succidatur, nihilominus viuere, durareque potest. Habet aliud discrimen non mediocre in fructu: nam alius dulcis, alius vehementer amarus, tam in candida quàm in nigra, indicium quòd alium aues mandunt, alium minimè attingunt. Etsi suffrutex sit, per adultam ætatem tantum sibi roboris vendicat, longitudine, crassitudineque proficiens, vt in arborem deficiat. Folia, quum primum pubescit, angulosa, quamplurimum in triangularem faciem exeuntia, vetustiori rotundantur. Pinguia, dura, immortali virore, longo pediculo, læuia superna parte habet. Flore lanugineo suo peculiari modo, etenim florem in toto fructu habet, sed neq; postremis insidentem, neque singulas partes ambientem, in mediis inculcatum, nisi fortè concerni nequeat propter lanuginem. Ab eo Plinius. Ederæ duo genera, prima, vt reliquarum mas, & fœmina. Maior traditur mas corpore, & folio duriore, ac pinguiore, & flore ad purpuram accedente. Vtriusq; autem flos similis est rosæ syluestri, nisi quod caret odore. Species horum generum tres. Est enim candida, & nigra edera, tertiaq;, quæ vocatur helix. Etiamnum hę species diuiduntur in alias, quoniam est alia fructu tantùm candida, alia & folio: fructumq; candidũ ferentium, aliis densus acinus, & grandior, racemis in orbem circũactis, qui vocantur corymbi. Item selenitiũ, cuius est minor acinus, sparsior racemus. Simili modo in nigra. Alicui & semen nigrũ, alii crocatum, cuius coronis poëtæ vtuntur, foliis minus nigris, quam quidã Dionysiam, alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis. Quidam apud Gręcos etiãnum duo genera huius faciunt, à colore acinorũ erythranum, & chrysocarpũ. Plurimas autem habet differentias helix, quoniam folio maximè distat. Parua sunt, & angulosa, concinnioraq;, quum reliquorũ generum simplicia sint. Distat & longitudine internodiorũ, præcipuè tamen sterilitate, quoniam fructum non gignit. Quidam hoc ætatis esse non generis existimant, primoq; helicem esse, fieri ederam vetustate. Horum error manifestus intelligitur, quoniam helicis plura genera reperiuntur, sed tria maximè insignia: Herbacea ac virẽs, quæ plurima est, altera candido folio, tertia versicolor, quę Thracia vocatur. Etiãnum herbaceę tenuiora folia in ordinẽ digesta, densioraq; In alio genere diuersa omnia. Et in versicolori, alia tenuioribus foliis, ac similiter ordinatis, densioribusq;. In altera neglecta omnia hæc. Maiora quoq; ac minora sunt folia, macularũq; habitu distant, & in candidis alia sunt candidiora. Adolescit in longitudinem maximè herbacea. Arbores autem necat candida, omnemque succum auferendo, tanta crassitudine augetur, vt arbor ipsa fiat. Signa eius, folia maxima, atque latissima, mammas erigentis, quæ sunt cæteris inflexæ, racemi stantes, ac subrecti.

Et quamquam omnium hederarum generi radicosa brachia, huic tamen maximè ramosa, ac robusta. Ab ea nigræ, sed proprium albæ, quod inter media folia emittit brachia, vtrinque semper amplectens: hæc est & in muris, quamuis ambire non possit. Itaque etiam pluribus locis intercisa, viuit tamen duratq;, & totidem initia radicum habet, quot brachia, quibus incolumis, & solida arbores sugit, ac strangulat. Est & in fructu differentia albæ nigræq; ederæ, quoniam aliis tanta amaritudo acini, vt aues non attingant. Est & rigens hedera, quæ sine adminiculo stat, sola omnium generum, ob id vocata cissos. E diuerso nunquam nisi humi repens chamęcissos. Dioscorides: Hedera differentias multas sortitur, summas autem genere tres. Nam quædam candida est, altera nigra, tertia helix, candida fructum fert candidum, nigra nigrum, ac croci æmulum, quam vulgus dionysiam vocat: helix fructum non gignit, sed albas habet viticulas, & folia parua, angulosa & concinniora. Virgilius vtriusque hederæ, albæ nigræve meminit.

Candidior cygnis hedera formosior alba. atque
——— *ederæ pandunt vestigia nigræ.*

Calum. Hedera, ex Theophrasto, calores odit, frigus adamat, quare feruidis minus potest prouenire. In Asia hederam enasci negant, sed in India visam in monte, cui Mero nomen affirmant, quo Liberum patrem ortum fabulæ aiunt. Qua de causa Alexander, quum ex India aliquando descenderet, coronatus & ipse, & exercitus ibat. Harpalus verò & in Media tantùm locare eam contendit, serendo sæpe in hortis Babyloniis, & curiose colendo, sed nihil efficere potuit. Hæc enim nullo pacto viuere valebat, sicut reliqua, quæ aduecta de Græcia sunt, hospitari patiebantur. Hæc igitur ob cœli conditionem regio recusat. Ab eo Plinius. Edera iam dicitur in Asia nasci. Negauerat Theophrastus, nec in India, nisi in monte Mero. Quin & Harpalum omni modo laborasse, vt sereret eam in Medis, frustra. Alexandrum verò ob raritatem ita coronato exercitu, victorem ex India rediisse, exemplo Liberi patris, cuius dei nunc & adornant thyrsos, galeasq; etiam & scuta, in Thraciæ populis in solennibus sacris. In frigidis terris nasci cecinit Virgilius.

——— *at sceleratum exquirere frigus*
Difficile est, piceæ tantum, saxiq; nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt vestigia nigræ.

Solum. Cassianus aquosis agris gaudere dixit. Adreas apud Athenæum hederam citra cultum vbiuis copiosam prouenire dixit.

Satio. Cassianus plantari ante Calendas Nouembres, & à Calendis Martiis. Columella idibus Februarii, vel Calendis Maii seri oportere. Seritur & geniculis suis & ex his radices dimittunt, quum maximè omnium viuax sit, seu arbores scandens amplexu suo perstringat, seu in terra abdita ima subeat. Nam defixa quoque mirum erũpere valet: spissitate, acoreque suo seruari aliquantulum tẽporis potest. Longè ab arboribus seri debet, obest enim maximè sua vicinia:

numero-

numerosa enim radice cohæret, multoque indiget alimento, quæ ascendere, amplecti, strangulare, atque irrepere apta est. Facilis est generationis, nam in multis creatur, & quod mirabilius, visam esse in cornibus cerui aliquando. Hæc Theophrastus. Plinius verò: Ac non in nouissimis cauetur, ne fabis florentibus attingatur hedera. Id enim noxium, & exitiale ei est tempus. Seritur etiam palo: ex qua satione insitio reperta est. Agricola sedulus casam sepis munimento cingens quo minus putrescerent sudes limen subdidit ex hedera. At illæ viuaci morsu apprehensæ, suam ex alieno fecere vitam, apparuitq; truncum esse pro terra.

Hedera laborem omnem veretur, si Propertio credimus canenti: *Cultus.*

Aspice quos summittat humus formosa colores,
Et veniant hederæ sponte sua melius.

Decoros dabit corymbos, inquit Cassianus, si ternum conchyliorum crematorum cinere conspergatur, aut alumine rigetur. Nigra vertitur in candidam, si terra alba madens humore, octo dierum spatio radicibus infundatur. *Ars.*

Theophrastus hederam calidam dicit, quod ex ea fiant ignaria. Ab eo Plinius. Calida hedera, & omnes, ex quibus ignaria fieri solent: teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillimè conceptum. Sed nihil hedera præstantius, quæ teratur lauro, laurumque terat. Cato. Si voles scire in vinum aqua addita sit, necne, vasculum facito de materia hederacea. Vinum id, quod putabis aquam habere, eodem mittito, si habebit aquam, vinum effluet, aqua manebit: nam non continet vinum vas hederaceum. Ab eo Plinius. Hederæ mira proditur natura, ad experienda vina. Si vas fiat ex ligno eius, vina transfluere, ac remanere aquam, si qua fuerit mista. Sed id falsum diximus in Magia nostra naturali. *Materies.*

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER DECIMVS
SIVE
HORTVS OLITORIVS.
PROOEMIVM.

E Coronario horto egreſſi, olitorium ingredimini, ibi enim cremia, & frutices inſpexiſtis, hîc herbacea conſpicietis: nouiſſimum genus, in quod ſtirpes omnes, è terra naſcẽtes principio digeſſimus. Licuit enim mediocriter agricolationis rei imbuto ſimplicis cultus tractationẽ præmittere, vt quæ multiplicis operationis foret, facilius perdiſceretur, ne veſtra deluſa ſpectatione delapſi videremur. Olitoriam rem aggrediemur, ſanè perquam dignam, cui ſtrenuam ſeduli operã nauemus. Marcus ille antiquiſſimus Cato ſecundum locum tribuit horto irriguo, & ſi ſuo tempore vinum tanto pretio non fuiſſet, vni horto principẽ locum tribuiſſet. Cicero libro de ſenectute: Nõ ſegetibus ſolũ, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticę lætæ ſunt, ſed etiam hortis. Columella hortorum cultũ inſigniter neglectum fuiſſe quõdam veteribus agricolis narrat, ſuo tempore vel celeberrimũ, ſiquidem quum parcior apud priſcos eſſet frugalitas, largior tamẽ pauperibus fuit vſus epularum, lactis copia, ferinaq; ac domeſticarum pecudum carne, velut aqua, frumẽtoq; ſummis, atq; humillimis victum tolerãtibus. Mox quũ ſequẽs, & præcipue ſua ętas dapibus libidinoſis ſua pretia cõſtituerit, cœnęq; non naturalibus deſideriis, ſed cenſibus æſtimentur, plebeia paupertas ſummota à pretioſioribus cibis, ad vulgares cõpellitur. Plinii tempore ſtatim faciebant iudicium nequam eſſe in domo matremfamilias, (etenim hæc cura fœminæ dicebatur) vbi indiligens eſſet hortus. Horti maximè placebant, quia nõ egerent igni, parcerẽtq; ligno, expedita res, & parata ſemper, vnde & acetaria appellantur, facilia concoqui, nec oneratura ſenſum cibo, & quæ minimè accenderent deſideriũ panis. Et ſi hortorum cultus diligentius Columellæ, quàm maiores tradiderint, præcipiendus fuit, quanto nobis copioſius pertractãdus fęlici Campanię ſolo, indulgentiſſimoq; cœlo ortis erit? Vbi humi facilitate, cœliq; placiditate her-

bæ sunt perennis prouentus, restibilisq; feracitatis, sibiq; gradatim succedunt, adeoq; lasciuiũt, vt idem olus ter, quater anno seratur, demetaturq;. In quibus assiduus vsus, & esus multa adinuenit, nec parum multa inuenturus. Nos primum acetaria olera, post condimentaria, demum escaria, postremo cartilagineum genus, tum quod supra terram, tum quod sub terra connascitur proferemus. Sed prius de cœlo, solo, & remediis horti aliqua prædicturi.

Quid hortus, & de Priapo hortorum deo. CAP. I.

HORTI si plurali numero proferantur, non solùm olerum, aliarumque herbarum, sed arborum quoq; consitum locum significãt, vt horti Alcinoi, Salustiani, Luculliani, & Pompeiani. Fuit etiã eius significatio, & si singulari numero proferatur, adeò latissima, vt etiam omnis villa cõprehenderetur, Festo Pompeio authore. In duodecim tabulis legum nostrarũ, inquit Plinius, nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus. In horti verò hęrediũ. Dicti horti sunt, quod ibi oriantur, qui arma capere possint. Ab aliis verò horti dicti, quòd ibi olera nascerẽtur: olusq; dicitur Theophrasto omnis herba, quę cibario vsui oritur. Alii ab alendo, quod oleribus alerẽtur homines antequam fruges repertæ essent. Varro nomen ab olla deducit. Nonius & Festus inter aspirata connumerant. Sed si etymologię rationem spectemus, ortus sine aspiratione scribendũ esset, à doctioribus verò receptus vsus fecit, vt aspiretur, fortasse ad differentiam participii ortus. Nobis verò olitorius hortus erit circumscriptus in villa locus, in quo olera deponimus, nomenq; ab oriendo deducimus, quod in hac villæ parte festinantius, & copiosius quàm alibi toto anno herbæ oriantur. Sed de hortorum deo dicamus aliqua. Hanc rem, inquit Plinius, comitata est & religio quædam, hortosq; & fores tantùm contra inuidentiũ effascinationes dicari videmus. In remedio satyrica signa, quãquam hortos tutelę Veneris assignante Plauto. M. Varro sui de re rustica libri initio Venerem adueneratur, cuius procuratio hortorum, quo nomine rustica vinalia instituta. Cæteri autem Priapum hortorum deum voluerunt, & si M. Varro inter deos Semnones adnumeret, qui neq; cœlestes, neq; terreni essent, à Gręcis verò inter deos receptus, propter eam corporis partem, à qua omnium animantium sit ortus. Sed ratio cur hortorum præsidio Priapus fuerit, esse potest, quod sicut pars illa omnium fœcũdissima, & generationis causa existit, sic in villa nil hortis fœcundius: nam & si cęterę villę partes semel quid annuatim producant, horti semper sunt perennes. Phurnutus ita eum depingit, vt omnis generis fructus in suo sinu gerat, quod fructuũ indicet copiã, qui intra terrę sinum nascuntur, & ostenduntur. Deus dicitur, quòd eius sit & seruare, & tueri, quæ genuerit. Falcem manu gerit, cuius vsus in putandis vineis, & arboribus est, vt putatione omnia fertiliora reddantur. Ægyptii, qui tum publicas, tum religiosas res non sine quadam naturali ratione figurant, aliter eum depingunt; dextra sceptrum gestantem, perinde ac si ab eo omnia terra

mariq; genita sint. Sinistra sui ipsius ithyphallum tenentem, quo semina humo aspersa in apertum mittat. Columella de eius effigie,

—— Sed truncum fortè dolatum
Arboris antiquæ numen venerare ithyphalli:
Terribilis membri, medio qui semper in horto
Inguinibus puero, prædoni falce minetur.

Dictus Græcis ἰθύφαλλος: nam φαλλὸς Priapus est, ἰθὺς rectus, quasi columnam recti membri denotans. Item legitur,

Astans inguinibus columna nostris.

Apud Corynthios, vt Strabo refert, magna veneratione Priapus colebatur, nec in templo solùm, sed in agrestibus locis, vbi caprarum pascua, & apum examina essent. Pausanias in Boëticis dicit, Ægyptios hircum vocasse ob eam corporis partem, à qua omnium sit ortus. Orpheus eum protogonon vocat. Apud Lampsacum Priapo lætabilis victima asellus erat, vel quia, vt Ouidius in Fastis, Lotis pudicitiæ dum insidiatur Priapus, asini clamore excitata nympha, amatoris libido detecta est: vel quum, vt Higinius ait, inter asellum, & Priapum de virilis membri magnitudine ortum esset certamen, in eo superior fuerit asellus; vel, vt Lactantius, quum in hoc animali genitalis membri magnitudo enormis sit, nulla huic deo victima aptior poterat sacrificari: vel, vt ego auguror, asellus hortos ingrediens, teneras & nascentes herbas pedibus conculcando, & dentibus detruncando auidissimè depascitur, vnde & hortorum populator, hortorum custodi deo immolabatur, vt capra Mineruæ, deæ deuastatrix, & hircus Baccho vitium erosor: vel quòd nudata carne caluaria asini medio horti defixa contra eorum effascinationes sit amuletum.

Quis locus hortis deputetur. Cap. II.

HORTI locum Græci pariter & Latini circa ædes eligunt, longè ab area. Cassianus. Horti constructio res permaximè necessaria in vita, constituereq; eum conuenit, & ad sanitatem, & ad vires à morbis reficiendas non procul ab ædibus, sed in vicinia, vt & delectationem ex aspectu capiamus, & iucunditatis ex odoris fragrantia participes simus. Situs non secundum ventum arearum, ne à tenuissimis palearum particulis inde allatis herbæ perdantur. Columella locum prius conuenire dixit, si permittit agri situs, iuxta villam, præcipue pinguem, prouidendumq; ne hortus areæ subiaceat, ne per trituram venti possint paleas, aut puluerem in eum perferre: nam vtraq; sunt oleribus inimica. Ab eo Palladius: Hortus domui proximus esse debet, sterquilinio maximè subiectus, cuius succo sponte fœcundetur. Ab area longè situs sit: nam puluerem palearum patitur inimicum.

Quale solum, & cœlum hortos deceat. Cap. III.

POST loci electionem, sequitur soli, & cœli: & si nos singularis cuiusque herbæ peculiare solum, cœlumq; designabimus, lubet tamen in vniuersum

ſum aliqua præfari. Theophraſtus pingue ſolum oleribus conuenire dixit, olera enim radices in profundum non adigunt, vnde id ſugunt, quod ſumma tellure ſuppeditatur, quod neq; exiguum, neq; exuctile eſſe debet. Caſſianus ſuo de Agricultura libro terram deſcribens oleribus aptam, probat eam, quæ æſtu neq; reſiccetur, neq; magnis hiatibus rumpatur, neq; argilloſam, vel aſperam. Quæ enim per æſtatem reſiccatur, implantata perdit, aut tenuia & imbecillia reddit. Quę argilloſa, ſi ex æquo ſtercus ei ammiſceatur, vix idonea redditur. Quæ hiaſcit, inutilis penitus. Aſpera neq; nutrire, neq; recipere quicquam poteſt. Aſperi arenoſiq; loci, qui multum limum recipiunt, pauci ſunt oleribus idonei. Sed ita deprehendes aptam. Terram aqua diſſolue, & laua, & ſi quid limi habere comperies commodam iudicabis, ſi plus aquæ, ineptam: eandem etiam iudicabis, ſi manibus, velut ceram emolliendo glutinoſam comperies. Columella pingue ſolum oleribus tribuit, & quale oporteat eſſe, quibúsue ſignis dignoſci, carminibus elegantiſſime deſcribit:

Principio ſedem numeroſo præbeat horto
Pinguis ager, putres glebas, reſolutaq; terga
Qui gerit, & foſſus graciles imitatur harenas.
Atque habilis natura ſoli, quæ gramine læto
Parturit, & rutilas ebuli creat vuida baccas.
Nam neque ſicca placet, nec quæ ſtagnata palude
Perpetitur querulæ ſemper conuitia ranæ.
Tum quæ ſponte ſua frondoſas educat vlmos,
Palmitibusq; feris lætatur, & aſpera ſyluis
Achrados, aut pruni lapidoſis obruta pomis
Gaudet, & iniuſſi conſternitur vbere mali,
Sed negat helleboros, & noxia galbana ſucco,
Nec patitur taxos, nec ſtrenua toxica ſudat,
Quamuis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores, mœſtamq; cicutam,
Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus aquæ,
Terga rubi, ſpinisq; ferat paliuron acutis.

Palladius, Etſi terra omnis ſtercore miſta horto conueniat, tamen hæc genera ſunt in electione vitanda. Creta, quam argillam dicimus, atque rubrica. Cœlum verò exoptat apertum, apricumq;, arboribus liberum & omni vmbra, & temperatum. Nam calidis, ſiccisq; locis herbæ æſtate ad extremum ariditatis perueniunt, intereuntq;, niſi aſſidua pluuia, vel aqua organis hauſta rigentur: contrà quæ locis frigidis, ſe ſuſtinere non poſſunt. In locis vmbroſis parum vtilitatis excipimus: vnde temperatum cœlum, vel calidum expoſcunt, vt omni tempore conualeſcant. Humidis locis æſtate valent, hyeme laborant, ſiccis hyeme valent, æſtate peruruntur. Terram emendare poſſumus, cœlum nullo modo permutare, ob id circa cœli electionem laborandum.

Quòd horti locus oportet sit irriguus. CAP. IIII.

QVOD maximè refert in horti electione est, vt locus sit irriguus, qui adueniente riuo, dicit Columella, vel si non sit fluens aqua, fonte puteali possit irrigari. Sed vt certam perennitatis puteus habeat fidem, tum demum effodiendus est, quum sol vltimas partes virginis obtinebit, id est, mense Septembri ante æquinoctium autumnale, siquidem tum maximè explorantur vires fontium, quum ex longa siccitate æstatis, terra caret humore pluuiali. In suis verò carminibus,

Vicini quoque sint amnes, quos incola durus
Attrahat auxilio semper sitientibus hortis,
Aut fons illachrymet putei non sede profunda,
Ne grauis hausturis tendentibus ilia vellat.

A quo Plinius, Hortos riguos maximè habendos, si contingat profluo amne, si minus è puteo pertica, organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos. Palladius. Felix politio est, cui leniter inclinata planities cursu aquæ fluentis per spatia discreta deriuat. Si fons desit, aut imprimendus est puteus, aut si nequeas hoc, piscina superius construenda est, vt illinc aquas pluuia conferente, hortus per æstiuos rigetur ardores. Si hac omni facultate carueris, semper altius tribus, vel quatuor pedibus ad pastini similitudinem fodies hortulum, qui sic cultus negligat siccitates. Sed Vindanionius locis aqua carentibus hortum tali artificio construit. Spatium terræ ad hortum electum, pedali, vel cubitali profunditate defodit, & ablata terra, tegulas in effossum locum substernit, coniicit pinguem terram supra. Alii pro tegulis pauimentum tectorio opere inducunt, complanantque, tum terram supra, & stercus superiniiciunt: ambiatur etiam muris locus, vt nequaquam aqua ad rigandum affusa foras diffundi possit, deinde serunt, hyeme pluuiali aqua contenti, æstate rigantes, neque enim æstate indigent humore, quum hyberna humiditas loco conseruetur, ne in vicinos locos delabatur. Alii duos faciunt hortos, hyemalem, qui ex pluuiis opem sentit, alterum æstiuum in loco vmbroso, ad Arctum verso. Theophrastus narrat olera omnia aquam diligere. Aquarum optimæ, quæ dulces, & frigidæ sunt, pessimæ quæ salsæ, & rarefactu difficiles notantur. Omnium optimæ, quas Iuppiter dederit: his enim animalia noxia interimi creduntur. Salsæ aquæ vitandæ sunt, quia deterius nutrire terrenas plantas queunt, quàm dulces, adurunt enim, augerique prohibent. Quibusdam priuatæ naturæ oleribus, priuata alimenta exhibere par est, salsisq; humoribus iuuantur, vt brassica, beta, ruta, eruca, quæ si salsis aquis rigentur, meliora euadunt. Sed aquæ potabiles frigidæ idoneæ sunt, & haud exiguas sibi partes vendicant ad alimenta, & incrementa olerum, percoquunt enim propter caloris circumobsistentiam, & propter radicum refrigerationem: ob id olera his aquis rigata, meliora euadunt. Ex cœlestibus no-

cturnæ,

& ternæ, & aquiloniæ præstant, & ob eandem causam caldæ diffundunt, & humefaciunt, & insitum calorem debilitant. Aquarum mixtura vtilis est, quum altera dura, & incocta, altera mollis & placida, vel si terrenam misturam secum ferant, vt in turbulentis, stercorosisq; humoribus. Aquæ contumacia iniecto lino emollitur, & putealis tenuitatem admiscens scatebris lutulentis. Rigandi hora vel matutina, vel vespertina, ne aqua feruescens sole officiat. A quo Plinius. Peculiaris medicina raphano (brassicam intelligit) betæ, rutæ, cunilæ, in salsis aquis, & alioqui plurimum suauitati, & fertilitati conferunt, cæteris dulcium aquarũ rigua prosunt. Vtilissimè ex iis quæ frigidissimæ, & quæ potu suauissimæ. Minus vtiles è stagno, & quas elices inducunt, quoniam herbarum semina inuehunt. Præcipuè tamen imbres alunt: nam & bestiolæ innascentes necantur. His horæ rigandi matutina, atq; vespera, ne inferuescat aqua sole. Apud nos si non est altius attollenda aqua, tympanis olitores vtuntur, hæc enim per aperturas hauriunt aquas in ambitu, redduntq; eas per columbaria secundum axem. Si verò altius attollendæ sint, rotę ambitu affiguntur modioli, vt pleni aqua, & in sublime elati, reddant aquas in castellum. Sed hoc frequentius organo vtimur. Inuoluitur spartea funis circa rotæ circumferentiam, demissaque ad imum putei collocantur in ea situlæ ligneæ congiales pendentes, vt rotæ versatione attollantur in summũ situlæ, quæ denuo cogentur inuerti, & infundere in castellum aquam quam extulerant. Id interdiu faciunt quum solis feruore cessant ab opere. Vesperi verò ostiolum reserant sub castello, quo reserato subiectus canalis excipit aquam ex castello effluentem, vt circa hortum excernat. Alii deinde canaliculi excipiunt, & in areas impartiuntur ordine collocati, tota nocte residente in areolis aqua.

De fimo oleribus idoneo. CAP. V.

OLERA omnia aquam, fimumq; concupiscere Theophrastus scripsit, & magis quæ infirmiora sunt, quum maiori, copiosioriq; alimento indigeant: Hyberna magis, quàm æstiua, ruta excepta, quæ fimi aspernatrix est. Fimum stipularium maximè laudat, iumentorum vitiosum putat, quod maximè inarescat. Fimum vnà cum satu intermistum potissimum disponunt. Quidam inter serendum superiaciunt, & stercore humano inconcocto ad succum probè conficiendum vtũtur. Oleribus paratur succus simul à fimo, & ab aqua, quum multum humoris ab eis appetatur: volunt enim foliorum vsum præbere, non fructum, quum folia tam elaborato succo non egeant, vt fructus. Græci: primum stercus oleribus optimum, cinis tenuissimus, & natura calidus, occidit enim pulices, & vermes, & eiusmodi bestiolas. Secundum columbinum, quod ipsum itidem bestias necare possit. Quidam columbino asininum præferunt, quod olera dulciora reddat. Optimum caprinum eadem pręstare valens. Sed in carentiis alia etiam stercora, sed nõ recentia, in vsum venire possunt, recentia bestias gignũt: sint saltim annua, & ligonibus pertractata.

Ex his Fronto maximam iniuriam olitori fieri posse scribit, si anserinum stercus muria dissolutum, oleribus aspergatur. Columella optimum stercus asini ad hortorum vsum esse dicit, quia minimum herbarum creat, proximum vel armenti, vel ouium, si sit anno maceratum: nam quod homines faciunt, quamuis habeatur excellentissimum, non tamen necesse est adhibere, nisi aut nudæ glareæ, aut sine vllo robore solutissimæ arenæ, quum maior scilicet vis alimenti desideretur. In carminibus tempus præsignat,

Post vbi Ryphea torpentia frigora brumæ
Candidus aprica Zephyrus relegauerit aura;
Sydereoq; polo cedet lyra mersa profundo,
Veris & aduentum nidis cantarit hirundo:
Rudere tum pingui, solido, vel stercore aselli,
Armentiue fimo saturet ieiunia terræ,
Ipse ferens olitor diductos pondere qualos.
Pabula nec pigeat fesso præbere nouali,
Immundis, quæcunque vomit latrina, cloacis.

Pastinandi tempus, cultus, & seminum ortus. CAP. VI.

ORDINANDI, pastinandique tempora duo dicit Columella, quoniam duæ quoq; sunt olerum sationes: nam & autumno, & vere plurima seruntur, melius tamen vere riguis locis, quoniam & nascentis anni clementia excipit prodeuntia semina, & sitis æstatis restinguitur fontibus. Curabimus vt ager, quem vere conseri oportet, autumno circa calendas Nouembris pastinetur. Quem deinde velimus autumno instituere, mense Maio conuertemus, vt aut hyemis frigoribus, aut æstiuis solibus, & gleba soluatur, & radices herbarum necentur, nec multo ante stercorare debebimus, & quum sationis appropinquabit tempus, ante quintum diem exherbandus erit locus, stercorandusq;, & ita diligenter fossione iterandus, vt fimo terra commisceatur. Igitur solum, quod conserere vere destinauerimus, post autumnum patiemur effossum iacere brumæ frigoribus, & pruinis inurendum. Quippe è contrario sicut calor æstatis, ita vis frigoris excoquit terram, fermentatamq; resoluit. Palladius ab eo: Serendi tempora, licet per menses certa signemus, tamen secundum loci, & cœli naturam vnusquisq; custodiat. Frigidis locis autumno satio celerior fiat, verna verò tardior. Calidis autem regionibus & autumnalis serior fieri potest, & verna maturior. Quæcunq; serenda sunt, quum Luna crescit, seminentur: quæ secanda sunt, vel legenda, quum minuitur. Sementes hortensium, Theophrastus inquit, quibus seri singula solent, tres certè notantur. Vna hyberna, altera æstiua, tertia quæ inter eas cadit post hybernũ solstitium, quas ita appellant, non ratione satus, sed ortus, vsusq;. Satus enim in cõtrariis fermè temporibus consistit. Prima mense Iulio post æstiuum solstitium, quo brassicam, radiculam, rapam, & quæ sementis posteram vocant, vt betam, lactucam,

cam, erucam, ſinapi, coriannum, anethum, & naſturtium ſerere ſolent. Secunda poſt brumam menſe Ianuario, qua ſeminant, defiguntq; porrum, apium, gethyum, & atriplicem. Tertia, quam æſtiuam appellant menſe Martio, qua cucumis, cucurbita, blitum, ocimum, portulaca, ſatureia ſeruntur. Sed proſequamur varias earum generationes, ex eodem: & primò alia ſemine, alia ab radice, auulſione, & ramo oriuntur. E ſemine maximè generalis eſt omnium generatio. E radice allium, cæpa, bulbus, & capitata omnia. Sed oportet quæ ſeruari ad ſationem debent, vt earum interna humiditas pinguior ſit: nam ſi eſt aquoſa, diſſoluitur, altera, vt tunicis muniatur, quarum præſidio intus humor cohibeatur, ne exhalet: nam quæ tenui cortice ſunt, rugantur cito, abit enim pars tenuis. Exemplum rapi, & raphani, ſed bulbus & ſcilla quum munimentum aliud à natura comparatum habeant, ſcilicet tunicas plures, & lentorem, diutius viuunt. Braſſica auulſione naſcitur, ruta, ſiſymbrium, ſerpillumq;. Hæ nanq; deciſæ, & depactæ radices fundunt, adoleſcuntque. Sed ocimum, & amaracum à ſummo reciſa panguntur, & ſi exuctioris naturæ ſunt, germina fundunt, cultumq; ſuſcipiunt, vt diu incolumia perennent. Omnia tranſlata meliora, grandioraq; fiunt: porrorum enim, radicumque magnitudo ex tranſlatione. Omnia auctu faciliora, grandioraq; veniunt ſeminibus depoſitis, quàm fuſim ſatis. Caule reciſo omnia regerminant, exceptis quæ ἀπόκαυλα dicuntur. Sed euidentiſſima & vſitata, ocimum, lactuca, & braſſica. Lactucæ quidem regerminatos caules ſuauiores affirmant, primos eſſe lactuoſos, atq; amaros, vtpote minus concoctos, alii è contrario volunt, ſecundos ſcilicet lacte refertiores conſtare, ſed dulciores ſentiri, quandiu teneri ſunt. In braſſica ſuauiores regerminatos caules omnibus conſtat. Radix & rapa ſi terra cooperiantur, vſq; ad æſtatem durant, & creſcunt, quod olitores de induſtria faciunt, non enim regerminant, nec folia promunt, niſi aggeſtam humum eieceris, quod etiam in reliquis deprehendi facilè poteſt. Ab eo Plinius. Naſcuntur omnia aut ſemine, aut auulſione. Quædam ſemine, & ſurculo, vt ruta, origanum, ocimum: præcidunt enim & hoc quum peruenit ad palmum altitudinis. Quædam & radice & ſemine, vt cæpa, allium, bulbi. Eorum verò quæ à radice naſcuntur, radix & diuturna, & fruticoſa eſt, vt bulbi, gethyi, ſcillæ. Fruticant alia & non capite, vt apium, beta. Caule reciſo ferè quidem omnia regerminant, exceptis quæ non ſcabrum caulem habent. Et in vſum verò ocimum, raphanus, lactuca. Hanc enim ſuauiorem putant à regerminatione. Raphanus vtiq; iucundior detractis foliis, antequam decauleſcat: hoc & in rapis. Nam & eadem direptis foliis cooperta terra creſcũt, durantq; in ęſtate. Vtiq; meliora naſcuntur aceruatim ſato ſemine, quàm ſparſo.

De hortorum remediis contra cœli noxas. CAP. VII.

NVNC afferamus remedia hortorum, ab antiquis rei agricolationis authoribus deſcripta. Sed quia circa duo videntur verſari, & contra cœli

noxas, & contra innascentium animalium iniurias, indicabimus primò quomodo à cœli noxis tueantur. Grandini obuiam iri credidit Philostratus, si quis speculum incumbenti nubi ostendat. Vel si hyænæ, crocodili, aut phocæ pellem loco circumducas, eandemq; præ foribus domus suspendas. Vel si claues multarum ædium per circulum regionis funiculis illigaueris. Vel si in domibus tauros statues ligneos. Vel si palustrem testudinem dextra manu supinam posueris, modica terra circum eam aggesta, vt se nequeat vertere, & abire. Sunt qui dicant hora sexta diei, vel noctis circumgestationem testudinis fieri oportere, & depositionem. Vel hippopotami pellis tegmina ad singulos horti terminos posita. Quæ valdè indecora opinor, vitanda, & non credenda, sed adscripsi, ne quid videar eorum prætermisisse, quæ veteres prodiderunt. Palladius contra grandinem etiam multa scribit. Panno roseo mola cooperitur. Item cruentæ secures contra cœlum minaciter leuantur. Item horti spatium alba vite præcingitur. Vel noctua pennis patentibus extensa suffigitur. Vel ferramenta, quibus operandum est, sepo vnguntur vt sino. Grandini creditur obuiare, si quis crocodili pellē, vel hyænæ, vel marini vituli per spatia possessionis circumferat, & in villæ, aut cortis suspendat ingressu, quum malum viderit imminere. Item si palustrem testudinem dextra manu supinam ferens vineas perambulet, & reuersus eodem modo sic illam ponat in terra, & glebas dorsi eius obiiciat curuaturæ, ne possit inuerti, sed supina permaneat. Hoc facto fertur spatium sic defensum nubes inimica transcurrere. Nonnulli vbi instare malum viderint, oblato speculo imaginem nubis accipiunt, & hoc remedio nubem (seu vt sibi obiecta displiceat, seu tanquam geminata alteri cedat) auertunt. Item vituli marini pellis in medio vinearum loco vni superiecta viticulæ, creditur contra imminens malum totius vineę membra vestisse. Contra rubiginem hæc docentur à Columella in suis carminibus.

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.
Vtq; Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes percinxit vitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres suspendit, & altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.

Anatolius, Omnia semina tum hortensia, tum arualia ab omni bestia & integra, & illæsa conseruabis, si ipsa in succo cucumeris syluestris præmacerata seminaueris. Incorrota autem manent olera in testudinis testam conseminata. Floribus euadet hortus, si loto tusa, & in aquam coniecta eum resperseris, aut fœnogræco in aqua trito sulcos irroraueris, aut asini caluariam in medium hortum deposueris. Palladius. Omnia semina horti, vel agri ferun-

tur

tur ab omnibus malis, ac monstris tuta seruari, si agrestis cucumeris tritis radicibus antè macerentur. Item equæ caluaria, sed non virginis, intra hortum ponenda est, vel etiam asinæ. Creduntur enim ea fœcundare sua præsentia, quæ spectant. Philostratus etiam hippopotami pellem intra regionem defodit, ne eò loci fulmen cadat.

Remedia contra bestiolas horto innascentes. CAP. VIII.

NVNC ad bestiolas hortis noxias noster se conuertat sermo, & primò ab erucis incipiemus: maxima & vniuersalis olerum lues. Theophrastus brassicis innasci erucas dixit, quas humor collectus interimit, & fimus aceruatim iniectus. Anatolius Græcus ad eas fugandas hæc docet. Vitigineum cinerem triduo macerato aqua, inde olera aspergito. Vel bitumine & sulphure ea suffumigato. Vel olerum semina ficulnei cineris lixiuio macerato, & serito. Vel vrina & amurca ex æquo mistis, vel alterius horti erucis exceptis, & aqua cum anetho coctis, & refrigeratis hortos irrorato. Vel menstruata mulier discalceata, crinibus passis, palliolo induta, nullo circa pudenda perizomate, hortum circumiens per medium egrediatur. Vel fungos sub nucis arbore nascentes suffumigato. Quin & vespertilionis stercore, & allii lignis suffitis, vt vapor per hortum dispergatur, erucæ necabuntur. Columella. Vbi verò apricis regionibus post pluuias noxia incesserunt animalia, quæ à nobis appellantur erucæ, Græcè autem κάμπαι, vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti. Sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non amplius in superiorem partem prorepunt. Id autem superuacuum est facere, si ante sationem semina, vt iam prædixi, succo herbæ sedi macerata sunt. Nihil enim sic medicatis nocent erucæ. Sed Democritus in eo libro, qui Græcè inscribitur περὶ ἀντιπαθῶν, affirmat has ipsas bestiolas enecari, si mulier, quæ in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede vnamquamq; aream ter circumeat, post hoc enim decidere omnes vermiculos, & ita emori. In suis verò carminibus elegantissimè eadem docet,

Sed ne dira nouas segetes animalia carpant,
Profuit interdum medicantem semina pingui
Palladia sine fruge salis conspergere amurca,
Innatáve laris nigra satiare fauilla.
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubii, multoq; sedi contingere succo.
At si nulla valet medicina repellere pestem,
Dardaniæ veniant artes, nudataq; plantas
Fœmina, quæ iustis tum demum operata iuuentæ
Legibus obscœno manat pudibunda cruore,
Sed resoluta sinus, resoluto mœsta capillo,
Ter circum areolas, & sepem ducitur horti.

Quæ quum lustrauit gradiens (mirabile visu)
Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus
Vel tereti mali, vel tecta cortice glandis,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Plinius. Raphano (brassicæ) innascuntur erucæ. Naporum medicina est, siliquas vnà seri, sicut olerum cicer, arcet enim erucas. Quo si omisso iam natæ sint, remedium absinthii succus decocti inspersus, & sedi, quam aizoum vocant. Semen olerum si succo eius madefactum seratur, olera nulli animalium obnoxia futura tradunt. In totum enim nec erucas, si palo imponantur in hortis ossa capitis ex equino genere fœminæ duntaxat. Aduersus erucas & cancrum fluuiatilem in medio horto suspensum auxiliari narrant. Sunt qui sanguineis virgis tangãt ea, quæ volunt his obnoxia esse. Palladius ex his. Contra erucas semina, quæ spargenda sunt, semperuiuæ succo madefiant, vel erucarum sanguine. Cicer intra olera propter multa portenta serendum est. Aliqui cinerem de fico super erucas spargunt. Item squillam, vel in horto serunt, vel certe suspendunt. Aliqui mulierem menstruantem, nusquam cinctam, solutis capillis, nudis pedibus contra erucas, & cætera hortum faciunt circumire. Aliqui fluuiales cancros pluribus locis intra hortum clauis figunt. Campas fertur euincere, qui fusticulos allii sine capitibus per horti omne spatiũ comburens nidorem locis pluribus excitarit. Vel si ablatas de horto vicino campas excoquas aqua, & per horti tui spatia vniuersa diffundas. Campas nonnulli ficulneo cinere prosequuntur: si permanserint, vrina bubula, & amurca æqualiter mista conferueant, & vbi refrixerint, olera omnia hoc imbre consperge. Contra pulices radicibus, Theophrastus docet remedium, ne noceant, interserere eruum. Sed ne nascantur, nullum remedium repertum est. Anatolius. Olera à pulicibus non corrodentur, si seminibus ipsorum parum erui in seminando ammiscueris. Hoc rapis, & raphanis maximè conuenit. Alii erucam simul serunt, vel plantant, & præsertim cum brassicis. Hæc nanque à pulicibus infestantur. Omnia hortensia semina, & arualia ab omni bestia illæsa seruabis, si ipsa in succo syluestris cucumeris præmacerata seminaueris. Incorrosa manent olera in testudinis testam conseminata. Palladius. Acre acetum succo iusquiami mistum fertur olerum pulices necare, si spargas. Vel amurca per pauimentum frequenter aspersa, vel cimino agresti cum aqua trito. Vel si cucumeris agrestis semen aqua resolutum sæpè infundas, vel aquam lupinorũ psilotri austeritatibus iunctã. Contra culices hæc habet Columella. Qui æstate seret, caueat, ne propter siccitates culex adhuc terrena folia prorepentia, consumat. Id quoq; vt vitetur, puluis etiam, qui supra cameram inuenitur, vel etiam fuligo, quæ supra focos tectis inhæret, colligi debet, deinde pridie, quàm satio fiat, commisceri cum seminibus, & aqua conspergi, vt tota nocte succum trahant: nam sic macerata postero die rectè seruntur. Palladius. Culices galbano infuso fugantur, aut sulphure. Contra culices, vel

amurcam

amurcam recentem, vel ex cameris fuliginem ſpargimus. Infeſtant & culices hortos riguos præcipuè, ſi ſint arbuſculæ aliquæ. Hi galbano accenſo fugantur. Git culices ſuffitu necat. Fumus crematorum lupinorum culices necat, ſic mali punici fumus. Naſcuntur lactucis, & porris, aliiſq; pluribus porricidæ appellatæ, ex Theophraſto. Has humor collectus interimit, & fimus aceruatim iniectus. Induſtria enim beſtiola condens ſeſe, vt in ſtramento quieſcit in ſtercore. Quamobrem venari facile eſt, aliter nulla venandi datur facultas. Diophanes vt blattæ necentur, hæc affert experimenta. Ventriculum ouillum recentem, ſtercore plenum, illotumq; defodito in ſuperficie, inuenies enim ipſum praſocurridibus refertum. Si iterum idem feceris, omnes congregabis, & ſic apprehenſas perdes. Eſt enim ſtercoris amans animalculum, ſemperq; in ipſo degẽs, hoc modo facile capitur. Palladius, πρασοκουρίδας Græci vocant animalia, quæ ſolent hortis nocere: ergo ventriculum veruecis ſtatim occiſi plenum ſordibus ſuis, ſpatio, quo abundant, leuiter debebis operire. Poſt biduum reperies ibi animalia ipſa congeſta. Hoc quum bis vel tertio feceris genus omne quod nocebit, extingues. Plinius ex Theophraſto. Beſtiolarum quoq; genera innaſcuntur raphano, erucæ, & vermiculi. Porro verò priuatim animalia, quæ facillimè ſtercore iniecto capiuntur, condentia in id ſe. Contra formicas Diophanes his vtitur. Si formicas captas vſſeris, reliquas fugabis, quæ res experimento conſtat. E cauernis ſuis expelles, ſi cochlearum tegmina cum ſtyrace vſſeris, & contuſas in agmen ipſarum conſperſeris. Similiter origano & ſulphure tritis, & circum aceruos ipſarum aſperſis. Penitus intereunt, ſi ſuccum cyrenaicum oleo diſſolutum ipſis affuderis. Vel radice ſylueſtris cucumeris ſuffumigata, aut ſiluro maxime Alexandrino ſuffito ad lentum rogum. Vna formica ſublata, aliæ vltro relinquent latebram. Quod ſi formicæ exurantur, aliæ odore ipſarum diffugient. Palladius ab eo: Contra formicas, ſi in horto habent foramen, cor noctuæ admoueamus, ſi foris veniunt, omne horti ſpatium, cinere, aut cretæ candore, ſignemus. Formicas abiges, ſi origano & ſulphure tritis foramen aſperges. Hoc & apibus nocet. Item cochlearum vacuas teſtas ſi vſſeris, & eo cinere foramen inculces. Sabinus Tyro in libro Cepuricon, quem Mæcenati dicauit, Plinio referente, contra formicas, non minimum hortorum exitium, ſi non ſint rigui, remedium monſtrauit, limum marinum, aut cinerem, obturandis earum foraminibus, ſed efficaciſſimè heliotropio herba necantur. Quidam & aquam dilutam latere crudo inimicam eis putant. Multa quidem veteribus prodita ſunt arcendis locuſtis, verùm ſelecta, expeditioraq; ex Democrito deſcribemus. Si locuſtarum nebula accedat, omnes intus maneant inconſpicui, & deliteſcentes, & præteribunt regionem. Si verò antequam hoc ſit obſeruatum, derepente inſtiterint, nihil omnino contingent, ſi lupinis amaris aut cucumeribus ſylueſtribus in muria feruefactis conſpergantur, nam è veſtigio moriuntur. Similiter præteribunt regionem, ſi captas veſpertiliones ex ſublimibus regionis

arboribus suspenderis. Si autem captas locustas vsseris, ab odore vertigine afficientur, & partim moriuntur, partim demissis alis venatorem expectant, & à sole corrũpuntur. Fugabis locustas, si confecto ex ipsis garo, scrobes effoderis, eosq; garo resperseris, antequam pręteribit dies, si accesseris reperies ipsas in scrobibus somno oppressas, vt facilè perimas. Nihil omnino continget locustæ ex eis, quæ absinthio, aut porro, aut centaurea, aqua tritis resperseris. Palladius ex eo, Opinio Gręcorum est, si nubes locustarum repente surrexerint, latentibus intra tecta cunctis hominibus eam posse transire, quod si inobseruantes homines sub aëre deprehendant, nulli fructuum noceri, si continuò omnes ad tecta confugiunt. Pelli etiam dicuntur, amari lupini vel agrestis cucumeris aqua decocta, si muriæ mista fundatur. Existimant aliqui locustas fugari posse, si aliquæ ex eis vrantur in medio. Nunc autem contra quadrupedes grandioraque animalia remedia ex Græcis scribemus, quæ horto noxam inferre possunt. Contra rurales mures admonet Apuleius bubulo felle semina illinere, vt ipsa non contingant mures. Melius autem diebus canicularibus cicutæ semen cum veratro, & polenta: aut syluestris cucumeris, aut hyoscyami, aut amygdalarum amararum, & veratri nigri pares portiones contusas polentæ miscere, & oleo subigere, & cauernis murium apponere: nam his degustatis moriuntur. In Bithynia rhododaphnes folia in foramina obdunt, quo mures prodire gestientes, illa dentibus contingant: ex contactu enim necantur. Palladius ab eo. Apuleius aduersus agrestes mures afferit semina bubulo felle maceranda, antequam spargas. Nonnulli rhododaphnis foliis aditus eorum claudunt, qui rosis his, dum in exitu nituntur, intereunt. Mures verò, qui hortis, & domibus oberrant, Paxamo authore, ita necabis: Veratro cum polenta obiecto, vel syluestris cucumeris semine cum veratro nigro, & colocynthide, & polenta: vel suffitu calcanthi, origani, apii seminis, & nigellæ. Si quercinum cinerem cauernę apposueris, incinerati scabie infestantur, intereuntq;. Ferri scobe fermento admista degustata moriuntur. Si excęcare libeat, tithymalum contusam cum polenta ac mulso mistam appone: nam vbi ederint, obcæcabuntur. Idem describunt Anatolius, & Tarentinus. Rubi radice cum butyro, pane, & caseo mista, gustata pereunt. Quidam veratrum album, & cynocrambes corticem tusum cribratumq; cum polentis, & ouis, & lacte in massam redigunt, eamq; cauernis ipsorum immittunt. Hæmatitę lapidis, & viridis myricę suffitu fugantur. Anatolius, & Didymus in peluim æream amurcam infundere iubent, noctuq; media domo reponere, & ibi congregabuntur. Palladius ab eis. Mures si amurcam spissam patinæ infuderis, & in domo nocte posueris, adhærebunt. Item necabuntur si helleboro nigro caseum, vel panes, vel adipes, vel polentam permisceas, & offeras. Et agrestis cucumeris, & colocyntidis suffusio sic nocebit. Mures rusticos si querneo cinere aditus eorum satures, attactu frequenti scabies occupabit, ac perimet. Talpas sic perdit Sotion. Veratrum album, & cynocrambes corticẽ con-

tum-

tundito, cribrato, & cum polenta & ouis, in vino & lacte rigato, & subacta, in massas cogito, & ipsarum cauernis immittito. Vel vas angustum capito, & in ipsum paleas, cedriam, & sulphur iniicito, & os in cauernam, vbi habitat talpa accõmodato, & alia foramina obtura, ne fumus egrediatur, quo facto insufflato, & fumus talpas omnes suffocabit, idem facito in aliis, & omnes disperdes. Palladius ab eo. Talpas Græci hoc genere persequuntur. Nucem perforari iubent, vel aliquod pomi genus soliditatis eiusdem. Ibi paleas & ceram cum sulphure sufficienter includi, tunc omnes paruulos aditus, & reliqua spiramenta talparum diligenter obstrui, vnum foramen, quod amplum sit, reseruari, in cuius aditu nucem intus incensam sic poni, vt ab vna parte flatus possit accipere, quos ab alia parte diffundat. Sic impletis fumo cuniculis, talpas vel fugere protinus, vel necari. Contra mustelas Didymus vtitur sale ammoniaco, & frumento simul commacerato, eisq; iuxta locum, vbi frequenter discurrunt, disseminatis: nam aut his comestis morientur aut fugabuntur. Vel vna capta ex eis, caudam, aut testiculos amputato, viuentemq; dimittito, de cætero non amplius ipsas repertum iri in ea regione. Florentinus serpentes fugare docet, si laseris succum, nigellam, & galbanum, cerui cornu, hyssopum, sulphur, pyrethrum, peucedanum, & vngulas caprarum miscueris, triueris, aceto affuderis, & factis pilulis fumum excitaueris. Nec in regione erunt, si absinthium, artemisiam, aut abrotonum circa prædium, aut villam plantaueris. Abiguntur etiam suffitu radicis lilii. Tarentinus ait, oblitum succo herbæ draconteæ serpentem non accedere, neq; oblitos succo seminis raphani, & si gustauerint tantum nulla iniuria affici. Non accedit serpens vbi iacet cerui adeps, centaureæ radix, gagates lapis, aut dictamnum herba, aut aquilæ, aut milui stercus; eadem cum styrace suffita reptilia abigunt. Tribulum herbam aqua terito, & ipsum cauernæ indito, & fugabis ipsos. Si dolia à salsamentis inueterata circum prædium defodiantur, omne reptile in ipsa illabetur, tu extra fines exures. Palladius ab eo. Serpentes propè omni austeritate fugantur, & nocentes spiritus innocentia fumi graueolentis exagitat. Vramus galbanum, vel cerui cornua, radices lilii, capræ vngulas, hoc genere monstra noxia prohibentur. Democritusq; asserit, neq; arboribus, neq; satis quibuslibet noceri posse à quibuscunque bestiis, si fluuiatiles cancros plurimos, vel marinos, quos Græci παγύρους nominant, non minus quàm decem fictili vasculo in aqua missos tegas, & sub dio statuas, vt decem diebus sole vaporentur. Postea quæcunque volueris illæsa esse, ea aqua perfundas, & octonis diebus peractis hoc repetas, donec solidè quæ optaueris adolescant.

De herbis acetariis dictis, & primò de Lactuca. CAP. IX.

SED ad olerum historias transeundum, ex quibus aliqua sunt, quæ coqui exigunt, Theophrasto authore, vt caulis, beta, rumex: alia quæ cruda manduntur, & sale, oleo, & aceto condiuntur, cœnæq; initio apponuntur; ab ali-

quibus acetarias herbas dictas audio: nam ad cibi appetentiam concitandam, herbis, radicibus, sale, oleo, & aceto guttatim instillato antiquos vsos fuisse, testis est Plinius, de portulaca loquens. Stomachum, inquit, in acetariis sumpta corroborat. Etsi suos hortos prisci acetaria vocabant, non ab aceto, vt quidam rati, sed ab accipiendo, quasi acceptaria, vt diximus. Nos acetaria olera vocabimus, quæ aceto, & oleo condita, cruda mandere solemus, & ab his incipiemus, & primo à lactuca, omnium optima, quæ in acetariis paratur. Galenus cæteris oleribus præferri ait, nec vllum quidem melioris succi inueniri, explodendamq; eorum censet opinionem, qui vitio vertunt, quod in huius oleris laudem cedere debeat, quum copiosum gignat sanguinem, nec improbum. Manditur cruda & cocta, garo, oleo, & aceto condita. Plinius. Est quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æstate gratæ, stomacho fastidium auferunt, cibiq; appetentiam faciunt. Diuus certè Augustus lactuca conseruatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ Medici, quum priores cauerent. Religione nunc omni caret, in tantum recepta commendatione, vt seruari etiam in alienos menses eas oximelite repertum sit. Sanguinem quoq; augere creditur. Ob id Columella in suo hortulo,

Iamq; salutari properet lactuca sapore,
Tristia quæ releuat longi fastidia morbi.

Columella ita condit. Lactucæ caules ab imo depurgatos vsq; ad tenera folia in alueo salire oportet, diemq; & noctem finere, dum muriam remittant, deinde muria eluere, expressosq; cratibus pandere, dum assiccescant, tum substernere anethum aridum, fœniculum, rutæ aliquid & porri concidere, & miscere, tum siccatos coliculos ita componere, vt faseoli virides integri interponantur, quos antea die, ac nocte muria macerare oportebit, & assiccatos cum fasciculis lactucarum condi, & superfundi ius, quod sit aceti duarum partium atque vnius muriæ, deinde arido spissamento fœniculi sic comprimi, vt ius supernatet, & sæpe ius suffundere nec pati sitire salgama. Platina & alio modo condit. Prohibet & lactuca ebrietatem, ob id succurrit ex historia vetustatis admiratio, siquidem ad eandem auertendam institutum, vt lactucis non cœnæ procemio vescerentur, sicut ad conciliandam appetentiam nostra tempestate faciunt omnes, sed in fine, quoniam insita frigiditate retundat ebrietatem, quod ex Athenæo patet tertio libro, & ex Martialis disticho:

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Lactucis quoq; continue vescentes hebetiores in venerem fiunt. Nicander Colophonius memoriæ scriptum reliquit, Adonidem Myrrhæ filium, quum lactucam deuorasset, ab apro fuisse interemptum. Addidit Callimachus, Venerem eum sub lactuca condidisse. Quibus verborum inuolucris innuunt Poëtæ eorum concubitus elanguescere, pigerrimosq; in coitum fieri, qui hoc olere continuò vescantur. Quare Eubolus graui conuitio coniugem

incesse-

incessebat, quæ mensis lactucam obtulisset, simul quòd hac emarcescit coëundi facultas, simul quòd emortuum Adonim sub hac abdidisse fertur Venus, ideoq; feralibus epulis dicata, quare priores ob religionem minimè commanducabant. Illud adiicit Cratinus Phaona inter lactucas absconditum pulchras ab amante Venere. Tantus fuit lactucis honos, vt cognomina procerum inde nata videamus, Lactucinosq; in Valeria familia non puduisse appellari, ex Plinio.

Nomina.

Ob varias eius vtilitates, vsusq; multa obtinuit lactuca nomina apud Græcos. Theophrasto θρίδαξ, & θριδακίνη dicitur, παρὰ τὰ θρία fortasse, quòd folio ficulneo foret, vtpote lactis non experte. Athenæus Atticis sic dici testatur. Nicander Colophonius libro secundo de linguis lactucam asserit apud Cyprios Brenthin appellari. Pamphilus ab Hipponacte θριδακίνην dici. Clitarchus apud Phrygios sic etiam nominari. Ibicus Pythagoricus lactucam caule viduam εὐνοῦχον dici, quasi spadoniam, & à mulieribus ἀστυλίδα. Latinis lactuca dicitur. Palladius ita dici asserit, quod lactis abundãtia exhuberet. Apuleius quod lactis copiam mulieribus commanducata augeat. Italis *lattuca*.

Genera.

Lactucæ complura discrimina, nos primo in syluestrem, & satiuam, vt Græci pariter & Latini, diducimus. Syluestris, Theophrasto authore, folio pusillo, & vbi consummatum est, aculeato, caule breuiori, candidioreque satiuo, lacte copioso, açri, medicatoq;, quod carpitur per messes, radice breuiori, & supernè multicaulior, quàm satiua, sponte nascens in aruis. Ab eo Dioscorides: Syluestris lactuca satiuæ similis est, sed longior caulis, & candidiora folia, graciliora, & asperiora, amaro gustu, & lacteo succo. Tandem syluestrium notæ, candor caulis, cubitalis magnitudo, thyrso, & foliis scabritia. Hanc syluestrem lactucam circi (accipitris genus) suis nidis propter blattas imponunt. Satiuæ genera tria monstrauere Græci: Theophrasto πλατύκαυλος θριδακίνη, laticaulis lactuca: στρογγυλόκαυλος θριδακίνη, rotundi caulis lactuca, & λακωνική, laconica, cui folium carduo simile, & recta, ampla, & à caule minimè brachiata est. Inter latas adeò quædam laticaules fiunt, vt pro valuis hortorum hisce nonnulli vtantur. A quo Plinius. Lactucæ genera tria fecere. Vnum laticaulis, adeo vt hostilia olitoria ex his factitari prodiderint. Folium his paulo maius herbaceo, & angustissimum, vt alibi consumpto incremento. Alterum rotundi caulis. Tertium sessile, quod laconicon vocant. Athenæus Theophrasti verba transcribens, non scolymi folia habere dicit, sed crispa, recta, quæ facilè crescant, nec repullulent ex thyrso. Latini aliter genera diuiserunt. Plinius. Alii colore, & tempore satus genera discreuere. Esse enim nigras, quarum semen mense Ianuario seratur, albas, quarum Martio, rubentes, quarum Aprili. Diligentiores plura genera faciunt, purpureas, crispas, Cappadocas, Græcas: longiora his folia, caulesq; lati, præterea longi, & angusti, intubis similes. Est etiamnum alia distinctio, atræ, quæ meconis vocatur, à copia lactis soporiferi. Columella complura esse lactucæ genera dicit, quæ suo quoque

tempore seri oportet: earum, quæ fusci & veluti purpurei, aut etiam viridis coloris, & crispi folii, vt cæciliana, mense Ianuario rectè differitur. At cappadocia, quæ pallido & pexo, densoq; folio viret, mense Februario, quæ deinde candida est, & crispissimi folii, vt in prouincia Bætica, finibus Gaditani municipii, mense Martio rectè pangitur. Est & Cyprii generis ex albo rubicunda, leui & tenerrimo folio, quæ in idibus Aprilis commodè disponitur. In suis carminibus:

Altera crebra viret, fusco nitet altera crine,
Vtraq; Cæcilii de nomine dicta Metelli.
Tertia, quæ spisso, sed puro vertice pallet.
Hæc sua Cappadocæ seruat cognomina gentis.
Et mea quam generant Tarthesi littore Gades,
Candida vibrato discrimine, candida thyrso est.
Cypros item Paphio quam pingui nutrit in aruo,
Punicea depexa coma, sed lactea crure est.

Neapoli complura habemus lactucæ genera, sed laticaulis, ex qua olitoria hostiola factitari prodidit Theophrastus, & Plinius folio paulò maiori herbaceo, angustissimo, & alibi consumpto incremento nostris in regionibus non visitur. Laconica Theophrasti folio scolymi, recta, amplaque, nec à caulibus brachiata, quam Athenæus crispam dicit, quæ facilè crescat, nec ex caule repullulet, quamq; Plinius sessilem dicat, Columella viridis coloris, & crispi folii Cæciliam vocat, & quæ Ianuario seratur; apud nos *mortarella* dicitur, & à radicis breuitate, qua innititur, *piede corta* etiam. Denso est folio, ac veluti crispo, sessilis, foliis in orbem conuolutis. Seritur Ianuarii fine, transfertur Martio, secatur Aprili. Id habet peculiare, quod radice tenuis alias lactuculas proferat. De hac etiam Plinius. Rotundam ac minimæ radicis, latis foliis, astylida, quidam eunuchion vocant. Columellæ fusco quæ viret altera crine, fusco ac veluti purpureo, etiam cæcilia dicta, quæ Ianuario seritur. Plinius purpuream dicit, maximæ radicis, ac cæciliam vocari. Apud nos *inconocchiata* dicitur, quæ & si Ianuario seri posset, nos ne quo desit lactuca tempore Augusto hanc serimus, terra pluuiis madefacta, transferimus Decembri, serimus Martio, & irriguis hortis, vbi helice aquas exhaurimus. Iunio serimus, vt transferamus Augusto, secemusque Decembri. Hæc germana iam dictæ videtur, vt vtraque cæcilia dici possit. Cappadoca, pallido, pexo, densoq; virens folio, seritur Februario, nos à Cappadocum corrupto nomine *cappuccia* dicimus, quasi capitatam, propter foliorum glomum conuolutorum, atque in se stipatorum, quasi multæ tunicæ mutuò appressæ essent: insidet humi, sessilis vocata: albo, pexo, densoquefolio viret, pexo scilicet, quod in medio extuberantia quædam habeat, in modum pexi panni, quam *frisatum* vulgò dicimus. Circumuoluuntur folia in globum brassicæ capitatæ modo, vel humanæ capitis instar extuberat. Serimus hanc Augusto, transferimus Decembri,

secamus

fecamus Martio, semine est nigro, frigoribus obstat, semel anno seritur. Bętica verò candida, crispissimi folii, quæ Martio seritur. Videtur hanc Theophrastus nouisse, quum dixerit, Nigrarum candida dulcissima, & tenerrima est. Et Plinius, Et ecce quum maxime cœpit irrepere satiuis admodum probata, quæ cilicia vocatur, folio cappadocæ, nisi crispum, latiusq; esset. Has maximè celebres Neapoli habemus, vulgò dictas *lattuca crespa di S. Girolamo*, quam ex Hispaniis aduectam dicunt. Folio est crispo, & per ambitum laciniato, candidissima, tenerrima, ac omnium dulcissima perhibetur. Seritur toto anno, nō transfertur, nisi vt semen afferat, magnatum cœnis apponitur. Cypria Columellę ex albo rubicunda, leui & tenerrimo folio, quę Aprilis idibus commodè disponitur, quam Plinius rubētem vocat. Hæ Neapoli raro visuntur, foliis vsq; ad admirationem rubicundis, & rubeis maculis distinctis, quam ex Cypro adlatam ferūt. Aliud est apud nos genus satis nobile, quod *maiatico* dicimus, quia Maio eo vescimur. Seritur Ianuario, transfertur Martio, semine nigro, foliis maioribus cæteris, viridioribusq; in oui modum conglobatis, capite patulo, non clauditur. Ligatur vinclis cacumen, sic candidior, & tenerior efficitur, terram adaggerando ad cacumen vsque.

Descriptio. Etsi prætereunda fuisset hortensis, & esculentæ lactucæ descriptio, quum nullum olus frequentius, aut notius eo fuerit, è Theophrasto tamen adducemus. Perfectis foliis caulem profert, primo blandum, processu spinis horridulum. Breui innititur radice, breui tum ea, quæ recta deorsum mittenda est, tum iis, quæ in latus porrigi solent: fibris tantum cohæret, quamobrem vni stirpem maximè dici conuenit. Semen lanugine occulitur. Addimus nos. Caule albicanti, sesquicubitali, recto, lacte turgente, foliato, in summo alis diuiso. In cuius cacumine flores copiosi, pusilli, luteoli, Iunio mense efflorescentes, postmodum in pappos abeuntes, atque subinde semen proferentes, oblongum, in acutum desinens, colore tum albo, tum nigro. Folia quum senescunt amarorem contrahunt.

Cælum. Columella aprico cœli, & calido statu gaudere dixit, & locis quibus aquarum copia est, penè toto anno seri posse. Hyeme non æquè commodè dispergitur. Plinius albas maximè hyemem tolerare. Diocles optimas lactucas in Smyrna nasci scripsit, Athenæo authore. Neapoli toto anno seritur.

Solum. Palladius amare solum subactum, pingue, humidum, & stercoratum lactucas scripsit.

Satio. Semine seri Theophrastus scripsit post æstiuum solstitium, mense Iulio ex prima semente, quarto die à semine erumpit. Columella de eius satione. Quum sex foliorum erit, transferri debet. Locis quidem apricis, & maritimis optimè autumno ponitur, mediterraneis & frigidis contrà, hyeme non æquè commodè dispergitur, sed huius radix fimo liniri debet, maioremq; copiam desiderat aquæ, sicq; fit tenerioris folii. Genera, quæ diximus, suo quoq; tempore seri oportet. Aprico cœli statu (vt diximus)

& vbi aquarum copia est toto penè anno seri potest. Duobus anni temporibus seri potest, autumno, & vere, vel circa calendas Septembris, vel melius ante calendas Martias Februario seruntur. Locis verò siccis, aut tepidis, quales sunt Calabriæ, & Apuliæ maritima, possunt circa idus Ianuarias terræ committi. Plinius. Seruntur lactucæ toto anno lætis, & riguis, stercoratisq;, binis mensibus inter semen, plantamq; & maturitatem. Legitimum tamen à Bruma semen iacere, plantam Fauonio transferre, aut semen Fauonio, plantam æquinoctio verno. Palladius, Mense Ianuario lactuca serenda est, vel Decembri, vt planta eius Februario transferatur. Itemq; Februario seritur, vt possit Aprili mense transferri. Sed certum est eam toto anno bene seri, si locus sit lætus, stercoratus, irriguus. Antequam pangatur, radices eius resecemus æqualiter, & liquido fimo linamus. Vel quæ iam pactæ sunt, nudatæ lætamen accipiant. Inter has herba manu euellenda est, non sarculo. Lætior fit, si rara ponatur.

Art. Sed ad paratum accedamus, videamusq; quomodo teneritudo acquiratur, propter quam olera expetuntur. Theophrastus vsitatissimum esse ait caulium decerptionem, suauioresq; haberi, qui coercitis primis, nouo pullulatu prodierunt. Priores illos lactuosos, & insuaues esse, vtpote minus concoctos, è contrario secundos lacte refertiores constare, suauioresq; sentiri, quandiu teneri. Cuius rationem libro de causis assignat: teneritatem humoris copia, & bona habitudine prouenire: bona enim habitudo propter mollitiem partam ex humiditate: acrimonia enim, & siccitas, & si alia lactuosi humoris qualitas sit, diluitur concoctione, alimentoq;. Validior facta radix caulium attonsione plus attrahit, vnde superioribus suppeditatur, & ex concoctrice facultate non solum mansum, sed præcoctum foliis alimentum ministratur. Palladius: Si vitio loci, vel temporis, vel seminis citò lactuca durescit, planta eius auulsa, & biduo posita teneritudinem consequetur. Aristoxenus Cyrenæus à patria desciscens philosophia, heluo euasit, qui quo deliciis, ac profuso luxui magis indulgeret, natas in hortis lactucas vesperi mulso vino rigabat, eoq; dum satis ebibissent, satiabat potu, vt postridie quum illuxisset, placentas virides à terra missas habere se venditaret, ex Athenæo. Vt sessilis fiat, & quodammodo se in latitudinem diffundat, aliqua sunt antiquorum experimenta. Columella, quo tardius caulem faciat, quum aliquod incrementum lactuca habuerit, exiguam testam media parte accipiat, eo quasi onere coercita, in latitudinem se diffundit. Plinius. Seri etiam radices illitas fimo refert, & repleri ablaqueata humo. Quidam & aliter amplitudinem augent, recisis quum ad semipedem excreuerint, fimoq; suillo recenti illitis. Palladius. Latior fit si rara ponatur, vel quum producere incipiet caulem, eo leniter inciso, gleba ponatur, aut testa. Sessilem fieri, nec caulem promere, sed conuolutis vnà foliis in globum extuberare, vel in orbem circumagi vult Florentinus Græcus, si translatæ radix, vbi ad palmi altitudinem adoleuerit, ablaqueata

bubulo

bubulo fimo recenti oblinatur, & aggere congesto rigetur, dumq; ad incrementum peruenerit, erumpens germen acie ferri præscindatur, demum testa fictilis non picata imponatur, ne in longitudinem, sed latitudinem augmentum capessat. Candidæ etiam ab eodem fieri putantur, si fluminis arena frequenter aspergatur in medias, & collectis ipsæ foliis alligentur. Eadem ab eo Palladius. Candorem verò putat Plinius contingere iis duntaxat, quæ sint seminis albi, si arena de littore à primo incremento congeratur in medias, atq; increscentia folia contra ipsas religentur. Odoratam fieri Florentinus pollicetur, si citrii semen impositum vnà seratur. Sed quomodo vna, eademq; radice, vt lactuca ocimum, apium, eruca, & alia olerum genera diuersa proueniant, Græcus author Didymus ita scriptum reliquit. Caprinum, aut ouilium stercus accipies, & perforabis, & industriè euacuabis, sic antedicta, vel alia eiusdem generis semina, vel quæcunque velis in euacuatam partem impones, & profundè non minus duorum pedum depones, stercore taro substrato, inde tenui terra aggesta, sensim aqua rigabis, & vbi semen enatum fuerit, continuò stercus sparges, & quum in caulem excreuerit, multo plus diligentiæ adhibeto, nasceturq; lactuca prædictis seminibus simul concreta. Alii duobus, tribúsve horum pecorum stercoribus contusis prædicta semina miscent, eaq; linteolo deligata obruunt, & reliquam adhibent diligentiam. Sic multiplici forma, varioq; sapore tibi lactuca comparabitur. A quo Palladius: Item multis seminibus condita nascetur, si caprini stercoris baccam subula subtiliter excauaueris, & in ea semen lactucæ, nasturtii, ocimi, erucæ, radici immiseris, & tunc inuolutam fimo baccam, terra optimè culta breui scrobe demerseris. Raphanus nititur in radicem, cætera semina in summo, lactuca pariter emergẽte prosiliunt, singulorum sapore seruato. Alii hoc ita assequuntur. Auulsæ lactucæ folia carpunt, quæ radicibus iuncta sunt, & in eisdem gradibus surculo punctis, præter raphanum semina supradicta deponunt, ac fimo adliniunt. Sic obruta iterum lactuca prædictorũ seminum caulibus ambietur.

Theophrastus lactucis erucas, & vermiculos innasci dixit, quos humor collectus interimit fimusq; aceruatim iniectus. Stattis apud Athenæum ait blattas esse, quæ lactucas erodant, ob id thridacinedas dictas, quasi lactucarum interfectrices. Plinius ab eo: Nascuntur lactucis vermiculi, & erucæ, hoc amplius limaces, & cochleæ. *Insectar. remedia.*

De intubaceis, & primo de seri. CAP. X.

DE intubaceis, siue cicoreaceis loquemur. Theophrastus intubacea vocat, quæ intubis folio proxima sunt, vt intubus aphaca, andriaula, porcellia, & senecio. Sunt enim intubi, Galeno authore, lactucis facultate proximi, & si suauitate desciscant. Plinius neq. ex eodem genere posse dici, neq; ex alio intubos, sed caule non minus gratos scribit. Sunt enim insignes ob singularem corporibus salubritatem, quam præbent, nobisq; hyemalibus acetariis

olera subminiſtrant. Et ſi fortaſſe hyemis inclementia nobis deneget, eorum ſalgamum docet Columella, eodemque modo, vt diximus in lactuca.

Nomen. Theophraſto κιχώρη dicitur, etſi hoc nomine totum genus complecti videtur, tamen ex deſcriptione, vt inferius videbimus, potius ſylueſtre genus intelligit. Dioſcorides, quē omnes poſtea ſequuti ſunt, κιχόριον ſylueſtre intelligit, ſatiuum verò genus σέριν vocat. Galenus nomine Latinogræco conflato intybolachana, id eſt intybolera vocat. E Latinis Varro herbam dicit, quæ ſeris vocatur, quod quum ſeridis natura agreſtis videretur, vt mitior fieret, hortis ſereretur, quod verbum etiam à Gręco σείρω manauit. Dixit, ſerunt herbam, quę ſeris dicitur. Columella genus videtur intyba vocare, dicens: Per arua extirpemus rubos, virgulta, iuncos, alia per ver euellemus, vt intyba. Pro ſatiuo verò: Alia pabula conſerantur, vt trifolium, fœnum græcum, ſed præcipuè genus intubi quam Græci σέριν appellant. Plinius domeſticum intuborum genus ſerim appellat, ſylueſtre ambugiam, & in Ægypto cichorium dici. Intubæ autem à cauo tubæ ſpecie caule videtur aliquibus nomen accommodatum, vnde cichorii nomen notius in Ægypto, vnde deinde in Græciam, poſt in cæteras nationes commigrauit. Horatius cichorea nominat:

Cichorea, leuesq́, maluæ.

Genus. Theophraſtus genera non diſtinxit. Dioſcoridis textus, in quo genera ſeparantur, etſi aliquibus mendoſus, mancusq́; videtur, nobis tamen integer, & accommodatus, & adamuſſim intuborum generibus, quæ paſſim cōſpiciuntur, reſpondens. Inquit enim. Seris duûm generum eſt, Sylueſtre vnum, hortenſe alterum, ſylueſtre picris, & cichorion vocatur vnum, alterum verò ſatiuum, quod latioribus foliis conſtat, & ſtomacho, quàm hortenſe vtilius. Hortenſe in duas item ſpecies digeritur: vna folio latiore prodit, lactucæ ſimillima, alia anguſtiore, & amaro. Sylueſtris ſtomacho vtilior. De ſylueſtri in ſequenti dicemus, nunc de hortenſi. Eſt enim vtraque Neapolitanis hortis notiſſima. De intubis Plinius: Erraticum apud nos quidam ambugiam appellauere, in Ægypto cichorium vocant, quod ſylueſtre ſit, ſatiuum autem ſerin, quod eſt minus, & venoſius. Seris & ipſa lactucę ſimillima duorum generum eſt, ſylueſtris melior, nigra iſta, & æſtiua, deterior hyberna, & candidior. Vocauit ſatiuum, quod non niſi humana ope, cultúve prouenit, erraticum, quod ſponte, & liberè ſub nulla olitoris lege vagatur, & errat.

Deſcriptio. Hortenſis ſeris lactucæ ſimilis amplo ſurgit folio, candido, teneroque, in ambitu criſpo, ac fibriato, caule cæteris maiore, craſſioreque, frequentibus ſurculis brachiato, venoſo, torulis prominentibus, & latioribus interueniis. flos in ramuſculis cæruleus: olitoris induſtria in hortis mitigata, gratioris eſt amaroris. Hæc à diminuto ſeridis nomine ſeriola dici cœpit: inde corrupto Neapolitanis nomine, *Scarola* dicitur, vtimur hybernis menſis ad acetaria. Anguſtifolia dicta, anguſtiori eſt folio, ſapore aliquantiſper amaro, iam dictæ non diſſimili, apud nos *ſcarola iſchiana* dicta, colore nigrior, & præcocior eſt:

nam

nam æstate prouenit. Hanc puto Plinium descripsisse, quum dixit, Syluestris melior, nigra ista, & æstiua, deterior hyberna, & candidior, sed deterior non sapore, sed salubritate, quum amarior sit. Sed non amplius generum discrimina, & formas pertractemus, sed ad eorum culturam veniamus.

Columella: eadem ratio lactucæ, & intubi, nisi quod hyemem magis sustinet. Sed Plinius hyemis impatientiores dixit. *Cultum.*

Palladius. Amant humores, & terram solutam. Arenosis, & salsis locis, atq; maritimis summa proueniunt. *Solum.*

Cassianus Iulio mense seri dixit intybum, & Augusto serotinum, & Septembri transplantatur, brumale Octobri transplantatur, Nouembri transplantatur serotinum. Columella. Frigidis regionibus proximo autumno seri potest. Et in hortulo, vere: *Satio.*

——— & torpenti grata palato
Intuba.

Palladius mense Octobri serenda esse intyba dixit, vt seruiant hyeme. Area his planior apparetur, ne radices eorum, terra fugiente, nudentur. Quatuor foliorum transferantur ad locum stercoratum. Aprili intyba secunda satione seruntur, quibus vtamur æstate. Aliqui Martio serunt ad æstatem. Plinius. Seruntur verno plantæ eorum, vltimo vere transferuntur. Neapoli Iunio seruntur, decimo die decerpuntur frondes teneræ, vt aliis herbis immixtæ, acetariis veniant. Transferuntur Augusto, Septembri, & Octobri secantur, inde perarescunt. Vel seruntur Iulio, transferuntur Septembri, & Octobri secantur.

Columella de lactuca loquẽs, eadem de intubo docet. Quo tardius caulem faciat, quum aliquod incrementum habuerit, exiguam testam media parte accipiat, eo quasi onere coercitum, in latitudinem se diffundit. Theophrastus vt amarorem intuba exuant, salsis aquis rigari iubet, vel salsis locis conseri debere: nam quæ de brassica præceperat, eadem intubis cõuenire dixit, cuius rationẽ trademus, quum de brassica loquemur. Olitores nostri terra, vel sabulo in hortis obruunt, hoc enim artificio mirũ in modum albescũt, & tenerrimi euadunt, & in totam hyemem asseruantur. Hoc artificium casus edocuit, quũ sæpius accidat in campestribus, pluuiis, & fluminũ inundationibus terra arenáve obrutos candidissimos euadere, omniq; ex parte exui amaritudine. Vt ad hyberna seruentur acetaria, quum sua folia fuderint, & velut in orbem circumacta summatim tenui ligamento vinciuntur, & fictili vasculo hærente semper, quo alimentum sugant radice, conduntur, ita & candorem, & teneritudinem summam contrahunt, & magnam amaroris partem exuunt. Sic ergo & incremento proficientes intubi hybernant, donec ad vsum promantur. Alii leuiori sumptu contenti, terra duntaxat obruunt. Alii stramentis solis operiunt. Iam ferè nusquam non inualuit hæc hyemandi ratio. *Arc.*

De syluestri intubo. CAP. XI.

NVNC ad alteram intubi speciem. Plinius dicit succo totius cum oleo perunctos, fauorabiles fieri, & quæ velint facilius impetrare. Eius flos nubilo etiam die solis exortu panditur, & cum eo circumagitur in occasum, noctu semper compressus, interdiu dehiscens. Platinæ. Patinis vere caules, æstate folia, hyeme radices benè lotas, & excauatas intus propter amaritudinem, & duritiem, sale, oleo & aceto conditas donat, & cum passulis decoctas; vel aliquid defruti, vel cinnamomi triti, quantumuis modici insparsi.

Nomen. Plinius in Ægypto cichorium dici, vel erraticum intubum, propter singularem salubritatem dicit, aliqui chreston appellant, alii pancration, quasi omnia complectens bona. A Latinis ambugia, quod etiam confirmat Celsus. Neapoli *cicorea.*

Genera. Theophrasto cichorium duûm est generum, satiuum vnum, aliud spontè nascens πικρὶς dictum, gustu amarum, vnde nomen accepit. Dioscorides: Seris duûm generum, satiua vna, syluestris altera, quæ picris, & cichorion vocatur. Sed Plinius erraticum intubum in duo genera diuersa diuisit. Syluestrè hedipnoida dictum, latioris folii, & cichorium.

Descriptio. Theophrastus ita describit: Annuo constat folio, radice foliata, folio humi procumbente. Ineunte vere caulem, florémve simul edit, florumq; prouentus. Germinat post Vergilias, etsi cæterarum specierum caules simplices, minorésve sint, et tamen magnus, multisq; surculis brachiatus, ad vinctum quoque lentus, ac frangi contumax: qua de causa ad vincula vtuntur, radice quoq; germen laterale mittit, cuius prolixitate pertinaciter emoritur: decerptis enim, quæ ad vsum cibarium capi solent, reliquum rursus generationis capit principium. Euenit autem, vt pars eius alia, atq; alia floreat, idq; assiduè fit vsq; ad autumnum, quanquam durus caulis esse videatur. Fert & siliquam, in qua semen per extremas caulium partes. Picris vere florere incipit, nec secus hyeme tota, vereq; toto perseuerat, insignis amaroris, vnde nomen adeptum. Annuo foliatu & caulibus à radice, germinat post Vergilias. Caulis simplex, & minor, quàm intubis. Ineunte vere tum florem, tum caulem emittit. A quo Plinius: Intubus nascitur post Vergilias, floret particulatim, radix ei lenta, quare etiam ad vincula vtuntur illa. Sed quæ de caule dixerat Theophrastus, de radice transtulit Plinius, nescio an rectè. Cichorium circa terram folia habet, germinantia ab radice post Vergilias. Picris toto florens anno.

De chondrilla. CAP. XII.

INTER intubacea meminit Theophrastus chondrillæ. Dioscorides tam similem esse cichoreo dixit, vt nonnulli syluestris intubi speciem esse pronunciarint. Galenus lactucę similem facit, vt eodem capite vtriusq; meminerit. Non mirus quàm intuba acetariis intromittitur, & si amatior sit. Mures agrestes à serpentibus læsos hanc esse dicit Plinius.

Theo-

Theophrasto χανδρὰς, Dioscoridi χονδρίλλη dicitur; quam aliqui cichoriũ, alii serim appellant. Apud Græcos nomen ab euentu inuenit, quod callum quendam, tuberculo fabæ similem, & gummi, quod Græci χόνδρον nominant, imis ramulis ostendit. Latini, vt Plinius & alii, chondrillam vocant. *Nomen.*

Theophrastus ita describit. Annuo constat folio, ab radice foliata, germinat post Vergilias. Caule simplici, minori quàm intubo, propter amaritudinem ingustabili succo radicibus, lacteo, copioso, & acri. Ineunte vere, caule & flore nouo. Dioscorides folium, caulem, flosculum cichorio similem edere dicit; per omnia intubo tenuior est. E ramulis mastichen fundit, tuberculo fabæ. Galenus: Citius in caulem assurgit lactuca, lento quodam succo referta, alioqui cuiusmodi est tithymallorum, non tamen acer, perinde vt ille. Apud nos ea frequentissimè scatent arua, nec nisi exilitate foliorum, cauliumq; nitidorum elegantia à syluestri cichorio differre videtur: nam flores & radices non dispares habet, ob id seridi subalternam atque simillimam nemo est, qui ambigat. Duæ à Dioscoride & Plinio recensentur species, apud nos tamen altera est bulbosa. Folio syluestris seridis diuisura, caule nudo, cuius summo flos luteus, in pappos euanescens. Radicibus vel imo cauli subsunt filamenta pleraq;, quibus perplures bulbuli appensi sunt, pellucidi, albi, succi pleni. Planta & bulbi lacte referti. *Descriptio.*

Dioscorides in terrosis & cultis nasci dixit. *Solum.*

De aphaca Theophrasti, siue Plinii hedypnoide.

CAP. XIII.

DVM olerum meminit Theophrastus inter intuborum genera aphacam apponit, quũ aphacæ folia & vniuersus habitus planè syluestre intubum imitetur. Aphaca etiam inter legumina ab eodem annumeratur, quod an diuersum sit, ambigit Hermolaus. Nos ne aliis ansam etiam dubitandi præbeamus, non prætereundum duximus manifestare aphacæ nomen vagum esse, quippe & leguminum generi à Dioscoride, Plinio, & ab ipso Theophrasto apponitur. In segete de eo describemus, si Deus votis fauerit.

De aphaca hæc Theophrastus: Annuo constat folio, ab radice foliata. Germinat post Vergilias, sicut cichoracea omnia, amaritudine ingustabili. Properat flos eius, sed celerrimè euanescit, & in lanugineos pappos soluitur, deinde alius subnascitur, atq; iterum alius hyeme tota, & vere vsq; ad æstatem. Flos luteus est. Et alibi. Imbribus statim primis ab æquinoctio germinat, sed intubi post Vergilias, vere ineunte, tam caulem, quàm florem mittunt. Aphaca cum croco erumpit, vt senecio, cæteraq; hyberna, & singulis floribus prouentus prorogant suos, vt onocichlis, cichorea, & plantago. Plinius à Theophrasto historiam aphaces describens ait. Nascitur æquinoctio aphace, & subinde marcescẽte flore emittit alium, tota hyeme, totoq; vere vsq; ad æstatem. Amara est. Ex mitioribus paulo spinosis aphace est, anthemis, phillantes, & *Descriptio.*

anemone. Diuturnior ei flos per partes florens, vt ocimum, heliotropium, & onocichles. Sed nescio cur Plinius, Hermolaus, & Ruellius, & hos sequuti spinarum meminerint, quum nil apud Theophrastum, ex quo ipsi exceperunt, vsquam reperiatur. Nos vulgarem herbam *leonis dentem* dictam & Theophrasti aphacam iudicamus, & Plinii hedypnoidem, etsi Plinius (vt frequentissimus ei mos) de vtraq; verba fecerit, cũ aphacam ex Theophrasto exceperit, quæ fuerit ignorauerit. Plinius de hedypnoide. Et syluestre cichorii genus, alii hedypnoida vocant, latioris folii. Nam foliorum ortus, positus, numerus, caulis, & flores syluestris cichorii speciem imitatur. Differt quòd huic omnia maiora, folia albidiora, latiora, & lenius laciniata, totique cauli adnata, papposi globi longe maiores, succo amaro turget radix. Foliis nanq; constat circa radices humi accubantibus, denticulatis, serræ instar effictis, cauliculis diductioribus, concauis, læuibus, enodibus, lacteq; prægnantibus. Primis imbribus germinat, eiusq; flos properat, flore luteo, stipantibus in circulum foliolis coronato, specioso, odoratoq;, qui senescens in auras raptim fertur. Floret particulatim, tota hyeme & vere caulem & florem mittit, radice lactescente, & amara.

Nomen. Græcis ἀφάκη dicitur, Latinis, Plinio authore, aphace, eodemq; hedypnois, haud dubiè alia ratione, quàm quia suauiter halet, & somnum conciliet, & si durior sit ab odore interpretatio, quod præter alias lepidis species odorem spiret. Dens leonis, quod eius folium denticulatum sit.

De senecione. CAP. XIIII.

ETIAM inter intubacea Theophrastus senecionem commemorat, nec non raro nos in acetariis vescimur.

Nomen. Græcis ἠριγέρων: Dioscorides id nomen sibi vendicasse ait, quoniam flores capillorum ritu vere canescunt. Et Græci nominum compositione tempus simul quo floret, & moris mox deflorẽtis euentum indicare voluerunt, vt quo tempore quærenda, quibúsve notis requirenda esset, noscerent omnes. A Latinis senecio, Plinio authore, erigeron à nostris vocatur. senecio, Græci hoc nomen dederunt, quia vere senescat.

Descriptio. Theophrasti descriptio. Vere caulem & florem emittit. Germinat post aphacem, & crocum. Diutius floret in annuorum genere, cuius rationem libro de causis reddidit. Nonnulla in germinando, florendoque plus temporis protrahunt, vt in annuorum genere senecio: pateτεa de causa, quòd mediocritatem quandam alinienti obtineat. Dioscorides: Cauliculo est cubitali, subrubro, foliis continuis, per extremitates erucæ modo laciniatis, minoribus multò. Flos luteus, qui breui digestus euanescit in lanugines. Radice superuacua. Plinius: Herba est trissaginis specie, & mollitia, caulibus subrubentibus, caput eius numerosa, diuiditur lanugine (qualis est spinæ) inter diuisuras exeunte. Quare Callimachus acanthida appellat. Alii erucæ foliis esse dixerunt, alii roboris, sed minoribus multò, radice alii superuacua.

Æstus

Æstus quoq; ac frigoris patiens: ob id qualibet ferè Luna flores luteos instaurat nouos, qui in pappos breui abeunt. *Calam.*

Dioscorides in maceriis, & circum oppida nasci scripsit. Plinius in tegulis, & muris. Mihi videtur in quauis regionis, & soli conditione gigni. *Solum.*

De soncho. Cap. XV.

Estvr & sonchos, inquit Plinius, vt quem Theseo apud Callimachum apponat Hecale. Vterque albus & niger, lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent. Cheemporus nigro prohibet vesci, vt morbos faciēte, de albo consentiens. Galenus refert, quum tenera frondet, syluestrium olerum more edi, quum perfectè autem adoleuerit, aculeari, & tunc cibis respui. Vtimur nos hyeme eo in acetariis, optimè enim olei, salis, & aceti condituram recipit, quum recentior viret. Lactucis similes essent, nisi spinis horrerent: ita endiuiis propinqua, vt multi putent spinosam endiuiam esse sonchum asperam, ideo eis subiungimus.

Græcis σόγχος dicitur, παρὰ τὸ σῶον χεῖν, quia salubrem succum de se fundat, ad multa vtilissimum. Alii σόγχος, quasi σομφὸς ab inanitate caulium, quo nomine etiam syluestris cicerbita nuncupatur à Romanis, Dioscoride authore. Apuleio lactuca leporaria dicitur, quod quum leporis animus deficit æstu, hac sibi soleat mederi. Latini sonchum vocant, à Græcis nomine mutuato. Columella cicerbitam vocat. Plerique lactucinam vocant, quod dissecti vulnus multum eructat lactei liquoris. Neapolitani *cardoncello* vocant, quod veluti paruus carduus spinosis foliis inhorrescat. *Nomen.*

Theophrastus spinosis foliis acanaceis similibus dixit, caule foliato, cum ramulorum prouentu floscellus emergit, caule vt cnicum. Dioscorides, Caule cubitali, inani, interdum rubente, foliis in ambitu per interualla dissectis, tenerius esculentum, dissectus copioso diffluit lacte. Plinius, caule cubitali, intus cauo, sed qui fractus copioso manet lacte. Omnes flores gerunt in summo melinos. *Descriptio.*

Sonchus albus & niger, albus, qui è lacte nitor: nigro Cheemporus, vt diximus vesci prohibet. Dioscorides in duo genera dirimit, alterum syluestrius & spinosius, alterum tenerius, esculentumque quæ nobis obuia passim sunt. *Genera.*

Cultis & incultis locis, segetibus, vinetis, & hortis frequentissimus. *Solum.*

De eruca. Cap. XVI.

Diximvs de soncho, sequitur de eruca, præcipit enim Galenus non esse erucam sine lactuca edendá, vt immodico calori additus algor excessum temperet. Plinius: Eruca diuersæ est, quàm lactuca naturæ, iccirco iungitur illi in cibo, vt nimio frigori par feruor immixtus, tēperamentum æquet. Proinde

raro lactucas sine eruca edimus in acetariis, eiusq; semine vtimur in condiendis obsoniis, vt Dioscorides ait, idq; vt diutius perennet, aceto, lactéve maceratum in pastillos digeritur. Simulandæ veneri nata videtur, quod Martialis hoc carmine demonstrauit,

——— Et Venerem reuocans eruca morantem.

Et Columella in suo hortulo Priapo vicinam serendã ostendit, his versibus.

Et quæ frugifero seritur vicina Priapo,
Excitet vt Veneri tardos eruca maritos.

Ouidius eruca abstinendum præcepit iis, qui ab amore desciscere cupiunt:

Nec minus erucas iubeo vitare salaces.

Frontonis extat sententia olera omnia in vniuersum iuuari, quibus vicina sata fuerit eruca.

Nomen. Græcis εὔζωμος, & εὔζωμον dicta, quasi iuribus gratam dixeris. Plinius dicit; Tanta est condiendis obsoniis suauitas. Latini erucam dicunt, quòd erodat, & profectò si degustaueris eam, os & linguam satis acriter vellicabit. Alii sic nominatam putant, quòd vrendi licentiam sibi nanciscatur, quasi vracam dixeris, v in e versa. Nec desunt, qui quod edendo maximè sit, esucam primo dictam velint, dein facta s in r mutatione, erucam dictam contendant. Italis *rucchetta*.

Genera. Etsi Theophrastus generis diuersitatem in ea neget, tamen Dioscoridis testimonio in satiuam & syluestrem diuisa est. Apud nos duæ sunt species; communis vna, gentilis altera vocata, vel hispanica, & maior.

Descriptio. Theophrastus, Non nisi lignosa radice, & semine ad perdurandum firmo. Nos sic describimus. Satiua surgit in hortis bipedali thyrso, foliis longis, in profundas, sed rariores crenas laciniatis, gustu præter modum acri, & amariusculo. Floribus in cacumine pallidis. Floret Martio, semine rapitio, vel sinapitio, in corniculis concluso, radice alba. Gentilis folio sisymbrii, semine nigro, floribus luteis, in condimentis lautior, & ad venerem vegetior extat. Syluestris foliis domesticis angustioribus, & frequentioribus laciniatis, gustu acriori, sapidioriq;, cauliculis numerosis, floribus luteis, paululum odoratis, florens autũno, corniculis sursum spectantibus, in vniuersa planta numerosis.

Cælum. Plinius, Frigorum contemptrix. Dioscorides, Syluestris Hyberiæ familiaris, nobis familiarissima, & præsertim in maritimis.

Solum. Palladius, Locis, quibus volueris erucam serere, nil moreris. Apud nos satiua pingui solo seritur, syluestris errat in siccis, aridisve locis.

Satio. Theophrastus à satione tertio die erumpere dixit, esseq; è prima semente, videlicet hyberna, quæ Iulio mense seritur. Columella posse vere, & autũno conseri dixit, nec est alius cultus, quàm vt stercoretur, & runcetur. Palladius. Locis, & mensibus, quibus volueris serere, nil moreris. Satiuas nos Augusto serimus, prima floret, Aprili perit. Syluestris semel sata, septenis annis durat.

Theo-

Theophrastus libro de causis ait, salsis aquis irrigatam longè dulciorem, & meliorem euadere. *Ari.*

Anatolius, Si cum brassicis seris, eas à pulicibus liberabis. *Insect. remedia.*

De nasturtio. CAP. XVII.

POST erucam, nasturtium subiungemus. Dioscorides eius naturam sinapi, & erucæ simillimam dixit. Eo nos cœnam inchoare solemus, sale, oleo, & aceto parato, iucundo sapore, sed acri: sed pinguibus iusculis incoctum, magnam acrimoniæ partem deponit. Persas, quum principio frugalitatem amplecterentur, negat Xenophon, & Strabo post eum, quicquam ad panem adhibuisse, præter nasturtium cum sale, mox aucto imperio in genus omne luxus prolapsos esse. Idque effecisse, quo magis ab excreatione sputi, mucoso narium emunctu, & lotii profusione se vindicarent, quibus maximè noxiis iam pridem fuerunt opportuni. Sic & apud Plutarchum, & Ciceronem in Tusculanis traditur, eo vescentibus vegetiores inesse spiritus, sensusq;. Vnde prouerbio fertur, nasturtium esse mandendum inertibus, vt eos excitet, animique torpores fuget. Optabile olus contra serpentes. Tradit Sestius, suffitu eos fugari, ad quod videtur allusisse Columella in hortulo,

Spargantur cæcis nasturtia dira colubris.

Græcè κάρδαμον dictum arbitrantur nonnulli ἀπὸ τῆς καρδίας, quod foueat cor, & in syncope illa, quam cardiacam vocant, plurimum valeat. Alii καρήδαμον dictum putant, quod caput edomet: nam mentis aciem obsidens sua acrimonia, & ignea vi feriens caput tentat. Sunt qui παρὰ τὸ κόρας μύειν, quod oculorum pupillas coeuntibus vnà palpebris abscondat, lumina enim ad motum conniuere subinde cogit, è quo euentu καρδαμύττειν verbum declinant, Latini conniuere dicunt. Hippocrates, & Galenus sandition dici inquiunt à sinapi, quod santion dicitur à similitudine. Latini nasturtium vocant. Plinius: Nasturtium nomen accepit à narium tormento. Et inde vigoris significatio prouerbio id vocabulum vsurpauit, veluti torporem excitantis. *Nomen.*

Negat Theophrastus generis diuersitatem habere. Plinius duorum generum dicit, mite vnum, ferum alterum. Prioris ratio duplex, albi scilicet, & nigri. *Genera.*

Quod etsi manifestius sit, quàm vt repræsentari flagitet, volumus tamen propter generum differentias eius picturam, quam Theophrastus, Dioscorides, & Plinius parui fecere, ostentare. Satiuus cauliculo assurgit sesquipedali, tenui, folio paruo, laciniato, flore albo, semine per ramorum latera copioso, in rubeum nigricante, folliculis orbicularibus, pressisq; contento, acri sapore, Iunio floret, sequenti tempore semine prægnans, sed antequam excaulescat, folia modice lata, diuisaq; habet, quum caulem ediderit, folia fiunt oblonga, digiti longitudinem æquantia. Theophrastus maximam eius semini firmitatem tribuit. *Descriptio.*

Cultum. Palladius nasturtium cœlo, quali placebit, seri posse dixit. Dioscorides optimum Babylonicum tradit. Antiphanes, Athenæo authore, Milesium. Iulius etiam Pollux Mileti laudatissimum nasci. Plinius in Arabia miræ magnitudinis nasci. Summis feruoribus, vel etiam brumæ rigoribus spretis crescit, quare tam hyeme, quàm æstate facillimè prorumpit.

Solum. Palladius serit etiam solo qualicunque, fimum non desiderat, humorem quamuis diligat, etiam deesse non curat.

Satio. Theophrastus è prima semente esse tradit, mense Iulio post æstiuum solstitium. Nascitur quinto die. Sed è veteri semine celerius. Columella primo vere serendum in hortulo tradit,

——— Paruo discrimine sulci
Spargitur.

Palladius Ianuario & omni tempore ponendum tradit, & nasci ex veteri semine celerius. Si cum lactuca seratur, nasci egregiè: Septembri, locis temperatis, & calidis. Plinius, æstate vel hyeme facillime nasci. Nos Neapoli Ianuario, Februario, & Martio ponimus. Sic etiam Augusto, & Septembri. Nascitur etiam hyeme, sed nisi à frigore defendatur, exarescit, vel nisi adultum fuerit. Rarius hyeme seritur, vt radix coerceatur frigore, & densius pulluler, vere spissius. Quæ Martio seruntur cito pereunt. Si eius semen lacte pridie macerauetis, dulcius nasci ferunt.

De chærephyllo. CAP. XVIII.

CHÆREPHYLLON à nobis studiosissimè colitur, omnesq; horti eo scatent, ne acetarijs desit, omnesq; eo quotidie vescuntur, non solum crudo, sed iuribus incocto, magna stomachi iucunditate: appetentiam inducit, & cibi fastidium discutit, odorato & quodam amariusculo sapore, vix sensibili, maximo est oblectamento. Sic enim alijs oleribus additum, ea gratiora reddit. Aetius. Estur cum aceto.

Nomen. A multis gingidium existimatur, Ciliciæ, Syriæque vernaculum, ac eo nomine in Græciam, & Latium venisse, postmodum in omnes orbis tractus commigrasse: nouoque in Græciam, & Latium aduentu, pristinam appellationem obsoleuisse, & chærephyllon dici cœptū, dein Graia voce & Latina coalescentibus in vnum nomen, chærefolium, quod luxuriosa foliorum fœcunditate, & largiore coma gaudeat. Columellæ cherephillon, Plinio cærephillum, Palladio cærefolium. Neapolitani *cerefoglio*.

Descriptio. Columella ait quòd largo foliatu gauderet, & breui caule contentum esset, & velut herba paria secum faciente, quæ quod à cauliculo dempserit, frondium vbertate compenset. Breue nominauit in hortulo,

Iam breue chærephylum.

Nos ita depingimus. Herba est tenera & fragilis, quinis ab vno pediculo folijs per ambitum incisis: sed incisuræ ita efformatæ sunt, vt foliola etiam quina-

na efforment, & hæc item alia, vt in staphilino, & multis videre est. Ramulis cubitalibus, pinguibus, subrufescentibus, inanibus genicularis, vmbellam in summo caule gerit, albis flosculis ornatam, ex quibus tenuia, rectaque oriantur cornicula, plura ex vno pediculo prodeuntia, pilosa, rufescentia, & in cacumine aculeata, in quibus semen longiusculum, nigrum, radice parua, candida, subamara.

Palladius solum humidum, & stercoratum desiderare dixit. *Solum.*

Columella ex iis esse, quæ possunt duobus temporibus seri, autumno, & *Satio.* vere. Vnde vel circa calendas Septembris, vel melius ante calendas Martias Februario seritur. Locis siccis aut tepidis possunt circa idus Ianuarias terræ cõmitti. Chærephylum circa calendas Octobris obrui oportet non frigidissimo loco: nam si regio sæuas habet hyemes, post idus Februarias semine disserenda, suaq; de sede partienda. Plinius quę habet à Columella excepit, sic & Palladius. Apud nos Augusto seritur, & Decembri: nascitur post quintũdecimum diem, post mensem purgatur herbis, & lætamine inspergitur Martio, & Aprili semen affert, & interit: qui Martio serunt, tribus solis mensibus vescuntur eo. Sed semel satum in hortis pluribus annis restibili fœcunditate reuiuiscit.

De pimpinella. Cap. XIX.

PIMPINELLA nobis vulgò dicta estur quotidie in acetariis, non solùm condimentum optimè recipiens, sed ea commendans iucundo peponum odore: pedibus quoq; calcatu nobilis, quo pressa peponum odorem naribus eiaculatur, & mira quadam iucunditate recreat. Platina ita condit, Collecta ac lota in patinam, ac suomet caule, si tenera est, reponi debet, sale, oleo, & aceto condiri: si præduri fuerint caules, folia tantùm sumuntur. Vnde & cibi gratia, non solum quæ opacis locis, ac pratis nascitur colligimus, sed etiam in hortis studiosè colimus. Poculis etiam iniicere solemus, vt gratiam eis conciliet, sapore, & odore, & magnæ commendationis dotibus ad venena, vel febres exitiales.

Si diuinare licet, Theophrasto σπυρὶς est, nam eius interpres Theodorus *Nomen.* bibinella vertit. Dioscoridi σιδηρῖτης τρίτη, quam Cratenas heracliam vocat. Apud nos id nominis adepta pimpinellæ, bibinellæ, pampinulæ, bipennulæ, quod foliorum binis ordinibus, pinnatim, plumatim, digestis videatur. Sanguisorba aliquibus dicta, quod vulneribus iniecta, spicula, & sanguinem sine dolore exigat, & internis externisq; sanguinis eruptionibus opituletur.

Theophrastus spicatam dicit, vt cynops, alopeuros, ornoglosson, siue plan *Descriptio.* tago, quę neq; spicam, neq; acutam, neque aristam gerunt, sed his aristæ loco flosculus lanuginosus exit, & his similem facit. Nos à plantaginis spica, cui similem dixit bibinellam, coniicere possumus, à bibinella vulgari nostra non multum distare. Plinius ab eo: Aliud rursus spicatorum genus est, ex quo cynops, alopecuros, stelephuros, quam ortyga vocant, alii plantaginẽ, & thryal-

lis: alopecuros spicam habet mollem, & lanugine densam non dissimilem vulpium caudis. Proximum eis stelephuros, nisi quod illa particulatim floret. Dioscorides suam sideritim tertiam, vineis & maceriis nascenté dicit, foliis ab vna radice multis, coriandro similibus, circa coliculos dodrãtales, leues, teneros, subcãdidos, & subrubicundos, flore puniceo, paruo, gustanti amaro, & lento. huius ea vis est, vt quamuis recenti vulneri imposita sanguinem supprimat. Nostra *pimpinella* ramulis nascitur à radice foliosis sesquipedalibus multis foliolis æquis spatiolis, binis ex aduerso positis, ambitu crenatis, pilosis. Thyrsuli quoq; rotundis flosculorum glomerulis micant ex cæsio candicantibus, quibus elapsis mori fructum exprimunt, radice crassa, longa, subpurpurea. Sed si quis hanc descriptionem Dioscorideæ repugnare dixerit, quippe cum coriandri foliola non rotunda & crenata, sed ferulacea sint, ei respondendum duximus, coriandro recenter enato, foliola verè nostræ *pimpinellæ* vocatæ esse similia, & si coliculi duri sint, id accidit in senecta; at in iuuenta mollia sunt, teneraque.

Genera. Genera plura sunt, duo præcipua, maius, & minus, maius caule, folio, thyrso, & omnibus maius.

Solum. *Cælum.* Frequentissima ruri, & domi, quæ pensilibus hortulis colatur, & incultis, aridis, & squallidis collibus, & marginibus nascatur.

De buglosso. CAP. XX.

NVNC quæ hortis vulgatissima seritur describemus buglossam, cibo gratissimã, quum & flos acetariis spargatur, & folium tenerum, quod proprium odorem suboleat, vetustiora verò folia quotidianis obsoniis peculiarem habent gratiam. Platinæ condimentum apposuimus. Conditur cruda, & elixa. Crudam benè lotam, & expressam, reticulo ad id aptè facto, cum nepeta, menta, & petroselino in patinam indes, salem & oleum insperges, inuoluesq;, quoad oleũ imbibat, & remollescat eius asperitas, acetum postmodum infundes, & conuiuis statim appones: coctam, expressa aqua in patinam indes, sale, oleo, & aceto conditam conuiuis appones. Sunt qui huic aspergant modicum cinnamomi, vel piperis benè triti, & cribrati.

Nomen. Dioscoridi βούγλωσσος dicitur, quòd bubulas linguas imitetur. Plinius euphrosynum vocari dicit, quòd ei sit præcipuum, quod in vinum deiecta, animi voluptates auget. Plutarchus symposiacon primo: Alii buglossam admiscent vino, quod herbis huiusmodi consentaneum sit, lætitiam conuiuis, & beneuolentiam coalescere. Ex Latinis Cato bubulam linguam vocat. Plinius buglosson, quòd boum linguis similis sit. Neapolitani *borraginem*, quasi bonaginem dicas, versa & peruersa voce ex buglossa.

Genera. Genera duo satiuæ: nam altera cæruleum florem, altera candidum profert: sed cæruleum in Apulia in purpureum, & rubrum vertitur, nimii caloris vi, quod idem euenit, si in acetariis aliquantisper immoratum fuerit.

Descriptio.

Apud omnes constat veterum Græcorum βούγλωσσον, & Arabum, esse vulgarem borraginem. Dioscorides verbasco similem facit, folium in terra sparsum habere, nigrius, asperum, bubulcas imitans linguas, Iulio mense colligi. Auicenna, Est herba lata lingua bouis, habens folium almaru, ad tactum aspera, & rami eius asperi sicut pedes locustarum, oportet autẽ vt illa administretur, quæ est in corasceni, crassa habens folia, super quorũ faciem sunt puncta, quæ sunt radices spinarum, & pilorum exeuntium ab ea. Addimus nos, & si notior sit plebeculæ quouis olusculo. Nascitur foliis in cespite stratis, latis, subrotundis, hirsutis, in foliis eminentibus bullis, ac tenuissimis aculeis armatis, caule cubitali pingui, concauo, aculeis vbique scatente, & ramis brachiato, floribus stellatis, quinis foliolis cæruleo purpuraque nitentibus. Floret Martio, semine nigro striato, radice alba, tenera, pollicari crassitudine, gustu subdulci, & lento.

Solum.

Dioscorides campestribus, & sabulosis locis nasci scripsit. Nos pingue, subactum humidum solum in hortis damus, & vinearum, hortorumque torulis plantamus, quibus semel sata importuna fœcunditate luxuriat, & ex seipsa seritur.

Satio.

Riguis in locis toto anno seri potest. Semine seritur Aprili, & Maio, vt æstate fruamur. Vel Augusto, & Septembri pro hyeme. Transplantatur, quũ quinque foliorum esse cœperit, ac melius Octobri, ac Nouembri. Semina ne decidant, colligantur immatura, ac triduo in fasces colligatæ resiccentur sole, vbi maturuerint, substratis linteis decutiantur: & biennio semen asseruatur: ne hyeme gelu adurantur, lætamen aspergatur, hoc munimento aduersus frigora se tuentur.

De bati, seu crithmo. CAP. XXI.

CRITHMON escæ, & conditurę aptam protulit Dioscorides: estur enim crudum, coctúmve olus, asseruaturque in muria. Plinius inter eas syluestres herbas esse scribit, quæ eduntur. Hanc certè apud Callimachum apponit rustica illa Hecale, speciesque est batis hortensis. Herba sponte nascens, eaque potius obiectamentum, quàm cibus. Hecale vetula Theseo apposuit apud Plutarchum. Nos in acetariis frequenter vtimur, & ad quotidianos vsus hortis consita continuo spectatur. Columella sic condiri docet, circa vernum æquinoctium. Battis, & eius coliculus in alueos componuntur, & sale consersa biduo sub vmbra, dum consident, reponuntur, donec tantum remiserint humoris, vt suo sibi iure ablui possint, sin minus, superfusa dura muria lauantur, & pondere imposito exprimuntur. Tum suo vase conduntur: & ius quod est mistum aceti duabus partibus & tertia muriæ, infunditur, fœniculiq; aridi, quod est per vindemiam proximo anno lectum, spissamentum imponitur, ita vt herbas deprimat, & ius vsque ad summum labrum fideliæ perueniat. Sed Columella marinę batis conditurам edocuit, non satiuæ: nam duodecimi libri capite tertiodecimo, olus cordum, quod quidam satiuam batim appellãt,

muria nõ condiri docuit. Sic Dioſcorides & Plinius quũ in muria olus ſeruandũ prodiderũt, de marina bati loquuti ſunt, nec ſatiuæ vllã rationẽ habuerũt.

Nomen. Dioſcorides κρῆθμον, ſeu potius, vt aliqui, κρίθαμον, vocat. Nomen à ſeminis figura Græci dixerũt: habent enim crithamum ſemen intus tritici, vel hordei figura, quod vocatur κριθὴ, vel detortũ ἀπὸ τοῦ κρίνεσθαι, à ſecernendo vocabulum, quod rupto ſeminis inuolucro cerealem formam nucleus oſtendat, excuſſiſq; flatu ſeminibus à paleis, aceribusq; ſecernatur. Latini batim appellant, ex aduerſo emendicata à Græcis appellatione, qui baton acceſſibilem dicunt: nã batis marina in ſcopulis, & inacceſſis crepidinibus emicat. Ex aduerſo igitur ab acceſſu nomen batis adinuenit. Lucius Columella ſatiuã batim olus cordũ appellauit, quaſi ſerotinum olus, quod non niſi ſerò admodum appropinquante vindemia condiatur, contra cæterorum morem, quæ appetente Iunio ante ſeminis maturitatem à ſalgamariis reponũtur. Plinius fœnum cordũ, quod non præcoci, ſed ſerotino partu in lucẽ editum eſſet, vocat. Plinio etiam crethmos dicitur, & à quibuſdam appellari aſparagum gallicam ſatiuam dixit. Neapoli *critamo, finocchio marino, & herba di ſan Piero.*

Genera. Plinius duplicem batim nominat, hortenſem & marinã, ſic etiam & ſylueſtrem alibi: an pro marina ſylueſtrem poſuerit, ambigo. Sed quæ marina oriunda eſt littoribus, apud nos in hortis cultu mitigata feritate totos conueſtit.

Deſcriptio. Marinã Dioſcorides ita depingit. Herbula fruticoſa, & vndiq; folioſa ad cubiti altitudinẽ ferè aſcendens. Foliis pinguibus numeroſis, albicantibus, veluti portulacæ, latioribus. Sed potius legendum παχυτέροις, non πλατυτέροις. Non ſunt enim crithamo folia latiora, quàm portulacæ, ſed craſſiora, & longiora, ſalſo guſtu, flore cãdido, ſemine ceu libanotidis, odorato, molli, rotũdo, & quod ſiccatũ rumpitur. Habet intus tritici modo nucleũ, radicibus digiti craſſitudine, tribus, vel quatuor, grati & iucundi odoris. A quo Plinius: Caulis vnus, palmũ altus, ſemen ferens odoratũ ceu libanotidis, rotundũ, ſiccatũ rumpitur, habet intus nucleũ candidum, quẽ aliqui cachrin vocant. Folia pinguia albicant, veluti oliuæ, craſſiora, & ſalſo guſtu. Radices digiti craſſitudine tres, aut quatuor.

Cœlum. Hippocrates batim Æthiopicam laudauit. Dioſcorides naſci in petroſis, & maritimis dixit, quod ab eo etiam Plinius recenſuit.

De cappari. CAP. XXII.

VTIMVR & quidẽ frequentiſſimè in hybernis acetariis cappari. Paulus vſum eius cõmendauit ex oleo, & ſale, quod appetẽtiam inuitet, & ciborũ faſtidiũ diſcutiat. Vnde primus menſis ſumitur, & cæteris dapibus præponi ſolet. Dioſcorides non ſolũ floribus, & fructibus, ſed etiã nouellis turionibus homines veſci ſcripſit. Quod etiã noſtris temporibus obſeruatur. Columella eius conditurã proponit. Verno tempore capparim in vſum colligi, & reponi oportebit, & ſeruari hac cõditura: aceti duabus partibus & tertia duræ muriæ: ſed quãplurimis diebus ſub tecto ſeruari, dũ flacceſcat, inde in vaſa cõdi, deinde ius quod ſupra ſe ipſum eſt, infundi. At Platina quomodo cõdiatur mẽſis edocet.

cet. Inde capparim in cacabũ aquę non feruentis, sed apprimè calidæ: vbi tandiu sines, donec abundantẽ salsedinem dimiserit. Transferto inde in aquã recentẽ, inq; eam tandiu sinito, quoad refrigescat, inde postremo auferes, expressum in patinas repones, infundesq; oleũ, & acetum non multũ. Sunt qui mentã huic edulio addant, nec incongruè quidẽ, vt & ad voluptatẽ, & valetudinem faciat. In Apulia aliter condiuntur. Primo in feruentem aquam coniiciunt, vbi copiosum sal sit dissolutum, inde eximunt, vt siccescant. Siccos in vasa condiũt, alternis vicibus sale, & floribus nondum patefactis. Porrò quum mẽsis apponuntur, bis térve aquis abluuntur, vt salsuginem eximant, vel aceto seruant.

Nomen. Græcis κάππαρις. Plinius, Capparim quidam cynosbaton vocãt, alii opheostaphylen. Latinis capparis. Columellæ cappar, Palladio cappar dicitur, & inturis. Itali vocant *cappari*.

Descriptio. Theophrasto vnistirps. Folium & caulem horridulũ ac spinosum humilem spargit. Germen & flos ęstate, folium ad Vergilias vsq; viget, non annuus, sed diuturnior. Foliũ iuxta caulem. Ramis aculeigera. Dioscorides, Frutex est senticosus, & humilis in orbẽ proserpit, ramis in rubi modum aculeatis, spinis aduncis, hamatisq;. Folio mali cotoneæ circinato, horridulóq;, fructu oleæ rotũdo, quo fatiscente emicat flos candidus, qui postquam excreuit decidit, glãs oblonga extuberat, quæ aperta grana acinis punicorum similia ostentat, parua rubicunda, radice lignosa multiplici, magnaque. Sed Dioscorides fructum vocat florem, qui adhuc clausus, non in folia dehiscens, quũ fructus id sit, quod excluso flore glandis figura oblonga depromitur. Sed flos præcipuè cibis expetitur. Palladius æstate florere ait, & arescere sub occasu Vergiliarum. Auicenna fructum cucumeri assimilat.

Genera. Plinius cauenda eius peregrina genera dicit. Siquidẽ Arabicũ pestilens est, Africũ gingiuis inimicum, Marmaricum vuluis, & omniũ inflationibus. Apulũ vomitus facit, stomachũ & aluum mouet, Italicum innocentius est: vbi clare apparet in textu mendũ subesse, vbi Apulum vomitũ facere, & stomachũ & aluum mouere dicit, quũ alibi Italicum innocentius esse dicat, ac si Apulia Italię regio non esset, præsertim quum experientiam huic refragari liquidò constet, quũ inter cæteras Italiæ regiones Apulia in hoc genere præcellat. Sed duo genera visuntur, maius, minúsve, minus verò in prima cõmendatione est, & pluris emitur, quàm maius, quia palato gratius est, nisi sapor ascititius sit à muria, vel ab aceto, quod quum paucioris carnis sit, penitius subit conditura.

Cœlum. Plinius Ægyptium cõmendat, Galenus, qui in locis calidis nascitur, vt in Arabia, longè est acrior Pergameno. Ægyptium, quod nobis ex Alexandria defertur, optimum est. In Cypro plurimum prouenit. Apud nos in Apulia, vnde potius calidum, quàm feruidum, aut frigidum cœlum flagitare videtur.

Solum. Theophrastus gaudere arenaceis, atq; tenuibus dixit, cultis haudquaquam exire videtur, quum apud oppida, & loca plana proueniat, non laserpitii modo apud montuosa, hoc minus verè putarunt. Plinius ab eo: Sabulosis familiaris,

fimum. Dioscorides tenui solo, asperisque locis, in insulis, & iuxta rudera nasci. Columella siccum locum quærere. Palladius ab eo, loco sicco, & gracili. Sed in oris Tyrrheni, & Adriatici maris vberi prouentu fruticat, & in planis Apuliæ æquoreis cãpis. In noualibus sponte prouenit, & optimi soli ibi est signum. Videtur tandem omni solo prouenire, melius sicco, quàm humido, & parietibus saxosisque locis.

Satio. Theophrastus, In cultis hospitari nequit, immo deterius cultu nascitur. Aristoteles in problematibus, huius rationem reddit, cur capparis locis prouenire cultis haud facile possit. Multi nanque tentarunt, & translata radice, & semine sparso, quum apud nonnullos commodior capparis sit, quàm rosa; sed tamen nil efficere valuerunt: quid ergo causæ sit, vt cultis nesciat hospitari, inculta & auia prosequatur, & maximè sepulchris adhæreat? Igitur de hoc cæterisque generis eiusdem accepisse illud oportet, quòd nõ omnia eadem ex materia consistere solét, aut augeri, sed sunt quæ ex aliorum corruptione, & principio consistant, & post augeantur, vt pedunculi, & pili corrupto alimento, aut aliqua alia labe corporis prodeunt. Ergo vt in corpore nonnulla excremento proueniunt alimenti, quod certe cruditas est, & vbi naturæ vires superare non queunt, abscedunt quidem in vesicam, vel aluum, quæ in promptu maximè sunt, aliqua verò animal producunt: itaque in senectute, & morbis hęc augentur. Sic in terra alia concocto alimento, & consistunt, & augentur, alia excrementis, aduersaque concretione oriuntur. Culturæ autem officii est, vt concoquat, reddatque efficax alimentum, quo genus mite, vrbanumq; fructuum consistit. Quæ igitur mitigatione, informationeq; huiusmodi creantur, hæc vrbani vocabulo significamus, eo quod solertia hominis educata quasi eruditaque meliora euadant: quæ autem cura adhibita mitescere nequeunt, aut etiam aduerso habitu loci sui generis prodeunt, hæc syluestria sunt, & rustica, cultisque viuere nesciunt: cultus enim dum ea melioribus instituere moribus contendit, deprædat, atque peruertit, quippe quum à sua natura desciscere nequeant, quæ orta sunt ex corruptione, quo in genere capparis quoque profectò est. Columella: Leuissimo cultu, aut nullo contenta est. Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam conualescit, plurimisque prouinciis sua spontè noualibus nascitur, sed quibus locis eius inopia est, si serenda fuerit, locus debebit interea circundari fossula, quæ repleatur lapidibus, & calce, vel punico luto; vt sit quasi quædam lorica, ne possint eam prærumpere prædicti seminis frutices, qui ferè per totum agrum vagantur, nisi munimento aliquo prohibiti sint. Quod tamen non tantum incõmodum est (subinde enim possunt extirpari) quantum quod noxium virus habent, succoque suo sterile solum reddunt. Seritur vtroque æquinoctio. Palladius: Septembri seritur capparis, late serpit, succo suo terris nocet. Serendum est ergo, ne procedat vlterius circumueniente fossato, vel luto structis parietibus, herbas spontè persequitur. Plinius, Capparis seritur siccis maximè, area in defossu cauata, ripisque

vndiq;

vndique circumstructis lapide, alias euagatur per agros, & cogit solum sterilescere. Apud nos seritur semine Martio, Aprili, Maio, & Septembri, quod suis fructibus affert. Vbi maturuerint aperiuntur, tunc decerpuntur, insolanturq; donec siccescant. Seritur etiam radicibus suis, vel germinibus radicatis, & cauliculi sati, vbi radices conceperint, sequenti anno transplantari possunt. Hyeme sicci caules secentur super terram, vt vere lætius assurgant. Et si cultum aspernari dixerint Aristoteles & Theophrastus, vidimus satos, & cultos optimos fructus attulisse, & longe minus agrestibus noxios.

De coronopo. CAP. XXIII.

CORONOPVM inter intubacea recenset Theophrastus, & inter annuas. Dioscorides in olere coqui dicit. Nobis frequentissima in acetariis offertur, ob id hortis serimus.

Theophrasto κορωνόπους, sed Galeno, Aëtio, & Tralliano κορωνοπόδιον Græca appellatione donata, quod cornicis pedis effigiem repræsentent folia. Latini coronopum vocant. Theodorus Theophrastum vertendo silaginem vertit. Itali *herba stella* vocant, videturq; hodierni æui nomen antiquo, & spurio conuenire, quippe astrion ab aliquibus dicebatur, vt in spuriis Dioscoridis nominibus videre est. Vulgus etiam quod variè dissectũ ceruini cornu imaginem habeat, cornu ceruinum vocant. *Nomen.*

Theophrasto coronopus à radice foliata, amara, vt vniuersum intuborum genus, etsi ab Hermolao, & aliis inter aculeatas, Theophrasti authoritate annumeretur. Id apud eum nusquam reperietur. Dioscorides & si exactam in suo capite descriptionem non apponat, ex aliis herbis, quibus assimilauit, eam concinnabimus. Dicit enim. Coronopus oblonga herbula est, per terram strata, fissis foliis psillio non dissimilibus, non ita hirsutis, sed breuioribus, aut catanances primæ, sed non ita longis, aut minoris sesamoidis, sed maioribus, nec ita hirsutis, holostio proximis, cui & viticulas similes habet, aut gramini. Radicem habet tenuem, astringentem, prouenit in aggeribus, locis incultis, & secus mare. Plinius hæc habet: Coronopus oblonga herbula est cum fissuris: aculeatarum caules per terram serpunt aliquarum, vt eius, quam coronopum vocant. Nos herbam apud nos vulgò dictam *stella* ita depingimus. Folia fert longa, angusta, hirsuta, pinguia, humi sparsa, vtrinque fissa, laciniata, verè cornicum vngues, aut ceruinum cornu præ se ferentia, ita inter se cohærentia, vt cylindro æquata dixeris, in stellæ modum radiantia, caule, thyrsulo, flore, & spica plantagini simili, radice vnica, numerosis adnatis capillamentis. *Descriptio.*

Dioscorides in aggeribus prouenire dicit, ac protritis itineribus, incultisque locis. Apuliæ campi hac herba virent, ac pro segetibus triticeis optimi soli signum habent. *Solum.*

Serimus Augusto, ac fimo operimus, carpitur Septembri, Octobri vsq; ad Martium. Seritur etiam Martio, Aprili floret, Iunio profert semen. *Satio.*

De portulaca. Cap. XXIII.

PLINIVS portulacam in acetariis sumptam stomachum corroborare author est. Nos in acetariis tota æstate vtimur, esitamusq; tenellas cymas. Famosum est quod hæmediam sanet, id est dentibus, qui stupore quodam obtorpescunt, remedio est, qui scilicet ab austeris, & acidis nascatur. Cuius causam Galenus reddit. Dentes nanque acrium occursu præsiccati exasperantur, ita vt citra noxam atterendis cibis adhiberi nequeant, solidiorisque cuiusque commercio concipiant dolorem, lentore quo sese ab siccorum iniuria vindicabant exucto. Nanque sicca nullo interiecto humoris nexu durius sese collidunt, vnde sensus exasperationis noxiæ contrahitur. Damnum ergo saliuarii lentoris, qui velut siccorum pignus intercedebat, glutinoso portulacæ succo quamoptimè resarcitur. Aristoteles dicit id fieri à lento humore portulacæ, qui à corpore educit acorem, quippe qui affinitate quadam coniungi valeat, argumento saporis, quem acidulum reddit. Sal verò macerat, liquefacitque, atque ita acorem quoque extrudit. Alexander Aphrodiseus hoc portulacæ munus cæcis rerum facultatibus delitescentibúsve causis acceptum refert. Quonam, inquit, modo stupori dentibus à frigidis fructibus adscito, portulaca, quæ frigida est, medebitur, quum contracta vitia nō consimilibus, sed contrariis abiguntur? Columella ita condit, sunt quædam herbæ, quas appropinquante vindemia ita condies, vt portulaca: Diligenter purgatur, & sub vmbra expanditur, deinde quarto die in fundis fideliarum substernitur, & componitur, acetoq; infuso, iterum sal superponitur. Platina in acetariis ita parat: Portulaca bene lota, secretaque à præduro caule in patinam reponitur cum cæpa minutatim concisa: sale, oleo, & aceto conditur. Sunt qui ad illius frigiditatem comprimendam, piper tritum, ac cinnamomum inspergant.

Nomen. Græcis *ἀνδράχνη*, Latinis ferè omnibus portulacæ nomine vocatur. Italis *porcellana*.

Genera. Portulaca in duas species distribuitur, in satiuam, & spontaneam. vtriusque meminit Dioscorides, satiuæ in peplio, & suo capite: syluestris in semperuiuo tertio.

Descriptio. Theophrastus breui radice inniti dixit, tum quæ in profundum descendit tum quæ è latere porrigitur. Dioscorides, etsi peculiari descriptione non dignatus fuerit, aliis tamen assimilando qualis sit patefecit. Portulaca cæpeæ similis est, sed albidiora folia habet, similis telephio caule & foliis. Folia similia heliscopio tithymalo habet, sed crassiora, minusque rotunda. Folia tam similia peplio, vt syluestrem aliqui portulacam appellent. Etiam terrestri tribulo, sed viticulis crassioribus, vel tertio semperuiuo, qua similitudine syluestrem portulacam vocauerunt. Sic etiam crithamo, sed minora, breuioraque. Nostra autem satiua teretibus viticulis, lætis, carnosis, succulentis, humi reptantibus luxuriat, lentè in puniceum vergentibus, foliis albicantibus quadam tenui

aspergine

aspergine cinerea, gustu subsulso, flore pusillo, semine in theculis nigro. Floret Iunio, & Iulio. Syluestris duplo minor, duntaxat tota rubentibus ramulis, gustu acidiore, folio turbinatiore tam priori consimilis, vt qui vnam norit, alteram non nosse non possit.

Aperto, apricoque cœlo gaudet, sub humido moritur. *Calum.*

Pingue solum, & lætamine saturatum exoptat, & præcipuè humidũ: nam *Solum.* siccitatibus deficit: vnde æstiuis ardoribus continuis siccitatibus blandiri oportet. Columella in suo hortulo.

Humidaq; andrachne sitientes protegit antas.

Syluestris squallidioribus locis, vinetis glareosis, & viarum stratis reptat.

Theophrastus ex æstiua semente protulit, quam tertiam vocat, celerrimè *Satio.* quarto, aut quinto die à satu erumpit. Apud nos omni tẽpore seritur, sed præcipuè Aprili, Maio, & Iunio. Optimè seritur inter caules, cæpas, & porros, vbi semel sata fuerit, semine per maturitatem caduco, ipsa se serente, perennis est, nec vnquam deficit, densius sata, pusilla fit.

De oxalide. Cap. XXIIII.

Nec ab iis remouenda herba est, quam oxalida vocant, quum nobis quotidie exploratum sit in acetariis mansam crudam magnam cum palato gratiam inire, suo enim sapore sal, & acetum refert, vnde in acetariis solo potest oleo condiri, quin plerunque iuribus incocta optimè sapit, & in carnibus intingendis succo viridi acramentum subministrat, nec aliud in obsoniis maiorem sibi vendicat authoritatem. Platina illotam prima etiam statim mensa cum pane, & sine alio condimento concedit, æstate præsertim, vt cibi appetentiam inducat.

Dioscoridis est ὀξαλὶς, ἀναξυρὶς & λάπαθον, oxalis dicta, quasi acetosa, sed po- *Nomen.* test anceps vocabuli ὀξὺ significatio trahi, & quod folia in mucronem desinant, & quod acidum saporem recipiat. Romani rúmicem appellant, forsan quod ab ea succus non aliter atque mamma, quam rumen veteres dixere, à sitientibus exugi soleat. Vulgares nostri *acetosella* vocant, quod gratum acorem ori repræsentet.

Duo apud nos nascuntur genera, maius, minúsve. *Genera.*

Dioscorides lapathi species describendo suam oxalim ita pingit. Folia exi- *Descriptio.* guo & syluestri rumici similia, caule non magno, semine subacuto, rubente, acri, in caule, & agnatis appendicibus emicante. Nos sic: foliis ima base lunatis, & pinnatis, caule striato succulento, colore rubello, radice fibrosa ex croco flauescenti, semine anguloso, acuto, quod foliaceo vestitur inuolucro, copiosoque. Minori folia longè minora.

Vbique pratis, & hortis, quolibet anni tempore viget, sed siccis præcipue *Col. Sol.* locis, vt in collibus, & quibusuis squallidis, & macilentis.

De oxy. CAP. XXV.

OXALIS iam dicta oxym in mentem reuocauit. Hæc tum sapore, seu leui acramento placet, tum quòd stomachum recreet: nam à Plinio dissoluto stomacho dari scriptũ est, non minus, quàm prædicta acetariis expetitur, admiscetur que. Hæc futuræ prænuncia est tempestatis, siquidem ea imminente, surrigitur contra eam, tanquam tempestati colluctatura, quod sæpissimè obseruauimus. Obseruatum etiam à plerisque doctiorum, quod huius herbæ copiosi flores crebros illius anni imbres, & aquarum inundationes portendant, sic pauci siccitatem. Sic Plinius de pratensi trifolio dixit, inhorrescere tempestatibus folio, & etiam nos obseruauimus.

Nomen. A Græcis ὀξύς, & Latinis dicta est, Plinio authore, quod acido sapore donata sit, aliquibus oxytriphyllon, nõ ab acutie foliorum, sed potius aciditate. Nobis *trifoglio acetoso*, & *allelũia*.

Descriptio. Plinius tenera folia habere dixit. Pusilla herba est, longis tamen pediculis iunceis, glabris, tenerisque, quibus singulis in extremitate tria insunt folia, quæ cordis figuram referunt, acidula. Flos quiuis foliolis stellatus luteus, nonnunquam cãdidus, simplici stylo inter folia prosiliens, semen rufum in oblongiusculis thecis, quod vbi maturuerit, sponte, vel leui tactu aperitur theca, & longiusculè proiicit, etiam cum strepitu, non sine admiratione. Radix ima fibrosa, summa, squamatim loricata, rufa, floret Maio mense.

Cal. Sol. Opaca, vmbrosaque sequitur.

De rapunculo. CAP. XXVI.

NVNC de rapunculo dicemus, cuius folia, & præcipuè radices in acetariis diuitum lautarumque mensarum veniunt, & ieiuniis quadragenæ expectatissimæ. Sunt enim eius radices longè quouis rapo, raphanoque delicatiores, suauioresque.

Nomen. Recentiores napunculum, vel rapunculum vocant, siue quod putarint eandem, vel congenerem, siue quia figura, vel esu napulam, vel rapulam præ se ferat radix, quia oblongula, & in medio sui nonnihil ventricosa.

Descriptio. Herbula viret folio oblongo humi accubante, vbi excaulescit, longiori, angustiori, & hirsutiori, cauliculis gracilibus, cubitalibus, & pluribus ab vna radice prodeuntibus. Flore quatuor foliolis conformato, purpurascente, ad cæruleum vergente, campanulæ effigie. Semine in oblongis thecis pusillo. Radice pollicis longitudine, alba, tenera, crassiuscula, in media ipsius parte subdulci. Hyeme folia virent, vere exit in caulem, Maio floret, & subinde fert semen. Radix hyeme eruitur ad acetaria, ęstate lignescit.

Cælum. Tepidum cœlum exoptare videtur, quale Neapolitanum, in Apulia vbi feruet, non nascitur.

Solum. Solum gracile & solutum, & suspensum sequitur, ob id in syluosis, & sepibus

bus reperitur, in quo radices in profundum agit: in plano vbi solum durius, & compactius, si nascitur, quum in profundum teneræ radices subire nequeant, viridis coloris, & duriusculæ fiunt.

Seritur semine, & optime prouenit, sic etiam oculi circa radicem sati con- *Satio.* cipiunt vere. Semel sata diutius perennat, nam ad esum extirpatæ, abruptæve radices, remanentes fibrillæ, etiam frondes, & caules egerunt.

De acu moscata. Cap. XXVII.

COMMENDATISSIMA inter acetarias herbas illa est, quam muscatam acum dicunt, geranii speciem odoratam illam à Plinio descriptam: quippe non modo, olei, acetiq; optimè recipit condimentum, sapidaque est, sed omnes alias herbas suo moschi odore fragrantes reddit, auidissimè editur, studiosissimeq; in hortis seritur, aliturque.

Græcis γεράνιον à gruini capitis imagine, quæ summo eius capitulo est aptis- *Nomen.* sima, per similitudinē dictum. Ab aliis acus moschata, quod & insigni moschi odore redoleat, & acuto longiori mucrone in vertice acus modo inhorrescat. Apud nos *herba moschata* à moschi odore, vnde illi princeps nomenclatura.

Dioscorides secundam geranii speciem describens, hæc habet. Geranium *Descriptio.* alterum caulibus minutis, & pusillis sesquipedalibus, foliis maluæ in summis alis sursum spectantia gruum capitula insunt cum suis rostris, aut canini dentes, nullius in medicina vsus. Quam etsi alienam à medicina Dioscorides existimauerit, non tamen inficiatur edi posse ab iis, qui gulæ indulgent, quum sui odoris iucunditate in acetariis expetatur, etsi quoduis potius, quàm nostram acum moschatam exprimere videtur. Subdit Plinius, quæ etiam à Græcis excepit: Foliis candidioribus, paulò quàm maluæ minoribus, caulibus tenuioribus, pilosis, ramosis ex interuallis binûm palmorum, & in iis foliis, inter quæ & in cacuminibus capitula insunt gruum. Sed nostri sic eam tradunt. Geranion alii myrrhim appellant, similis est cicutę, foliis minutioribus, & caule breuiori, rotundo, saporis & odoris iucundi. Nos eam ita describimus. Geranium, vel si mauis gruaria, è radice exigua cauliculos profert complures, graciles, rubentes, hirsutos, præcipuè adultos, è caule medio apice tenus folia exeunt myrrhidis, aut cicutæ, positu tanaceti, in plumam deducta, in caulium fastigiis flores, in quorum summo capitula ciconiæ, vel gruum cum rostellis acus longitudine emicant, in quibus semen occulitur.

Calido, temperatoque cœlo emicat, locis omnibus obuia, sed in hortis la- *Cœlum.* tioribus foliis luxuriat. *Solum.*

Primis autumni imbribus vsq; ad Februarium seritur, quum adolescere cœ- *Satio.* perit, lætamine suffunditur, herbisq; nocentibus liberatur. Fructificat Maio ac subinde perarescit. Suo semine se ipsa serit, vt vix semel sata amplius locum ea liberaueris.

De ferulis. Cap. XXVIII.

SVNT ferulæ cibo, & coronis commendabiles. Nobis veris initio prima ferulæ germina, quæ oui luteum referunt, sub cineribus excocta, charta prius, vel linteo madefactis inuoluta, mox pipere, sale, oleo, & aceto conspersa gratissimo sunt cibo. Ad hæc Plinius: Ferulæ caules pomum est, eduntur decocti, commendanturq; musto ac melle, stomacho vtiles, pluries sumpti capitis dolorem faciunt. Dioscorides muria caules cōdi scripsit. Columella eius docet condituram. Circa vernum æquinoctium colligito ferulas cum coliculo silentes, & hac conditura seruato, aceti duas partes, & tertiam duræ muriæ misces, ferulam quū legeris sub tecto exponito, dum floccescat, deinde folia, & corticem omnem folliculorum detrahito. Caules si fuerint pollice crassiores, arundine secato, & in duas partes diuidito: ipsos quoque flores, ne sint immodici, partiri oportebit, atq; ita in vasa condi, deinde ius, quod suprà scriptum est infundi, & paucas radiculas laseris, quod Græci σίλφιον vocant, adiectas, ita spissamento aridi fœniculi contegi, vt superueniat ius. In hortulo verò dixit,

Tempore non alio vili quoq; salgama merce
Capparis, & tristes inulæ, ferulæq; minaces
Plantantur.

Plinius coronarios vti ferulis & corymbis, & ignem optimè ferulis asseruari tradidit. Vnde quòd Prometheus primum extractum è silice ignem ferulis excepit, ansam præbuit Poëtis fingendi, ferulam Phœbi rotis admouisse, & accensam terris apportasse. Sunt qui arborum censui ascribēdam censeant, quod temporis processu lignescat. Propterea Clearchus inter lusorias quæstiones, quas Latini scirpos, Græci gryphos, & ænigmata vocant, ferulam dicit esse lignum, & non lignum, sicut pumicem lapidem, non lapidem, noctuam volucrem, non volucrem. Athenæo authore. Plinius. Ferulæ sunt asinis gratissimo pabulo, cæteris verò iumentis præsentaneo veneno, qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & ferula. Ferulæ Libero patri assignantur, de qua re alii alias referunt causas. Eusebius in præparatione euangelica ναρθηκοφόρον Bacchum appellat, id est, feruligerum, rationemq; docet, quòd homines potu in furorem aguntur, ac se inuicem feriunt, vt se mutuis vulneribus confodiant; ferulis vtuntur, quarum ictus lentus, sed non lætalis est. Plutarchus in Symposio aliam assignat rationem, ferulam, & obliuionem Baccho dari, ceu vel parum conueniat, errorum inter pocula deinceps comminisci: aut si qua in parte peccatum sit, puerilis, & leuis reprehensio sufficiat, quum & pueri ferula castigentur. Alii dicunt quod ferula Baccho aptissima sit, vt infirmos ebrietate pedes leui hoc pedamento regant ebrii. Fuit & antiquitus ferula imperii nota. Leuis enim huius arboris ictus est, vt magis seueritate, quàm fustium atrocitate formidabiles sint ii, quibus Regum instar sceptra conce-

conceduntur, nam legibus asperiores, sed pœna mitiores sint oportet. Fuit & pædagogorum insigne. Martialis,

Ferulæ minaces sceptra pædagogorum.

Plinius. Ferulæ natura murænis infestissima est, tactæ siquidem ea moriuntur. Salpa piscis aliquibus obscœnus dictus, qui nunquam percoqui possit, nisi ferula verberatus.

Nomen. Græcis νάρθηξ, quasi virgultum, vel batillum, aut thyrsum. Sic Latinis ferula dicitur, à ferendo, quòd illius caules senibus pedes, ac scipiones essent. Hippocrates non minus à feriendo, quàm à ferendo dictam videri voluit, qui etiam plastiga vocauit. Italis *ferola.*

Descriptio. Theophrastus ita describit. Ferula grandis admodum surgit, vnicaulis & geniculata, à genibus coliculi, & folia alternatim exeunt, mollia, grandia, multifida, capillamenti modo extenuata, maxima, vt quæq; terræ proxima sunt, caulem amplectentia, vt arundines, flores lutei, semen anethi obscurum. Germinat vere, primùm folio, tum caule, qui ei annotinus est, radice singulari profunda. Eius teneritudo processu transit in lignum. In fruticum genere est. Sed inter fortunatas insulas Norion est, in qua ferulæ tanta crescunt altitudine, vt arbores fiant. Dioscorides: Ferula caulem affert ternum cubitorum, folia fœniculi longe asperiora, & latiora. Plinius arborum generi ascribit, quoniam lignum loco corticis habet, hoc est forinsecus. Ligni autem vice fungosam medullam, vt sambuci. Geniculatis nodata scapis. A genibus exeuntia folia maxima, vt quæq; terræ proxima sunt: cæterum natura eadem, quæ anetho, & fructui similis. Nulli fruticum leuitas maior, ob id gestata facilius baculorum vsum senectuti præbet.

Genera. Theophrastus ferulaceum genus in plures spargi species dixit, sed prius de eo, quod commune omnium constat dicendum est, scilicet ferula, & ferulagine, seu idem genus ambobus, differens magnitudine tantum, seu alterum sit, vt nonnulli putarunt. Ergo natura earum, quæ conspici possit, consimilis certè sentitur, præterquam ratione magnitudinis. Ferula assurgens in altitudinem finditur cacumine, inq; stipites quosdam haud magnos dispergitur, quibus flos semenq; insidet. Ferulago autem humilis est. Plinius: Quæ ab vno caule diuiditur in cacumine, fœmina putatur. Dum Apuliæ essem, multas, & propè infinitas species enumeraui, magnitudine, colore, semine, folio & huiusmodi similibus differentia.

Locus. Solum. Calidis nascitur locis: ideo Apulia ferularum maximè ferax. Præterea squalidis, celsis, præruptisque saxorum maritimis finibus, vbi æstiui ferment soles.

De dracone hortensi dicto. CAP. XXIX.

EST & elegantioribus nostris olitoribus non incognita herbula quædam draco dicta, acetariis gratissima, quæ si sale, oleo, & aceto condiatur,

nec sal nec acetum exigere videtur, quum vtriusq; saporem referat. Hanc antiquis incognitam dicunt, sed admirabili quodam modo olitoribus inuentam.

Nomen. Draco nomen. Sunt qui putent tarchon Simeonis Sethi, vel Auicennæ, vel corrupto à tarchone nomine, vel quod acuto sapore linguam vellicet.

Descriptio. Pusilla herba. Folia angusta, crassiuscula, cuspidata, flosculi lutei in ramulis sparsi, caules cubitales, semen exiguum, & euanidum nigrum, radices humi reptantes graminis modo. Sapor aceti, & salis gustum linguam comburendo præfert.

Satio. Quia semen euanidum, & non genitabile, propagatur radice, in varias partes diuisa. Habetur ex Hermolao doctissimo viro semine lini, raphani, scillæ bulbis incluso, & in terram obruto nasci. Alii semine inserto cuipiam cæpaceæ, & tuberosæ radici, si quis in afflatu maritimo, & natalibus squillæ non auulsæ inferat. Vel si in raphano, aut cæpe foraminulo facto adigatur lini semen. Sed id verum sit nec ne, arguere non ausim, quum vniuersæ Italiæ id pro certo persuasum sit. Nos quum sæpius huius periculum fecerimus, & amicos nostros, vt idem experirentur hortaremur, sæpè lusit experientia, & optato voto frustrati sumus: nam & cæpis, & alliis, & scillis geminum linum prognatum vidimus, nihil de scilla habentem.

De herbis condimentariis, & primò de apiis, ac de hortensi apio. Cap. XXX.

Iam escarias herbas, siue quæ coctæ siue quæ crudæ edantur, aggrediemur, sed prius de herbis aliquot condimentariis dicemus, quæ ad obsonia condienda, gulæ irritamenta: ab apio exorsi incipiemus. Plinius: Gratia apio vulgo est: nanq; & rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Quæ verba quid nisi vulgare nostrum petroselinum indicant? quum nobis olerum omnium familiarissimum in ciborum condimentis perpetuo habeatur. Ideo merito tacita coniectura potius, quàm certa vlla figuræ expressione verum antiquorum apium existimatur. Præterea pisces in piscina ægrotantes viridi, apio recreantur. Honos ipsi in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeæ. Cæterum nil æquè suauitatem oris commendare prodiderunt Græci, si ab iis estur, quibus anima fœtet, iisq; grauis halitus tædium emendare. Addiderunt meritorias mulieres apium comesse, vt graue virus odoris abigant, oraq; sua iucundiorem expirent auram, ex Florentino in Geoponicis Græcis. Apii coliculos seruare docet Columella conditura, quæ aceti partes duas, & tertiam duræ muriæ recipiat. Verum apud eruditos nil aliud terra erutum in maiorum sententiarum varietate est. Chrysippus, & Dionysius ad cibum admittendum non esse: immo nefas: nam id defunctorum epulis feralibus dicatum esse dicunt. Plutarchus est author sepulchra apio coronari, vnde vetus illud adagium de apio, de iis, qui profligata valetudine vtuntur.

Theocritus σέλινον εὔοδμον, id est, selinum odoratum vocat. Theophrastus itidem selinon vrbanum. Dioscorides hortense. quum autem cæterorum meminerint, oreoselini, eleoselini, & hipposelini, per hortense, & vrbanum, non nisi nostrum peculiare petroselinū intelligi voluerunt. Nomen σέλινον, à palustri solo, in quo sæpius prouenire solet, deducunt. Videtur tamen posse deduci à formidando lunatico effectu, quem accersit esu. In puerperiis ab eo cibo comitiales fieri, qui vbera infantes hauserint, dicunt. Latini apium, & apius, sic Chrysippus, & Dionysius, Plinio authore. Itali, *petroselino*, *petrosemolo*. *Nomen.*

Theophrastus ita apium depingit. Suffrutex est, cacumine perpetuo virens, & si reliquarum frondium iacturam faciat. Perfectis foliis, caulis conuenienter assurgit, folio scisso per extrema, mespilo simili (quæ vulgò *azarolo* vocatur) Radix carnosa, dulcis, grataque palato est, folia ficciora, veluti acriora. Causam reddit. Quia superior pars nimis sicca, inferior roscida est, sapor itaq; neq; in nimio humore, neq; in siccitate residet, ita fit, vt radices esculentæ, dulcesq; sint, superiores verò partes siccitatis causa insuaues, & insipidæ, vt in gramine, & reliquis eiusdem generis videre est. E radice, quæ in profundum agitur, & quæ crassa, è lateribus mittit vt beta. Vnde semel satum, vbi radices iniecit, restibili fœcunditate folia, caulesque producit. Dioscorides etsi videtur suo peculiari capite descriptionem omisisse, aliis tamen sui libri capitibus optimè repræsentat. Apium est hipposelino, & eleoselino minus, folio angustiori, radix cruda, coctáve estur. Folium habet laserpitio simile, & folio bunii, scilicet, quæ proxima sunt radici, vel caucalidis, vel smyrnii, sed angustiora, minusque pinguia, & eiusdem caulem, semen siso simile. Ab eo Plinius. Sæpius patit, semel satum pluribus annis restibili fœcunditate prouenit. Fruticat, sed non capite. Proprium ei, quod colorem immutat. Semine nudo. Addimus nos. Antequam excaulescat, folia habet modicè lata, diuisaq;, ac postquam caulem edidit, folia mutat, satis enim oblonga, & tenuia, digiti longitudinem æquantia habet. Caule cubitali, concauo, tenuiter striato, foliis tripartito dissectis, oris leniusculè laciniatis, flosculo candido, & quo minutiorem haud temere reperias. *Descriptio.*

Chrysippus fœminam esse dicit crispioribus foliis, & duris, & crasso caule, sapore acri, & feruido. Dionysius marem nigriorem, breuioris radicis, vermiculos gignentem. Plinio authore. Quibus verbis vulgare nostrum apium depingunt. Per marem enim vulgare petroselinum descripserunt, quod foliis minus crispis, caule minus crasso, sapore dulciori, nec tam feruido, colore albidiori, & longiori radice. Plinius satiui huius apii differentias enumerare gestiens ait: Satiui autem differentiæ in folio denso, crispo, aut latiore, aut læuiore. Item caule lentiore, & crassiore: & caulis aliorum candidus est, aliorum purpureus, aliorum varius. Quæ verba è Theophrasto excepit libri sept. capite quarto. Apiorum tum in foliis, tum in caulibus discrimen vtique constat, aliud folio spisso, crispo, densoque, aliud rariori, latiorique, caule q́, maiori. *Genera.*

Horum iterum aliud candidi caulis, aliud purpurei, aut versicoloris. Verùm ad summam: eiusmodi omne syluestri proximum est. Theophrastus non satiui, vt ipse putat, sed apiorum omnium differentias notat, videlicet eleoselini, hipposelini, cæterorumq;. Dioscorides syluestris apii meminit, secundo dauci generi assimilando. Apud nos duo vulgaris petroselini genera sunt: maius, quod *petroselino di catalogna* dicimus, & vulgare minus.

Cælum. Locis calidis, & frigidis seri potest, dummodo iugis adsit humor, cuius rigatu facilius animatur, quamuis etiam in siccitate nasci non denegat.

Solum. Columella. Secundum fontem commodissimè ponitur, quia præcipuè aqua lætatur. Palladius: Terra quali volueris, dummodo ibi sit humor; quamuis nasci, si necesse sit, & in siccitate non deneget.

Satio. Theophrastus è seminibus secundæ sationis esse dicit, quę post brumam Ianuario mense fit. Columella: Eius optima satio post idus Maias, vsq; ad solstitium, nam desiderat teporem. Possis quoq; plantis serere, nec minus semine. Palladius, Locis calidis, & frigidis Aprili, & propè omnibus mensibus à primo vere vsq; ad autumnū seratur extremum. Plinius dicit ab ęquinoctio verno seri. Theophrastus: quinquagesimo à satu die, vel quàm celerrimè quadragesimo, prouentu omnium difficillimum proditur. Sed è veteri semine celerius prouenit. A bimatu fructificat. Recipit in rigationibus salsam aquam. Vnde Aristoteles in problematis quærit, cur aquam salsam apium recipit, porrum recusat. An quod alterius radix imbecilla, alterius valida est? Impatibilius autem, quod validius. Plinius. Omnium difficillimum nascitur apium, quadragesimo enim die quàm celerrimè, quinquagesimo maiore ex parte emergit. Ex vetere semine celerius prouenit.

Ars. Grandius nascitur apium paxillo seminibus; quàm fusim satis, ex Theophrasto. Præterea vt in radices crescat, Quum transfertur palo cauerna facta tantæ crassitudinis, quantæ ipsum fieri volueris, ingesto fimo, apium adigas: radix enim totum locum implere facilè poterit. Facta nanque scrobe, adacto palo, totum spatium illud replebit radix, & fiet etiam, vt si qua figuræ species in ipso sit vacuo, radicis partibus subeuntibus communicetur. Docet etiam aliter, quomodo communicetur cum radicibus etiam germinum magnitudo. In linteolo plura semina colligata mandari terræ iubet, illa omnia coalescere in naturam vnam: sic radices, & germina ampliora euadent. Idem diximus de palmis in pomario, quæ res minime contemnenda, si vera esset. Cuius rationem assignat: plus enim valent quæ plura, atque ex his omnibus natura vna coalescit. Florentinus ab eo, magnum nasci apium suadet, si quantum seminis possis tribus digitis comprehendere, vetusto linteolo deligaueris, inde stercore inuoluto ligabis. Columella: Siquis velit id latifolii facere, quantum seminis possint tres digiti comprehendere, raro linteolo illiget, & ita in areolas dispositum religet. Palladius. Apios maiores facies, si semen, quantum tribus digitis comprehendi potest.

potest, linteolo rariore clauseris, & breui fossa obrueris, ita omnium seminum germen capitis vnius soliditate nectetur. Sed tantorum virorum pace hoc falsum esse deprehendimus tum ratione, tum experientia: plura enim & separata potius nascuntur, quàm ex omnibus vnum, vt superius diximus. Extat & aliud commentum radices augescendi, ab antiquis edoctum. Quærit enim Aristoteles in problematis, cur si quis apium radice tenus circumfodiat, partiq; imæ panicum vndiq; ingerat, deinde terram accumulet, itaq; irriget: radices mira magnitudine adolescent. An quod natura panici fungosa, & calida pabulum attrahit, conceptumq; non sursum transmitti patitur: sed inter radicem contentum calore sibi indito concoquit, vt radicis amplissimum sequi incrementum necesse sit. Theophrastus ab eo: Qui volunt apii radicem mira capere incrementa, circumfodiunt radicum tenus, in id vacuū καχρύων poni iubent, mox terram accumulant: ne quicquā ad germina distribuat, prohibetur, cohibeturq; obiectu inspersæ terræ, vnde pars ea, quæ frondibus, & germinibus debebatur, radicibus absumitur, sic maior sequatur accretio necesse erit. Cachryllū calidum densumq; est, magnumq; emolumētum à densitate habet, quia attrahit, & retinet caliditatis ratione: materia igitur attracta, & retenta, & calore concocta, superiores partes defraudando sequitur incrementum. Sed quid καχρύων significet, speculemur. καχρύων diminutum est à κάχρυος, quod hordeum significat, Pollucis & Suidæ authoritate, ex Aristophane, & Nicandro. Alii suffrictum hordeum interpretantur. Sed hordeum neq; calidum, neq; siccum est, & Aristoteles panici raritate iuuari dixit. Est & κάχρυς ex Dioscoride in libanotide, qui maximè calidus est. Florentinus longè maius apium fieri tradit, si ablaqueatis radicibus, paleas adieceris, & ligaueris. Idem crispari apium pollicetur, si satum pauito solo cylindrum superuoluatur, sub terra enim coercitum, non habet quo se diffundat. Columella: Si quis apium crispæ frondis fieri maluerit, semen eius inditum pilę, & saligno palo pinsitum, expoliatumq;, similiter in linteolis ligatū obruet, potest & citra hanc operam fieri crispum, qualitercūq; satū, si quum est natum, incremētum eius superuoluto cylindro coerceatur. Palladius: Crispi fiunt, si ante tundantur, vel si super areas nascentes aliqua pondera voluentur, aut pedibus proculcentur enata. Plinius: Semina paululū in pila pulsato, crispū sic putant fieri, aut si satū calcetur cylindro. Figurā quoq; sic induet nouā, authore Theophrasto, & circumpositi vasis formā imitabitur. Quod ideo propterea eueniet, quia nutrimentū quum prohibetur, arceturq; à vase circūueniente, fertur ad id, quod aduocet, libertatemq; luxuriādi concedit. Fit enim veluti riuuli cuiusdā deductio, itaq; ambientis vasis figuram circumplectitur. Euenit hoc idem quodammodo & generi animalium in magnitudine, paruitate, breuitate, & longitudine.

De palustri apio, & capitato. CAP. XXXI.

NVNC ad aliam apii speciem deueniemus, scilicet palustrem. Ex ipsius specie est eleoselinum, inquit Palladius.

Nomen. Theophrasto ἐλεοσέλινον, Dioscoridi ἑλεοσέλινον; quasi ἕλυς σευόμενον, hoc est, paludibus impulsum. Alii ὑδροσέλινον, quasi humentium alumnum. Homerus ἑλεόθρεπτον, quod paludibus gaudeat, ibiq; lætius exurgat. Latini heleoselinum vocant, authore Plinio, & palustre apium. Gaza confuso nomine paludapium vertit. Neapolitani *accio*, & *apio*, ab apio detorto nomine.

Descriptio. Theophrastus, Folio raro, nec hirsuto, simili apio sapore, figura, & odore. Folium frugifero rosmarino adsimile, sed multo minus. Dioscorides, satiuo grandius. Plinius: vno folio, nec hirsuto. Palladius helioselinon molli folio, & caule tenero. Hoc apium Chrysippi, & Dionysii consiliis à cibis abdicatum puto, tum quod ingrati saporis, odorísve sit, tum quia epilepticum paroxysmum exciter, & aciei obsit.

Solum. Dioscorides in humidis nasci dixit, Palladius in lacunis. Plinius idem, sed Theophrastus apud aquæductus pulchrius prouenire.

Cultura. Sed aliud est eiusdem speciei apium capitatum dictum, quod in hortis oppidi sanctę Agathę, item Theano, & aliis Apuliæ locis inuenitur à natura donatum, antiquis inuisum indictumq;, quod crassa, quam possidet, radice rotunda, globosaq; hominis ferè caput ęquet. Ipsa dulcissima, odorata, grataq; admodum palato est, fouẽdo stomacho, ac habitu oris cõmendando apprimè commendata. Eius satio hęc est. Ineunte Ianuario spargitur semẽ. Februarii medio pullulat è terra, quadraginta diebus increscere sinunt, circa Martii calcẽ transferunt, solo altè ad sesquipedem pastinato, cribrata terra, ac stercorata, distet alterum ab altero sesquipede. Transacta hyeme estur Martii initio, postea enim excaulescit, lignescitq; radix, aliis locis translatum degenerat, nil à vulgari apio nisi magna ac rotunda radice instar capitis distat.

De hipposelino, siue olusatro. CAP. XXXII.

EX apii genere hipposelinon est. Radix cruda, coctáve vescendo est. Columella eius conditura docet, Olusatrum quum legeris subsecato, exponito dum flaccescat: dein folia, & corticem omnem folliculorũ detrahito. Caules si fuerint pollice crassiores arundine secato, & in duas partes diuidito, sic & flores, & in vase condito, dein ius, quod est mistum duabus partibus aceti & vna muriæ, infunditur, & fœniculi aridi spissamentum imponito, vt herbas deprimat. Idq; circa vernum æquinoctium antequam de folliculo exeat, vel prius quàm coliculum agat, radicem exerito Ianuario, vel Februario, & defricato, ne quid terreni habeat. in aceto & sale componito, post mensem corticem abiicito, & medullam concisam in fictilem coniicito, & adiicito ius ex sapæ, vel defruti duabus partibus, & aceti vna. Sumito mentam, & vuam passam, & cæpam aridam exiguam, eamq; cum torrido farre ex exiguo melle subterito. Quum vti voles, suo iure ponito, & oleum adiicito.

Nomen. Theophrastus ἱπποσέλινον à magnitudine vocat: Græci enim magnis rebus ἱππο præponere solent, adeò vt nil aliud Latinis sit, nisi grande

apium

apium. Theodorus vertendo Theophrasto equapium vertit, nam ἵππος etiam equum significat, sed aptius magnapium dixisset. Ex hoc Nicander in Theriacis μεγάλον σέλινον vocauit. Sed Dioscorides Theophrasti ἱπποσέλινον vocat σμύρνιον, παρὰ τὴν σμύρνην à myrrha, quam odore æquiparat, & ab olitoribus Ciliciæ petroselinon vocari, & Romæ ὀλύσατρον dici. Latini olus atrum, & olus pullum vocant: videturque atri oleris nomen iccirco sibi arrogasse, quod eius folia atro virore nigrescant. Plinius olusatrum, quod hipposelinon vocant. Neapolitani *alesano* vulgo ab Alexandria, corrupto nomine, vel *macedonio* à Macedonia.

Theophrastus ita suum hipposelinum describit. Hipposelinon palustri apio foliis proximum est. Sed hirsutum, caule grandi constat. radicem crassam, modo raphani agit, sed atram. fructum quoque atrum producit, magnitudine eruo ampliorem. Lachryma ex eo myrrhæ similis defluit, quidã in totum myrrham esse affirmant. Folium ei cacumine perpetuum viret, etsi reliquorum iactura fiat. Radix dulcis carnosa, grataq; palato est, sed reliqua minime radicibus respondent: nam folia licciora, acrioraq; sunt, cuius rationem in hortensi apio diximus. Cortex crassus, & extricabilis, vt raphanus, sed betæ proximum dixeris. Lachrymam in radice habet, quam myrrhæ similem esse cõstat, quamobrem quum quidam hinc nasci myrrham vidissent, hipposelinum apud se prouenire putarunt. Vnde referunt ad vrinæ difficultates ex vino dulci albo, & ad pellendos calculos valere. Plinius hipposelinũ describens suo more verba Theophrasti mutuatus, vertendo peruertendoq; inquit. Hipposelinum simile eleoselino est, myrrhæ naturæ est, è lachryma sui caudicis nascitur; succum eius qui colligunt, myrrhæ saporem habere dicunt. myrrha sata natum, radices habet libanotidis, nil à thure differentes. Quæ vltima verba à Theophrasto excepit: vt videbimus in eleoselino. Dioscorides suum smyrnion describens, Theophrasti hipposelinum manifestat. Hoc caulem habet apii, stolonesque multos, folia latiora, & ad terram infracta, quadantenus pinguia & robusta, iucundi odoris, cum quadam acrimonia, medicatiq;. Colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis, vt anethi, semine rotũdo, simili brassicæ, nigro, gustu aspero, æmulante myrrham tam proxime, vt myrrha sata alterũ quoq; nascatur. Radix quoq; odorata, mollis, succosa, mordet gulam transitu, cortex eius foris niger, intus viridis, & subalbidus. Medetur vrinæ angustiis, semen renum & vesicæ vitiis prodest. Plinius ita à Dioscoride transcribit, ita Dioscoridi smyrnion, & Theophrasti hipposelinum depingit. Smyrnium caulem habet apii, folia latiora, & maximè circa stolones multos, quorum à sinu exiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, & cum quadam acrimonia iucundo, colore in luteum languescẽte, capitibus caulium orbiculatis, vt anethi semine rotundo, nigro, quod arescit, incipiente æstate. Radix quoq; odorata, gustu acri mordet, succosa, mollis, cortex eius foris niger, intus pallidus, odor myrrhæ habet qualitatem, vnde & nomen. Palladius

Descriptio.

Hipposelinum durius & austerius. Vulgaris nostri *alexano* veram delineationem ita repræsentamus. Caules edit, alásve multas, statim à radice striatos, bicubitales: sed Apuliæ tricubitales, & maiores vidimus, concauos. Folia apii palustris, sed maiora, rotundiora, lurida, vel ex atrore viridantia. Vmbellas apii, semine copioso onustas, atro, pleno, graui, semiorbiculari, paululum in basi vtrinque retuso, gustu acri, medicatoque. Radix crassa, succosa, tenera, vesca, gustu grato, nonnihil medicato, intus alba, foris pulla.

Cel. Sol. Theophrastus locis omnibus nasci dixit. Dioscorides saxosis locis, & humidis, & angulis terrenis, passimq;. In Amano monte laudatissimum. Columella pastinato loco iuxta maceriam, quoniam & vmbra gaudet, & qualicunq; loco conualescit.

Satio. Seritur semine, radice, & lachryma sua, Theophrasti authoritate. Sed peculiaris eius satio est, lachryma sua prodire, veluti lilium, quũ id quod sole refluxit, in lachrymam inaruit. Nec ratio abest, quod gummi eiusmodi caulibus respondet, principiumque à quo genitale seminium viget, coactum esse oportet: non enim sine calore, humoreque generatio talis consequitur. Cur autem non omnes lachrymæ generandi vim obtineant, ratio est, quod neque caules, neque radices vim eiusmodi sortiantur, & quæ sunt imperfectiora ex minimo principio valent generari. Plinius eius verba transcribens habet. Olusatrum miræ naturæ est, hipposelinum Græci vocant, alii smyrnion, è lachryma sui caudicis nascitur, succum eius qui colligunt, myrrhæ saporem habere dicunt, author est Theophrastus, myrrha sata natum. Columella semine seri, idque quum semel seueris: si non totum radicibus tollas, sed alternos frutices in semen summittas, æuo manet, parumque sarritionis exigit cultura. Sarritur à Vulcanalibus vsq; in Calendas Septembris, sed etiam mense Ianuario. Plinus: Veteres præceperant, in locis incultis lapidosis iuxta maceriam seri, nunc in repastinato seritur, & à Fauonio post æquinoctium autumni. Seritur & radice.

De hipposelino Dioscoridis. CAP. XXXIII.

DIOSCORIDIS hipposelinon aliud est à supradicto: nam illud smyrnion vocabat. Sed Galenus ambos concordans dixit: Smyrnion agreste hipposelinum vocant, satiuum verò quod odore myrrham æquipararet.

Nomen. Dioscorides ἱπποσέλινον, à Latinis olusatrũ dici ait, ab aliquibus smyrnion, quamuis aliud sit, quod smyrnium dicitur. Galenus hoc agreste smyrnion vocauit.

Descriptio. Dioscorides ita depingit. Est autem hipposelinon maius, & satiuo apio candidius, caule alto, cauo, molli, habente veluti lineas, foliis latioribus in puniceum vergentibus, coma roris marini, florum plena, dependentibus in cacumine corymbis, antequam deflorescat, & semine turget nigro, oblongo, acri, solido, aromatico, radix dimittitur tenuis, odorata, candida, quæ os commendat,

dat, olerũ generis. Vt apium radix cruda, coctáve estur. Folia autem cum caulibus decocta manduntur, & per se, aut cum piscibus præparantur. Cruda muria condiuntur.

In vmbrosis & palustribus nasci idemmet testatur. Selem.

De oreoselino. CAP. XXXIIII.

MEMINERVNT veteres Græci oreoselini, & Latini, sed quænam fuerit herba, verentur doctiores suam proferre sententiam.

Græci, vt Theophrastus, & Dioscorides ὀρεοσέλινον vocant, sed non halluci- nari oportet oreoselinum esse petroselinum, quod in saxis nascatur: nam aliud est in Macedonia proueniens. Theodorus Gaza Theophrastum vertendo, conficto nomine montapium vertit. Palladius petroselinon vocat. Plinius Græcè oreoselinum. Nomen.

Theophrastus oreoselinon maioribus differentiis distare dixit, folio nanque cicutæ constat, radice tenui, caule anethi, minutiorique, datur in vino austero gratia menstruorum. Dioscorides verò. Caule est dodrante alto, ab radice tenui exeunte, per cuius ambitum rami & capitula cicutę, sed multo tenuiora, semine cumini oblõgo, acri & odorato, tenui. Semine, ac radice in vino potis menses trahit. Plinius: Oreoselinum cicutæ foliis, radice tenui, semine anethi, minutiore tamen. Descriptio.

Nascitur in petrosis, & mõtibus ex Dioscoride. In locis asperis, ex Palladio.

De petroselino Macedonico. CAP. XXXV.

DIOSCORIDES etiam Macedonicum petroselinum commemorat. Apud nos quia cœptum est coli, summoq; studio illius culturæ indulgent, apponemus.

Πετροσέλινον Macedonicum Dioscorides vocat, quod Latinè saxatile apium sonat, vel petrapium dici posset. Plinius à Dioscoride, Alio genere petroselinon quidam appellant in saxis natum. Nomen.

Dioscorides cumini semine, odoratiore, sapore acri, aroma olente esse dicit. Quod apud nos habetur, perparum à domestico distare videtur, folia consimilia, aut potius pimpinellæ iam dictæ, crispatis oris, & argutioribus incisuris. Caule tenui, vmbellæ albicantes, semine tenui, pusillo, & euanido: nam satum non nascitur, ferunt è Macedonia accersitum semen. Descriptio.

Plinius post petroselini mentionem, ait. Addidere quidam buselinon, differens breuitate caulis à satiuo, & radicis colore rufo, eiusdem effectus. Genera.

Nascitur in Macedoniæ præruptis crepidinibus, ex Dioscoride. Loca.

De fœniculo. CAP. XXXVI.

POST apia de fœniculo dicemus. Alexis in lebete inter condimentarias herbas fœniculi meminit, ex Athenæo. Plinius: Fœniculum quum inaruit,

ad condimenta plurima. Condimentisque propè omnibus inseritur, oxyporis etiam aptissimè. Quin & panis crustis subditur. Etiam fœniculum serpentes nobilitauere, gustatu senectam exuendo, oculorumque aciem eius succo reficiendo. Vnde intellectum est, homini quoque calig.nem eo præcipuè releuari. Anguis hyberno situ membrana corporis obducta, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat. Exuit autem à capite primum nec celeriùs quàm vno die, ac nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Idem hyberna latebra visu obscurato, maratro herbæ se affricans, oculos vngit ac refouet. Eadem Nicander exordio theriacæ: Quo tempore relicta arescentium squamarum senectute torpidius, ac segnius ingrediens, vernaque tempestate cauum suum fugiens, hebetibus oculis cernit. verùm depastus fœniculi comosos ramos, celeriter visus aciem recuperat. Galenus, Fœniculi assiduus in obsoniis vsus apud nos: in hoc reponunt, nō secus ac piretrum, ac terebinthum condientes, vt in totum annum vsui sit, quemadmodum & cæpas, & rapas, & alia eiusmodi, quædam in solo acero, alia in oxalme asseruantes. Veteres quum fœniculum legissent, sub tectum exponebāt, dum flaccesceret, deinde folia, & corticem omnem detrahebant. Caules si fuissent pollice crassiores, arundine secabant, & in duas partes diuidebant, ipsosque flores, ne essent immodici, partiri & diduci oportebat, atque ita in vasa condi, tū ius, quod erat mistum duabus partibus aceti & vna muriæ, infundebatur, paucas radices laseris adiiciebant, & spissamento contegebant, vt ius superueniret. Hæc ex Columellæ placitis. Platina tum semine, tum caule pro conditura obsoniorum, tum crudo, tum cocto vtitur.

Nomen. Græcis μάραθρον doctissimi quidam dictum volunt, quod emarcidi, & arentis fœniculi ad condienda obsonia commodissimus sit vsus, & à Græcis Latini, quod sicut fœnum arefactum in hyemes, & marcidum reponatur, fœniculum dixerunt. Alii quod satum maximo cum fœnore semen reddat, dictum volunt. Itali *finocchio*.

Descriptio. Theophrastus ita depingit. Suffrutex est è ferulaceo genere, & neruicauli. Folio thapsię simili, strictiori tamē, suaueolēti, dulci. Semine nudo. A quo Plinius. E ferulaceo genere fœniculum perquàm simile thapsiæ, semine nudo. Dioscorides variis in capitibus suam descriptionem reposuit. Folia seseli Massiliensi similia habet. Semen ligustico simile. Folia dauco Cretico, sed maiori, & crassiori. Caule elaphobosci, dauco primo simili. Addimus nos. Satiuum hominis plerūq; proceritatem superat, caule geniculato, fungosa intus medulla, læui extrorius cortice, & herbaceo, folio abrotoni, sed longiori, molliorią;, iucundo odore. Vmbella rotunda, ampla, lutea, in orbem radiatim circinata, in qua semen. Radice longa, candida, odorata.

Genera. Syluestre fœniculum Theophrastus & Dioscorides ἱππομάραθρον vocant, Gaza vertendo Theophrastum equifœniculum vocat. Nicander metri causa ἱππεῖον μάραθρον vocat, quasi equinum fœniculum dixeris. Galenus ἄγριον μάραθρον,

θρον, id est syluestre fœniculum. Dioscorides ita pingit: Magnum est, fert autem semen cachri simile, cuius radix iucundè olet. Plinius ab eo: Est in hoc genere syluestre, quod alii hippomarathron, alii myrsineum vocant, foliis maioribus, gustu acriore, procerius, brachiali crassitudine, radice candida. In Apulia cuique obuium. Dioscorides aliud tradit hippomarathri genus, longo, exili & angusto folio, semine corianni, rotũdo, acri, odorato. Plinius: Diocles & aliud genus hippomarathri tradit, lõgo & angusto folio, semine coriandri. Satiuũ anethi folio, semine dulci. Syluestre semine acri, hippomarathri feruido.

Palladius loco aprico, & modice saxoso nasci dixit. Plinius hippomarathron nasci dixit in calidis, & saxosis. Sed satiuum pinguibus locis melius, & lætius assurgit, in siccis ægrius. Syluestre omne substinet cœlum, & solum, & præcipuè in squalidis, & siccis, & arenosis. Respuit argillaceum. Satiuum hyemes non perinde substinet, vt vulgarius & syluestrius. *Cæl. sol.*

Palladius primo vere, vel Februario fœniculum serit. Nos primis autumni imbribus serimus sulcis, à quintodecimo nascitur die: quum adoleuerit aliquantulum, quod in sulcis abundat, alio transplantamus, relinquendo in sulcis quæ satis fuerint. hæc citius spicam, illa serius proferunt. Viginti diebus adolescere sinunt, inde fodiuntur, ac lætamine saturantur. Nouembri secantur, vtimurq; iis in acetariis & ferculis, à sectione quintodecimo die pullulant, tunc denuò pastinantur, moxque humo cooperiuntur, ac lætamine, sic secundo secantur Martio, & à duodecimo die repullulant, rursusq; fodiuntur, cooperiuntur, ac lætamine teguntur. Aprili vmbellas proferunt, sic Maio, & Iunio semen afferunt, si quadrima fuerint. Sin minus, tertio secantur, & repullulant à decimo die, eandem operam impendendo. Septembri denuò pro frondibus secantur, & iterum vmbellam proferunt. Sic anno bis florebunt, & hoc modo vsque ad sextum annum durãt. Sed olitores tertio anno radicitus euellunt. Syluestre Augusto serimus, nullam denique curam adhibendo secamus illud Ianuario, Februario, & Martio: sed Augusto, & Septembri fert vmbellas, & vbi vnum desinit, alterum incipit, sic omni tempore hîc flores habemus. *Satio.*

Si bubulo lætamine operiuntur, dulciora ferunt semina. Alii semen aridis ficubus indunt, seruntque, vel si eius semina mulso, vel lacte macerata sint, dulciorem suauioremque proferre fructum referunt. *Am.*

De anetho. CAP. XXXI.

POST fœniculum de anetho scribemus, cui & cognatum genus videri potest, figura & dote, Athenæus etiã Alexis authoritate in lebete condimentis nasci refert. Plinius etiam culinis nasci. Ideo & nos in nostro horto seremus anethum in condimentario vsu magnopere quæstum. Galenus in cõuiuiis antiquos etiam vsos fuisse coronis ex eo concinnatis, humidis adhuc, & roscidis, ad somnum conciliandum refert.

Græcis ἄνηθον quasi ἀνίκητον dicunt, quod cibi appetentiam excitet, & ἀνηθεῖν *Nomen*

coitus est venereus, quem eius esus lacessit, at plurimus vsus genituram hebetat. Latinis anethum. Italis *aneto*.

Descriptio. Theophrastus. Lignosa radice nascitur, non adeo prolixa, neque multis subnixa fibris, multicaule, ramosum, quapropter pars superior, non pro ratione inferioris extat, semine nudo, succo suaueolenti. Semen ferulæ simile, sed minus, & modo ferulæ laterales caules flores & fructus ferunt. Plinius ab eo: Anethum semine nudo. Dioscorides, etsi vt omnibus noti suam figuram neglexerit, quum alias plantas illi assimilauerit, exactam eius delineationem apposuit. Anethum cauliculum habet ligustici, capitulum seseli Æthiopico simile, & vmbellam seseli Marsiliensi, aut dauco tertio, & semen, aut tithymalo helioscopio, vel orbiculata caulium capita, vt smyrnium, vmbellam elaphobosci. Semen & florem bunii. Nos verò: Tantopere fœniculo simile, vt ipsum olitorem, & pharmacopœum interdum deludat, nisi odor consulatur. Caule sesquicubitali assurgit, exilitate folii in staminis penè modum extenuata, flosculo luteo, æstate florens, sapore ingrato, colore obscurius virente.

Genera. Theophrasto vnistirps, cui generum diuersitas non est. Plinius ab eo, Genere singulari.

Cal. Sol. Palladius omnem cœli statum pati dixit, sed tepidiori lætatur, sic omne solum.

Satio. Theophrastus è prima satione anethum esse dixit, post brumam mense Maio. Quarto prosilit à satu die. Plinius ab eo: Quarto die à satu prosilit. Columella: Seri potest vere, & autumno. Circa Calendas Octobris obrui potest non frigidissimo loco: nam si regio sæuas habet hyemes, post idus Februarias semine differendum est, suaq; de sede partiendum. Palladius, Locis temperatis & calidis autumno seritur. Locis frigidis Februario. Rigetur, si se imber abstineat, seratur rarius. Alii semen eius non obruunt, opinantes, quod à nulla aue tangatur. Martio etiam seritur. Plinius: Alio comitatu æquinoctio autumni seritur anethum.

De aniso. CAP. XXXVIII.

ANISUM anetho simile esse vberrima patet authorum lectione. Plinius culinis anisum nasci scripsit, crudum, decoctum, virens, aridum, panis etiam crustis inferioribus subditum. Ægyptium ligustici vicem præbet in condimentis. Omnibus tandem quæ cōdiuntur, quæq; intinguntur desideratum, quin ipsum odoris halitum iucundiorem facit, fœtoremq; tollit manducatum matutinis cum smyrneo, & melle exiguo, mox vino colluto, insomnia leuat suspensum in puluino, vt dormientes olfaciant, appetentiam ciborum præstat, quando id quoque inter artificia deliriæ fecere, ex quo labor desiit cibos poscere. A Pythagora inter pauca laudatum. Corripi etiam comitiali morbo negat in manu tenentes. Ideo quamplurimum domi serendum. Platina in tertia mensa commodius edi memorat.

Theo-

Theophraſtus & Nicander in Theriacis ἄννησον vocant. Dioſcorides ἄνισον, ἀνίκητον, anicetum, & hoc vocatur anetbi, vt diximus, modo, quoniam appetentiam ciborum præſtat, vel ὅτι ἀνίησι, quia laxat flatuoſas tenſiones, externas, internáſve. Vnde & Latinis anilum, & aneſum dicitur. Auicenna fœniculum romanum vocat. Neapolitanis Græco, & Latino nomine cognitum, *aniſo*. *Nomina.*

Ab antiquis prætermiſſa delineatio ob vulgarem eius notitiam. Nos ita deſcribemus. Caulem fert ſtriatum, rotundum, multiſque ramulis brachiatum. Folium vbi primum naſcitur, rotundum, ſed deinceps apii modo diſſectum, florem candidum, muſcarium fœniculi, totaq; herba aut aliter, quàm ſemen odorata eſt. Iunio ac Iulio menſibus floret, & ſemine prægnans eſt. *Deſcriptio.*

Dioſcorides laudat primò Creticum, mox Ægyptium. A quo Plinius: Laudatiſſimum Creticum, proximum Ægyptium. Ob id calidum cœlum optare videtur, & quippe Apulia aniſum vberrimè producit, & optimum. *Cælum.*

Palladius locum bene ſubactum quęrere ſcripſit, & cui læ tamen admiſceas. Apuli nigrum, tenerum, & optimè ſubactum quærere dicunt. *Solum.*

Palladius Februario ſeri, & quod ſatum eſt, herbis purgari aſſiduè docet. Martio locis lætioribus melius prouenit, itemque cæteris, ſi humore iuuetur & ſtercore. In Apulia, vbi feraciſſimè prouenit, ita ſatum obſeruauimus. Solum nouale faciunt, & optimè ſubigunt, quum radices paruas, & delicatas poſſideat. Terra primùm Decembris fine ſcinditur, poſt decimum diem iteratur. Tertio Ianuarii fine interſecatur. Quarto Februarii initio aratur, & ſeritur. Agri iugerum modii partem octauam ſeminis expoſcit. A vigeſimo die pullulat, quod ſedulo animaduertendum erit, aliqua corũ ſemina è terra eruendo, ſi iam germinare inceperit, id eſt ſi iam dum radiculas egerit, tunc iterum aratur terra, & ſine illius læſione, vt omnes penitus enaſcentes herbas euellat, & deleat: nam adeò tenella ſtirps eſt, vt minima quæque herba eam necet. Si poſt ſatam imber acceſſerit, deſtruitur: nam humi ſuperficiem incruſtat: quumque debile, & imbecille eius germen cruſtam penetrare nequeat, inareſcit illicò. Vbi fuerit enatum poſt menſem, oportet herbas omnes denuo acutis falcibus ſecare: nam ſi eas eruis radicitus, poſſunt & illius radices conuelli. Si Maio, & Iunio pluit, & inde calor inſequetur, eum necat: nam infirmiſſimum eſt. Quum iam perfectè ſemen maturuerit, colligunt, in faſces & manipulos ligant, ibique relinquunt. Vbi optimè ſiccatum fuerit, defertur in aream, & excutitur ſemen: nam ſi in cumulos accommodabis, faciliimè putreſcit, & comburitur. *Satio.*

De cumino. CAP. XXXIX.

SVBIVNGEMVS aniſo cuminum, quum vtrique par ſatio conueniat. Athenæus inter condimentarias herbas connumerat. Plinius de cumino loquens, condimẽtorum omnium faſtidiis cuminum amiciſſimũ (Dioſcorides: bibentium, aut perunctorum colorem mutat in pallorem) omneq; pallorẽ bi-

bentibus gignit. Ita certe ferunt Portii Latronis clari inter magistros dicendi adiectatores similitudinem coloris studiis contracti imitatos, & paulo antè Iulium Vindicem adsertorem illum à Nerone libertatis, captatione testamenti sic lenocinatum. Platina ait: Hoc hypocritæ vtuntur, eius enim nimius vsus pallorem inducit.

Nomen. Græci *κύμινον* vocant. Sunt qui putent à *κύω* verbo manasse, quasi prægnans, tantæ est enim feracitatis inter oleracea, vt etiam maledictis satum vberrimè luxuriet. Latini cuminum. Palladius ciminum. Itali *cimino*.

Genera. Theophrastus pluribus constare generibus dixit. Dioscorides & satiuum & syluestre descripsit. Satiuum ori gratum, sed multo magis Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellauit. Secundum locum tenet Ægyptium, reliqua sequuntur, syluestre vnum & alterum satiuo non dissimile. Auicenna aliud Carmenum nigri coloris, aliud Persicum quod est fortius Scemio, aliud Scemium citrini coloris. Vrbanum inuenitur omnibus locis, & ex omnibus aliud syluestre, aliud domesticum.

Descriptio. Theophrastus: Radice penitus exigua. Semen oblongum, canaliculatũ, nudum adhærens, vnde facilè exiccatur: nã vbi planè accreuerit, defluit, & lubricũ procidit. Omniũ fœcundissimũ est olerum, cuius rationẽ assignat libro de causis: Ratio, quod quę exigua sunt, facilius suum finẽ consequuntur. quod etiã facilè fit, sępius fieri potest, facilitas enim propiores habet fines principiis suis: & quæ imbecillia sunt, paratiora, & obtemperantia ad opus sunt, & ab externis facilius patiũtur, scilicet aëre ambiente: vnde & tot auxiliis adiuta, aeris, & seminis exiguitate, nuditateq; multũ operis expediunt. Præterea vnico caule cohærent, robusto & non lignoso, ab vna radice in plures ramos diffuso, nec frondibus effuso, ne quod fructui deberetur, multum operæ & materię auferat. Accedit his radicum bona habitudo, ne sui succi cupida, auara, & tenax sit; sed succum seminibus satis large dispensando ministret, quod in bulbaceis, & ferulaceis non euenit. Plinius ab eo. Nascitur in summa tellure vix hærens, & in sublime tendens. Est autem vnicaule, radice bulbo simili. Semen angustum, & canaliculatum. Dioscorides ait syluestre cuminũ frutice paruo esse, dodrantali caule, ac tenui; quaternis, aut quinis foliis, tenuibus, veluti serratis, & gingidii diuisura. In cacumine capitula quina, aut sena habet, mollia, rotunda, in quibus est semen acetosum; gustu satiuo acriore. Aliud syluestre satiuo non dissimile, quod à singulis floribus elata promit cornicula, in quibus semen melanthio simile. Nascuntur apud nos omnia genera.

Locus. Dioscorides in Æthiopia, Ægypto, Galatia, Asia, Cilicia, Terentia, & plerisque aliis tractibus nasci scripsit. Syluestre in collibus. Plinius calidis maximè locis. Auicenna in Carmania, Persia, Scemia, & apud Nabatheos.

Solum. Plinius non nisi solo gracili nasci voluit. Palladius locis lætioribus melius prouenire, itemq; cęteris, si humore iuuentur, & stercore, loco bene subacto, & cui lætamen admisceas.

Theo-

Theophrastus: Peculiare de cumino dicunt, imprecari nanq; & maledicere serendo oportere affirmant, quo lætius, copiosiusq; proueniat. Plinius ab eo: Cuminum qui serunt, precātur ne exeat: qua ratione & qui male precantur, dici possunt cuminum serere. Eo verò vsus prouerbio Sophron, & Demetrius Phalereus scribit κύμινον ἴσπειρε. Sed in Symposiacis Plutarchus imprecationibus, conuitiisq; seri cuminum approbat. Palladius benè seri scribit. Februario etiam seritur, & quod satum est herbis purgatur assiduè. Plinius medio vere serendum esse dicit. Satio.

Theophrastus. Peculiares omnino morbi scabies, & salsilago, quibus affectum perit. Plinius non idem subricuit: Et necatur cyminū ab imo dorso nisi repurgetur. Alias priuatim cumini morbus scabies. Theophrastus: Quod nascitur ab radice cumino hæmodorum vocatur. Sed quæ herba fuerit hæmodorū latius in segete suo capite differemus, quare illuc lectorem remittimus. Morbi.

De satureia. Cap. XL.

SERITVR in hortis satureia, vt cibus gratior sit ad obsonia condienda: alioqui in montibus medicinæ vtilior nascitur. Columella satureiam viridem esui iucundam, nec aridam inutilem ad pulmentaria condienda dixit. Nec solum apibus gratissimam, sed etiam medicamentosam, & quo ferula, eo modo satureiam cunilam condiri docet. A quo Plinius: Est & satureia dicta in condimentario genere, origano æmula, nusquam vtrumq; additur, quippe similis effectus, & apum gratia seritur. Palladius apum gratia seri oportere dixit, ac tertii meriti mella conficere. Vnde si prius asperis, saxosisq; locis nascebatur, nunc his dotibus nostro hoc horto conserenda venit.

Theophrasto ἡ θύμβρα, & τὸ θύμβρον dicitur. Dioscoridi θύμβρα. Galenus thymbram thymorum nomine fuisse complexam videtur, quum pluraliter thyma vocauerit, nec alibi inter simplicia thymbræ meminerit. Latini satureiam vocant. Ouidius, Nomen.

Sunt qui præcipiant herbas satureia nocentes
Sumere.

Sed an thymbra sit satureia apud Latinos, quum pleriq; doctiores confundant malè distincta veterum scriptorum thymbræ, & satureiæ nomina: nos vt omne nubilum discutiamus, latius euagari cogemur. Duo sunt apud Columellam cunilæ genera, transmarina vna, nostrâs altera: transmarinam cunilam thymbram vocat, nostratem verò satureiam dicit, vt suis authoritatibus comprobabimus. Libri noni capite quarto, pabulationes apibus destinando, ait regionem fœcundam oportere esse exigui fruticis, & maximè thymi, aut origani, aut thymbræ, vel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici vocant, intelligens pro thymbra transmarina cunilam, & à nostrate cunila distinguens dictione illa, vel, quæ est distinctiua coniunctio. Hanc nostram opinionem, ex eodem Columella demonstrabimus, quippe libro vndecimo, capite tertio,

ait: Thymum, & transmarina cunila, & serpillum, sicut priore libro iam retuli, magis aluearia curantibus, quàm olitoribus studiosè conseruntur. Præterea loco prius citato ex lib. 9 cap. 4. paulò inferius, vbi frutices apibus destinabat, reddens notas mellis ait: Thymo deinde proxima thymbra, serpillumq; & origanũ. Tertiæ notę sed adhuc generosę, marinus ros, & nostrâs cunila, quam dixi satureiam. Demonstrans maximè distare pro mellis notis thymbram, siue transmarinam cunilam, à nostrate cunila, siue satureia. In hortulo (quod clarius considerari non potest) eam manifestissimè distinxit:

Et satureia thymi referens, thymbræq; saporem.

In condituris etiam herbarum, vt vtrasq; distingueret cunilas, vocat cunilam satureiã primò, & paulò post. Hac conditura potest commodè satureia viridis, & æquè viridis cunila seruari: vbi pro viridi cunila transmarinã intelligit thymbrã. Hanc etiam distinctionẽ Palladius annotauit: Quippe à Columella transcribẽs mellis notas, secundi meriti, ait, tymbra, tertii meriti satureia: & in Februario mense tum satureię, tũ cunilę separatim sationes descripsit. Distinxit etiam Plinius ab vtroq; transcribens. Thymbram verò, quæ sit cunila: hæc apud nos habet vocabulum & aliud, satureia dicta in condimentario genere. Q. Serenus satureiam thymbræ speciem dicit, & thymbram non absolutè sed cephalotem thymbram dici. Thymbra natalis soli retinet appellationem: est enim (si Stephano credimus) Thymbra oppidum, in quo templum Apollini sacrum, à quo Thymbræi retinet cognomẽ. Ager enim erat antiquo Ilio proximus, & Thymbręus fluuius, qui per eum in Scæmandrum fluebat, ab Apollinis Thymbræi templo quinquaginta stadiis distabat, qui ager thymbra scatebat, si Seruio credimus. Satureiæ nomẽ à Satyris traxisse memoratur, quum satureia vsque marcescentes coitus stimulet. Vnde Martialis,

Improba nec prosunt, nec satureia tibi.

Itali *santoreggia*. Neapolitani *satureia*.

Genera. Theophrastus satureiam in vrbanam & syluestrem discreuit, syluestrẽ vicinam vrbanę, pręterquam quod foliis minoribus, caulibusq; scabrioribus constat, & succo potissimum acriori, vehementioriq;. Dioscorides item syluestris & satiuę meminit. Satiua syluestri prorsus minor, quę propter mitiorem acrimoniam in cibos recepta est. A quo Paulus: Syluestris thymo similis, satiua viribus ignauior, esuiq; cibario gratior. Plinius in satiuam, & syluestrem discreuit. Quæ sunt & syluestria, eadem in satiuis sicciora intelliguntur, & acutiora: sunt autem acres cunilæ.

Descriptio. Acri succo Theophrasto describitur. Semine fœcundo, eoq; ad perdurandum firmo. Ab eo Plinius. Acri succo. Semine ad perdurandũ firmo. Describimus nos. Oritur eleganti aspectu, virgultis exilibus, sarmentosis, lignosis, foliolis crebris, & angustis, spicam in summo gerentibus, copiosis flosculis intertextam, & obsoleta purpura albicantibus, gustu acri, & odoro. Syluestris asperiuscula, nigricantibus foliis, floribus in purpura dilutis, primò herbaceis.

Locum

Locum satureia quęrit, quo flatus à mari perueniant: nam si eo destituatur, illic nasci, durareq́; posse negat Theophrastus, qua de causa in Arcadia prouenire non potest. Columella: Transmarina cunila apricum locum poscit, vtpote maritimis regionibus. Palladius loco aprico, vel melius mari proximo. Colum.

Montes exoptare satureiam prodidit Theophrastus, ibiq́; gratá odore mollioremq́; comperiri. Et libro de causis, cultu deteriorem multo reddi, vt quæ sicca, acris, & amara sit, vsumq́; medicaminis pręstet: hortis verò hebetatur, effœminaturq́;. Columella suam transmarinam cunilam locum, neq; pinguem, neq; stercoratum quęrere scribit, vt quæ macerrimo solo, maritimisq́; plerũq; regionibus nascatur. Ab eo Palladius, Locum neq; pinguem, neq; stercoratum exoptat. Solum.

Satureiæ satio est ex æstiua semente ait. Theophrastus. Vnde Martio seritur. Ex veteri semine celerius, ad exeundum plusquam triginta dies dantur. Difficile nanque germinat, humorem enim habeat aptum, & non minus, sed forsitan magis temperiem ad agendum, ac patiendum oportet, quod germinaturum facile, beneq́; sit. Plinius ab eo: Cunila quidem post x x x dies nascitur. Columella, Calẽdis Februarii satureiæ semen spargere conuenit, cum cepina intermiscendum, vt eam quoq; habeamus. Transmarina cunila & semine & plantis circa æquinoctium vernum seritur, cæterum viuacior est, vt impensius curanda sit. Palladius: Cum cepulla mista seminatur Februario. Cunila ex Februario seritur, & colitur eo more, quo allium vel cepulla. Sed locis frigidis, Martio seratur satureia, & cunila. Nouembri etiam, & Decembri, cunila seritur. Plinius: Ferro quoq; non expedit tangi cunilam, author est Sabinus Tyro in libro Cepuricon, quem Mæcenati dicauit. Satio.

Dioscorides dicit epithymum esse florem è thymo duriore, satureiæ simile, capitula habet tenuia, & leuia, & in eis caudiculas, quasi capillamenta. Paulus quod supra thymbram nascitur epithymbram vocat. Nobis videre contigit in Gargano monte Apuliæ supra thymum durius, sed potius thymbræ assimilabatur, quidpiam cirrorum, modo comarum ramos, crebro volumine complicare, sæpenumero purpurascens. Epithymum.

De hyssopo. Cap. XLI.

POST satureiam de hyssopo dicemus, ei valde assimili, hortensi herba, quę nascitur etiam culinis, condimentario vsu nota, est enim aliquibus esculentis apta. Clara Salomonis sapientissimi nomine, qui cuncta disseruit à Libani cedro vsq; ad hyssopum de pariete enascentem.

Græcis ὕσσωπος, & ὕσσωπον, quasi ὑόμενον ἐπὶ τὴν ὦπα, impluens oculos, aut visum, vel εἰς τὴν ὄπα, quia raucam vocem pulmonemq́; iuuat. Latinis hyssopus, & hyssopum. Itali *issopo*. Nomen.

Duo Dioscorides hyssopi tradit genera, montanum & hortense. Genera.

Dioscorides hyssopo non dissimile origanum heracleoticũ dicit, sed vmbellã non trochoides, id est circinatam turbinatámve, qualis hyssopo, quin potius Descriptio.

vmbellis veluti diuiſum, aut diſparatum,& in extremis virgis ſemen non denſum: ac paulo poſt onitidem origanum deſcribens ait. Candidiorem folio,& hyſſopo ſimiliorem, quàm heracleotico. Coma item corymborum ſpecie chryſocomæ ſimili. Ex his patet vulgarē hyſſopum non eſſe legitimum Dioſcoridis,ſed Hebrçorum. Plinius ei impropriè baccas tribuit. Verùm apud nos naſcentem ita deſcribimus. Frutex à radice prodeuntibus pluribus ſurculis lignoſis, ſeſquipedalibus; foliis oblongis, circumquaque caulem per interualla veſtientibus, duris, odoratis, vmbellam fert circinatam, turbinatamq;, denſam & congeſtam ex multis floribus purpureis,quibus matureſcentibus ſemina frequenti glomeratione coniunguntur in corymbi æmulationem: mitioris ſaporis, & acrimoniæ, quàm Hebræorum.

Cælum. Hippocrati præfertur Cilicinum, ſed è Tauro monte,dein Pamphilium,& Smyrneum. Archigeni Creticum commendatur ex Galeno. Dioſcoridi Cilicum, ex his videtur calidum locum deſiderare.

Solum. Solum neq; pingue, neque ſtercoratum deſiderat. Viſitur enim in cautibus, & maceriis naſci.

Satio. Seritur ſemine, & plantis circa vernum æquinoctium, quæ vbi comprehenderunt, viuaciores, quàm vt ſequentem hyemem reformident.

De origano. Cap. XLII.

DICEMVS de origano, quum & ſapore etiam dictam cunilam imitetur authore Plinio. Alexis in excubiis, Athenæo authore, inter condimentarias herbas connumerauit. Idemq; ab Antiphane. A Theophraſto inter olera numeratur. A Plinio inter coronarios frutices. Columella gratiſſimum apibus dicit,reddereque ſaporis præcipui mella poſt thymum. Palladius item, atq; ſecundi meriti mella conficere. Pernicialia, inquit Plinius, braſſicæ & vitis odia, ipſumq; olus, quo vitis fugatur, aduerſum cyclamino & origano pereſcit. Origanum ciconiam depaſci, & ea contra venenoſa animalia pugnaturam muniri ait. Caſſianus Græcus, ex delectis Græcorum placitis ſcribit, Teſtudo ſi à ſerpentum eſu ægrotat, origanum ſuperingreſſa, ſana redditur. Ariſtophanes in ranis, ὀρίγανον βλέπειν, pro toruis oculis intueri, ſumptum à planta eiuſdem nominis, quæ intuentibus torua & inamabilis videtur. Quærit Ariſtoteles in Problematis quænam cauſa ſit, quod origanus muſto iniecta, vinum dulce efficiat. Duas enim heminas iniecisse in amphoram ſatis ſit. An quod tollit, quantum eſt in muſto, aquabundum, & fæculentum, ſua ſiccitate in ſe ipſa recipiens, quibus ſcilicet ſaporem confici auſterum cenſemus? Argumento quod vina ſi quid aquæ habent ſibi illatum, minus mollia redduntur, atq; ſi diutius ſtare in fæce ſinantur, itidem fiet, & quum vinum dulce molimur, vuas multum temporis ſoli exponimus, vt ſol quantum ſit dilutum auferat, & reliquum decoquat, hoc autem idem facere vel origanus poteſt, quippe quæ ſit & ſicca, & calida.

Theo-

Theophrasto ὀρίγανον, & ὀρίγανος, appellationemq́; apud Græcos inuenit ἀπὸ τοῦ ὄρους, id est, à monte, & γάνος, quod gaudium significat, quod montosis gaudeat, editisq́; natalibus. Herodianus quod visum exacuat, nomen duxisse testatur ab ὁρᾶν videre, & γανῶ clarifico, quòd tradant scriptores visum illustrare. Theodorus Grammaticus nomen ex aduerso datum putauit ab ῥιγῶ, quod est algeo, vndè ῥίγανον, & adscita ο principe litera ὀρίγανον confictum nomen, quod minimè refrigeret, quum calida dote præditum sit. Alexandrides origanus virili genere vsus est, Aristophanes muliebri, quem omnes Attici sequuntur, & Plato acutissimum origanum dixit. Epicharmus, & Amypsias neutro genere vsi sunt, Athenæo authore. Ita & Latini promiscuo genere vsurparunt. Columella & Palladius & Plinius origanum dixere. Alii origanus. Syluestre origanum Dioscorides panacem Heracleum, & cunilam à quibusdam vocari meminit, inter quos Nicander Colophonius, *Nomen.*

——— Panaceamq́; cunilam,

Et quam iam Heraclion origanon inde vocarunt.

Diocles etiam cunilam, vt vetustissimus fatetur interpres. Petricus in Ophiaco Conilon quendam hominem herbam inuenisse tradidit, inde nomen ei cunilæ. Alterum genus onopetalium vocat, quod asinis pabulo gratum sit: sequuta ætas ab eo onitim appellauit. Itali vocant *origano.*

Theophrastus duo eius constituit genera, nigrum & candidum, priori nullum semen, candido perquam minutum. Genus syluestre esse indicauit & aruense nominauit, aspectu vicinum vrbanis, præterquá quod foliis minoribus, caulibusq́; scabrioribus constet, & succo potissimum acriori vehementioriq́; condatur. Dioscorides quatuor eius genera dicit: Heracleoticum, onitis, syluestre, & tragoriganum. Plinius quum superiori capite duo cneori genera constituisset, nigri & candidi, subdidit totidem origano in coronamentis species, alterius enim nullum semen; id autē cui odor est, Creticum vocatur. Quod ex Theophrasto transtulit, hoc autem ex Dioscoride: Origanum in medicina plura habet genera, onitin, prasion, tragoriganum, heracleoticum, quod etiam in tria genera subdiuidit, latifolium, tenuifolium, & medium. *Genera.*

Suam origanum describens Theophrastus, hęc habet. Suffrutex est immortali virens coma, & si reliqua decidant. Fœcundū semine, acri succo. Dioscorides. Heracleoticū folia habet hyssopo non dissimilia. Vmbella, quę nō in rotæ speciē orbiculata, sed veluti multifida, semine in multis virgis haudquaquam denso. Onitis candidiori folio, hyssopo similior, semen veluti coniunctos corymbos habet, vis inefficacior priori. Tragoriganū tenuis frutex, syluestri serpillo, aut origano, similis folio, & ramulis, quibusdā in locis lætius, virentiusq́; inuenitur, & leuioribus foliis satis glutinosum. Alterum exilibus surculis, ac tenuibus foliis, quod prasium vocauere. Plinius à Theophrasto: Folia à cacuminibus cadunt. A Dioscoride: Onitin appellant non dissimile hyssopo: tragoriganum simile est serpillo syluestri. Heraclium quoq; tria genera habet, *Descriptio.*

nigrius, latioribus foliis, glutinosum. Alterũ exilioribus mollibusq; sampsucho non dissimile, quod aliqui prasion vocauere. Tertium inter hęc medium.

Colum. Non erumpit, Theophrastus ait, quò flatus à mari non accedit, ideo minimè fruticat in Arcadia. Plato acutissimũ ex Arcadia origanum dixit, ex Athenęo. Antiphanes origanum Tenedi laudauit, ex eodem. Dioscorides optimũ esse Cilicum, Cretense, Smyrneum, & in Chio. Chooq; proueniens. Plinius optimum Creticum, proximum Smyrneum, dein Heracleoticum.

Solum. Palladius loca aspera, & saxosa quærere dixit. Nos semper gracili solo vidimus.

Satio. Theophrastus origanum semine seri dixit, sed germinatu contumax: à satu enim non ante trigesimum diem emicat. E veteri semine celerius exit. Defixus etiam humi surculus comprehendit, transfertur quum ad vnum palmum, vel plus altitudinis venerit, dimidio abscisso. Difficile germinat: humorem enim habet aptum, & non minus, sed forsitan magis temperiem ad agendum, ac patiendum habere oportet, quod germinaturum facile, beneq; sit. Ab eo Plinius: Nascitur satum post trigesimum diem, è veteri semine celerius prouenit. Surculo etiam seritur: præcidunt enim & hoc, quum ad palmum peruenerit altitudinis. Palladius: Seritur ante æquinoctium autumnale. rigari & stercorari, donec coalescat, oportet. Mense Martio transferri potest. Octobri etiam seritur. Tradunt olitores nostri neglectam sampsuchum in origanum degenerare, frutice serpilli humi reptante, foliis sampsuchi, flore purpureo in vmbella cineritia.

De ocimo. CAP. XLIII.

CHRYSIPPVS ocimum grauiter increpuit, vt Plinius est author. Capras id aspernari, hominibus quoq; fugiendum censet. Adiiciunt quidam tritum si operiatur lapide, scorpionem gignere: commanducatum & in sole positum vermes afferre. Alii verò, si eo die feriatur quispiam à scorpione, quo ederit ocimum, sanari non posse. Quin immo tradunt aliqui manipulo ocimi, cum cancris decem marinis, vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id scorpiones à proximo omnes. Florentinus Græcus, Argumentum malignitatis eius esse capram, eius noxã satis testari, quod quum cæteris omnibus pabulis auidè vescatur, hoc vno cognoscitur abstinere. Mansum autem, & in sole expositum, scorpios gignere, tantamq; esse cum eo fœminarum discordiam, vt si pultario subiectum sit integrum cum radice ocimum, nec mulier id sciat, futurum, vt cibo manus nõ admoliatur, priusquam subductum fuerit. Dioscorides ab aliquibus scribi ait, ocimum cõmanducatum, & in sole positũ, vermiculos creare, atq; Afros adiicere, si feriatur à scorpione qui ocimum ederit, nullo conflictari dolore. Galenus commentum esse ait, si fictili nouo tritum operiatur, breui præsertim insolatu, scorpionem gignere: sed hoc tam abesse à vero, vt nil tam si repugnet. Sed quod Græci dicunt, nigrum habere naturali proprietate cum

fœminis

fœminis controuersiam, res prorsus digna risu est, quum naturali proprietate herbarum nulla fœminis magis placeat, quum res non sit, quæ tantopere ab illis colatur, quàm ocimum, nec qua figulinis vasculis, & pensilibus fenestrarum hortulis, tanto amore oblectentur. Narrat Plutarchus de eo rem non minore admiratione dignam, quod succinum leuissima quæq; , & quisquilias omnes moueat, & alliciat, solos ocimi surculos à se abiiciat. Varro apibus gratissimum dicit. Inter olera hortensia colitur, & in cibis in acetariis, & condimentis, viridi & sicco continuo vtimur.

Nollem anceps huius ocimi nominis dictio tyronum animos diuexet: ocimum enim duo significat, hortensem herbam, de qua inpræsentiarum sermo est, & pabulum, de quo in pascuis dicemus. Theophrastus ὤκιμον vocat Græcè. Varro tam ocimum genus pabuli, quàm ocimum hortense vult ab ὠκὺς dictum Græco vocabulo, quod valet, citò. Plinius verò: Varro appellatum vult à celeritate proueniendi, à Græco, quod ὠκὺς dicunt. Pompeius idem confirmat, quod omnium eorum, quæ in hortis nascuntur, celerrimè proueniat, dieq; à quo satum est, tertio erumpat. Sunt & viri non indocti, qui per z scribendum censeant, ozimum, dictumq; à Græco vocabulo putant ὄζω, quod est flagro, hæc enim herba flagrantissimi est odoris. quam opinionem fortasse plurimi sequerentur, nisi Plinii, Dioscoridis, cæterorumq; antiqui excussi, calamoq; exarati codices castigatissimi aperte refragarentur, vbi per secundam consonantē scribitur. Sotion Græcus μισόγυνον vocat, ab illo fœminarum odio. Heschinus à recentioribus Græcis βασιλικὸν dici ait, quasi regium, quod nomen apud Italos hodie vsurpatur ab insigni odore, quòd regia domo, & regiis manibus gestari dignum sit. Latini variis authoritatibus addicti, variè scribunt. Columella ozimum dicit, Palladius ocymum, Plinius ocimum. Itali *basilico*. *Nomen*

Hæc habet Theophrastus de ocimi descriptione. Radix data est vna ocimo, quæ descendit in altitudinem crassa, cæteræ à lateribus exiles, & prolixæ, omnium radicum lignosissima. Foliis iam perfectis, caulis conuenienter assurgit, folio corchorum æmulatur. Floret contra quàm cæterum olus, primò parte inferiore, demum superiore, quo fit vt diutius quoque floreat, quemadmodum in faba, & inter herbas heliotropium, & quædam de syluestribus alia. Semine fœcundissimo, difficileque exiccatur, cortice obducto, ad perdurandum infirmo. Sub cane albescit. A quo Plinius: Surculosa ocimo radix, floret particulatim & ab imo incipit, qua de causa diutissimè floret. Semen cortice obductum, quæ in cortice sunt, difficillime marcescunt, maximeq; ocimum. Ad perdurandum infirmum est. Sub canis ortu pallescit. Addimus nos: Pedali ocimum altitudine prosilit, surculosum, rotundis ramulis, folio mercurialis, parietariæ, sed minori, & diluti viroris, flosculo & calyculis verticillatim caulem ambientibus, semine pullo, rotundo, odoratoq;. Iunio, & Iulio floret, dein semen producit. *Descriptio.*

Etsi ex corrupto Theophrasti textu, Theodorus plura ei genera esse vertat, *Genera.*

negat tamen in eo generis diuersitatem. Quod Plinius ab eo trãſcribens confirmat. Singula genera ſunt ocimo, vbicunq; idem ſemper eſt, neq; aliud alio melius vnquam. Neq; Dioſcorides generum diſtinctionẽ appoſuit. Sed Neapolitani plura obtinent genera. Eſt genus vnum foliis magnis, longis, & craſſis, alterum ramis, & foliis longè minoribus, cuius duæ ſpecies, odore differentes: vna communis odoris, altera mali citrii, adeò ſimili, vt vulgus *citratum* vocitet, non vt Matthiolus, quod folia eius cum mali citrii foliis ſimilitudinẽ habeant. Poſtremum foliis minimis, & anguſtis, ſed odore & viribus cætera ſuperãs: vulgus baſilicum nobile, & *garyophyllatum* vocat. Alterum eſt magnum foliis rubeis maculis notatum. Vltimum genus iampridem Conſtantinopoli aduectum, cuius folia, totaq; planta quadruplo maiora, gariophylli cum citro confuſa iucunditate. Studioſè in Neapolitanis hortis nuper ſeri cœpit. Omnium varietates etiam mulierculis notiſſimæ.

Cœlum. Cœlo gaudet tepido: nam ſi ſole continuò illuſtretur Theophraſto authore, in ſerpillum tranſit, cuius rationem in libro de cauſis reddidit. Inſolationis cauſa vehementius exiccatur, vnd folii magnitudo decreſcit, ac populante calore, alimenti inopia flagrantius redditur, quippe quum alimenti minus habeant, quæ ſicca ſunt. Sed eiuſmodi mutationes ita euenire putandum, vt aliquid ſimilitudinis faciant non vt omnino ſpeciem exprimant alienam. Palladius autem narrat Martialem rem miram de ocimo affirmare, quod modo purpureos, modo albos flores, modo roſeos pariat, & ſi ex eo ſemine frequenter ſeratur, quod ſimul atque ſolo creditum eſt, aqua calida perfuderis, modo in ſerpillum, modo in ſiſymbrium abire ſolitum. Plinius verò ſenecta in ſerpillum degenerare dixit.

Solum. Columella proſciſſum, riguumq; ſolum exoptare in hortulo cecinit,

Tum quoq; proſciſſo, riguoq; inſperſa nouali
Ozima comprimite & grauibus denſate cylindris.

Satio. Semine prodire ſcripſit Theophraſtus. Item tertio die à ſatu prouenire, & æſtate prodire, quod etſi ſiccum & lignoſum ſit, attamen ante feruentes dies, vt perdurare atq; perfici poſſit, minime valet, cuius cauſa debilitas eſt. Ex æſtiua ſemente eſt, ideo Martio ſeritur, eſtq; ex iis quæ per æſtatem ſeri mos eſt, quòd ex imbecillitate celeriter augeſcunt, & hyemem nequeunt tolerare, vel quod ſicca ſint, ceu ocimum, vel quod frigida, humidaq; vt cucumis, & portulaca. Plinius lætius, & copioſius prouenire ait, ſi cum maledictis ſeratur, vt fortaſſe Perſius hoc ſenariolo huc alluſerit,

Quum bene diſcincto cantauerit ocima vernæ.

Vnde adagio confirmatum eſt, vt qui alicuius famam proſcindere, & tenerrimam veneni labem affigere conãtur, ii ocima ſerere dicãtur. Columella: Semine ſeritur poſt idus Maias vſq; in ſolſtitium: nam teporem deſiderat, cuius ſemen obrutum diligenter inculcatur pauiculo, vel cylindro: nam ſi terram ſuſpenſam relinquas, plerunq; corrumpitur, quod etiam ſuo hortulo docuit,

Ozima

Ozima comprimite & grauibus densate cylindris,
Exurat sata ne resoluti pulueris æstus,
Paruulus aut pulex irrepens dente lacessat,
Neu formica rapax populari semina poßit.

Ab eo Plinius: Sato pauitur terra. Theophrastus, Germine nec nō ocimum prouenit: nam id quoque transfertur, quum ad palmum, aut plus altitudinis venerit, dimidioq; absciſſo. Proximum inter olera ocimum eſt, hoc enim ſeri pro parte ſuperna optimè poteſt, quamquam lignoſum admodum ſit, ſed quia difficilius exiccari poſſit, eo prouenit, quamobrem & longum tempus perdurat, & tortum, & dimidiatum regerminat. Plinius ab eo: Prouenit ſurculo, præciditur enim & hoc, quum peruenit ad palmum altitudinis. Incuruatoq; cacumine alicuius rami, quum attigerit terram, ſtatim radicatur ocimum, niſi quod difficilius creſcit.

Vni ocimo aquam in meridie dari iubet Theophraſtus, quum cætera matutinis rigentur. A quo Plinius: Omnibus hora rigandi matutina, atq; veſpera, ne aqua ferueſcat ſole, ocimum tum etiam à meridie. Ferro etiam tāgere non expedit, author eſt Sabinus Tiro in Cepurico, quem Mæcenati dicauit. Columella: Ocimum vbi ſatum eſt, ſua ſede immotum permanet: neq; eſt eius cultus alius, quàm vt ſtercoratum runcetur. *Cultus.*

Caule reciſo regerminat. Vſitatum euidentiſſimumque, in ocimo ſuauiores eſſe caules regerminatos: cuius rationem reddidimus. Ab eo Plinius: Caule reciſo ferè quidem omnia regerminant. Eſt in vſu verò ocimum, raphanus, lactuca. Hanc etiam ſuauiorem putant à regerminatione. Parilibus optimè ſeri dicunt, quidam & autumno, iubentque quum hyeme ſeratur, aceto ſemen perfundi. Etiam ſatum celerrimè erumpere putant, inter initia feruenti aqua aſperſum. Palladius: Octobri menſe ſeratur, citiusq; naſci dixit, ſi leui imbre aceti inſpergatur infuſum. Et ſi Aprili ſeratur, cito naſci dicitur, ſi ſtatim quum ſeueris, aqua calida perfundas. Nos autem quia eius natura admodum ſiticuloſa eſt, quod facile à ſole patitur, niſi perpetuo rigetur, igitur è pelui aquam panno aduoluto deducimus continua diſtillatione. Mulieres noſtræ orobanchem, vel vt rectius loquar, linobanchem ſerunt, enatam decerpunt, ac capreolum vnum inter virētem ocimum proiiciunt, qui facile ſurculum illius aliquem capeſſit, ac ſe intorquet, inibique creſcit, crebro volumine ſe implicans, vt paucis diebus longè ocimum ſuperet, & fictilia vaſcula, in quibus eſt, obuoluat tota, vt nil ſpecioſius videri poſſit. Rectè id epiocimum dici poſſet. Fuchſius ex eodem genere tria genera nata recenſet. *Ars.*

Sub Canis ortu palleſcit, quaſi morbum ſentiens, ex Theophraſto. Facilè ſe necat, degeneratque in ſerpillum. *Inf. rem.*

De pulegio. CAP. XLIIII.

ET inter herbas, quæ condimentario vſui inſeruiunt, adnumeratur pulegium. Plinius, Dignior corona vertigini è pulegio, quàm è roſa: nam & ca-

pitis dolores imposita dicitur leuare: quin & olfactu capita tueri contra nimium frigus, æstúsve: nec æstuare eos, qui duos è pulegio surculos impositos auribus è sole habeant. Mirum de eo tradunt veteres, quòd ipsa solstitii die etiam à planta abscissi ramuli floreant. Quod percontatur Aristoteles in problematibus: Cur pulegium, lirium, & cępe suspensa florent solstitii tempore? An inest crudum in his alimẽtum, quod vt hyeme concoqui ex frigore nequit, sic solstitio ex calore concoquens, auget? Vtrum quia influxu carent assiduo, breui marcescunt? etenim, quæ nullum alendi initium, nullum influxũ assiduum habent, intereunt exiccãturque: qua de causa accidit apud Scythas, vt frumentum diu in terra maneat propter copiã niuis, & vbi emerserit, celeriter crescat. Theophrastus, Pulegiũ siccum omnino sentitur. verùm quamuis ita sit, principium tamẽ quoddam eiusmodi habeat necesse est, quod vnà cum aeris mutatione, alterationeq; remoueatur. Mirum præterea, quod non remissa, sed potius intenta sæuitia temporis germinare incipiat, nisi fortè dies halcyonides suffecturas putaueris: nam ad imbecillorum exiguorumque mutationem, vel quantumlibet tẽporis satis sit. Plinius ab eo: Pulegii natura sæpius dicta est, in carnariis reflorescens. Et alibi. Miretur hoc, qui non meminerit ipso brumali die pulegium in carnariis florere, adeo nihil occultum esse natura voluit, & serendi hoc igitur dedit signum. Sed parum videtur inter Aristotelem & Theophrastum, & Plinium conuenire: quum ille bruma florere tradat, immò brumali die suspensum florem edere fateatur, contra illi solstitio florem facere, quod fortasse in causa esse potest, vt biferum sit pulegiũ, & quod bruma præcoci partu florem non fudit, ob calorem solstitio protulerit, sed qui brumali tempore mittitur flos, prioris autumni redũdante tunc alimonia prosilit, brumam ostensurus. nam vtroque tempore floret.

Nomen. Theophrasto βληχὼ, & βλῆχος, Theodorus blichon vertit, Dioscorides γλήχων, & blechona dictum aliquibus vult, quia dũ floret, gustatum à pecoribus, balatum extorquet. A quo Plinius: Gustatum à pecore, caprisve, balatũ concitat. Vnde quidam Græci literas mutantes, blechon vocauerunt. Latini pulegium vocant, quia Plinio authore, eius flos recens incensus, pulices odore necat. Itali *puleggio*.

Descriptio. Cretensi dictamno Theophrastus folia similia reddere ait. A quo Dioscorides, Dictamno Cretensi similia pulegii folia, sed minora. Plinius: pulegii color mentastri. Addimus nos: Fruticosum assurgit, subitali altitudine, surculis hirsutis, rubicantibus, per interualla purpureo flore coronatis. Radix illi gracilis, & capillata, quæ humi serpat. Tota planta gustu acris, ac non sine quadam amaritudine. Iulio, & Augusto floret.

Genera. Dioscorides satiui pulegii meminit, & syluestris in calaminta, vel secundam ipsius speciem facit. Plinius satiuum à sexu diuisit in marem & fœminam: mas flore candido, fœmina purpureo, syluestri origano simile, sed foliis minutioribus.

Proue-

Prouenit cultis & aquosis locis. Arenosum potius, quàm pingue solum exposcit, solet enim in montosis exurgere. *Cal. Sol.*

Seritur vere suo semine, transplantatur tenerũ, & sic optimè apprehendit. *Satio.*

De menta. CAP. XLV.

POST pulegium mentam tradémus, & nepitam. Plinius. Congruit pulegio. hæc quoque seruantur simili genere, mentam dico pulegiumque, & nepitam: atq; ad recreandos animi defectus magna cum pulegio mẽtæ, & nepitæ affinitas. Menta grato mẽsas odore percurrit, & in rusticis dapibus. Ipsius odor animum excitat, & sapor auiditatem in cibis. Ideo & apud nos in condimentis, & acetariis familiarissima. Dioscorides vtilem in summo, & in condimentis peculiarem gratiam habere dixit. Strabo in Achaia montem esse iuxta Pilum scribit Mintham nomine, è Plutonis pellice in hanc herbam conuersa, Proserpinæ inuidia: quę vocabatur à quibusdam hedyosmos. Ouidius,

Fœmineos artus in olentes vertere mentas
Persephone licuit.

Iulius Pollux: Minthe Peloponesi mõs, in eo nemus Plutoni sacrũ, vbi condimenta tractat. Tradit Oppiani interpres Mintham à Menta, quæ nympha fuit, appellatam videri, Cocyci filiam fuisse tradit, quę vbi audiuisset amari à Plutone Proserpinam, indignata eo nomine constanter illi se præponere ausa est, dictitans, si inferos peteret, inimiciter interfecturam. Quo puellæ tumore Ceres Persephones mater indignata, Mintham exculcans, in malam herbam deformauit. Hinc Pluto donum amoris petẽti virile membrũ tradidit, quod à se mentulam nominauit. Sed cur Poetæ id confinxerint, sciscitemur. Dioscorides enim & Plinius tradunt mentam efficere, vt lac in caseum non coaguletur, eadem vi resistere & generationi creditur, cohibendo genitalia densari. Quærit Aristoteles in Problematibus, cur in adagium venerit, mentam belli tempore non edendam, nec serendam. Quoniam inquit refrigefacere solet, & absumere genituram. id quod fortitudini, & ferocitati contrarium est. Sisymbrium quonam pacto mutaretur in mentam, diximus in coronariis.

A Theophrasto μίνθη dicitur, à Dioscoride ἡδύοσμος, ac si suauis odor diceretur, nomenq; ab odoris flagrantia inuenit. Aliqui dicunt μίνθαν, dictam, quod μίνθῳ esset concolor, aut quia hirsuta, est enim μίνθος lanugo, quæ in sterquiliniis humẽtibusq; locis visitur, vt hirsuties illa quę in nepita videtur. Latinis menta, non quod mentem percellat, quum odore oblectet: nam menthæ nomen, vt Plinius inquit, suauitas odoris apud Græcos mutauit, quum alioqui mintha vocaretur, vnde veteres nostri nomen declinauerunt. Itali *menta*. *Nomen.*

Dioscorides in duo genera diuisit, in satiuum, & syluestre, illud mentam, hoc mentastrum appellans. Satiuæ mentæ apud nos plura sunt genera, sed parum inter se differentia. Vna crispioribus, & breuioribus constat foliis, alia rubenti caule, & flore, alia verò albicante. *Genera.*

Descriptio. Theophrastus odoratum olus vocat, quòd perinde in ea siccitas, acrimonia & acerbitas insit. Addimus nos, etsi notior sit, quàm repræsentari digna sit. Herba cubitalibus flagellis, lanugine pubescentibus, folio sisymbrii, longiori, molli, semper odorato, flos circa calyculorum fastigia spicatur. Floret Iunio, Iulio, & Augusto, inde profert semen, nigrum perexiguum, vt grana sabuli. Mentastrum ita Dioscorides depingit. Hirsutiore est folio, & prorsus maiore, quàm sisymbrio, grauioris odoris. Plinius: Differt specie foliorum, quasi figura ocimi, pulegii colore, propter quod quidam syluestre pulegium vocãt. Nos autem sic: Vt à menta mentastrum defluxit nomen, sic syluestriore habitu, rudiore, grauioreque odore, degenerasse videtur mentastrum, foliis maioribus, hispidioribus.

Cœlum. Palladius apricum locum desiderare scribit, substinet quodcunque cœlum. Sed melius calidum, nam frigido læditur, & pallescit.

Solum. Columella dulcem vliginem desiderare dixit, quamobrem optimè iuxta fontem seritur. Palladius nec pingue, nec stercoratũ solum amare. Sed id mihi absurdum videtur, quum longe maius incrementum lætamine capiat, & lætius virescat.

Satio. Sunt qui mentham semine carere putent. Sæpe enim exiccatam tritamq; seruisse inquiunt: sed nunquam semen erupisse, ex Theophrasto. Nos autem è mentha semen collegimus, illudq; Martio mense seruimus. sed à mentha degenerauit, quippe pusillam, & degenerem mentham produxit, quæ odore tam verè nepitam æmulabatur, vt vnumquenque fefellerit, qui non inspecta stirpe, odore nasum consuleret, quod mihi omnibusque mirum fuit. Columella sequitur: Cui fortè semina defecerint, licet de noualibus syluestrẽ mentam colligere, atque inuersis cacuminibus disponere, quæ res feritatem detrahit, & edomitam reddit. Quod nos experti sumus, optimè enim apprehendit, sed nil de feritate deposuit, vt eadem cum parente fuerit. Palladius, Aprili seri posse monet radice, vel planta. Februario plantis vel radicibus loco humido, vel circa aquas Octobri. Plinius. Ab æquinoctio verno seritur menta planta, vel si nondum germinat, spõgia. Minus hæc humido gaudet. Genus eius mentastrum, & hoc propagatur, vt vitis, vel si inuersi rami serũtur. Semel sata, diutina durat ætate. Nos hic cacuminibus serimus Martio, optimeque apprehendit, facillimè enim propagatur. Semel satum locum vix poteris extirpare: nam serpendo radices è locis diuersis pullulat, vt rectè in hortulo Columella,

Plantantur nec non serpentia gramina menthæ.

Cultus. Plinius: Ferro tangi non vult, authoritate Sabini Tyrii in Cepurico. Triennio senescit, vnde radices in se ipsas reflectemus, perit cespes: sed post triennium suffodiantur, & disponantur in optimum, cultum, & stercoratũ solum.

De calamintha. CAP. XLVI.

DIXIMVS de mentha, sequitur de calamintha eius specie.

Nomen. Theophrasto καλαμίνθη, Nicandro καλαμίνθον dicitur, quasi bonam, & vtilem

vtilem mētham diceret, quum elegantiore aspectu, odoreq; delicatiore, hilarioreq; habitu esset, quàm mentha. Alii à κάλον, id est ligno dicunt, quasi lignosa mentha. Veterem Græciam cexτā appellasse author est Strabo, & Lacedęmoniam ab Homero cetoessam nō à magnitudine, sed à calaminthę copia vocatam. Latini, authore Dioscoride, nepetam vocant, & Andromachus in sua Theriaca, Romana voce nepetam potius, quàm Græca calamenthū vocauit. Itali *menta*, vulgus *herba di gatti*, quod magna feles huius odore capiātur voluptate: nam si vulsæ, vel hærenti contingat occurrere, ei statim sese affricant, & humo, qua residet, iucundissimè suburantur.

Dioscoridi tria sunt genera: montanum, simile pulegio, & mentastro. Et capite de sampsuco aliam distinctionem accipere possumus, in tenuifoliam, & & latifoliam. Genera.

Dioscorides montanam describit mōtibus familiarem, folia ocimi habentem incaua, surculos, & caules angulosos, purpureum florem, folia gustu impense feruentia, & acria, radicem superuacuam. Et folia item polemoniæ similia alibi scribit. Hoc genere Surrentinus tractus latè scatet, flore purpureo, odore cæteris suauiori, folio magis tenui, vnde leptophyllon videtur Dioscoridis suprà memoratū genus, vti sampsuchum comparat. Secundum pulegio simile est, sed maius, quàm syluestre pulegium: nomen indiderunt, quòd colore ipsum ęmuletur, nepetam Latini vocant, folia impēsè feruida, acria, radice superuacua, nobis vulgaris nepita dicitur, quæ siccis itineribus, & sepibus frequentissimè visitur. Tertia mentastro cognata est, foliis oblongioribus, caule & ramis maioribus, quàm superiora: sed viribus inefficacior. Descriptio.

Dioscorides in campestribus, & aspetis, & aquosis locis nasci scripsit. Cælum.

Nicander illis riguos, & amnicos natales assignauit, in Theriacis. Solum.

Non opus est in huius satione latius euagari, quum passim nō sata nascatur. Satio.

De corianno. CAP. XLVII.

ALEXIS in lebete, Athenęo autore, inter condimenta corianni meminit. M. Varro corianno subtrito in aceto carnem incorruptam æstate seruari putat. Idem Plinius.

A Theophrasto videtur appellari κορίαννον, & κορίαννον, à Dioscoride κόριον à cimicum putore nomen inditum verisimile est. Columella coriannum vocat. Itali *corianni*. Nomen.

Theophrasto genere carere videtur. Plinius inter syluestria non inueniri tradit. Nos Melphi Apuliæ syluestre vidimus pessimè olens. Genera.

Nudo semine nasci scripsit Theophrastus, ad perdurandum firmo, sub canis ortu salescit. Dioscorides in aliarum herbarum delineationibus illius meminit. Folia fert dauci tertii, thalitri paulo graciliora, fumariæ similia, sed candida minus, angustiora quàm ranunculi primi, vel anemones, minus scissa, aut parthenii, adianti. Vmbella dauci primi, aut crebris in latere foliorum sectionibus. Descriptio.

vt achillea, aut syderitis tertia. Nos hæc addimus: Caulis corianni exilis, sesquicubitalis, ramosus, folia, dum adolescit, adianti, fumariæ, vel ranunculi, sed postquàm excaulescit, fœniculum æmulatur, candida odore graui, virosoque, radicem breuiusculam, ligneam, atq; admodum fibratam habet. Carpitur autumno, dum semine prægnans est.

Cœlum. Cœlum potius calidum, quàm frigidum amare videtur. Plinius Ægyptium præcipuum esse constare scribit.

Solum. Amat terram pinguem, sed etiam in macra nascitur, delectatur humore: Palladius.

Satio. Theophrastus. Ex prima sementi, quæ fit mense Iulio, post æstiuum solstitium. Nunquam nisi satum prouenit, prouentu cõtumax, quippe quod si nouum sit nasci recusat, nisi conuoluatur. Ex veteri semine celerius exit, dúmodo vetustate non sit exuctum. Difficillimè prouenit, haud enim germen emittit, nisi aqua præmaceratum, causam duritiei habet. Columella autumno, & vere seri posse dicit. Vbi satum est sua sede immotum permanet, neq; est eius cultus alius, quàm vt stercoratum runcetur. Palladius: à Martio vsq; ad Octobrem totum coriannum seritur. Semen melius putatur, quo vetustius fuerit. Satum benè cum olere quocunque nascetur. Seritur Februario, & Aprili.

De sinapi. Cap. XLVIII.

Athenævs sinapi inter condimenta connumerauit. Plinius: Sinapis vsus etiam pro pulmentario in patellis decocto, citra intellectũ acrimoniæ; coquuntur & folia sicut reliquorum olerum. Sinapi quomodo ad salgamarum simul, & conuiuiorũ vsum conficeretur, docuit nos Columella: Semẽ sinapis diligenter purgato, & cribrato, dein aqua frigida eluito, & quum bene elotum fuerit duabus horis in aqua finito: postea tollito & manibus expressum in emundatum mortarium coniicito, & pistillis conterito: tũ totam intritam ad medium mortarium contrahito, & plena manu comprimito, deinde scarificato, & subditis paucis carbonibus viuis aquam nitratam suffundito, vt omnem eius amaritudinem, & pallorẽ exinaniat, erectoq; mortario, vt omnis eliquetur humor, album, acre, acetũ adiicito, sic pistillo permixtum, colat um(?); recondito. Cæterum qui ad vsus conuiuiorũ praparabant, quum exinaniuissent sinapi, nucleos pineos quàm recentissimos, & amylum infuso aceto diligenter vnà conterebant, hoc sinapi ad embammata non solum idoneo, sed etiam specioso vtebantur: nam si curiosè factum sit, candoris erit eximii. Aliter docet Palladius. Sinapi semen ad modũ sextarii vnius & semis redigere curabis in puluerem, cui mellis pondo quinq;, olei hispanici vnam libram, aceti acris vnũ sextarium, miscebis, & tritis omnibus diligenter vteris. M. Varro seruari rapã in sinapi putat. Præterea de vniuersis radicib. Græci authores præcipiunt, vt cito contenerescãt. In ollam sinapi momentũ iniiciendũ est, & confestim coctæ farhiscũt, quod si plusculum sinapis sit iniectũ, prorsus resolutæ dissabescẽt, ex Democrito. Apud nos nil quippiã ad intinctus cibi vbiq; frequentius

rius intermiscetur, gratissimo obsoniorũ condimento: nihilque frigidis diebus magis epula inuenitur cõmendare. Præterea dum per vindemias semen musto immaduerit, toto anno asseruatur, vt si ciborũ gratia exolescit, lenis ipsius acrimonia fastidiosis gustũ recreet, & hoc veluti irritamento morosius palatum vellicante, elanguescens appetẽtia inuitetur. Id quia musto inditur, ex sinapis ardore cõficto nomine, *mustardã* dicunt. Cuius vis per nares cerebrũ penetrat, & vellicãs sensum, lachrymas ciet, & sternutamentũ. Testatur hoc Columella in hortulo: *Et lacessentis fletum factura sinapis.*

Apud Neapolitanos ex eo iactatum est adagiũ, Hic callidior est sinapi, insignem alicuius veteratoris astutiam indicans, quum nullo asperi saporis prævio odore, sua ignea vi, semen per nares cerebrũ feriat, & lachrymas, & sternutamenta cieat. Plinius, florum sinapis apes auidissimas esse, inquit.

Græcè σίνηπι & σίναπις. Athenæus dictum putat σίνειν τὰς ὦπας, veluti officiẽs oculis. Pleraq; Græcia νάπυ, quasi napy ab α priuatiua particula, & φύσις natura; quod naturæ sit immitis, ob acrem quã possidet vim. Vel quod à napis seminis acrimonia distet. Plinius. Athenienses napi appellarũt, alii thlaspi, alii saurion. Latini sinapis, & sinapi dicitur, nomẽq; è Græcia in Latinũ venit. Vulgò *senape*. *Nomen.*

Plinius tria genera facit, gracile vnum, alterum simile rapi foliis, tertium erucæ. Pythagoras principatum habere ex iis, quorum in sublime vis fertur, indicauit, quoniam nil aliud magis in nares, & cerebrum penetrat. Dioscorides hortensis meminit, quasi sit syluestre genus. Apud nos genus est vnum, caule, fronde, flore, siliquaq; rapacea, semine verò minore, acerrimo, oleosoq;, cæteris maius, cuius tenera folia in acetariis mandimus, hoc Dioscoridis hortense putamus. Alterum quod tum fronde, caule, & semine gracilè nascitur; quod syluestre putamus Dioscoridis, & Plinii primum. Tertium erucæ foliis, semine albo, minus acri, putamusq; Plinii tertium. *Genera.*

Primum genus caulem habet hirsutum, longũ, ramosum, folia rapi, minora asperiora, flores luteos, siliquas rotundas, ac hirsutas, plenas semine cãdicante. Floret Aprili, affert semina Maio, eodẽq; tẽpore siliquas semine plenas affert. Nicander nigram sinapim vocat, ex Athenæo, hanc. Secundum genus erraticum est, quod folio, & tenui semine nascatur. Tertium genus itidem hirsuto caule præditum est, minore tamen, foliis erucæ maioribus, ac latioribus laciniatis, floribus albicantibus, crucisque effigiem referentibus, siliquis teretibus, & oblongis, semine pullo, rufescentique. Floret Iunio, & Iulio. *Descriptio.*

Antiphanes, authore Athenæo, Cyprii sinapium laudat. Plinius optimum Ægyptium dicit. Vnde etsi qualicunque nascatur cœlo, melius ex his in calido quàm in temperato proueniet cœlo, & melius temperato, quàm frigido, & aprico, quàm humido. *Cœlum.*

Palladius ait diligere terram aratam, & si fieri possit, congestitiam, quamuis vbique nascatur, nec minus humore gaudet. *Solum.*

Theophrastus ex prima sementi esse scribit, quæ fit post brumam mense *Satio.*

Martio. Quinto die post satum erumpit, semine firmo ad perdurandum. Columella nō solùm autumno, sed vere conseri, ita vt satum sua sede immotum permaneat, neque est illius cultus alius, quàm vt stercoratum runcetur. Plantæ quoque sinapis primò hyeme translatæ plus cimæ vere afferunt. Palladius Octobri serit, & vbi natum est, sarculari debet assidue, vt respergatur puluere, quo fouetur. Non minus gaudet humore. De quo semen eligere dispon's, suo loco esse patieris, quod ad escam parabis, robustius facies transferendo. In sinapi vetus semen inutile est, vel sationi, vel esui: quod dentibus fractum, si intus viride videbitur, nouum est, si album fuerit, vetustatem fatetur. Martio mense seritur. Plinius: Sinapi nulla cultura, melius tamē plāta translata, quàm è diuerso, vix sato eo est liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Si rara seratur melius euadit, si spissius, transplantanda & alibi ponenda. Si decrescente Luna colligitur semen, est acrius, & diutius conseruatur. Seruator mundi fidem grano sinapis assimilauit: nam etsi exile est, virtute tamen, & acredine magnum.

De ruta. Cap. XLIX.

INTER olera Theophrastus rutam commemorat. Est & quibusdam condimentis aptissima, ob id Athenæus inter cōdimenta connumerat. Plinius; Authoritas esculentis apud antiquos rutæ fuit. Inuenio mustum rutatum populo datum à Cornelio Cethego in cōsulatu collega Quinti Flaminii comitiis peractis. Condiuntur eius folia, & seruantur in fasciculis. Columella rutā condire docet circa vernū æquinoctiū, quam sæpe diximus in olusatro, & cæteris. Est ruta fascinationis amuletū, cuius causam Aristoteles in problematis reddit. Nam effascinari se credunt, quum aut voraciter edunt, aut incommodorum quorundam suspicione tenentur, vel cibum, quem assumunt, habent suspectum, itaq; quum de mensa eadem quid priuatè sibi capiunt, participem intuentem faciunt, affanturque quum impertiant, Ne me fascines. Ergo cibū cum perturbatione vorabunt, nec quid ebibent, aut esitabunt, sine turbatione & flatu, qui hauriatur vnà, & simul ingeratur. Quamobrem intruso spiritu, tormina mouentur, & cruciatus excitantur. Igitur præsumpta ruta, suapte vi & calefactoria dote, vas, quod recipit cibos, elaxat, quo fit, vt inclusus spiritus facilè per patētiores angustias euadat. Contra venena maximè rutā pollere veteres Græci memoriæ mandarunt, vt de famigerato illo pharmaco Mithridatico fertur, in quo inter prima miscetur. Theophrastus: Viperę, vbi noxium allium comederunt, vt noxa liberentur, rutam absumunt. Sic & mustela in murium venatu & cum iis dimicatione conserta, ex Plinio. Sic & cum serpentibus dimicatura, rutam prius edēdo se munit. Aristoteles enim in problematis quærit, Qua de causa ruta, & nonnulla pigmenta sudores fœtidos moueant. Respondét, quia quorum odor grauitatem præ se fert, hæc humoribus sordidis admista fœdum odorem mouere possunt.

Nomen. Græcis πήγανον. Plutarchus putat à facultate dictam ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι τὸ σπέρμα, quia semen genitale suo præsicco spiritu coaguler, quasi ve arefaciat, vt sterilescant præsertim viri, ideoq; gestantibus vterum inimica, etiam coronis inserta putatur. A Peloponnensibus ῥύτην appellari dicunt. Latine, & Italice *ruta*.

Genera. In duo diuisit genera Theophrastus, syluestre & satiuum, syluestris odoratior, sed eius odor tædio est; satiua permistione terreni humoris temperata suauior est. Odor durus, & expers omnino dulcedinis. Dioscorides hortensis satiuæ, & montanæ syluestris meminit. Plinius refert Pythagoram marem minoribus, herbaceiq; coloris foliis à fœmina discreuisse, etiam lętioribus foliis, & colore. In satiuam item distinxit, & syluestrem: illi latiora folia, & rami fruticosiores, huic horrida, & ad omnia acriora.

Descriptio. Ex Theophrasto descriptio. Frutex est, sed interdum arboris naturam adipisci conspicitur, vnde sunt, qui oleriarborem vocitent: semper virens, etiam si affligatur, muteturq;, surculosus, minutisque conditus foliis. Rutam etsi Dioscorides suo capite describere dedignatus sit, vtpote triuialem, aliis tamen comparando, examussim delineat. Foliis constat ambrosiæ, aut hipecoii, aut serpilli syluestris, sed breuioribus, mollioribus, & latioribus, aut hiperici, aut androsemi, sed triplo, aut quadruplo minoribus, aut polemonię, sed minoribus, & breuioribus, aut poligoni maris, sed durioribus, & breuioribus, aut apios, sed breuioribus, aut latioribus, aut pepli, paulo angustioribus. Odor trifolii asphaltites, recenter enati. Plinius: Odoratissima inter olera, quæ sicca, vt ruta, & qui in siccis nascuntur. Floret cum fraxino Addimus nos. Folio exiguo, rotundo, cęsii coloris, denso flore luteo, angulosis calycibus, cum capitulatis siliquis, in quibus semen album, flore quaternis vel quinis foliolis diuiso, colore luteis, in iisdem lutei apices. Sępe in arborem transit. Diu floret Aprili, & Maio. Inde semē affert, gratissimi odoris, & saporis. Mirabilis magnitudinis visa est à Iosepho, Iudaici belli scriptore, Macheruti, quod olim fuit munitissimū Iudęę oppidum, in ipsa regia: à nulla enim ficu, vel celsitudine, vel magnitudine vincebatur. Ferebant autem eam ex Herodis temporibus perseuerasse, mansissetq; diutius, nisi à Iudæis, qui locum ceperant, excisa esset.

Cœlum. Athenæus in Smyri rutam in opus nasci author est. Cassianus in calidis, & apricis. Columella aprico gaudere cœlo. Plinius Galaticam laudat, & apricis & siccis gaudere, terra quammaximè lateritia.

Solum. Plinius: Odit humorem, ac fimum, terra gaudet quammaximè lateritia. cinere vult nutriri. Palladius, loca desiderat altiora, vnde labatur humor, solius cineris aspersione gaudere. In terra soluti lateris ponunt, quod prodesse certissimum est.

Satio. Theophrastus rutam semine nasci aliquos negare refert, verùm tardè oriri, qua de causa surculo eam serere solent. Ruta non ex prora, sed ex palmitibus exit, & auulsione. Cassianus feliciter seri ait. Columella, Autumno semine satam mense Martio deferre oportet in apricum. Februario prouenit se-

mine, vel plantis ruta. Plinius. Ruta quoq; seritur Fauonio, & ab æquinoctio autumni. Seritur è surculo melius in perforatam fabam indito, quæ succo nutrit comprehendendo surculum. Seritur & à seipsa, nanq; incuruato cacumine alicuius rami, quum attigerit terram, statim radicatur. Palladius, Martio mense, si ponas semina eius, adhuc clausa folliculis singulatim manu debebis affigere, si iam minuta sunt, iactabis, & rastro obducta cooperies, caules eius, qui inclusis seminibus nati fuerint, fortiores erunt, sed serò nascentur. Ramuli eius cum aliqua corticis parte conuulsi, verno tempore pro plantis tenebunt, tota verò translata morietur. Nonnulli ramulos eius pertusæ fabæ inserunt, vel bulbo, atq; ita obruunt, alieno vigore seruandos.

Cultus. Aqua salsa rigatam Theophrastus rutam melius prouenire dixit. Cuius ex eo rationem in brassica adduximus. sic etiam cinere radicibus aggesto, qui facit siccitate sua vt radices neq; vermem, neq; putredinem sentiant. Et alibi. Cinis radicibus congestus, siue ne radices vermiculentur, seu etiam salsugine coalescant: habet enim similem quandam vim calefaciendi. Rutam runcari etiam oportet, durescit enim & exarescit, sed dimutilata, & in ramos dispersa, amplior, melior, sapidiorq; redditur. Cuius etiam rationem ex eo in brassica reddidimus. Aquam fimūq; sanè olera omnia diligunt, ruta excepta, hęc enim fimi aspernatrix penitus est. Quæ omnia Plinius ex eo transtulit. Odit humorem ac fimū, cinere vult nutriri, hic & semini miscetur, vt careat erucis. Peculiaris medicina rutæ in salsis aquis, quæ & alioqui plurimū sanitati conferunt & fertilitati. Cæterum dulcium aquarum rigua prosunt. Rutam furtiuam tantum prouenire fertilius putant, sicut apes furtiuas pessimè. Nec ferro tangi expedit rutam, author est Sabinus Tyro. Columella, Runcari debet ruta, donec coalescat, ne herbis enecetur, sed nec lata manu debet runcari, quam nisi contexeris, perniciosa nascentur vlcera. Si tamen per ignorantiam nuda manu runcaueris, & prurigo, atq; tumor incesserit, oleo subinde perungatur. Multis annis durare innoxia potest, nisi mulier, quæ in menstruis est, contingat eam. Ab eo Plinius: Durata runcatur non sine difficultate, prouenientibus vlceribus, ni munitis manibus id fiat, oleóve defensis. Florentinus Græcus: Fimum horret, ideo per hyemem cinere cupit ali, sic etiam natiuus calor frigoribus obsistit. Fictilibus melius seritur. Immundę mulieris & accessum, & omnem prorsus attactum metuit, siquidem eo confestim enecatur. Palladius, Non effodi herba, sed optat euelli, immundęq; mulieris refugit attactum.

Ars. Ficui insitam rutam optimè prouenire testantur authores. Aristoteles suis problematibus percontatur, Quam ob causam ruta insita in ficum, pulcherrima plurimaq; proueniat. Inseritur verò inter corticē, limoq; obducto fouetur. An quod rutę radix fomentum, teporemq; desiderat, itaq; cinere quoq; circundata iuuatur? ficus autē calida est, quod eius succus omnium acerrimus docet, & fumus, quem etiam abūdè emittit: habet igitur calorem, atq; humorem talem, qualem etiam cinis, quamobrem si ille iuuare possit; multo magis

ficus,

ficus, quæ copiam atq; vigorē eo magis præstabit, quo humor cineri non perpetuo affluit, fici autem irrequieto confluuio manat: vtpote cùm arboris succus consumi ex toto non possit. Theophrastus, Quicquid in aliud seri possit, melius redditur, ceu ruta in fico, sic enim optimam fieri posse creditur. Cortici infixam serere, & terra occultare consueuere, euenit nanq; vt humor lacteus ille fici super alimoniam auxiliari quoq; suo calore valeat opportunè, sicut & cinis congestus radicibus, siue ne radices vermiculenter, seu etiā salsugine coalescant: habet enim similem quandam vim calefaciendi. Plutarchus etiam in Symposiacis suam affert causam, Ruta quæ sub fico prosilit, aut innascitur illi, & suauior sapore, & mollior habetur, causamq; subiūgit, quod vel eam ficus aliqua dulcedine recreet, vel grauitatem satietatēq; restinguat, nisi potius contraria ratione ficus alimentum alliciens ad se, simul acrimonium aboleat. Sic vtramq; sententiam Plutarchus confirmauit. Dioscorides eam solam rutam commendat, quæ prope arborē fici subnascatur, reliquas ferculis abdicat. Plinius: Amicitia est ei & cum fico in tantum, vt nusquā lætior proueniat, quàm sub hac arbore. Palladius: sub ficus arboris vmbra libentius acquiescit. Prosequi maledictis quum serūt eam certissimum est, ac melius furtiua proueniet.

De saluia. Cap. L.

DIXIMVS de ruta, dicturi de saluia. Solebant veteres illi rerum scriptores in hortis rutam iuxta saluiam plantare: nam illa vt superius iam diximus suo odore serpentes ex hortis fugat, saluia serpentes & buffones accersit, ita & in hac nostra villa alteram iuxta alteram collocare statuimus. Theophrastus inter olera connumerat, multisq; condimentis aptissima. Florentinus iucundissimum afferre apibus pabulum retur.

Græcis ἐλελίσφακος ex arenti & cinereo squalore foliorū, qualis in torridis & *Nomen.* exuctis montibus enatæ saluiæ est, deducto nomine ab ἐλελίζειν, & σφάκος, vocibus vnà coalescentibus, quasi sole afflatam, tabefactam, ac syderatam dicas, vel à medendis sphacelo penè demortuis partibus, natiuum calorem, roburq; insitum reuocando nostræ vitæ primordia. Latinis saluia dicitur, ex Plinio. Nostri qui sunt herbarii elelisphacon Græcè, Latinè saluiam vocant. Diciturq; saluia, quod ad multa, & præsertim ad fœcunditatem sit salutaris, & saluos & incolumes homines præstet: nam grassantem in Copto Ægypti pestem innumeros penè mortales rapuisse ferunt, reparatamq; multitudinem coactis mulieribus huius herbæ succo ad conceptum vti.

Theophrastus duo saluiæ genera fecit, satiuum ἐλελίσφακον vocauit, sylue- *Genera.* stre σφάκελον.

Sphacelus & saluia inter se distant, quasi alterum vrbanum, alterum genus *Descriptio* syluestre dixeris. Spacelo folium læuius, contractius, minusq; squalens, saluiæ scabrius. Hæc ex Theophrasto. Dioscorides sic depingit saluiam. Frutex est ramosus, longus, virgas habens quadrāgulas, cauas, folia mali cotonei effigie, sed

longiora, aſperiora, craſſiora, & quæ ſenſim attritarum quaſi veſtium ſcabritiem referant, hirſuta, ſubalbida, perquàm iucundo odore, ſed graui, ſemen ſummis caulibus ſyluestri hormino ſimile gerit. Plinius, Eſt & ſylueſtris elelisphacos dicta à Græcis, ab aliis phacos, eſt & ſatiua lente leuior, & folio minore, atque ſicciore, odoratiore. Eſt & alterum genus eius ſylueſtris, odore graui, hæc mitior. Folia habet cotonei mali effigie, ſed minora & candida. Saluiam mentæ ſimilem, cauam, odoratam, ſed Græcorum ſphacos, & ſphacelos nomina cauſam dederunt errandi Plinio, vt ſaluiam in frugum cenſu retulerit inter lentis ſpecies, & Theophraſti, & Dioſcoridis delineationes de ſaluia hortenſi, & ſylueſtri in vnum commiſcuerit.

Cælum. Subſtinet quodcunq; cœlum, & ſi apricum mihi deſiderare videatur.

Solum. Dioſcorides in aſperis naſci dixit.

Satio. Seritur ſemine, Ianuario, Februario, & Martio. Sic etiam Octobri, Septembri, & Nouembri. Seritur plantis & ſurculis. Sed melius Martio menſe. Lixiuio & cinere fruticem muniunt olitores, & ſic lætiorem prouenire teſtantur. Frigora non horret, hybernis temporibus viuit, in quibus premente olerum penuria iuribus innatat.

De ſiliquaſtro. CAP. LI.

PIPERIS vice, quod ex India nobis defertur, herbæ cuiuſdam ſiliquis, & granis, quod ſuo piperis guſtu iura commendet, quam ſæpiſſime in condimentis vtimur. Sunt qui putent Plinii eſſe ſiliquaſtrum, quum notæ aliquæ, quas ſuo ſiliquaſtro ipſe aſſcribit, huic noſtro adamuſſim reſpondeant. Nos hortis noſtris, & vaſculis, tum plantæ ſpectaculo, tum culinis, eam ſerimus, & colimus.

Nomen. Plinius ſiliquaſtrum, & piperitim vocat: videturq; conuenientiſſimo nomine dictum: nam & ſiliquas nimium longas, & recuruas producit, eiusq; ſemẽ & ſiliquæ cortex guſtu, maximam piperis acrimoniã & ſaporẽ præ ſe fert. Auicenna videtur appellare ziziber caninũ. Nos Neapoli *pepe d' India* dicimus.

Genera. Plura ſunt apud nos genera. Eſt genus vnum, quod longas, aliud quod breues ſiliquas profert, aliud autem rotundas, maiores, paruas, & in modum cucurbitæ viatoriæ.

Deſcriptio. Siliquaſtrum, vel piperitim ita ex Caſtore delineat Plinius, caule rubro, longo, denſis geniculis, folio latiori, ſemine albo, tenui, guſtu piperis. Et alibi, guſtu piperis, magis etiã ſiliquaſtro, ob id piperitidis nomine accepto. Addimus nos. Conſurgit caule cubitali, atq; etiam longiori quadrangulo, geniculis interſepto, ramis amplioribus brachiato: foliis hortenſi ſolano non diſſimilibus ſed maioribus, longioribusq;, floribus candidis, puſillis, ex quibus vaginulæ oriuntur in mucronem ſenſim turbinatæ, uirido virore, & læuore, craſſo pediculo innixæ, per maturitatem rubidæ, coralli modo, coriaceæ, quæ dehiſcentes ſemen oſtendunt candidum. Sed ſemen, vel valuulæ deguſtatæ, tanta ſunt

comburendi

comburendi licentia, vt os, linguam, palatum igneo feruore conflagrare sentiatur. Æstate floret, dein in siliquis semen producit, radice vnica, subalba, capillamentis fibrata.

Solum putridum, & macrum, aut roscidum quærit, ex Plinio. *Solum.*

Cœlum calidum videtur exoptare; quum nobis ex India adlatum sit. *Cœlum.*

Ex Plinio, semine seritur. *Satio.*

De herbis escariis, & primò de brassica. CAP. LII.

A CONDIMENTARIIS ad escarias herbas transeamus. Se offert omnium prima brassica, cuius à vino, atq; melle tertius est hic Neapolitanis fructus. Male nobiscum actum videretur, si sine aliqua laudis præfatione ad patrii oleris historiam deueniremus. Cato brassicam omnibus oleribus antestare ait. Plinius, eius laudes longum esset assequi, dixit, quum & Chrysippus Medicus priuatim ei volumen dicauerit per singula membra hominis digestum, & Dieuches, ante omnes autem Pythagoras & Cato non parcius celebrarint. Iones iureiurando per brassicam suam fidem astringebant, vnde Nicander, & Hippocrates brassicam μάντιν, id est, vatem, quasi sacram appellabant, Athenæi authoritate. Varro vtilissimam apibus tradit, immo ex ea duplex ministerium præberi, ceram & cibum. Fabulantur Græci Lycurgum à Libero patre vitibus adalligatum illachrymasse, è cuius lachrymis hoc olus natum prodidere, vt Nestor in libro, qui alexicephos inscribitur, narrat: innuentes his fabularum inuolucris pernicialia brassicæ, & vitis odia. Referũt Græci, quorum primus Theophrastus, rem sanè admirabilem, vt fascinum propemodum videri possit, vitem acri odore huius oleris fugari, & eius flagella intorqueri, inimicum fugiens odorem, & hoc argumento vsus Androcides contra temulentiam pollere credidit. Beritius autem: Si brassica fuerit viti adsita, luxuriantes eius palmites potius repandi curuabuntur, quàm recti velint propius accedere, tum quia siccæ naturæ, tum intestina qua flagrant discordia. Latini verò, è quibus Cicero libro de Natura deorum, Iam verò vites sic clauiculis adminicula, tanquam manibus apprehendunt, atque ita se erigunt, vt animantes, quæ etiam à caulibus, brassicisque, si propè nati fuerint, vti à pestiferis & nocentibus refugere dicuntur, nec eos vlla ex parte contingere. Cato: Si voles in conuiuio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam esto crudam quantum voles ex aceto, & ita vbi cœnaueris, comesto aliaquinque folia, reddent te quasi nil ederis, biberisque, bibesque quantum voles. Idem Varro. Plinius ait vino aduersari, vt inimicam vitibus: antecedente in cibis caueri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti, & erraticam inimicissimam vino, quam præcipuè vitis fugiat, aut si non possit fugere, moriatur. Apud Ægyptios, qui magnopere vini sunt amatores, moris est, omnibus esculentis brassicam crudam, vel eius semina in cibatu præmittere, vt crapulam sedarent, quod & de Sibaritis Timeus etiam

tradidit, immò vineam, in qua brassicæ nascuntur, languidius afferre vinum, Athenæus est author. Beritius item: Si quis feruentem in ollam brassicæ vini paululum guttatim instillarit, ne amplius quidem excoquetur, sed suis viribus defuncta ad perniciem trahetur. Plinius: Brassica corrumpitur in dolio vini sapor, odore betę foliis demersis restituitur. Sed occurrit aliud ingens discordię miraculum: hoc olus, quo vitem fugari diximus, aduersum cyclamino, & origano arescit. Sed Aristoteles in problematibus causam exquirit, cur brassica vini noxas restinguat, aitq; id fieri quòd dulcem succum, discutientemq; obtineat. Vnde Medici eam aluo infundunt; frigida autē ipsa est, argumento quod ad alui vehementes deiectiones Medici ea vtuntur, excocta in plenum, & suo caule purgata, refrigerataq;. Fit igitur detentis à crapula, vt eius succus humores in aluum detrahat, qui vinosi crudiq; tenentur, & ipsa supra in ventriculo remanens, corpus refrigeret, quo fit vt tenues humores ad vesicam labantur, quod quum humor vtrinq; educatur, corpus refrigeratur, rectè liberari à crapula possint. Vinum enim humidum, atque calidum est. Euenit ad hæc, vt quum humores deorsum se trahunt, atq; excernunt, flatum etiam secum deducant, qui si per vinum liceat, in caput se efferens, grauitatem creat: sin autem deorsum se vertit, corpusq; ob causam prædictam refrigeratum est, dolor crapulæ omnis tollitur. Est enim crapula feruor quidam, & desinens inflammatio, quæ plus conflictat, quàm temulentia, quòd mentem illa quatit & alienat, crapula autem mente sibi constante, dolorem admouet: vt enim qui febre vrgente, ludunt potius, quàm dolent, iidem vbi leuati malo fuére, atq; ad se rediére, indolere occipiunt. Hoc enim in crapula quoque, vt in temulentia euenire solitum est.

Nomen. Vetus Græcia brassicam ῥάφανον vocauit, vt Aristoteles, & Theophrastus ex Polluce, Theocritus etiam, quod testatur M. Varro. Apollodorus Caristius ad id, Raphanum quod vocamus nos viri, hoc vos externi brassicam vocatis, vt videre est apud Athenæum, quæ res ansam præbuit Plinio errandi, vt raphano asscripserit, quæ de brassica protulerit Theophrastus & alii, vt videbimus in hoc capite, & vbi de raphano loquemur. Subsequuta ætas κράμβην vocauit, dictaque censetur, quòd oculorum pupillas, quas Græci κόρας vocant, obtundat, hebetetque. In hanc sententiam iuisse Columellam testantur carmina in suo hortulo,

Nunc veniat quamuis oculis inimica corambe:

Attici integro nomine κοράμβην, sed priori etymi exemplo protulerunt, quasi κόρῳ ἄμβην, vel ἀντίβην, quod crapulæ aduersetur, qua quidem commentatione apud omnes notissima. Hæc tot exercuit, & excruciauit Grammaticos illo Satyrici senariolo,

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Sunt qui brassicam dicant ἀπὸ τῦ βράζειν, à vorando dici, quum à tota plebecula, tum cruda, tum cocta, vel muria seruata edatur. Latini brassicam vocant,

quasi

quasi passica. Varro. Quod ex scapo minutatim præsecatur, & passa fiat, quod etiam Pompeius affirmat. Itali *cauli*, Neapolitani *foglie* vocant, quod præ cæteris oleribus insigni caule, & folio vigeat.

Theophrastus multiplicia, variaque genera brassicæ dixit. Neapoli quamplura brassicarum genera visuntur, omnia percensere odiosum duximus, sed quæ ab antiquis narrata, & nobis insigniora, satis erit attingere. Græci & Latini brassicam in tria partiuntur genera, in syluestrem, satiuam, & hanc in læuem, & crispam. Primo à syluestri exordiemur. Syluestris Theophrasto ῥάφανος ἀγρία dicitur, & hæc est eius forma. Folio læui, & breui, atque rotundo, copioso: fruticosaque, sapore aspero, & medicamenti instar ad eliciendas aluos. Caules peculiares sortitur, rotundos læuiores, quàm satiua, & foliorum appendicem rotundiorem, folium minus angulatum, cætera scabra, tum foliis, tum caulibus, acrior, vehementiorque. Dioscoridi κράμβη θαλάσσια, id est, marina brassica, dicitur, prorsus à satiua abhorret, quod folia ferat rotunda aristolochiæ, prælonga, tenuia, singula, à rubentibus ramulis exeuntia, singulari vt hedera pediculo, albo succo prędita est, sed pauco salso gustu, aliquantum amaro, pingui concretu. Herba in totum stomacho inimica, acris, vehementissima, aluum ciet in cibo cocta. Cato κράμβην vocat, horumque verbis suffragatur. Minimis caulibus, tenerioribus foliis, & acerrima omnium, tenui succo vehementissima, & omnibus brassicis medicamentosior. Plinius à Catone describit: Syluestris erratica, & petrea. Folia habet bina, parua, rotunda, læuia, plantis oleris similior, candidior satiua, & hirsutior. Neapolitani *soldanella* dicunt. Sed alia est syluestris brassica à Dioscoride descripta, quæ rectius syluestris dici posset, quum à satiua nil, nisi feritate, & succi amaritudine discrepet, prædicta verò est alieni generis à brassica. Ipse depingit hoc modo. Syluestris brassica marinis, præruptisque locis magna ex parte gignitur, satiuæ similis, sed candida, hirsutior, amara. Abundat his totus Surrentinus tractus, præruptis crepidinibus adnascens, mari imminentibus, quod nisi gustum consulueris, satiuam existimabis. Neapoli vulgò *foglie seluaggie*. Satiuum genus in duo genera discriminabimus à foliorum differentia, vnum crispis, alterum læuibus constans foliis. Crispum à Theophrasto οὐλόφυλλος ῥάφανος dicitur, succi bonitate, & foliorum amplitudine læui præstantior est. Cato à Græcis σελινοειδῆ vocari scripsit, ab apii similitudine: aspectu, & natura bona, ad euacuandum valentior est læui. Athenæus σελινουσίαν, Plinius selinada stomacho vtilem, aluum mediocriter mollientem, & apianam dicit. Hæc apud nos duarum est specierum, alterius caulis extumescit in medio, qui iuribus incoctus, teneritudine & sapore cæteris antestat. Neapoli vulgò *foglie crespe torsute*. Alterius verò extenuatur. Brassicarum genus, quod læuibus constat foliis, Theophrasto λειόκαυλος ῥάφανος dicitur. Hanc Athenæus Eudemi authoritate omnibus locis nasci scripsit. Catoni λεία, grandibus

Genera

& latis foliis, caule magno. Et Plinius, quæ à Catone excepit, Extentis foliis, caule magno. Neapolitani vulgò *foglia comone*. Nos hoc genus in plures species diuidemus, & inter eas, quæ à Columella & Plinio describuntur enarrabimus, nobisq; insigniores. Læuem hanc brassicam in duas diuidemus, colore inter se differentes, in nigram videlicet & albam. Nigræ caulis semper tenuis, nec vnquam extumescit in medio, nec eadem teneritudo, quæ albæ, nec sapor dulcis, & delicatus, sed quodammodo acris, velut syluestris species, huius aquam decoctæ maximè omnium fœtere humi affusam, etiam à Plinio narratur. Apud nos vili habetur pretio. Seritur tamen quia contra frigus peruicax genus est, & hyeme seritur, & plantatur, & etiam hyeme cauliculos, & cymas edimus, ne quis dies sine caulibus sit, quod non contingit in aliis generibus. Omnibus est & laus foliis, & tonsili cymarum luxuria. Seruntur locis frigidis, quibus albæ seri non possunt, vt circa Samnites, & Brutios. Columella in hortulo, *Brutia quæ tellus*.

A quo Plinius: Brutiani frigore aluntur, prægrandes foliis, caule tenues, sapore acuti; flore albo. Neapoli *foglie nere*. Sub albæ brassicæ nomine, plures in eam familiam species venere. Meminit albæ brassicæ Cassianus, ac Februario seri debere. Inter eas altera, cui tenuis caulis: altera, cui in rapi modum extuberat. Hæc apud nos maximo habetur pretio, quippe tenerrima germina cauliculi: & pars ea in medio foliorum extuberans, pinguibus iusculis, & medulla incoqui solent, ac quotidiano nascuntur cibo. Imbecillis est, & frigora non tolerat, floret flore albo, & luteo. à Columella Pompeiana dicitur, nomenque à natalibus locis vsurpauit, quum ibi oriunda credatur.

Quæ dulcis Pompeia palus vicina salinis
Herculeis, niueoq; Siler qui defluit amni.

Vocat Pompeianum genus à Pompeianis Campaniæ populis, qui prope Neapolim fuerunt. Hercules enim debellatis Hispaniis, Geryonis Regis armenta exportans, in suam patriam rediturus, ad Vesuuium montem bello inualidos milites reliquit, & ibi constructis tectis, oppidum exædificauit, Heracliam nomine, promouens castra ad octauum lapidem: quum ad Sarnum ventum esset, veteranis alia mœnia extruxit, qui de triomphali Pompeia fuere Pompeiani dicti. Et quemadmodum Pompeianis & Herculanis idem fuit ortus, idem fuit etiam occasus, quippe conflagrans Vesuuius eis imminens, vtrosque absumpsit. Nostris temporibus incendiorum iniuria versa sunt in vicos, vbi Herculani cadauer sepultum existimamus, vulgò *la torre del greco*, octauo à Neapoli lapide, Pompeiani verò *la torre dell' Annonciata*. Plinius Pompeianum procerius aricino, caule ab radice tenui, intra folia crassescit, rariora hæc, angustioraque: sed teneritas in dote sit, frigora non tolerat, Neapoli vulgò *foglie torsute bianche*. Hinc admirari licet Matthiolum suis in Dioscoridem commentariis scripsisse id brassi-

carum

carum genus antiquos latuisse, quū à Plinio satis clare describatur. Alba brassica tenuicaulis vsitatissima apud nos ob cauliculorum abundantiam, quam tota æstate largitur. Huius duo genera, depressius, & excelsius. Columella aricinum vocat in hortulo suo,

—— & mater Aricia porri.

Plinius ab eo. Aricinum altitudine non excelsius, folio numerosius, quàm tenuius: hoc vtilissimum existimatur, quia sub omnibus penè foliis fruticat cauliculis peculiaribus. Neapoli dicuntur, *foglie branche non torsure.* Alterum genus excelsius attollitur, circiter quindecim pedum altitudinem, simplici stipite, crassitudine brachiali, leniter rubenti, folio prægrandi, carnoso ex cæsio candicante, in latus vtrinque diffuso, procurrentibus venarum toris, fruticante patula cyma, flore luteo, & albo. Nascitur Surrento & Stabiis. Serunt eas species, qui gallinas, aliasve aues cohortales alūt. Ab imis radicibus folia euellunt, vt alte extollatur. Neapoli satę degenerant. Vulgò *foglie alte.* Est & genus vnum crispissimis foliis, satis à primo genere diuersum: nam ei per ora tantum frondium, huic in totum crispatur, folio satis amplo, ac duro, ac contra frigus peruicaci, cauliculorum copiosissimum, qui inter cæteros sapidissimi sunt: in frigidis Samnitum regionibus perennat, illinc ad nos tráslatum. Neapoli vulgò *foglie crespe d' Apruzzo.* Columella in suo hortulo Sabellicos vocat.

Quæ duri præbent cymosa stirpe Sabelli.

Plinius ab eo. Sabellico vsque in admirationem crispantur folia, quare crassitudo caulem extenuat, sed dulcissimi perhibentur ex omnibus. Sabellici enim populi montes incolunt inter Sabinos & Marsos, à Sabinis orti. Est tamen id genus obnoxium pediculis, qui sub rugis, & laciniis latitant. Brassica item familiarissima apud nos est, qua ferè toto anno victitamus, hæc enim in capitis formam extuberat, nonnunquam sesquipede crassi. Folia eius ambitu conglomerantur, exterius callosa, per ambitum erugata, multis intus catinarū voluminibus, externis semper interiora complectentibus, nunquam non nisi quum in florem exeunt, delitescentibus, quum gelicidia sentit, grata cibis, tenerescit frigoribus, humili caule, iis hyeme præcipua nobilitas. Columella has vocat lacuturres.

Et turri lacus.

Plinius ab eo. Nuper subiere lacuturres ex valle Aricina, vbi quondam fuit lacus turrisq́; quæ remanet, capite prægrandes, folio innumeri, alii in orbem porrecti, alii in latitudinem torosi, nec plus vllis capitis post tritianum, cui pedale aliquando conspicitur. Cyma nullis serior. Hæc Nicandro & Galeno κεφαλωτὴς γάσηρ, quasi capitulatū olus dixeris. Neapoli *fogglie cappuccie.* Est & huius alterū genus, spurium dictū, nam superius recensitum legitimū vocant, desciscens ab eo nobilitate, folia habens nigriora, duriora, breuioraq́;, sursum repanda, quæ non in absolutū orbem coëunt, sed summatim fat hiscentia, breui interna, eorū spatio explicantur non vsq; adeò conuolutis foliorum panicu-

lis. Vulgò *foglie cappuccie bastarde*. Hasq; videtur Plinius innuere, quum dixit, Alii in latitudinem torosi, quum non clauduntur. Horum alterum est genus, quod nobis ex Liguria affertur, vasta magnitudine, eximio candore, mira teneritudine. Sed Neapoli satum degenerat, nec nisi magna folia, dura, & nigra affert. Neapoli *foglie cappuccie & Genoua*. Aliud est genus brassicæ Cumanum ab antiquis dictum. Columella,

Quæ pariunt veteres cesposo littore Cumæ.

Plinius: Cumanum sessile folio, capite patulo. Diphilus Syluius dulce, laudatissimumque, in Cumis nasci dixit, scribente Athenæo. Nicandro etiam:

Aspera nutritur Cuma prauiq; coloris,
Queis soleas sarcire solent, non esse videtur
Pellibus aßimilis.

Quantum verisimili coniectura assequi possum, genus vnum est præcox nobis dictum *foglie di Pozzuoli*. Sunt & aliqua à Columella descripta, scilicet quæ ex Marrucinis veniunt. Populi sunt prope Marsos.

Quæ Marrucini quæ Signia monte Lepino.

Est tamen Neapoli genus vnum foliis laciniatis, imò scissis per totū & crispis, omnium optimi cauliculi, quum facile coquantur. Vulgò *foglie francese*. Genus est aliud huic cognatum, quod è medio folio cauliculos producit, mira naturæ proprietate, vt carpophyllos dici possit. Alterum est genus, quod omnium nobilissimum iudicamus, puta ex specie lacuturrium. Grandi assurgit caule, folio lato cymosum, cuius cacumen omnium maximum, vt vix florem duobus, indice & pollice, diductis in circulum digitis complecti posses, prius subferuefactum, mox oleo & sale suffitum in acetariis magnatum mensis apponitur: ab huius floris excellentia, vulgo *caule fiore* dicitur. Huius oleris penuria apud nos est, solo & cœlo repugnantibus, quippe semen è Cypro nobis aduectum primo anno coliculos & flores affert, secundo anno degenerat, & ad nostrates redit. Nec id nobis mirum videri debet, quū Athenæo authore, semen brassicæ è Rhodo in Alexandriam delatum, dulcē primo anno brassicam, postea à bimatu regionis vitiū suscepit. Est etiā, Plinius inquit, sua gratia nonnunquā plantæ habitu excellentibus, halmyrida vocāt, quoniam nisi in maritimis non proueniunt: nauigatione quoq; longinqua viridibus adseruatis. Statim desecti ita ne humū attingant, in cados olei quā proximè siccatos, obturatosq; conduntur, omni spiritu excluso. Eudemus Atheniēsis brassicā in sua digessit genera, halmyrin, crispā & læuē, sed halmyrin ob suauitatē principatū sibi vēdicare. Nascitur in Eretria Cuma, Rhodo, Gnido & Ephe∫o, ex Athenæo.

Cælum. Palladius caules omne cœli statū substinere dixit, sed frigidū magis, contra Austrum positi, citius ferunt, contra Septentrionē serius, sed hic caulis & sapore, & robore vincit. In Germania optimi proueniunt, nec erucas gignunt, vt in calidis regionibus. Apud Samnites omniū sapidissimi dulcedine, & teneritate, vbi maximum frigus. In Apulia, vbi maximus æstus, saporis amari, & degeneris.

Theo-

Theophrastus solum sabulosum amare dixit. Palladius stercore gaudere, & solum pingue, & satis subactum diligere, argillam & glaream timere, sabulone & arena non delectari, nisi perennis vnda succurrat. Cliuis delectari, ideo ponendas plantas per puluinos arearum. Plinius hos authores concordans ait. Fimus humorque si defuere, maioris saporis gratia est: Si abundauere, lætior fertilitas, fimum asininum maximè conuenire. Varro Nestoris sapientissimi carmina, quæ in Alexicepo scriptum reliquerat, interpretatus, brassicam salsis locis seri iubet, dum trium foliorum erit, nitrum tritum, aut salsuginosam terram cribro excussam aspergere, vt quasi pruina respersa videatur. Solum.

Theophrastus brassicam ex prima semente esse dicit, quę post æstiuum solstitium mense Iulio fit, decimoq; à satu die se demonstrat. Sed ne sit semen vetustate exuctum: nā semen vetus tantum valet in quibusdā, Varrone authore, vt naturam commutet: nam ex semine brassicæ vetere sato, nasci aiunt rapa, & contra ex raporum brassicam. Videtur idem Theophrastus sensisse libro de causis, In genere olerum quædam suā speciem seruant, vt brassica & alia, quędam mutari videmus. Cassianus brassicæ semen inueteratum non in rapam, sed raphanum mutari dicit. Florentinus rapi semen post tres annos brassicam producere, & vice versa. Palladius: vetustum semen brassicæ mutari in rapam. Plinius: ex semine brassicæ veteri rapa fiunt, atq; inuicem. Quod etiā Auerroes confirmat. Columella, Brassica quum trium foliorum erit, transferri debet, frigidis & pluuiis regionibus, positio eius optima post idus Aprilis, cuius depressæ plantæ quum tenuerint, quantum olitoris ratio patitur, sępius sarrita, & stercorata, melius conualescit, plenorisq; incrementi, & coliculū facit, & cymam. Nonnulli hanc eandem locis apricioribus à kalendis Martiis deponunt, maior pars eius in cymam prosilit, nec postea hybernum caulem amplū facit, quum est semel desecta. Possis autem vel maximos caules bis transferre, idq; si facias, plus seminis & maioris incrementi præbere dicuntur. Palladius, Februario mense caules seremus, quin & toto anno seri possunt, gaudet stercore, & surculatione. Rarius positus conualescit. Ponendæ sunt plantæ maioris incrementi, quia licet serius comprehendant, fortiores sunt. Si hyems est, tepido iam die, si æstas, quum sol in vesperam declinatur, planta pangenda est. Iunio mense brassica seri debet, quam inchoante transferemus Augusto, vel irriguo loco, vel pluuia initiante madefacto. Sed vtilius Septembri mense seremus, vt plantas eius Nouembri inchoante transponas, de quibus & hyeme olus, & vere possit cyma produci. Aprili vltimo, & vere transacto brassicam serere possumus, quod cauli seruiet, quia cymæ tēpus amisit. Plinius: Brassica toto anno seritur, quoniam & toto secatur. Vtilissimè tamen ab æquinoctio autumni. Transfertur quum quinque foliorum est. Cymas à proxima satione præstat proximo vere. Hic est quidem ipsorum caulium delicatior, teneriorque cauliculus, Apicii luxuria, & per eum Druso Cæsari fastiditus, non sine castigatione Tiberii patris. Post cymam ex eadē brassica cōtingunt ęstiuę Satio.

autumnalesq́: cauliculi, mox hyberni, iterumq́; cymę, nullo ęque genere multifero, donec sua fertilitate cōsumatur. Tertia circa solstitium, ex qua si humidior locus est æstate, siccior autumno plantatur. Humor fimusque si defuere, maior saporis gratia est, si abundauere, lætior fertilitas. Fimum maximè asininum conuenit. Est hæc quoque res inter opera ganeæ, quapropter non pigebit verbosius prosequi. Præcipuus fit caulis sapore, ac magnitudine, primum omnium si in repastinato seras, dein si terrā fugientes cauliculos seces, à terraq́ue proceritate luxuriosa attollentes se, exaggerando aliam accumules, ita ne plus quàm cacumen emineat. Tritianum hoc genus vocatur, bis computabili impendio, tædioque. Auulsione brassicam nasci tradidit etiam Theophrastus, dummodo aliquid corticis adhæreat. Suspicor quidem in textu mendū, quum nunquam visum sit brassicam auulsione satam apprehendisse, impossibile enim reor. Hæc maiores nostri de brassicæ satione: nos hic sationum tempora, & modos ab earum generibus auspicabimur. Nigra Aprili seritur, transfertur primis imbribus Augusti, Octobri secatur cyma, vnde foditur, ac stercoratur, colligunturq́; cauliculi vsq; ad Martium, tunc efflorescens vsq; ad Aprilis medietatē. Alba crassicaulis, quā vulgò *torsutam* appellari diximus, bis anno seritur, primò Decembri, inde transfertur Februario, Aprili secatur cyma. secundò seritur Aprili, transfertur primis imbribus Augusti, secatur Octobri cyma. Si cauliculos expectas, medio caule secabis, sic adferet cauliculos Ianuario, ac Februario. Sunt eius cauliculi albi, tenues, teneriq;, & omniū sapidissimi. Cassianus album genus Februario seri debere dixit, transferri Aprili, seri item Augusto, transplantari Octobri, sed id in Constantinopolitano climate, vbi maximum frigus, hîc autem cœlū indulgentius. Alba tenuicaulis seritur, vbi prius imbres Augusti terram madefecerint: transfertur Ianuario, & Aprili profert florentes cauliculos, tum secatur cyma, totoq́; anno cauliculos affert, secundo anno secatur cyma Februario, cauliculos affert Martio, secatur tertio Aprili, sed singulis mensibus foditur, & stercoratur. Præcox Puteolana seritur Septembri, transfertur Aprili, Augusto abscinditur cacumen. Septēbri florentes cauliculos affert contra cæterorū morem. Quæ Aprili florescit, cauliculos affert, Septembri, Nouemb. Decēb. & Ianuar. Hæc Neapoli successiuè serūtur, ne vnquam & cymata & cauliculi desint. Est & genus tertiū inter albam, & nigrā, inter tenuem, & crassicaulē, vulgò *castellonica*, cauliculos magnos affert, & copiosos. Seritur Aprili, transfertur Augusto, quū madescit aër. Cauliculos affert Februario, Martio, & Aprili. Capitata siue lacuturris siccis locis Ianuario seritur, transfertur Martio, secatur Maio, & Iunio, irriguis verò locis Augusto seritur, transfertur Septembri, secatur Octobri, totaque hyeme, cauliculos etiam affert. Hæc toto anno estur: frigore citius clauditur, & melius, plantatur crebrius. Sed quū tempus calidius erit, plantę teneriores sunt, quū plantantur, si frigidius, crassiusculæ sunt, hæ magis frigori resistūt, illæ minus à calore exiccantur. In plātatione summæ radicularū partes truncantur, ne replicētur: nam alioqui

alioqui humiles, & semper retorridas producent brassicas. Possunt simul cum alliis, cæpis interseri, vt quum extirpantur effœtæ, vacuũ locum grandescentibus illis relinquant.

Theophrastus ait salsis aquis oblectari, salsuginéque multum adipisci emolumenti: ideo Ægyptij nitro aquæ permisto brassicam aspergunt, vt dulcior & tenerior euadat, sicut cùm prius sale commacerata, aquis coquitur. amaritudo, quæ in brassica est, reseratis salsugine meatibus absumitur, qua de causa salsis locis brassica optima est: amaritudo enim saporem, tum alimentum peruertit: ea igitur sublata, dulcior, tenerior, altiorq; efficitur brassica, cæteris verò rebus deterior redditur, quoniam nil alienum educitur, sed hoc aduritur, quod eius familiare nimirũ est. Brassica suauior meliorq; redditur salsugine. acritatem & amaritudinem brassicæ insitam salsugo absumit, tum etiã fragile quoddam efficit corpus totũ nimio humore sublato: quippe sal ad trahendum, absumendumq; humorem aptissimus est. patet hoc vel etiã cruda; frangi enim aliquas perhibent delapsas in terram. Quum igitur talis igni mandatur, facillimè coquitur, & tenera dulcisque sentitur, scilicet vt consentaneum est: nam & qui nitrum iniiciunt, hoc idem conantur efficere. Veruntamen non pridem incipiunt. Natura verò iam pridem orsa, paulatimq; prosequens, talem reddiderat. Quapropter neq; id auersum à ratione est, vt circa solstitium, aut circa sydus, nonnusquam & omnino per æstatem melioreseat, vt apud Eretriam. Tum enim salsugo acrius agit, euincitque, vtpote quum ea ipsa largior sit, humor autem contractior. In Ægypto quoque & locis eiusmodi omnibus optimam fieri ratio est. Salsugo autem siue à radicibus trahatur, siue à solis ardore ad summa ducatur, neutra sanè ratione immobilis esse possit in terra. Reciso caule regerminat, regerminatosq; suauiores, & teneriores caules affert, vt tradit idem in historiis. Cuius rei rationem libro de causis explicat, prima à radicis potestate: decerpto enim caule, radix validior efficitur, plus attrahit alimenti, vt superioribus aliena concoctrix facultas percoctum alimentum foliis subministret. Præterea duris, lignosisque sublatis, quum nil sit, quod amplius impediat, & intercipiat, quo minus feratur sursum alimentum, facilius proficit. Translatione meliorem, grandioremque fieri etiam tradidit. Plinius: Cuicunque generi plurimum suauitatis conferunt pruinæ, & nisi obliquo vulnere defendatur medulla, plurimum nocet. *Cultus.*

Columella docet: Quum transfertur, radix eius liquido fimo prius illita & inuoluta tribus algæ teniolis, pangatur. hæc enim res efficit, vt in coctura celerius madescat, & viridem colorem sine nitro conseruet. Palladius: Celerius enim coquitur virore seruato, si dum est trium, vel quatuor foliorum, nitrum tritum cribello desuper spargas, & speciem candentis pruinæ imitetur. Plinius: Sunt qui plantam in transferendo alga subdita pediculo, *Ars.*

nitróve trito, qui tribus digitis capiatur, celeriorẽ ad maturitatem fieri putent. Sunt qui semen trifolij, tritumq; simul nitrum aspergant foliis. Nitrum in coquendo etiam viriditatem custodit, aut Apiciana coctura oleo, ac sale, priusquam coquantur, maceratis.

Inf. rem. Nascuntur brassicis erucę, atq; vermiculi, has igitur humor collectus interimit, & fimus aceruatim iniectus. Industria enim bestiola cõdens sese, vt in stramento quiescit in stercore, quamobrem venari facile est, aliter nulla venandi datur facultas. Anatolius: Brassica à pulicibus infestatur, erucam cum ipsa serunt, vel plantant.

De beta. CAP. LIII.

BETA hortensium leuissima est. vsus iis (cùm prius de radicibus betæ locutus esset) & cum lente, ac faba, idemq; qui oleris, & præcipuus, vt lenitas excitetur acrimonia sinapis. Medici innocentiorem, quàm olus esse iudicauere. Quamobrem appositas non nemini degustare religio est, vt validis potius in cibo sint. Gemina iis natura, & oleris, & capite ipso exilientis bulbi. Mira differentia si vera est, candidis solui aluos modicè, nigris inhiberi. Et quum brassica corrumpatur in dolio vini sapor, odore betæ foliis demersis restitui. Męnander è Græcis author est, Allium edentibus, si radicẽ betę in pruna tostã superederint, odorẽ extingui, ex Plinio. Propter suam insipiditatẽ antiquitus vino & pipere coquebatur, vt ex Martiale elicitur,

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm sæpè petet vina, piperq́; coquus.

Apicius ita condit. Vt ex beta condimentum fiat gustui non ingratum, concides porrum, & contundes coriannum, cuminum, vuam passam, farinam, & omnia in medullam mittes, ligabis, & inferes ex liquamine, oleo & aceto. Aliter: Betas elixa, & sinapi, & oleo modico, & aceto benè inferũtur. Diogenes Cynicus molles & cinædos betæ nomine non absq; felle videtur appellasse: nam quũ ab aliquibus, vt canis incesseretur, seq́; obseruaturos dicerent, ne mordicus ab illo apprehenderẽtur, bono animo esse iussit, neque enim canibus esse in more vesci betis. Augustus betizare dixit, pro languere, & effœminari.

Nomen. Theophrastus τεῦτλον, τευτλὶς, σεῦτλον, ab impulsu nominauit, etenim cultus ratione incrementum arboris capessit. Latini betam vocãt, quoniam B figuram, quum ab olitoribus deprimitur, refert, ex Columellæ authoritate in hortulo, 10.

Nomine tum Graio, ceu litera proxima primæ
Pingitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu,
Deprimitur folio viridis pede candida beta.

Itali *bieta, betola.* Neapolitani *foglia molle,* quia mollit aluũ. Dicitur & cicla

detor-

detorto nomine à Sicula, siue Sicilia insula, vnde primū nomen habuit. Sed alij non à Sicilia, sed à sicula, diminutiuo à sica, & de virilitate dici.

Genera. Generis diuersitate constare Theophrastus est author, inter betas verò candida, sapore nigra præstantior, pauciorumque seminum est, quam siculam quidam appellarunt. Sed Theodorus vertendo Theophrastum in pudendum incidit errorem: betam syluestrem reperiri dixit, ac fronde aculeatam, quod Theophrastus de limonio protulerat, non de beta. Dioscorides duorum generum meminit, candidæ, nigræque. Eudemus libro de oleribus quatuor betarum genera scribit, vulsile, surculosum candidum ac populare, quod colore fuscum est, Athenæo authore. Plinius: Betæ quoque à colore duo genera Græci faciunt, nigram, & candidam, quam præferunt, paucissimi seminis, appellantque siculam, candoris sanè discrimine præferentes. Nostri betæ genera faciunt vernum, & autumnale à temporibus satiuis, quanquam & Iunio seritur. Meminit alibi syluestris betæ, quam & limonium à Græcis dici ait, quæ à Dioscoride de limonio proferente acceperat, ansamque errandi Theodoro dedit. Apud nos tria habentur genera, album, nigrum, & rubrum quod è Germania delatum aiunt. Negauit Galenus vnquam esse agrestem repertam betam, nisi lapathum agrestis beta sit. Agrestis beta nulla est.

Descriptio. Radix betæ vnica in longū protensa, ceu raphanus, è lateribus aliæ, item modo singulæ, modo binæ, nonnunquam ternæ funduntur, è quibus fibræ cohærentes alligantur. Carnosa, gustu non iniucunda, & nonnullis grata cibo, vel cruda, cortex neque crassus, neque raphani modo extricabilis, sed olusatro quendam in modum similis: culturæ ratione incrementum capessit, vt in arborem defecisse videatur. Semen cortice obducitur, copiosum, ad perdurandum firmum. Caule, & folio carnoso, sed alio modo: nam caro in latitudinem distenditur, & in rotunditatem crassatur. Radix dulcis est, & caulis, sed folia non respondent radicibus, vt earum, quæ in paludibus, aut fluuiis cibo idonea proueniunt. Radices enim & caules plurimum dulces, aut cibo aptissimi sunt, folia minimè. Causa in his omnibus, aut quod superiora humidiora sunt, & dilutiora, vt cunctorum palustrium. Vnà enim & aquosa sunt & tenuia, & excoctione carent, vti efficere saporem datum est. Radix tamen & caulis, quia minus habent humoris, dulcedinem obtinere aliquam possunt. Fruticat non capite, siquidem radicem fundit, vnde folia, caulesque prosiliunt, vt apium. Semini firmitas. Hactenus Theophrastus. Nulli hortensium, inquit Plinius, latitudo maior, in binos pedes aliquando se pandente. Semen cortice obductum fruticat non capite. Addimus nos. Caulis exilit striatus, bicubitalis, folio atriplicis, flores producit exiguos luteos, ex viridi luteolos, semen nigrum, lucidum, inuolucro herbaceo. Floret Iulio, & Augusto mensibus. Radice alba, digitum crassa, longa, fibrosa.

Cœlum. Athenæus Aſcreas betas laudat. Plinius in Circeienſi agro ampliſſimas prouenire dixit. Mihi videtur quodcunque cœlum ſubſtinere, ſed melius frigidum.

Solum. Plinius locum humidum amare. In binos pedes aliquando ſe pandunt, multum & ſoli natura conferente eis. Palladius. Amat agrum putrem, humidum, lætum.

Satio. Theophraſtus, In genus ſementis primæ nomen habet, quod fit poſt æſtiuum ſolſtitium, menſe Iulio: æſtate ſexto, hyeme decimo die prodit è terra, ex veteri ſemine celerius prouenit. Peculiare quoddam in beta tradunt euenire, quod non continuo ſingula, ſed anno interim ſequenti, ſæpe tertio producuntur, itaque ex copia ſeminis exigua pullulat. Cuius rei ſecundo de cauſis libro rationem reddit, ſemen frigidum, ac concoctu perdifficile habere dicens, vt diuturnitatem ſequi oporteat exortum, vt ſerius hac de cauſa exeat. Betarum diſparitas eſt, quum aliæ menſe poſteriori emergant, aliæ duobus menſibus poſt, aliæ pluribus, nonnullæ etiam anno. quod peruicaciam quandam ad germen edendum ſignificat: quanquam hortus aſſiduè rigetur, colaturq; Et alibi, Si ſemen frigidum & concoctu perdifficile habeant, diuturniorem ſequi oportet exortum, vt & alia ſeriùs hac de cauſa exeunt: nam & betarum aliquas anno poſtero erumpere, germinareq́ teaſſerunt, neque periculum eſſe, vt putreſcant. Plinius. Beta æſtate ſexto, hyeme decimo naſcitur. Ex vetere ſemine celerius exit. Mirum in betæ ſemine, non enim totum eodem anno gignit, ſed aliquid ſequente, aliquid tertio: itaque ex copia ſeminis modice naſcitur. Columella. Beta florente punico malo ſemine obruitur, & ſimul atque quinque foliorum eſt, vt braſſica differtur æſtate, ſi riguus eſt hortus, at ſi ſiccaneus, autumno, quum iam pluuiæ inceſſerint, diſponi debebit. Palladius: Februario menſe, & ſi poſſit tota æſtate ſeminari, transferenda eſt quatuor, vel quinque foliorum, radicibus fimo recenti oblitis. Amat frequenter effodi, & multo ſtercore ſatiari. Iulio menſe betas rigandas ponunt, Aprili, Martioque. Plinius: Transferuntur in planta hæ quoque, & oblini fimo radices ſuas amant. Sunt qui betas punico malo florente optimè ſeri exiſtimant, transferri autem quum quinque foliorum eſſe cœperint. Caſſianus: Seritur Februario, Martio, & Iulio, transfertur Iulio, Octobri, Nouembri. Nos autem quas ſemini deſtinamus, Auguſto ſerimus, Ianuario transferimus, ita enim nobilius ſemen producunt, quæ primo anno excauleſcunt, & ſemen proferunt, extirpantur ex horto, quæ gulæ naſcuntur, Decembri, Ianuario, Februario, & Martio ſeruntur, & ferè omni tempore, ſi ſolum accõmodatum: ſi denſius naſcuntur, aliquæ è medio tollantur, & alibi plantentur. Sunt quæ ex eodem ſemine naſcuntur, & illo anno ſemen non adferunt, hæ cibo deſtinantur. Semen quadriennio aſſeruatur. Ait Creſcentius ex Dioſcoride, quòd in eius ſtirpem roſæ ſurculus inſeri poſſit, & inde robora-

roboratus transferri, quod in Dioscoride nusquã legitur. Sunt qui dicant fieri posse calyculis iuxta radicem adnatis.

Theophrasto authore, aqua salsa rigata melior euadit. Sotion Græcus, Si fuerit tibi cordi multo maiorem betam, eandemque iucundiorem efficere, radices recenti fimo bubulo lines, & priusquam in caulem exeant, lapillum latiorem, aut testam superpones, ita enim hoc pondusculo cohibitam betam, in latum se diffundere, & candorem contrahere affirmãt. Plinius. Species summa in latitudine ei contingit, vt in lactucis, quum cœperint colorem trahere, imposito leui põdere. Peculiaris medicina betæ in salsis aquis, quæ & alioqui plurimum suauitati & fertilitati conferunt. *Ars.*

De asparagis. CAP. LIIII.

OMNIVM hortensium laudatissima cura asparagis, Plinius inquit. Nihil diligentius comprehendit Cato, nouissimumq; libri est, vt appareat, repentinam & nouitiam viro fuisse curam. In his quoq; aliqua sibi nasci tribus negant; caule in tantum saginato, vt pauperis mensa non capiat. Syluestres fecerat Natura corrudas, vt quisq; demeteret passim, ecce altiles spectantur asparagi. Et Rauenna tribus libris rependit. Heu prodigia ventris. Plutarchus in coniugalibus præceptis ait. Bœotij asparagos in coronas detorquebant, quibus nouæ nuptæ donabantur. Huius gẽtilitij ritus rationem explicat, vt ex asperrima spina suauissimum fructũ asparagus subministret. Sic sponsa non fugienti viro, nec indigne ferenti primam coniugis grauitatem, ac molestiam dulce præbebit commercium. Columella docet, vt condiri debeant. Circa vernum æquinoctium asparagos in vsum colligi, & reponi oportebit: aceti duas partes, & tertiam duræ muriæ si miscueris, in alueos componuntur, & sale conspersi biduo sub vmbra, dum consudent, reponuntur: deinde si tantum remiserint humoris, vt suo sibi iure ablui possint, sin minus superfusa dura muria lauantur, & pondere imposito exprimuntur, tum suo quodq; vase conditur, & ius quod supra dixi, quod est mistum duabus partibus aceti & vna muriæ, infunditur, fœniculiq; aridi, quod est per vindemiam proximo anno lectum, spissamentum imponunt, ita vt herbas deprimat, & ius vsque in summum labrum fideliæ perueniat. Apicius: Asparagos, vt palato gratiores fiant, siccabis, & rursus in aquam calidam submittes. Platina: Incultum asparagi genus, quod alij corrudam vocant, gratius est. Asparagi in patinam extenduntur, sal, oleum, & acetum infertur. Sunt qui eos aromatibus conspergunt. Sunt qui addito vino coquant, quod eo modo salubriores sint. Asparagorum cauliculi cito coquuntur, diutiusq; decocti in tabem fathiscunt: quare Drusus Imperator celerem rei successum dẽmõstrans, dicere solebat, hoc citius fieri quàm asparagi coquãtur. Apud nos copiosissimus huius oleris est vsus: nam thyrsuli, qui primores explicantur, magna helluonum voluptate aceto, oleo, &

ſale conſperſi eduntur, vel pingui iure pinguiuſcule decocti ſale, & oleo comeduntur.

Nomen. Græcis ἀσπάραγος eſt. Nomen deduxerunt, quòd ſine ſatu, ſed ſua ſponte proſiliãt, nam altiles aſparagos nõ nouit antiquitas, quanquã tenellæ, & primum à ſatione erumpentes holeraceorum germinationes aſparagi dicebantur, priuſquã in folia exirent, quo nomine Paulus Ægineta betarũ, lactucæ, bliti, atriplicis, maluæ, multarumq; herbarũ recentiſſimos turiones, vel primos cauliculorũ partus, veterum & Galeni teſtimonio fretus, nominauit, & caput vnũ dicauit. Plutarchus ἀσφάραγος dixit, & Athenienſes ſic etiã Galeni teſtimonio vocant. Cratinus item & Theopompus apud Athenæum. Vel etiã aphæreſi σπάραγος dicunt. Syluestris aſparagus à Dioſcoride corruda dicitur, μυακάνθα, à Galeno μυακάνθινος. Plinius, Syluestrem aſparagũ aliqui corrudã, aliqui libycum vocant, Attici orminũ, alij myacãthon. Sed Græci orminũ vocant ab ὁρμᾶ, id eſt ruo, quòd corruda vbi adoleuit facile corruat, & decidat. Libycũ autẽ à patria. Latini aſparagos vocant, à Varrone ſic dictos, quod ex aſperis virgultis naſcantur. Appion Grammaticus ſpharagos vocat, vel aphęreſi ſparagus. Columella ſyluestrẽ aſparagũ à ruſticis corrudam vocari dixit. Neapolitani, exuta principe litera, *ſparagi* vocãt.

Genera. Theophraſtus corrudæ meminit, Dioſcorides ſyluestris & altilis, Galenus regij, qui in hortis naſcitur, & ἑλείν, id eſt paluſtris. Plinius: Syluestres fecerat natura corrudas, vt vnuſquiſque demeteret paſſim: ecce nunc altiles ſpectantur aſparagi. Eſt & aliud genus incultius aſparago, minus corruda, paſſim etiã in montibus naſcens, ſuperioris Germaniæ campis, nõ infaceto Tiberij Cæſaris dicto, herbã ibi quandam naſci ſimillimã aſparago. Athenæus meminit paluſtris, altilis, & montani, quem viliorem dicit. Apud nos tria genera, ſyluestre, altile, & Hiſpanicum, optimum, & magnum.

Deſcriptio. Theophraſtus ita ſyluestres depingit, qui videtur altiles non cognouiſſe. Spinoſi ſunt aſparagi ferè ex toto, vt ſcorpius. Poſt æquinoctium autumni floreſcit, præter aculeum, puſillum quendam producit, ex quo floſculus ille exit, radice alta numeroſaque nititur, tam ſimul irretita, vt ſuperior pars connexa, colligataque videatur, ex ea thyrſi emicant, exit vere caulis cibo idoneus, tum ſcabreſcit, & proceſſu in flrem abit, qui non ex ipſo ſolum, verùm etiam de primoribus emergit caulibus, annuum caulem habet. Dioſcorides, Altilis aſparagus eſt, plurimæ radicis, altiſſimeque germinat. Viret thyrſo primum emicante, qui caulem educens, tempore ipſo faſtigiatus in toros ſtriatur. In totum ſpina eſt aſparagus. Addimus nos. Primo vere emicantibus multis, crebriſq; tenellis thyrſulis, affecta poſtea ętate, multis fruticant ramulis adulti, denſiſſimiſq; foliorum exilium comis, floſculos edentibus oleæ luteolis, decuſſis floribus baculæ dependent, primum virides, quæ tandem maturitate rubeſcunt, ſeminibus refertæ. Ramuli per vetuſtatem occalleſcunt in ſpinulas.

Athe-

Athenæus. In Libyæ Getuliæ nasci dicuntur, qui calami cyprij magnitudinem consequuntur: & duodecim pedum longitudine in montibus crassitie magnarum ferularum, longitudine viginti ferè cubitorum. Plinius: Nullum gratius his solum, quàm Rauennatiū hortorum. Et Rauenna ternis libris rependit. Sed qui in Neside Campaniæ insula nascitur, longè optimus existimatur. Martialis. Caulium.

Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Didymus simplici gaudere solo scripsit. Cato locum subactū, humidum, & crassum desiderare. Varro: Sic vt vmbrosis locis alia seras, vt corruda, quòd ita petit asparagus. Palladius pingui solo, humido, & subacto. Corruda in siccis locis, & saxosis sepibus. & frutetis. Solum.

Cato. Locum, vbi asparagum seras, bene subigere oportet, qui habeat humorem, aut loco crasso, vbi erit subactus, areas facito, vt possis dextra, sinistraq; sarrire, seu runcare, ne calcetur. Quum deformabis areas, interuallum facito inter eas semipedem latum in omnes partes. Deinde serito. Ad lineam grana bina, aut terna palo demittito. Eodem palo cauum terra operito. Deinde supra areas stercus spargito, benè serito. Secundum æquinoctium vernum, vbi natum erit, herbas crebro purgato, cauetoq; ne asparagus vnà cum herba vellatur. Quo anno seueris, sub stramentis per hyemem operito, ne rigore peruratur. Deinde primo vere aperito, sarritoq; runcatoq;. Post annū tertiū, quàm seueris, incendito vere primo, deinde ne ante sarrieris, quàm asparagus natus erit, ne in sarriēdo radices lædas. Tertio, aut quarto anno asparagū vellito ab radice: nam si defringes, stirpes fient, & intermorientur, vsq; licebit vellas, donicū in semen videbis ire. Semen maturū fit ad autumnū. Ita quum sumpseris semen, incendito, & cum cœperit asparagus nasci, sarrito, & stercorato. Post annos octo, aut nouē, quum iam vetus est, digerito, & in quo loco positurus eris, terrā bene subigito, & stercorato. Deinde fossulas facito, qua radices asparagi demittas. Interuallū sit ne minus pedes singulos inter radices asparagi: vellito, & sic circumfodito, vt facile euellere possis. Caueto ne frangatur. Stercus ouillū quàm plurimū fac ingeras, id est optimū ad eam rem. Aliud stercus herbas creat. Nunc de asparagi satione Columellę placita referamus. Satiui asparagi, quā corudam rustici vocāt, semina ferè biennio præparātur, ea cum pingui, & stercoroso solo post idus Februarias sic obrueris, vt quantū tres digiti seminis cōprehēdere queūt, singulis fossulis deponas. Ferè post quadragesimū diē inter se implicātur, & quasi vnitatē faciunt, quas radiculas sic illigatas, atq; cōnexas, olitores spōgias appellāt, easq; post quatuor, & viginti mēses, in locū apricū & bene madidū, stercoratumq; transferri cōuenit. Sulci autē inter se pedali mēsura distātes fiunt, nō amplius dodrātalis altitudinis, in quā ita spōgiolæ deprimūtur, vt facile superposita terra germinēt. Sed in locis siccis partibus Satio.

ſulcorum imis diſponenda ſunt ſemina, vt tanquam in alueolis maneant, at vliginoſis è cõtrario in ſummo porcæ dorſo collocanda, ne humore nimio lædantur. Primo deinde anno, quum iam conſita ſunt, aſparagum, quem emiſerint, infringi oportet: nam ſi ab imo vellere volueris, adhuc teneris, inualidisque radiculis tota ſpongiola ſequetur. Reliquis annis non erit decerpẽdus, ſed radicitus vellendus: nam niſi ita fiat, ſtirpes præfractæ angunt oculos ſpongiarum, & quaſi excæcant, nec patiuntur aſparagum emittere. Cæterum ſtylus qui nouiſſimè autumnali tempore naſcitur, non omnis eſt tollendus, ſed aliqua pars eius in ſemen eſt ſummittenda. Deinde quũ ſpinam fecerit, collectis ſeminibus ipſis, ſcorpiones, vti ſunt, in ſuo loco perurendi, & deinde ſulci omnes conſarriendi, herbæque eximendæ: mox vel ſtercus, vel cinis iniiciendus, vt tota hyeme ſuccus eius pluuiis manans, ad radicem perueniat. Vere deinde prius quàm cœperint germinare, capreolis, quod genus bicornis ferramenti eſt, terra commoueatur, vt & facilius ſtylus emicet, & relaxata humo plenioris craſſitudinis fiat radix. Palladius ab eo. Circa Apriles Calendas aſparagos ſeremus pingui loco, humido, ſubacto, ita vt minoribus fiſſulis ad lineã directis, bina, aut terna grana, ſemipedis ſpatio diſcreta ponãtur. Dehinc ſtercore ſolum tegatur, & herbæ ſubinde vellantur, vel per hyemem ſupra ſtramina iaciantur, primo vere tollenda. Hinc poſt triennium naſcentur aſparagi. Sed expeditior ratio eſt, ſi aſparagorum ſpongias ponas, quæ cito fructum miniſtrent. Semina aſparagi quanta tribus digitis comprehendere poſſis poſt idus Februarias pingui & ſtercorato ſolo in ſingulis foſſis ponis, & leuiter obruis. His coeuntibus radix connexa naſcetur, quæ appellatur ſpongia, ſed & hæc moras habet: nam per biennium in ſeminario ſuo eſt ſtercore, & aſſidua runcatione nutrienda. Deinde poſt æquinoctium autumni transferatur, & vere aſparagum dabit. Has erit vtilius comparare, quàm longa expectatione nutrire. Eas tamen in ſulcis diſponemus, ſi loca ſicca ſunt, inter medios ſulcos, ſi humida, in ſummitate ſulcorum. Humor ſpongias aſparagorum tranſitu ſuo debet tantum rigare, non ſiſtere: aſparagum, quem primo protulerint, confringere debemus, non auellere, ne adhuc inualidam moueamus ſpongiam. Cæteris annis auellendus eſt, vt oculos ſuæ germinationis aperiat, quia ſi deinceps refringas, loca, quæ fœcunda eſſe cõſueuerunt, remanente aſparagi radice claudentur. Miniſtrabunt autẽ vere, & autumno, reſeruabis eum, de quo ſumpturus es ſemina, poſtea ſcopas eius incendes, tunc circa hyemẽ ſpongiis adiicies ſtercus, & cinerem. Plinius harundinẽ ſeri iubet in humidis agris, bipaliis ſubacto prius ſolo, oculis diſpoſitis interuallo ternorum pedum, ſimul & corrudam, vnde aſparagi fiunt: concordare enim amicitiam. De origine eorum in ſylueſtribus curis abunde dictum, & quomodo eos iuberet Cato in harundinetis ſeri. Poteſt & ſemine ſeri. Nihil diligentius comprehendit Cato, nouiſſimumque libri eſt, vt appareat repentinam

pentinam

pentinam ac nouitiam viro curam fuiſſe. Locum ſubigi humidum, & craſſum, ſemipedali vndique interuallo ſeri, ne calcetur. Præterea ad linea grana bina, aut terna paxillo dimitti, videlicet ſemine tum tantum ſerebatur. Id fieri ſecundum æquinoctium vernum. Stercore ſatiari, crebrò purgari, caueri ne cum herbis euellatur aſparagus. Primo anno ſtramẽto ab hyeme protegi, vere aperiri, ſarriri, runcari, tertio incendi anno. Quo maturius incenſus eſt, hoc melius prouenit. Itaque harundinetis maxime cõuenit, quæ feſtinant incendi. Sarriri iubet idem, non antequam aſparagus natus fuerit, ne in ſarriendo radices vexentur. Ex eo velli aſparagum ab radice: nam ſi defringatur, ſtirpeſcere, & intermori. Velli donec in ſemen eat. Id autem matureſcere ad ver, incendiq́ue. Ac rurſus quum apparuerit aſparagus, ſarriri, ac ſtercorari. Ac poſt annos nouem, quum iam vetus ſit, digeri, ſubacto ſolo, ſtercoratoque. Tum ſpongiis ſeri, ſingulorũ pedum interuallo. Quin & ouillo fimo nominatim vti, quoniam aliud herbaſcere ſolet. Nec quicquam aliud tentatum poſtea vtilius apparuit, niſi quod circa Idus Febr. defoſſo ſemine aceruatis paruulis ſcrobibus ſerunt, plurimum maceratum fimo. Dein nexis inter ſe radicibus ſpongias factas poſt æquinoctiũ autumni diſponunt pedalibus interuallis, fertilitate in denos annos durante. Apud nos ſylueſtres ſpongiæ primo humeſcente Auguſto aëre plantantur, vſque ad Decembrem, Februario producit cauliculos quos velles, Auguſti fine runcantur & comburuntur. Quum cauliculos colligis, diligentius digitis decerpes, ne ſtirpem euellas, nam citius alios producit.

Didymus plurimos naſci ſcripſit agreſtium arietum cornibus tuſis, atq; ſulcatim defoſſis, ac longè mirabilius, integra arietum cornua tuſa ſi pangantur, aſparagos proferre. Dioſcorides aſparagum naſci prodidit arietum cornibus contuſis, atque defoſſis, quod quãtum equidem ſentio à veritate abhorret. Plinius: Inuenio naſci arietum cornibus tuſis, & defoſſis. Si cordi fuerit toto anni decurſu edulos habere aſparagos, vbi fructum legeris, radices, quæ ſummo ceſpite teguntur, circumfodies, hoc cultus mangonio, frutex nouos dabit cauliculos. Albos produces, ſi quum primum turiones proſilient, in pertuſam harundinem indes, leganturq́ue quum vti velis. *Ars.*

De lupo ſalictario. CAP. LV.

QVVM coquantur, & condiantur *lupoli* vulgò dicti, ſicut aſparagi, & frixi, & elixati nõ edi incommode poſſint, ac more quo aſparagi eius turiones colligantur, poſt de aſparagis tractatum de lupulis ſubnectimus, & ſi Plinius potius gulæ oblectamenta, quàm cibũ eſſe inquiat. Ex eo Germani ſuam ceruiſiam condunt, frugibus admiſto, & commendantur quodam ſapore vini, maceratis humore floribus. Eius etiam cauliculis in acetariis vtimur.

Recentioribus Græcis βρύον, à brioniæ vtpote ſimilitudine dicitur, & βρυω-

via. Plinius videtur lupum salictarium vocare, quod salices arbores se circumplectendo scandat. Rura bruscandulã vocant. Neapolitani *lupolo*, quod fortasse caule & foliis lupi colorem imitetur.

Descriptio. Caulis totus aculeis horret, longè per vepres, & per salicta reptans, sese viticulosis sarmentis intorquens, per vertices rotatus multis implicat voluminibus, quasi gaudeat summatim euagari. Folia brionię similia: sed paulo asperiuscula, & nigriora, cacuminibus asparagi modo in torulos turbinati, flore foliaceo, cinereo, ac multis exilibus flosculis squamatim compactis, qui allium vinumq; subolent. Floret Augusto, & Septembri mensibus: eius cauliculi colliguntur Martio, Aprili & Maio.

Solum. Iuxta vepres, & salicta nascitur. Nunc ad hosce vsus etiã hortis plantatur.

De carduo syluestri. CAP. LVI.

NVNC carduorum genera attingemus, & primum syluestre genus, vt clarius nostra, & nostrorum maiorum dicta percipiantur. Cardui talis assignatur origo, Pythia primùm ligneum canem appellante: nam Apollinem consulenti Locro, redditum est oraculum, vrbem inibi cõderet, vbi ligneo cane morderetur, tandem in crure cinara vellicatus, oppidum construxit. Et si Didymus Grammaticus cynosbaton potius, id est canis sentem intellexit, ex Athenæo. Sophocles in Phœnice. Est spina cuncta quæ tenet cynarus loca. Plinius, Scolymum in cibos recipit oriens, Eratostheni laudata in pauperum cœna. Venerem in vino stimulare dicitur Hesiodo, & Alceo testibus, qui florente ea, cicadas acerrimi cantus esse, & mulieres libidinis auidissimas, virosq; in coitum pigerrimos scripserunt, velut prouidentia naturæ, hoc adiumento tunc valentissimo. Commanducata odorem cõmendatoris, vuluis etiã conferre traditur, vt mares gignantur, ita enim Chereas Atheniensis, & Callimachus, qui circa carduos diligẽtissimus videtur fuisse. Inter morbos frugum, terræq; pestem connumerat carduos Virgilius.

—— *Segnisq; horret in aruis*.

Carduus.

Nomen. Græcis σκόλυμος est. Nicander pyxacantham vocat, Latini syluestrẽ carduum. Neapolitani *cardon seluaggio*, Appuli sclarea, σκάλια, & ἀσκάληρον, vt dicemus in cinara.

Descriptio. Theophrastus hæc habet de scolymo. Id sibi peculiare scolymus vẽdicat, quod radicẽ tum coctam, tum crudam vescendã subministret, sed cibo gratissimã, quũ florescit. Radix durata lacteum succum emittit, quũ solstitium agitur, flos erumpit, sed carnosam, & cibo idoneã crassescentẽ partem sortitur. Ortum nõ spinosum, sed oblongum habet, quod sibi duntaxat, velut propriũ vsurpauit inter ea, quę in foliis spinosam lanuginẽ sortiuntur. Carduus nõ aculeatis foliis est, vt etiã & limoniũ, & pulchrè diuq; floret. Similis chamæleoni, sed chamæleon tametsi nõ aculeato folio constat, tamen acani spe-

ni speciem gerit, flos senescens in pappos amittitur. Mirum est, quod tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit. Aculei flaccescente folio desinunt pungere. Semen vliginosum, & armatum spina. Dioscorides ab eo. Folia fert chamæleontis, & spinæ albæ similia, nisi quod nigriora sunt, & crassiora, caule oblongo, folioso, in cuius vertice spinosum caput subrigit. Radice nigra, & crassa. Herba, quũ recens est, tenerescit, in cibos asparagi modo recipitur. In totũ similis syluestri acantho. Plinius, Frutex est nunquã cubitali altior, crispisq; foliis, & radice nigra, sed dulci. Et folio & caule carduus spinosas lanugines habet. Floret æstate serò, & diu. Carduorũ generis est, & ab iis distat, quod radix eius vescendo est decocta. Mirum quod sine interuallo tota æstate aliud floret in eo genere, aliud concipit, aliud parturit: aculei marcescente folio desinunt pungere.

Syluestriũ genera duo sunt, vnũ fruticosius à terra statim, alterũ vnicaule crassius, vtriusq; folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus, sed alter florẽ purpureum mittit inter medios aculeos celeriter canescentem, & abeuntem cum aura. *Genera.*

Ad nos vnũ genus syluestre adfertur ex Hispaniis, cuius foliis vescimur, seriturq; maxima diligẽtia. Martio seritur. Semen vnũ ab altero triũ pedum interuallo in sulcis ponitur: quũ agitur secundus sulcus, cooperiuntur iam prima semina sata. Viginti diebus nascuntur. Quũ sex foliorũ erit, foditur, stercoratur, rigaturq;. Dein foditur Augusto, & Octobri, obruũtur terra, vt tenerescãt & albescãt, inde ꝑcidũtur radice. Radix inde sequẽti Febr. emittit sobolẽ, inde eruuntur, & plantãtur singuli. Radicibus singulis vnã dimittunt sobolẽ ad semen ꝓducendũ. Producit fructũ spinosum & ingustabile. *Satio.*

De carduo satiuo, siue de cinara. CAP. LVII.

IAM de altili carduo differamus, qui in hortis cultus mãgonio, domita feritate mãsuescit: erat enim ferus scolymus, nunc vrbana cinara, & hortẽsis euasit. Paulus Ægineta discrimẽ apposuit inter vtrumq;. Cinarã stomacho officere, scolymũ prodesse demõstrat, succũ creare improbum ait, cinaram cũ oleo, garo, & corianno decoctã præstabit cibis exhibere, quasi ista, simul cocta, leniter hanc noxã amoliantur. Apud nos iuribus incocta oleo, sale, & aceto in cõuiuiis venit. Fructũ suum tum crudũ, tum coctũ vescendum subministrat. Radices ineunte hyeme cultus mangonio candidas, teneras, & amaritudine erutas reddunt, vt hybernis cibis gratius admittãtur, & salis, & piperis polline secundis mensis edimus magno gulæ delectamẽto, nam sapore suo amariusculo, palatũ & linguã vellicando, asperiusculũ reddens sitim inducit, & post illius esum sapida fit potio. Vnde Columella in hortulo.

Hispida ponatur cinara, quæ dulcis Iaccho
Potanti veniat.

Plin. Poterãt dicta videri omnia, quæ in pretio sunt, nisi restaret res maximi q̃stus, nõ sine pudore dicẽda. Certũ est quippe carduos apud Carthaginem

magnã, Cordubãq; præcipuè sextertia sena millia ex iis aruis reddere, quoniam portenta quoque terrarum in ganeam vertimus, etiam ea, quæ refugiunt quadrupedes consciæ. Apitius, Carduos ex liquamine, oleo & vuis cõtusis edito, vel rutam, mentam, coriannum, & fœniculum omnia viridia conterito, adde piper ligusticum, vel liquamen, & oleum.

Nomen. Theophrasto *κάκτος* est, satisq; verisimilibus cõiecturis adducebar vt dicerem Theophrasti *κάκτον*, Græcorum & Latinorum esse cinarã, quas huc afferre nimis molestum duxi, quòd si quid animo adhæserat scrupuli, sustulit. Athenæus, qui inquit, *κάκτος* eadem, quæ Romanis carduus, qui nõ procul à Sicilia absunt, & reliquis Græcis cinara. Siquidẽ mutatis duabus literis cactos, & cardos in eadem voce cõueniunt. Edendo fuisse cacton satis Epicharmus testatur, qui post olera aspersas cactos retulit. Philetas Cous cactos vocabat. Phænias Siceliam vocat spinosam plantam, Athenæo referente. A Galeno *κίναρα* dicitur. Cinaræ nomen, quod gentilem ei puellam in hanc herbam conuersam comminiscantur, dictam volunt. Sunt qui cinaram dici putant à cinere, quo gaudet. Sed horum sententiis non est accedendum, quum cinaræ vocabulum è Græcia venerit in Latium, quippe tum Poetæ, tum vetustissimi Græci oratores cinaræ vocabulum vsurparunt, vt Athenæus fatetur. Sosipater Paphius qui Alexandri Philippi Regis temporibus floruit, cinarã nominauit, itemq; Ptolemæus Euergetes Aristarchi Grammatici discipulus, aliiq; teneri edulesq; caules Theophrasto *πτέρνιξ*, fructus *σκαλίας*, Athenæo *ἀσκάληρον*, vnde fortasse *scalera* nomẽ apud Appulos, Plinio ascalia dicitur. Fructus Tralliano *κεφαλωτὸς* dicitur, quia capitatus, & *ἀρτυτικὸν*, vnde, vt spero, Italis nomẽ *articocce*. ab aliis *σπόνδυλος* dicitur, quod structili nucleorum serie pineam nucem videatur exprimere. Latinis carduus. Neapolitanis *cardoui, carcioffi*.

Descriptio. Theophrastus ita cacton describit. Cactos in Sicilia tãtum nascitur, suæ proprietatis & ipsa, in Græcia nusquã habetur, eius in terram proserpunt caules, & humi statim accubant à radice emissi, lato folio, & spinifero. Caules vocant cactos, quos desquamatos non fastidiunt in cibis, & vt amaritudinẽ exuant, muria seruant. Caulem, qui in rectum euehitur, appellãt pternica, eiusdẽ suauitatis, sed vetustatis impatientem. Inuolucri cortex, in quo semen residet, lanuginosus, echinata facie sæuit, quo detracto teneritas eadem inest, quæ palmæ cerebro: scaliam appellant. Plinius quæ à Theophrasto interpretatus est, eadem habet. Et cactos quoq; in Sicilia tantum nascitur, suæ proprietatis & ipsa, cuius in terra serpunt caules à radice missi, lato folio, & spinoso. Caules vocant cactos, nec fastidiunt in cibis, inueteratos quoq;. Vnum caulẽ rectum habent, quem vocant pternica, eiusdẽ suauitatis, sed vetustatis impatientẽ. Semen ei lanuginis, quam pappon vocãt, quo detracto, & cortice teneritas similis cerebro palmæ est, vocant ascaliã. Quędã spinosa foliata sunt, vt carduus, foliis inest aculeata mordacitas. Carduus

& folio

& folio,& caule spinosas lanugines habet. Columella cinaram ita describit.

Hæc modo purpureo surgit glomerata corymbo.
Myrtiolo modò crine viret, deflexaq; collo
Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit,
Nunc similis calatho, spinisq; rigentibus horret.
Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.

Addimus nos: Cacuminibus squamosum extuberat globum, corticosis vnguibus squamatim compactilibus coagmētatum, vt pineam nucem exprimat, flore eleganti, purpureo rutilante, celeriter circa solstitia canescente. Sed ne putes fructum esse florem, quippe fructus semē est, cui præit flos, sed flos globus ille est, quo delibratis frondibus vescimur.

Genera. Apud nos plura sunt genera. Vnum genus nigrum vocant,& Hispanicū, cui frondes rectæ, non repandæ sunt,& spinæ in cacuminibus rectæ, in aliis verò repandæ terram versus, in aliis verò non nisi magnitudo fructus differentia est. Sunt & quæ spinis vacant.

Cælum. In Sicilia nasci Theophrastus optimas dixit. Plinius apud Carthaginem magnam, Cordubamq; præcipuè. In Apulia nō spernendas vidimus. Apud nos in Pithacusa,& Prochite: vt etsi quodcunq; cœlū sustinere videantur, apricum tamen & calidum exoptare videantur. In Mauritania tantæ proceritatis attollitur caulis, vt duodenos cubitos superet.

Solum. Columella multo cinere stercorari iubet, idq; genus stercoris huic oleri videtur aptissimum. Palladius, terram stercoratam & solutā dicit, quamuis in pingui posset melius prouenire. Et hoc alibi contra talpas prodest, si pangantur in solido, ne terra ab inimicis animalibus perforetur. Callimachus editos tradit montes circa Arcanicum mare spinosa cinara pubescere. Addit & Chorasmiorū agros hac spina passim vestiri, camposq; circa Indum amnem eadem virescere. Polęmon est author, plerosq; tractus inhorrescere cinara, sed apud se montē ambitiosum iis vbiq; fruticibus rigere. Ptolemæus Ægypti Rex memoriæ prodidit iuxta Berenicē Lybiæ magnā cinaræ vim plerisq; locis enasci, qua decerpta milites ipsum sequuti victitassēt, eiq; spinis adēptis vescendā obtulissent, alioquin mandi nō posset, ex Athenæo.

Satio. Columella duobus seri temporibus posse scribit, vere,& autumno. Sed semine cōmodius circa Calendas Martias seremus, eiusq; plantā circa Calendas Nouembris disponemus. Sed sobolem melius per autumni æquinoctium disponemus. Palladius: Serenda sunt eadem Luna crescente, in area iam parata, semina spatio semipedis discreta. Cauendum est, ne semina inuersa ponantur: nam debiles, incuruos & duros creabunt. Non altè imprimenda sunt, sed tribus digitis cōprehensa mergantur, donec ad primos articulos semen perueniat, tunc leuiter operiantur, & herbis liberentur assiduè, donec plantaria solidentur, & rigentur si æstus interuenit. Octobri mense plantis ponuntur, quas cum ponemus, radices earum summas ferro

reſecamus, ac fimo tingimus, ternûm pedũ ſpatio tẽperamus incremẽti cauſa, pedali ſcrobe depoſitas binas, aut ternas. Cinerẽ ſæpe ſub hyeme diebus ſiccis, fimũq; miſcebimus. Plinius. Carduos duobus modis ſerunt, autumno planta, & ſemine ante nonas Martias, plantæq; ex eo diſponũtur, ante Idus Nouemb. aut in locis frigidis circa Fauoniũ, ſtercorãtur enim, ſi diis placet, lætioresq; ꝓueniunt. Cinara, vt Caſſianus notat, Nouemb. menſe deponi debet, vt vere ſuos fœtus largiatur. Vere ſata, aut vix eodẽ anno fructũ dabit, aut elangueſcens gracilẽ, & ſtrigoſum ꝓmet. Soboles quæ vegetioribus adnaſcuntur caudicibus, falcis mucrone, diducta terrarũ aliqua parte radicis ſunt eruendæ, vt per alia ſpatia digerantur, ſed ſolũ benè ſubactũ, & vetere 1
fimo ſaturatum deſiderant, iugiterq;, quũ æſtus interuenit, rigentur, donec plantaria ſolidentur, ita curatæ tenerum & vberiorem echinũ exhibebunt.

Cultus. Palladius: ſingulis ſanè annis à radice auferendę ſunt plantę, vt ne matres fatigẽtur, & ſoboles per alia ſpatia digerãtur. Cum aliqua tamẽ radicis parte vellẽdę ſunt. Quos ſeruabis ad ſemina colligẽda liberatos omnib. pullis, teſta ſuptegere debebis, aut cortice, nã ſolẽt ſemina ſole, vel imbrib. interire.

Ars. Palladius, Si ſeminũ cacumina cõfringas, ſpinis carebunt. Item ſi ſemina eorũ madefeceris per triduũ laurino oleo, vel nardino, vel opobalſamo, vel ſucco roſæ, vel maſticino, & poſtea ſiccata depreſſeris, eiuſdẽ ſaporis orientur, cuius vnguẽta ſemina cõbiberint. Caſſianus: ſi ſemina madefeceris per 2
triduũ roſarum ſucco, aut liliorũ, aut laurino, aut alterius cuiuſq; ſuauiter olentis liquore, eiuſdẽ odoris orientur, cuius ſemina laticẽ hauſerint. Si ſeminum cacumina lapidis attritu retundantur, ſpinis carebũt, annoq; toto per hunc modũ cinaras creari cõfirmant. Affirmant alij ꝙ quocunq; tempore cinaræ plãtentur, eodẽ & fructũ edent, & ob hoc per totũ annum poſſe cinaras haberi. Lauri refert odorẽ, ſi in baccã eius excauato foramine cinarę ſemina imprimãtur. Si delibratæ lactucæ radix in tenues particulas diſſecetur, & ſingula ſemina ſingulis indita ſegmentis obruantur, ſpinis carebunt. Dulces ꝓueniunt, ſi ſemina lacte & melle maduerint, dein ſiccata ponãtur. Apud nos hyeme ineunte eas humo obruunt, ſic candorẽ aſciſcunt, & ama- 3
ritudinem exuunt, vt in hybernos cibos gratius admittantur.

Inf. rem. Palladius: Contra talpas prodeſt catos frequentes habere in mediis carduetis, muſtelas habent pleriq; manſuetas. Aliqui foramina earũ rubrica, & ſucco agreſtis cucumeris impleuerũt. Nõnulli iuxta cubilia talparũ plures cauernas aperiũt, vt illæ territæ fugiãt, ſolis admiſſu. Pleriq; laqueos in aditu earũ ſetis pendentibus ponunt. Caſſianus: Radices teneras mures expetũt, captiq; huius voluptate ad eam concurrunt, vorantq;. Arcet eorum inſultum lana radicibus obuoluta. Item ſuillum ſtercus, vel ficulneus cinis radicibus appoſitus, cæca rerum diſcordia, vt volunt, incurſum abigent.

De papauere. CAP. LVIII. 4

SEREMVS etiam papauera in noſtro hortulo, quum antiquos ſeuiſſe, etiam Romanos indicio ſit Tarquinius Superbus, qui, vt inquit Plinius, le-

gatis à filio missis decutiendo papauera in horto altissima, sanguinarium illud responsum hac facti ambage reddidit. Periclitabantur antiquitus, an amasiis suis forent grati iuuenes, essetq; affectus mutuus, foliis papaueris: siquidem pollici imponentes ea, & indici, mox collidebant, quod si percrepuissent, amari se argumentabantur: sin minus, vt frustrati ingemiscebant. Quod planè significauit Theocritus his versibus,

Cognoui prius aliquando periclitans si amares me,
Non autem telephyllon collisum insonuit,
Sed vanè molli in brachio conflaccuit.

Vbi interpres telephyllon ramū papaueris esse autumat, dictumq́; putat quasi δηλέφιλον, quod amorē præmonstret, vnde sunt, qui nō per υ, sed per ει scribendum astruant. Varro papauer apibus gratū dixit, item ex eo duplex ministerium præberi, quippe ex eo cerā & mel conficiunt. Columella vilioris notę nigri papaueris flores ponit. Theocritus, aliiq; poetę fingūt papauer natum ex Veneris lachrymis Adonidem lugentis cum rosa. Dioscorides scribit, huius semen in panem densari in vsum sanitatis. Mnesidemus olfactu solum probauit, vi eius soporifera. Diagoras autem, & Erasistratus est author esse vi soporifera, & si plus iusto sumatur, læthifera. Plinius, Hoc scimus interemptum Licinij Cæcinnæ prætorij viri patrem in Hispania Baiuli, quum valetudo impatibilis odium vitæ fecisset. Item plerosque alios.

Græcis μήκων dictū παρὰ τὸ μὴ κονεῖν, quod vincti papaueris sopore sensus, membraq; stupefacta nequeant quicquā agere. Vel dictū eadē ratione qua cicuta κώνειον, à vertigine & caligine, quam vtrumq; inuehit, excæcari enim dicebat Andreas visum succo huius, apud Plinium. μήκωνα insula sic dicta, q. ibi primùm papaueris fructū Ceres inuenerit. Latini papauer. Itali *papauero.* Nomen.

Plures sunt papaueris species. Sed quo clarius horū discrimina intelligantur, sciendū quod papauer prima sui diuisione diuidatur in satiuū, & agreste. Satiui plures species, vna hortensis, cuius semen album, cōmuniter est, à Dioscoride θυλακῖτις ab vitis forma, id est viticulariū. Plinius candidū vocat. Apuleius vsuale, & folliculosum, cuius semen in sanitatis vsum pani inspersum cōpinsebatur, & cum melle in secunda mensa apud antiquos edebatur, vnde forsan ab Apuleio vsuale, & folliculosum, quod in follis modū efformatū sit, à Theophrasto fœcundo semine describitur, cuius rationem assignauimus capite de cumino. Nec ei folia decidunt. Semen affert vasculis inclusum. Succus eius lacteo similis. Dioscorides verò: Capitulum habet longum, & semē candidum. Plinius: Candidi semen tostū in secunda mensa cum melle apud antiquos dabatur, hoc & panis rustici crustæ inspargitur, affuso ouo inhærescens, vbi inferiorem crustam apium, gitq; cereali sapore condiunt. Satiuum omne magis rotundat capita, at syluestri longum, ac pusillum. Addimus nos. Foliis constat longis, per ambitum serratis, nullóve pediculo, caudicéve, ramis, floribus, vel candidis, vel ex candido Gen. Def.

leuiter purpureis, capitulis longis, in quibus semen atrum, vel candidum, æstate floret, ac subinde semen profert. Aliud genus est apud nos nuper aliunde allatũ, in totum huic nostro persimile, nisi quod caput maius, nõ nudum, sed multiplicibus foliis contectũ, crispis, & copiosis diuersorũ colorũ. Non genus vnũ, aliud enim candidis foliis, aliud rubicundis, aliud purpureis, & demum variatis, intus grana, vt papauer, sed caulibus & foliis longe nostrati maioribus. Dioscorides: Syluestri verò, caput insidens, dimissumq́;, & nigrũ semen, pithitis nominatur, nõnullis tamen & ipsum rhæas dicitur, quoniã eius scapo lacteus succus emanat. Aliud genus syluestre, quod ad medicinas valentius, multò his longius, productiore capitulo. Dioscorides à dolij forma pithite, id est doliare dixit. Plinius verò hoc genus esse satiuũ dicit, aliud est genus papaueris nigrũ, cuius scapo inciso lacteus succus excipitur. Apuleius agreste, syluaticũ, & rhæada vocat, & ex hoc opiũ fieri, & meconium. Sed tertiũ genus iis syluestrius, & medicamẽtosius, quod Plinius, contra quàm Dioscorides & Apuleius tradiderunt, rhæada à Græcis, à nostris erraticũ vocari dicit. Aliud genus Theophrastus erraticũ vocat, his verbis: Aliud erraticũ vocatum, nõ absimile intubo erratico cõstat, quamobrẽ in vsum venit cibarium. Nascitur potissimũ in aruis inter hordea. florẽ rufum producit, caput vnguis pollicaris magnitudine anget, colligitur ante hordei messem, estq́; viridius, purgat inferius. E cuius penu hæc Dioscorides deprompsit: Papauer erraticũ quod rhæada vocãt, vere quidem in aruis cum hordeo nascitur, flore protinus deciduo, vnde & nomen apud Græcos accepit, folia erucę aut origano, aut cicorio, aut thymo similia spectantur, sed longiora, diuisa, scabra, iunceus ei caulis, rectus, cubitalis, asper, flos syluestris anemones, puniceus, interdũ albus, caput oblongũ, sed quàm anemones minus, semen rufum, radix longa, subalbida, minoris digiti crassitudine, gustu amara. Ex his Plinius: Tertiũ genus satiuũ, rhæam vocant Græci, nostri erraticũ, sponte quidem, sed in harenis cum hordeo maximè nascitur, erucæ simile, cubitali altitudine, flore rufo, & protinus deciduo, vnde & nomen à Græcis accepit. Et alibi. Inter satiua, & syluestria medium genus, quoniã in aruis, sed spontè nasceretur, rheã vocauimus & erraticum. Aliud syluestre genus Theophrastus corniculatũ appellauit. Folio constat verbasci nigri, sed minus nigro, caulis altitudo cubitalis, radix breuis per summa cespitũ, fructus inflexi vt cornicula figurantur. Legitur circa messem, & aluũ purgare potest. Folium albuginẽ ouibus aufert, nascitur iuxta mare, locis saxosis. Ex eo Dioscorides: Corniculatũ folia habet candida, hirsuta, verbasco similia, in ambitu syluestris papaueris more serrata, caule nõ dissimili, flore pallido, cauliculo fœnigręci, in cornicul orũ modum inflexo, vnde nomẽ mutuatur, semine papaueris pusillo, nigroq́ue, radice per summa cespitũ nigra, crassa. Nascitur in maritimis, & asperis. Plinius: Syluestriũ genus vnũ, ceratitim vocant, nigrum cubitali altitudine, radice crassa, & cor-

& corticoſa, caliculo infl. xo, vt cornicula folia minora, & tenuiora, quàm cæteris ſylueſtribus, ſemen exile, tempeſtiuum eſt meſſibus. Theophraſtus: Aliud Heraclion nuncupatū, folio conſtat ſtruthi, quo ſplendorem linteis tribuunt, radice in ſumma terræ eunte, fructu albo. Ex quo Dioſcorides: Aliud papaueris genus aphrodes, id eſt ſpumeū vocatū, ab aliis Heraclium (intellige Theophraſtū) caule dodrantali, foliis admodū paruis, radiculę ſimilibus, fructu inter ea candido: nam herbula alba tota eſt, & ſpumea tota: radice in ſummo ceſpite, legitur æſtate: ſemen, quū integrè adoleuit, decidit exiccatum. Plinius ex his omnibus: Aliud è ſylueſtribus genus, Heraclion vocatū, ab aliis aphron, foliis, ſi procul intuearis, ſpeciem paſſerū repræſentantibus, radice in ſumma terræ eunte, ſemine ſpumeo. Ex hoc lina ſplēdorem trahunt æſtate. Sed quæ Theophraſtus de ſtrutho radicula ſeu herba, & Dioſcorides dicūt, Plinius de ſtrutho aue intellexit, nam & auicula ſtruthos dicitur, & lanaria herba eſt ſtruthos dicta, cui cōparari debuit à Plinio.

Plinius optimum in ſiccis naſci dixit, vbi raro pluit. Ex Virgilio lætā terram exoptare videtur: nam vrere dicit eam. *Sol. Cæl.*

Vrit humum lini ſeges, vrit auena,
Vrunt Lethæo perfuſa papauera ſomno.

Cato de papaueris ſatione hęc habet. Si ligna, & virgas nō poteris vēdere, neq; lapidē habebis, vnde calcē coquas, de lignis carbones coquito, virgas & ſarmenta, quæ tibi vſtioni ſupererunt, in ſegetē comburito, vbi eas combuſſeris, ibi papauer ſerito. Columella, Circa calēdas Octobris obrui oportet papaueris ſemen, nō frigidiſſimo loco: nam ſi regio ſæuas hyemes habet, poſt idus Februarias, ſemine diſſerenda ſunt, ſuaq; de ſede partienda. Palladius, Locis ſiccis, & calidis Septembri ſeritur. Poteſt & cum aliis oleribus ſeminari. Fertur vtilius prouenire, vbi virgæ & ſarmēta cōbuſta ſunt. Plinius: Cato virgas & ſarmenta, quæ tibi in ſatione ſuperāt, in ſegete cōburito, vbi eas combuſſeris, ibi papauer ſerito ſylueſtre. Vere papauer ſeritur, atq; vti nunc, etiā Tranſpadani ſeruant vſq; in quinquatrus. Sunt quædā comitātia aliorū ſatus, vt papauer: namq; cum braſſica ſeritur, ac portulaca & eruca, cum lactuca. Vnum erit hoc idem tempus lino, & papaueri ſerendo. *Satio.*

De atriplice. CAP. LIX.

ET noſtro hoc horto atriplicē ſeremus, poſtquā inter olera, quibus veteres veſcebantur, Theophraſtus recenſet. Dioſcorides coctū edi, vt olus tradidit. Galenus hanc herbā cum oleo, & garo miſcet, & acetū quoque addit, quo facilius, & citius ſecederet à ſtomacho. Pythagoras accuſauit (vt Plinius inquit) tanquā faceret hydropicos, morboſq; regios, & pallorē, & coqueretur difficillimè. Addidere Dionyſius, & Diocles plurimos gigni ex eo morbos, niſi mutata ſæpius aqua coquatur. Præſtat cibis vere, nam vt cito adoleſcit, ſic cito marceſcit.

Hippocrates ἀδράφαξιν appellauit, Theophraſtus ἀνδράφαξιν vel ἀνδράφα *Nomen.*

ξιν alibi: nomē impositū ab ἀθρῶς αὔξειν, quod suā celerrimè amplitudinem assequatur, confestimq́; incremento proficiat. Dioscoridi ἀτράφαξις, & posteriores Græci Attici δ litera mutata in τ: vocari itē χρυσολάχανον Dioscorides dixit, id est aureū olus, vel à luteo flore, quē profert, vel quod ad capillos aureo colore tingēdos optimū existat. Plinius, Latinis, authore Festo, atriplex, veteres verò atraplexū, sed à Græco nomine potius, quàm ab atrore, quē hominibus eovescētibus inducat, vt diximus ex Pythagora. Itali *atriplice*.

Genera. Theophrastus generis diuersitatē ei deesse scribit. Dioscorides in duo genera diuisit: syluestre, & satiuū. Plinius item in syluestre, & satiuum diuisit. Apud nos syluestriū plures species, & maritimū vnum in littoribus nascens, quod à frondium, seminum, & radicis similitudine liquido apparet.

Descriptio. Radix ei vna in altitudinem descendens, vnde fibratæ aliç promuntur, vt in beta. Lignosa, sed minus quàm ocimo. Foliatū habet semen, & obductū cortice, numerosum, racematimq́; singulis ramis insidens. Vtraq; parte affert: nam & fructificare è suo latere potest: & sic copiosius. Ex Theophrasto. Plinius ab eo. Rectam atriplex habet radicē, statimq́; plurimis nititur capillamentis, vt blitum. Semen cortice obductum. Dioscorides & si peculiari suo capiti descriptionē non præfixerit, possumus tamē ex aliis herbis, quibus assimilauit, notas aliquas extorquere. Semen habet œnantes, folia xanthij herbæ, sed secta. Addimus nos. Hortensis caule assurgit quadrato & rubenti, ramis brachiato, folio caule tenus lato, in acutū desinentç, sagittarum more, succoso, pingui, quū pubescit herbaceo, quum senescit in luteum ex viridi languescēte. Flore luteo, exiguo. Floret Iunio, & Iulio mensibus, inde semen profert, presso ac tenui folliculo incluso. Syluestris non nisi natalibus differt, proceritate luxuriosa tamen prodit, vt quaternos sæpe cubitos excedat. Maritimum humi spargit caules, folia subalbicantia, ac gustu salsa, vt in omnibus maritimis conspicitur.

Cœlum. Plinius miratur, quòd Solon Smyrneus in Italia atriplicem difficulter nasci scripserit.

Solum. Palladius pingue, & humidum solum amare scripsit, & assiduo humore satiari, & succo lætaminis.

Satio. Theophrastus octauo die nasci scripsit, eiusq́; semen ad perdurandū infirmitatem habere. Plinius, Infirmiora sunt semina atriplici. Columella: Circa Calendas Octobris obrui oportet, nō frigidissimo loco: nam si regio sæuas habet hyemes, post Idus Februarias semina differenda sunt, suaque de sede partienda. Palladius, Aprili seremus, si rigare poterimus, & Iulio, & cæteris vsque ad autumnum. Semen statim quum spargitur, obruendum est, herbæ ei subinde vellantur. Transferri necessarium non est, quum bene seritur, tamen potest melius adolescere, si spatio rariore pangatur, ferro tamen resecandum est semper, quia ita pullulare non cessat. Plinius vult autumni æquinoctio seri. Tam cito crescit, & adolescit, vt quintodecimo die

sera-

feratur, & mandatur. Vnde eripit à cõsinio cæteris herbis alimentũ. Vnde à Pythagora culpatũ est in hortis, nil nisi quidem lãguidum iuxta illud nasci.

De spanachiis. CAP. LX.

NEC ab atriplicis natura olus hoc, vulgò spanachia dictũ, multum dissidet: an veteribus minimè fuerit cognitum in dubium vertitur, quum intactũ reliquerint, quum tam frequens olus mensis quotidiano vsui sit, & præsertim verna ieiunia saturet: vel forsan quòd cibo potius, quàm medicinæ natũ sit, nec in ea quicquã illustre sortitũ. Eruitur radicitus, abiectisq; radicis capillamentis, citra aquã coquitur, vtpote quũ magnã vim humoris inter coquendũ remittat, & velut proprio contentũ iure alienũ aspernetur. Ligula subinde percussum abacto letore versatur, deinde in manuales globos expressa penitus sanie redactũ, patinis in oleo, vel butyro frigitur, addito, quo magis palatũ titillet, omphacio, vel acerbarũ vuarũ melligine. Atriplicis vires videtur sibi arrogasse, par ingenio. Videtur neglectũ atriplex ieiuniori solo creditũ, in hoc olus degenerasse, prioris naturæ nõ oblitum.

Seutlomalachon apud Cassianum reperias, quasi dicas maluaceã betam, quod vt reor parentum adulterio natũ existiment: vel quod figura, & denticulato seminis habitu betã, & mollitie maluã mentiatur. Græcis etiã recentioribus σπανάχια haud dubie ab oleris raritate dictũ, quũ raro illo Medici vterentur. Vel quod verisimilius est ab aliis nationibus emẽdicato spinaceo nomine. Latinis spinacia, ab insigni seminis spiculorũ nota, & si ipsa herba glabra, & mollis sit: semen in spinas occallescit. Mauritanæ factionis principes Hispanicum olus appellauere, fortasse quod illic oriundũ ad alias nationes commigrauerit. Itali *spinaci*. *Nomen.*

Exit folio primum triangulo, molli, sagittæ modo cuspidato, mox laciniis & pinnis dẽtato, caule cubitali, nõnunquã altiore, intus cauo, flosculis rotundis in vertice, racematim coeuntibus, herbaceis, semine spinis horrido, radice exigua, tenuibus capillamentis fibrata, sapore inerti. Floret Iunio, & Iulio mensibus. *Descriptio.*

Mas semen profert, fœmina seminis infœcunda sterilescit. *Genera.*

Solum pingue, & benè pastinatum Neapoli concedimus, & si nullum solum respuat, & vbicunq; satum fuerit, lætissimè proueniat. *Solum.*

Cassianus. Aprili seritur seutlomachon, & mense Maio, & transplãtatur, Iunio etiam seritur, & transplantatur Iulio. Augusto seritur, & transplantatur. Seritur Septembri, & transplãtatur. Nos Decẽbri, Ianuario, Februario, Martio, Aprili, & Maio mensibus serimus. Septimo à satu die prodit. Quum carpitur, & si eius caulis inciditur, iterum pullulabit, & diutius perdurabit. Non horret hyemis frigora, vt possit verno tempore cibum suppeditare. *Satio.*

De blito. CAP. LXI.

RECENSET blitũ Theophr. inter olera. Dioscorides itẽ vt olus edi. Galenus nõ solũ cũ oleo, & garo, sed etiã aceto ob suã insipiditatẽ. Insipi-

dum olus omnino est, vt rudes homines prouerbio bliteos nuncupemus. Scribitur à Plinio inde cõuitium fœminis apud Menandrũ facere maritos. Apud Aristophanem βλιτομάμας pro stolidis accipitur, & apud Plautum in Truculento per conuitium blitea vocatur meretrix, quod insipida, vilis, & nullius pretij sit Blitea & lutea est meretrix. Aprili ieiunia rusticorum implet, & olitorio foro apud nos ab infima plebe coemitur.

Nomen. Theophrasto βλίτον, Dioscoridi βλῆτον, Suidæ βλῖτος, quum fatuum olus, & sine acrimonia possideat ingenium. Latini blitum, & blitus, Itali *biedone*, Neapolitani *aitillo*.

Genera. Apud nos duplex visitur genus, candidum & rubens: est & aliud ruberrimum, quod fictilibus vasculis à nostris mulieribus in fenestris asseruatur ob coloris præstantiam, cuius folia iuribus incocta, sic ea rubore inficiunt, vt sanguinis colorem repræsentent. Trallianus nigri bliti meminit.

Descriptio. Theophrastus ita delineat. Multicaulis est, foliis betaceis, & sine acrimonia fatuis, semine corticeo copioso, racematim singulis ramis insidenti. Item inferiori, & superiori plãtæ parte fruticat. Radice nõ vna nititur, crassa & in rectũ tendente, vt beta & lapathon & olerũ pars maxima, sed cõtinuò prolixa, ac multiplici. Minus lignosa quàm ocimo. Plinius, Quæ rectã non habent radicem, statim plurimis nituntur capillamentis, vt blitum. Tam vulgaris notitiæ apud nos est, vt verè bliteus sit, qui illud non cognoscat. Candidum surculosius rubro, ramis vndiq; racemoso fructu scatentibus.

Solum. Palladius. Solo qualicunq; seritur, sed culto.

Satio. Theophrastus ocyssimè nasci dixit, vt tertio die erumpat. Ex tertia est semente, quam æstiuam appellant. Mense Martio seritur. Plinius: tertio die erumpit. Palladius, Martio seritur, neq; runcari, neq; sarculari flatigat hoc olus: quum semel natum fuerit, ipsum se per multa secula seminis sui deiectione reparabit, vt id, si velis, vix possit aboleri.

De malua. CAP. LXII.

E Contrario in magnis laudibus malua est vtraq; & satiua, & syluestris. De eisdem mira traduntur ab authoribus, sed maximè si quotidie quis succi eius sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum. Adeoq; maluæ Veneri nascuntur, vt semen vnicaulis aspersum genitali, fœminarum auiditates augere in infinitũ Xenocrates tradat, ex Plinio. Maluæ vsum pro oleribus increbuisse satis testantur authores. Theophrastus dicit ex iis oleribus esse, quæ coquantur. Dioscorides, Satiua esui aptior syluestri. Vescebantur ea maiores nostri ad aluum subducendam in acetariis. Martialis,

Vtere lactucis, & mollibus vtere maluis,
Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

Celebratur ab Hesiodo in moralibus ad Persen fratrem suũ, inquiente,

Haud norunt stolidi, quam toto dimidium plus,

Nec

Nec quam magna sit vtilitas maluæ, asphodeliq́;

Græcis *μαλάχη*. Sed Antiphani, & Euplio *μολόχη*. Plinius ab emolliendo ventre dictam putat, *μαλάττειν* enim mollire est. Latinis malua. M. Varro maluam, quasi moluam dici, quod aluum molliat. Italis *malua*. *N.*

Ex plurimorum authorum scriptis elicitur generum discrimen. Plinius. Duo genera earum amplitudine folij discernuntur, maiorem Græci malopen vocant in satiuis. Alteram malachen, ab emolliendo ventre. E syluestribus, cui grande folium, radices albæ, althea vocatur ab excellentia effectus, à quibusdã aristalthea. Nos autẽ: Malua duplex, satiua, hortensis, quarum duæ in duas alias secernũtur, ex hortensibus prima, quæ rosas è maluacco caulẽ fundit. Diximus de ea in coronario genere. Secunda vesca est. Syluestrium prima edulis est, altera medicæ tantũ facultati inseruit, arborescens althea dicta. *Genera.*

Theophrastus annicaulem dicit. Cuius folia iter solis sequantur, seque eodem inclinant, quo sydus feratur, quod humoris detractioni acceptum refert, eodem nanq; inclinari par est, quo sol humorem feruefaciens prouocarit, quod etiam Lucius Columella numeris tradidit, *Descriptio.*

Et moloche prono sequitur quæ vertice solem.

Et ob id ab Apuleio heliostrophos appellata. Nec silentio prætereundũ quæ Phanias Græcus, Athenæo referente, prodit vernaculæ, vrbanæq́; maluæ seminis formã placentam vocari, quod eius omnino referat imaginem, quam columna facit pectinatim denticulata, à qua per mediũ placẽtę molis foramen spiculũ exeritur, vmbilicũ exprimens, echinato basis ambitu, quod facilè secanti circulantẽ seminis globulũ liquido patebit. Addimus: syluestris pumila, & humi repens, folio rotundo, nonnihil lacinioso, caule magno, floribus ex candido suppunicãtibus, radice candida, floret per totã æstatẽ, maximamq; autumni partẽ. Quæ facilè potest cultus mangonio nimiũ à sua natura desciscere, vt in aliud genus permeare videatur, quippe senis septenisq; mensibus, tanta longitudine, crassitudineq; proficit, vt instar hastæ grandescat, arborescensq; ad vsum baculi veniat, & identidẽ adminiculi vice fungatur, ac longiusculo tempore maius incrementũ capessat, ex Theophrasto. Plinius. Authores tradunt in Arabia maluas septimo mense arborescere, baculorũ vsum præbere extemplo. Sed & arbor est malua in Mauritania Lixi oppidi æstuario, vbi Hesperidũ horti fuisse produntur, cc pass. ab Oceano iuxta delubrũ Herculis, antiquius Gaditano, vt ferũt. Ipsa altitudinis pedes xx, crassitudinis, quam circumplecti nemo possit. Hanc Galenus *ἀνάδενδρον μαλάχην* dixit, id est arborescentem maluam.

Pingui solo delectatur & humido, gaudetq; lætamine, ex Palladio. Omne solum in quo seratur, pinguius facere dicitur. *Solum.*

Columella seri posse vere ait. Palladius Februario, & Martio, & Iulio locis, vbi possit rigari. Octobri autẽ serendam esse, quæ occursu hyemis ab *Satio.*

incrementi longitudine reprimatur. Transfertur planta, quum cœperit quatuor folia habere, vel quinque. Melius cõprehendit eius planta, quæ tenera eſt, maior enim tranſlata languebit. Sapor illis eſt melior, ſi nõ transferantur. Sed ne citò erigantur in caulem, in medio earum glebulas conſtitues, aut lapillos. Rara ponenda eſt. Surculo delectatur aſſiduo. Sic liberanda eſt herbis, ne motum ſentiat in radice.

De rumice. CAP. LXIII.

RECENSETVR & inter olera, quæ coqui exigunt, rumex à Theophraſto, Dioſcoride, Plinio, & cæteris. Et ſi noſtra ætas olera hæc aboleuerit, non excludemus tamen à noſtro hortulo. Plinius ceram apes ex omnibus floribus conficere, excepta rumice tradit, eiusq́; vſum cum ptiſana tantum in cibis leuiorem, gratioremq́; ſaporem præſtare.

Nomen. Græci λάπαθον, ab effectu nomẽ indiderunt, etenim λαπάζειν vacuare eſt: omnium ſiquidẽ generũ decoctis foliis aluus exinanitur. Theocritus ἀλάπαθα vocauit. Latinis nomine à Græcis mutuato lapathum, & rumex dicitur. Columella,

Lubrica ceu lapathos.

Varroni antiquo vocabulo manna ruris dicitur, vt opinor. Itali *lampazzo.*

Genera. Theophraſtus generum diuerſitatem tollit, contentus ſcilicet ſatiui & ſylueſtris diſcrimine. Dioſcorides quinq́; recenſet. Oxylapathum primum, cuius anceps videtur ſignificatio, num ſcilicet ab acido ſapore, vel ab acuta figura, nempe à foliis, quæ in mucronẽ deſinunt, nomẽ acceperit, aliud ſecundum, tertium ſylueſtre, quartum oxalida dictum, quod in acetariis nominauimus, quintum hippolapathum, quaſi grande lapathum dicas.

Deſcriptio. Oxylapathum Dioſcorides vocat, quod in acutum tendat, prædura habens extrema, nõ niſi paluſtribus naſcens. Plinius: Eſt & alterum genus, ferè oxylapathon vocant, ſatiuo item ſimilius & acutiora habens folia, ac rubriora: non niſi in paluſtribus naſcens. Sunt qui hydrolapathon tradant in aqua natum. Surgit apud nos caule cubitum, & ſeſquicubitum alto, rotundo, ſtriato, purpuraſcẽte, flore muſcoſo, ſemine triquetro in folliculis. Radix illi ſubeſt pedem longa, digiti craſſitudine, flaua. Aliud genus Dioſcorides priori non diſſimile dicit. Hoc foliis supernè magis retuſis, breuioribus, rotundioribus, vere à ſuperiori vix diſcernendum. Tertium ſylueſtre paruum, plantagini proximum, humile, & tenerum à Dioſcoride pingitur. Plinius: Solum ex omnibus lapathũ ſylueſtre melius. Hoc in ſatiuis rumex vocatur. Theophraſtus, Sylueſtre breuiorem agit radicem, multicaule, atq́; ramoſum conſiſtit, & tota forma quum perfectum eſt, betæ proxima ſanè cernitur. Quartum hippolapathum, olus magnum in paludibus naſcens Dioſcoridi. Sed Plinius: Eſt & aliud hippolapathon, maius ſatiuo, candidius, ac ſpiſſius. Apud nos hoc genus Rhabarbarum monachorum dicunt, triuialis notitiæ in noſtris hortis. Surgit caule trium, vel quatuor cubitorũ;

radice

radice adultiore, flauiore, gustu, & facultate, rhabarbarum imitante, folio hydrolapatho pari, vel latiori, minus acuto, rigidoque. Hoc describere videtur Theophrastus: Satiuo radix lignosa: vnistirpē maximè omnium putaueris ramicem, nec enim lateribus crassas vllas penitus agit, sed tantum prætenues, nititur altissima omnium radice, maiore nanque semipedibus ternis: diuturnitate quoq; syluestrem, & in totum, vt ita loquar, omnia olera vincit, perdurat quantumvis temporis, carne plena, atq; humecta consistit, qua de causa effossa diu viuere potest.

Cuncta genera vbiuis abundè prouenientia. *Cælum.*

Theophrastus è secunda satione esse dicit, quæ autumno ferūtur. Nullo *Satio.* pacto locis cultis prouenit, aut vitiosè deteriusq; efficitur. Plinius ab eo: Ex iis, quæ autumno seruntur. Ex omnibus lapathum syluestre melius satiuo, hoc in satiuis rumex vocatur, nascitur fortissimum. Traditur semel satum durare, nec vinci vnquam à terra, maxime iuxta aquam.

De hortensi solano. CAP. LXIIII.

SOLANVM esculentum tantummodo vnum profert Theophrastus, ex duobus alterum somnum, alterū insaniam, & interdum mortem afferre. Dioscorides hortense solanum cibis idoneum dicit. Nihil mali corporibus esse prædicat Xenocrates, cui hoc salutare non sit. A multis hodie nationibus in olere estur gustu innocens.

Græcis στρύχνος dicitur, vt tradit Cornelius Celsus, Plinio referente, aci- *Nomen.* num videtur significare: acinos quippe quamplures retinet. Galeno vnius literæ mutatione τρύχνος. Latinis solanum. Italis *solatro.*

Hortēsis solani duo genera apud Dioscoridē, à fructuū colore distincta. *Genera.*

Theophrastus fructum acinosum afferre dixit. Dioscorides, Frutex cibis *Descriptio.* idoneus, exilis, pusillus, multis cōcauus alis, folio nigro, maiori quàm ocimi, & latiore, fructu rotundo viridi, qui post maturitatem nigricat, aut fulueſcit. Addimus: Flosculis albidis, stellatis, Iunio, & Iulio bacculis succulentis, quasi in corymbum collectis, primo viridibus, post fuscis, nigrisve, aliis rubris purpureis, vel fuluis rutilis. Radice alba, pusilla.

Septentrionali, & meridionali cœlo viuit. In Ægypto familiare cibis, vbi- *Cæl. Sol.* que viis, hortis, cultis incultisq; locis, scrobibus, marginibus, & areis proueniens, & opacis locis.

Olim cum hortensibus oleribus serebatur in hortis, quæ edendo erant, *Satio.* nunc sponte, & inuitis cultoribus prouenit.

De ferulis. CAP. LXV.

SEMEN ferulæ in Italia cibus est, inquit Plinius, conditur quippe, duratque anni spatio in vrceis. Duo eius genera, caules, & racemi. corymbiam hanc vocant, corymbosque quos condiunt. Caules eduntur decocti, commendanturque musto ac melle, stomacho vtiles: sin plures sumpti, capi-

tis dolores faciunt. Dioscorides, Caules ferulæ si edãtur, capitis dolores facere, ac muria cōdiri, scribit. Columella sic docet. Ferulam quũ legeris sub tecto exponito, dum flaccescat, dein folia, & corticē omnem folliculorum detrahito. Caules si fuerint pollice crassiores, arundine secato, & in duas partes diuidito, ipsos quoq; flores, ne sint immodici, deduci & partiri oportebit, atq; ita in vasa cōdi, deinde ius, ꝙ est mistũ duabus partib. aceti, & vna muriæ infundi, & paucas radiculas laseris adiectas in spissamento fœniculi aridi cōtegi, vt ius superueniat. Scribit etiã Plinius, quod antiqui vtebãtur coronis è ferulis, & corymbis. Natura ferularum murenis infestissima: moriuntur ea tactæ. Asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris iumentis præsentaneo veneno, qua de causa id animal Libero patri assignabatur, cui & ferula. Erat enim Baccho, Sileno, & suis comitibus dicata. Virgilius in Gallo.

Venit & agresti capitis Syluanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quassans.

Baccho dicata, quod ad baculũ aptissima sit, & infirmi in ebrietate pedes leui hoc pedamento regantur. Aliã assignat Eusebius rationē libro de præparatione euangelica, quia quũ homines merũ biberent, & furiosi euaderent, se baculis inuicē feriebãt, vnde sæpe mori cōtingebat: vt ergo malum istud euitarēt, ferulis vsi sunt, quarũ leuis, & nō lætifer ictus foret. Aliã verò Plutarchus in Symposiacis affert causam, nempe vt significaretur quod si inter pocula aliqua in parte peccatũ sit, leuis puerilisq; reprehensio sufficiat: nam & pueri ferula castigantur. ναρθηκοφόροι Platoni in Phædone dicuntur Bacchi ministri, quasi feruligeri. Antiquitus ferula Imperij nota fuit. Leuis eius arboris ictus est: ideò significabant magis ex seueritate eos, qui cæteris pręsunt, & dignitate, quã fustium atrocitate, & verborũ asperitate formidabiles esse debere: regũ instar, quibus sceptra cōceduntur, vt legibus asperiores sed pœna mitiores sint. Fuit & insigne ferula pædagogorum, quod illa manus puerorum percuterentur. Martialis,

Ferulæ minaces sceptra pædagogorum,

Et Iuuenalis. *Et nos quoq; manus ferulæ subduximus.*

Nulli fruticum maior leuitas, & cum ligni leuitate durities, & rigor firmior. Ob id gestata senectuti & à longa valetudine se recolligētibus facilius baculorum vsum præbet. Lignum omne corticis loco forinsecus, loco veri ligni fungosam intus medullã habet. Quare Clearchus inter lusorias quæstiones, quas scirpos vocamus, Græci gryphos, & ænigmata, Ferulã lignum esse, & non lignum dicebat. Sunt ferulæ cibo, & coronis commendabiles: nobis verò veris initio prima ferulæ germina, quæ oui luteum referunt, sub cineribus excocta, charta prius, vel linteo madefactis inuoluta, mox pipere, sale, & oleo, & aceto cōspersa gratissimo sunt cibo. Author est Plinius salpã obscœnũ piscem dici, quod percoqui, nisi ferula verberatus fuerit, nequeat. Ignē ferula adseruari certũ est. Fingũt Poetę Prometheũ in cœlos à Minerua

subla-

ſublatum, ferulam rotis Phœbi admouiſſe, & accenſam in terram deportaſſe. Veritatis fides eſt, quod Prometheus primum ignem è ſilice prouocarit, & in ferula adſeruari docuerit, ſcribente Plinio. Aliam nos docemus rationem, & perpulchram: continuo enim ferularum attritu excitatur ignis, & in eis optimè adſeruatur, vt ſæpius experti ſumus.

Nomen. Græcis νάρθηξ. Latinis & Italis ferula: non minus à feriendo, quàm ferendo dictum videri facit Hippocrates, qui eam pleſtinga vocauit; vt Græcis virgultum, & baculum ſignificat, ſic Latinis, quod ſenibus pedes ac ſcipiones eſſent, à ferendo ferulæ dicuntur.

Deſcriptio. Theophraſtus ita deſcribit. Ferula grandis admodum ſurgit, vnicaulis & geniculata, à genibus cauliculi & folia alternatim exeunt grādia, mollia, capillamenti modo extenuata maximè, vt quæ terræ ſunt proxima caulē amplectentia, vt harundines. Flores lutei, & ſemen anethi obſcurum. Germinat vere, primum folio, tum caule, qui annotinus ei eſt. Radice ſingulari profunda. Eius teneritudo proceſſu tranſit in lignum. In fruticum genere eſt. At in Nerio vna ex inſulis fortunatis altitudine tanta, vt arbor exiſtimetur. Dioſcorides verò. Ferula caulem affert ternum cubitorum, folia fœniculi longè aſperiora, & latiora. Plinius arborum generi aſcribit, quoniam lignum corticis loco habet, hoc eſt forinſecus, ligni autem loco fungoſam intus medullam, vt ſambucus. Geniculatis nodata ſcapis. A genibus exeuntia folia maxima, vt quæque terræ proxima. Cætero natura eadem, quæ anetho, & fructui ſimilis. Addimus: Apuliæ quinum cubitorum caulis, radix magna, recta, euulſu difficilis, & præcipuè ſi in ſaxorum hiantes commiſſuras deſcenderit, vt apud nos in præruptis rupium ſaxis in maris proſpectu. Lacteo pingui ſucco turgida, vehementer odorata. Iunio, & Iulio floret. Semen foliaceum compreſſum, rotundum, oblongum.

Genera. Ferulaceum genus in plures ſpecies diſtinguit Theophraſtus. Sed primum de eo, quod commune omnium conſtat, dicendum eſt, ſcilicet ferula, & ferulagine, ſeu idem genus ambabus, differens magnitudine tantum, ſeu alterum ſit, vt nonnulli putarunt; magnitudine ſane differunt. Ferula enim aſſurgens in altitudinem finditur cacumine, inque ſtipites quoſdam, haud magnos, diſpergitur, quibus flos ſemenq; inſidet. Ferulago autem humilis eſt. Plinius ab eo. Quæ ab vno caule diuiditur in cacumine fœmina putatur. Sed in Apulia tot ſunt generum diuerſitates, & ſpecies, ſtatura, elegantia, formaque differentes, quas ferulagines vocāt, vt quę ſit illa Theophraſti, difficile ſit inuenire.

Cœlum. Calidis ferula naſcitur, atq; transmarinis. Inter fortunatas inſulas Notion vocatur, in qua ferulæ tanta creſcunt amplitudine, vt arbores fiant. In Ægypto præcellunt. Plinius, In Africa quoq;, vt Solinus tradit. Apulia noſtra ferularum maximè ferax, quę æſtiuos ſoles, & feruidos exceptos, totum fermè fouent diem. Apud nos præruptis ſaxorum crepidinibus, mare aſpicientibus, copioſiſſimè fruticat.

De fragis. CAP. LXVI.

NON deerit fragis locus in noſtro horto, etſi non inter olera recenſeatur, ſed inter horti delicias, & gulæ oblectaméta. Sunt enim ex herbis ſpontè naſcentibus, quibus pleræque gentium vtuntur in cibis, tanta eſt ciborum ex herbis abundantia, vt fraga. Verſu Maronis nota:

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga.

Nomen. Videtur Græcis incognita, fragrat enim maximè fructus purpureus, ſanguineus, diluti cruoris, ſaturus, ob id fragra dicta, & fragrantia. Nobis *fragole*.

Genera. Apud nos duo genera, quorum alterius rubet fructus, alterius albicat.

Deſcriptio. Humilis herba, folio terno, viticulis exilibus, enodibus, numeroſis, piloſis, ab radice tenui, ſuperficiaria, fibroſa, prodeútibus floribus in ſummo, albis, rubi minoribus. Vere fert fructum, arbuti fructum æmulantem, & tota æſtate maturat.

Solum. Syluoſis familiaris & viarum marginibus, & montibus. Ouidius,

Arbuteos fœtus montanaq; fraga legebant.

Satio. Paſtinatur in hortis ſolùm, & in ſulcos diducitur. Inde è ſyluis eruuntur, vbi ſpontè naſcuntur, vt caules plantantur, primis autumni imbribus, poſt menſem ſtercorantur columbarum fimo, nam ipſis peroptimum. Seruntur longo inter ſe interuallo: nam cauliculi, vbi terram attigerint, radices capiunt.

De genere cartilagineo; & primùm de cucumere ſylueſtri, & de ſatiuo, & obiter de pepone. CAP. LXVII.

SED iam cucumerarium ingrediamur, ac per eius ſpecies euagemur. Diximus enim, quæ in hortis commendantur folio, caule, & ſemine, nunc quæ radicibus, ſcilicet capite, bulbo, carné, tuniciſq; carnoſis. Plinius totū hoc genus cartilagineum vocat. Inquit enim, Aliorum fructus in terra eſt, aliorū extra, aliorum non niſi extra. Quædam iacēt, creſcuntque, vt cucurbitę & cucumis, eadem & pēdent, quanquam grauiora multo etiam iis, quæ in arboribus gignuntur. Terra conduntur raphani, napiq; & rapa, atq; alio modo inulæ, ſiſer & paſtinaca. Sed cartilaginei generis, extra terram eſt, cucumis. Ab eo tandē incipiemus. Refert Palladius, Quoties tonat, veluti timore perterritus, cōuertitur. Plenilunio maximè gliſcūt in hortis, manifeſtumq; capeſſunt incrementum, & more marinorum echinorum implentur, vt tradit Athenæus. Diphilus Caryſtius cucumerem velut noxium primis menſis damnauit, vt qui raphani modo ſurſum feratur. Vltimo cibo innocentiorem eſſe, concoctuque faciliorē pollicetur, & venerem arcere. Plinius, Viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem, nec perfici queunt, in cibis non inſalubres, tamen plurimum natant. A mulis expetuntur, capiunturq; mira huius oleris voluptate, nec non odorem eminus ſentiunt: quare munienda ſunt cucumeraria, ne irrumpentes

ues depopulentur, ac proterant. Tradunt Quintilii, si subrumo infanti, qui febriciret, per longitudinem cucumis accubuerit, ipsum confestim sanari, ad eum nanq; totum caloris feruorem allici. Quærit Aristoteles Problematum libro, Quam ob causam fructuum alii partem radici proximam habent amariorem, vt cucumeres, alii postremā superiorem vt glandes. An quod aliis pars ista radici proxima crudo vescitur alimento, quoniam escæ confluuium per radicē frequentat, aliis, quia sicci natura sunt, postrema pars succo dulci inconcoctoque inde absumpto, quū plenius assiccatur, amarescit modo salis: redditur enim vnumquodque amarum, quum amplius exiccatur, vt oliuæ, iuglandes inueteratæ, efficiuntur amaræ.

Græci σίκυς, & σικυός: nomenq; ex aduerso posuerunt, ἀπὸ τῦ σύειν καὶ κυεῖν, quod scilicet appetentiam concumbēdi sedet. Hinc Græcis prouerbiū, Athenæo referēte, Texens palliū mulier, cucumerē deuoret: textrices enim maxima ex parte, si Aristoteli credim⁹, veneri sunt opportunæ, vt ergo iis impetus elāguescat, cucumeres edendos consulebant. Heraclides Tarentinus hedygæū nominat. Latinis cucumer, & cucumis dicitur, vt Varroni placet, à concuruatu dictus, quasi curuimer. Aetius auguriā vocari dixit, quæ veteribus σικύα. Neapolitani *cedrolo*, videturq; dictū à citrii forma, & colore: flauescit nanq; quū inaruerit. Admonent me doctorū virorum authoritates, vt de pepone dicā aliqua. Hermolaus pepones à cucumeribus distinguit. Ruellius pepones melones putat. Idēq; Fuchsius. Lusitanus cucumerē vocat Neapolitanorū auguriam, & peponē satiuum cucumerem. Suorū peccatorum expiator Robertus Cōstantinus pepones melones vocat, atq; ex Palladio de peponum genere scribit, quum peponis Palladius nusquam meminerit. Matthiolus in tantorum confusione, quid proferat, fatetur se nescire. Sed cur in re tam clara tantorum virorū cæcitas? Nostram sententiam doctioribus trutinandam exponemus. Pepo tam apud Grecos, quā Latinos à cucumere nil differt, nisi ętate, magnitudine, & figura, recens enim tenellus natus, vel primū fructus rudimentū cucumis dicitur, quia curuus, caro, cortex, & semē, quod tunc aqueū est, estur; media ætate, reiecto cortice, qui tūc amarus, in acetariis subministratur, in senecta verò, vel eius maturitate, colore flauus, mollis, magnusq; efficitur, non estur, sed pro seminio hortis relinquitur, apud tamen plerasq; nationes iā maturus, reiectis intestinis seminibus, quæ tunc lignosa sunt, editur, vt apud Græcos Galenus scribit: sed nostram opinionem authoritatibus comprobemus. Refert Athenæus pepones à Cratino vocari cucumeres seminarios. Pollux etiā σπερματίας vocat. Eius magnitudinem expressit Anaxilaus, qui dixit, Calcaneum magis tumet, quàm cucumis pepon. Eius mollitiem Theopompus, Est mihi visa mollior, quàm pepon. Homerus etiam à peponis mollitie Achæos peponas vocat.

ὦ πέπονες, κάκ᾽ ἐλέγχε᾽, ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ᾽ ἀχαιοί.

Phanias item dicit edēdos esse cucumeres teneros, peponas verò sine semine. Speusippus etiam cucurbitam peponem vocauit. Sed quid demoror? Ga-

florem inhærere perſpicuum eſt. Syluestris cucumis à Theophraſto σίκυος ἄγριος ita deſcribitur. E ſylueſtris cucumeris ſemine medicamentum fit elaterium, ſerotino enim tum germine, tum flore. Nec ſucco, nec viribus cum vrbano cõuenit. Sed penitus incomparabilis aſpectus ſimilitudinem gerit. Dioſcorides ita deſcribit: Cucumis ſylueſtris fructu ſolo diſtat à ſatiuo, quem longe minorem parit, oblongis glandibus adſimilem, folia atq; ſarmẽta ſatiui refert, radice candida magna: naſcitur in ſabuletis, & ruderibus, frutice in totum amaro. Plinius, Cucumis ſylueſtris, ſiue aſininus, infra magnitudinem ſatiui, ex eo fit medicamentum vocatum elaterium, ſucco expreſſo, & ſemine, cuius cauſa niſi maturius incidatur, ſemen exilit, oculorum etiam periculo. Columella ita eum ſuo hortulo deſcribit,

——— At cucumis granida qui naſcitur alno
Hirtus, & vt coluber nodoſo gramine tectus,
Ventre cubat flexo, ſemper collectus in orbem,
Noxius exacuit morbos æſtatis iniquæ.
Fœtidus hic ſucco, pingui quoq; ſemine farctus.

Virgilius item,

——— Tortusq; per herbam
Creſceret in ventrem cucumis.

Ex his deſcriptionibus quis cæcus videre non poterit ſylueſtrem cucumim referre ſatiuum, niſi quod hirſutior planta, minor fructus, retro naſcens plantæ, ſerius matureſcens? Vnde apud Theophraſtum, Dioſcoridem, & Plinium noſtratem *citreolum*, veterum, & Latinorum cucumim, & Græcorum σίκυον eſſe.

Athenæus ex Dioclis opinione in Antiochia optimos naſci ſcripſit. Plinius: æquè hyemem odêre cum cucurbita. Placent copioſiſſimi Africæ, grandiſſimi Mœſiæ. *Cœlum.*

Theophraſtus ex cucumerum generibus Laconicum rigatum melius enaſci, reliqua non rigata præſtantiora fieri. Plinius ex eo: Ex his tantum Laconicum aqua gaudere. Amant rigua & fimum. Columella, Cucumis cùm copia eſt aquæ, minorem curam deſiderat, nam humore plurimum iuuatur. Cœlo aperto, & humidis arenis magnitudine proficiunt, quales Apuliæ vidimus, & prouerbio fertur, *Solum.*

Augetur veluti cucumis regione madente.

Theophraſtus ex tertia ſatione eſſe dixit, quæ æſtiua ſunt. Semen poſt ſatum, quinto, ſexto, aliqui dicunt ſeptimo die emicat. Ex recenti ſemine celerius exit. Columella: Si ſicco loco ſeri debuerint, quo rigationem miniſtrari non expediat, menſe Februario ſeſquipedali altitudine ſulci faciendi ſunt, poſt idus deinde Martias, quaſi tertia pars altitudinis ſulci, ſtramentis inditis tegenda, mox ſtercorata terra vſq; in dimidium ſulcum aggeranda, poſitisque ſeminibus tandiu eſt aqua præbenda, donec enaſcantur, atq; vbi conualeſcere *Satio.*

cœperint, adiecta humo incrementa eorum prosequenda sunt, donec sulcus coæquetur. Sic exculta semina sine irrigatione tota æstate satis valebunt, fructumq; iucundioris saporis, quàm rigua prębebunt. Aquosis autē locis primo quoq; tempore, non tamen ante cal. Mart. semen ponendū est, vt deserri possit æquinoctio confecto. Sed custodiendum est, vt quamminime ad eum locum, in quo cucumis consitus est, mulier admittatur: nam ferè contactu eius languescunt incremēta virentium. Si verò in menstruis fuerit, visu quoq; suo nouellos fœtus necabit. Palladius seri iubet sulcis factis Martio mense, altitudine sesquipedali, latitudine pedum trium, inter sulcos septē pedum spacium crudum relinquas, vbi possit vagari: herbis iuuantur, ideo surculo, & rigatione non indigent. Secunda eius satio quinquatribus ferè obseruatur. Plinius, Serūtur semine in terra, sesquipedali fossura, inter æquinoctium vernū, & solstitium. Parilibus tamē aptissimè. Aliqui malunt nonis, & per quinquatrus serere. Sed quinquatrus, vel quinquatrua festa vocabant antiqui, quæ quinq; diebus Mineruę fiebant, ita videri potest, quod quinq; diebus post idus Martii celebrabātur: nam dies post idus ater erat: inde quinquatria, quasi quinq; ab atro die. Sed quę fierent his quinq; diebus, extat Ouidii carmen Fastorum tertio:

Vna dies media est, & fiunt sacra Mineruæ,
Nomina quæ a iunctis quinq; diebus habent.
Sanguine prima vacat, nec fas concurrere ferro:
Causa, quòd est illo nata Minerua die.
Altera, tresq; superstrata celebrantur arena,
Ensibus exertis bellica læta Dea est.

Parilia verò aut palilia festa erant deæ pastorum, quæ Pales dicebatur, quæ fiebant vndecimo cal. Maii. Quærit Aristoteles in Problematis: Quam ob causam cucumeres cognomento pepones optimi palustribus planis, id est, humidis fieri soleant, vt apud Orchomenum, & in Ægypto. Aquarum enim vberem terram esse Ægyptum putamus, cur ergo cucumeres, qui humidi sunt, & ob id hortenses ac rigui minimè laudati, locis palustribus, quæ madida sunt, egregiè fiant? Vtrum quòd ob terræ duritiam altius coguntur descendere? solum nanq; limosum, ac planum maximè indurescit, qui autem altius innituntur, meliores euadunt: an quod terram siccam esse oporteat? quoniam cucumeres natura humidi sunt, ita enim sequetur, vt per retractum in medium veniant, palustris verò si plana, altaq; sit, alimentum nec exiguum præbet propter soli altitudinem, locumque ipsum, neque nimium, quoniam solum resiccari necesse est.

Cultus.

Scribit Theophrastus esse, qui cœlestes aquas cucumeribus prodesse negent, eosdemque pulueratione lætari. Megarenses enim peponibus cucumeribus, quum venti aduersarii perflant, puluerem sarculo excitant, atque ita dulciores, melioresque reddunt absque rigatione. Hoc igitur concessum indubie habetur. Libroque de causis reddens rationem ait, cucume-

res puluere occultari, nutriri, tenerioresque reddi creduntur, quamobrem Megarenses ita eos tractare consueuerunt. Sed mirum videtur, quod puluis qui tam siccus est, alere queat: ratio tamen esse in pluribus possit, nam & quia citata humo, vaporati cuiusdam aëris alimentum reddatur, vt de solo vaporoso retulimus, & quia fructus loricatus puluere, defendatur à solis feruore, & quia leuiter, molliterque siccus, amplius à vite pabulum attrahere possit, quippe hæc omnia tum ad copiam alimenti, tum ad facultatem coquendi nimirum adiuuant, quapropter foliis quoq; integere solent, quum igitur tegmine & aqua quoad satis sit potiantur, læti, teneriq;, vt debent, redduntur. Plinius: Natura oleum odere mirè, nec minus aquas diligunt, desecti quoque, ad eas modicè distantes adrepunt, contrà oleum refugiunt: aut si quid obest, vel si pendeant, curuantur, idq; vel vna nocte deprehenditur, si vas cum aqua subiiciatur, à quatuor digitorum interuallo descendentibus ante posterum diem, aut si oleum eodem modo sit, in hamos curuatis. Nos suppositis aquis longum, & magnum cucumerem comparauimus. Quintilii ita eos aquarum auidos esse scribunt, vt si quis longos fieri concupierit, vas aquæ plenum subiiciat, & ante posterum diem à quatuor digitorum interuallo descendit, at si deficient aquæ retrocedunt, vt in hamos plicentur: ita gaudent humiditate, horrent siccitatem. Palladius, Longi & teneri fiunt, si aquam in patenti vasculo sub eis ponas duobus palmis inferiorem, ad quam festinando tales efficientur. Oleum sic metuit, vt si iuxta posueris, velut hamus plicentur.

Præcoquem cucumerem habere docet Theophrastus, si quis hiberno tempore cucumeris semina serat in calathis, rigetque aqua tepida, & soli exponat, & igni admoueat, ac vbi sationis tempus aduenit, canistros terræ mandet, sic longè horum fructus alios præuenient. Alibi, Cucumeris semen nonnulli, vt celerius exeat, lacte cum aqua præmaceratum serunt. Docet & alibi aliam rationem, qua possint præcoces fieri. Cucumerum radices, adhibita cura diu viuere possunt, si quis sarmentum præciderit, secundum soli superficiem, postquam fructum tulerit, terra radicibus superiniecta, rursusque ab radicibus eisdem sequenti anno ferent fructus valdè purpureos, anteuertentes ordinarium prouentum aliorum, qui verno satu parati erunt. Quintilii diligentius: In cophinos aut inutilia fictilia terram cribratã mittes, stercore ammisto liquidiorem factam, & anticipato tempore, vere videlicet inchoante, semine implantabis, & quum sol fuerit, & calor, & moderata pluuia, cophinos sub dio expones, circaq; solis occasus eos in domum contectam inferes, atq; hoc assiduè facies, aquam irrorabis, quando vsus postulauerit. Postquam verò cessabunt frigora, & glacies, cophinos, siue dolia in locum subactum, & excultum deportatos defodies, ita vt labra æqualia sint terræ, & deinde reliquam curam adhibebis. Si verò abstuleris eorum virgulta, citius fructus producent. Hæc Græci. Latini verò, vt Columella: Confecta bruma ster-

Ari

coratam terram inditam cophinis obserat, modicumq; præbeat humorem, dein quum enata fuerint semina, tepidis diebus, & insolatis iuxta ædificium sub dio ponat, ita vt ab omni efflatu protegantur. Cæterũ frigoribus, ac tempestatibus sub tectum referat, idq; tandiu faciat, dum æquinoctium vernum conficiatur, postea totum cophinum dimittat in terram: sic enim præcoquem fructum habebit. Possunt etiam si sit operæ pretium, vasis maioribus rotulæ subiici, quo minori labore producantur, & rursus in tecta recipiantur. Sed nihilominus integi debebunt, vt etiam frigoribus serenis diebus tuto producantur ad solem. Hac ratione ferè toto anno Tiberio Cæsari cucumis præbebatur. Plinius: Cucumis mira voluptate Tiberio Principi expetitus, nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promouentibus in solem rotis holitoribus: rursusq; hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Id etiam leuiori opere fieri apud Ægyptię gentis Dulum Mendesium legit Columella, qui præcipit aprico, & stercoroso loco alternis ordinibus ferulas, alternis rubos in hortis consitas habere, deinde eas confecto æquinoctio paululum infra terram secare, & ligneo stylo laxatis vel rubi, vel ferulæ medullis stercus immittere, atq; ita semina cucumeris inserere, quæ scilicet incremento suo coeant rubis, & ferulis: nam ita non sua, sed quasi materna radice aluntur, sicq; insitam stirpem frigoribus quoq; cucumeris præbere fructum. Palladius à Columella excipiens ait. Aprico loco & stercoroso si rubos habemus, aut ferulas, post autumni æquinoctium his iuxta terram recisis, & excauatis ligneo stylo inter medullas lętamen immittamus, & cucumeris semen addamus, hinc nasci fructus, qui possint & inter frigora nõ necari. Plinius etiam: Columella suum tradit commentum, vt toto anno contingant. Fruticem rubi quàm vastissimum in apricum locum transferre, & recidere duum digitorum relicta stirpe, circa vernum æquinoctium, ita in medulla rubi semine cucumeris insito, terra minuta, fimoq; circumaggeratas resistere frigori radices. Sed quum Columella id fieri circa ęquinoctium doceat, quod ex alterutro fuerit, non explicat. Palladius recidendum rubum post autumni æquinoctium dicit, Plinius circa vernum, inter Plinium & Palladium parum conuenit, sed Plinium errasse potius quàm Palladium ratio docet. Quippe Columellę videtur circa æquinoctium autumni id agendum, vt Palladius scripsit: nam ab autumno frigora sequuntur, confecto verò verno æquinoctio non amplius à frigoribus vindicari desiderant: nec enim tunc sati cucumeres hyeme præbebunt fœtus, sed potius æstate. Vt virides item seruentur in planta, fit, vt quum adoleuerint, in puteum, prope quem sati fuerint, demittantur, atq; puteus operiatur: sic enim sol affluens haudquicquam siccare potest, & aquæ subditæ vapor ascendens facit vt nullam sentiat siccitatem, sed quasi recenti habitu vireant, ex Theophrasto. Quærit Aristoteles in problematis, cur si quis cucurbitas aut cucumeres apud puteum sitos in ipsum demiserit puteum, beneq; operuerit, tempestiuos & virides per totum

tum annum seruabit. An quod vapor aquæ refrigerans efficit, ne afficcentur, seruatque virides, & vegetiores, & obturatio illa, & spiritus satis alere possunt, quæ iam in plenum creuerunt, permanendi verò facultas propterea datur, quod relictis radicibus suppetit alimentum: nam si quis quum fructificauerit, detractis sarmentis præcisaque planta, terram aggerarit, conculcaritque circum radices, cucumeres faciet præcoques, vtpote quum radix valeat conseruari: haud enim cucumer annuam sentit naturam, sed viuere vlterius potest: ferent autem isti fructus maturius, quàm qui semine prodierunt: quoniam radix bona pars scilicet operis præcondita iam naturæ habetur, quod illis seminatis prius confici necesse est: terræ autem aggeratio, & constipatio teporem inducit, quo radix & seruari, & germen mittere celerius queat. Vnde etiam fit, vt si quis per hyemem cucumeris semen, in quallis situm, aqua irriget tepida, & modo soli exponat, modo collocet apud ignem, præcoques admodum cucumeres faciat, si tempore congruo id ipsum cum quallis in terram dimittet. Vt magni fiant, & molles cucumeres, iubet Theophrastus paruos abscondi, sic enim pars nulla alimenti à sole detrahitur, nec flatibus resiccantur, quibus causis moles augeri non possunt. Aristoteles problematum libro quærit, Cur si quis cucumeres aut cucurbitas protinus paruas condiderit in terram, maiores multo efficiet? An quia spiritus, & sol exiccando incrementum impediunt, molemque tum minorem, tum crispiorem reddunt, quemadmodum & arbores, quæ loca vento, solique exposita tenent, quæque in cauis manent, & riguis: alteræ enim magnæ, fungosæque fiunt, alteræ paruæ & spissæ. ast verò in terra occulta, quoniam contra afficiuntur, contra euadant necesse est. Quin ea, quæ vasis includimus, vt cucumeres in ferulis cauis, aut tegulis, & mala punica, aut quæuis mala in ollis, ampla redduntur, & fungosa: contrà quæ detecta sunt, parua solidaque augescunt nullo ambiente operculo, quod alimoniam faciat largiorem, id etiam obiectum facit, ne pabulum aut euanescat, aut arescat. Cucumeres magnos facies, Quintilii docent, si eorum semen in caput plantabis. Sed si sub ipsis vas aquæ plenum obruatur, & in eo radices absconderis, & dulciores, & maiores fieri nouimus. Cucumeres formam accipient loci, in quo siti fuerint. cuius rationem libro de causis narrat Theophrastus. illi quoque respondent, qui in ferula, vel tubo fictili includuntur, plus enim alimenti præbetur, quoniam nulla pars exhalatur, nec exiccatur, crescunt verò in longitudinem, & quia nutrimentum facilius recto tramite fluit, & quia nil est, quod auocet, aduerseturque. Quod etiam ab Hippocrate narratur in libro de seminis genitalis natura. Ait si quis cucumim, cucurbitamque iam deflorescentem, matrisque pediculo adhærentem in paruo vasculo mittat, cauo vasi illi par, similisve reciditur, si verò quis eundem in maiore vasculo mittat, quod probè cucumim, cucurbitamve capiat (quod tamen maius, quàm cucumis natura non sit) cucumis par, si-

milisq; cauo huius vasis erit, nam quum crescit cauo illius vasis hæret & innititur. Quintilii: Transfigurabuntur in quam velis figuram, si testacea feceris vasa, eaque paruis adhuc circumposueris, & obligaueris, formas enim & characteres implebunt, quare & arundine in longum secta, excauataque & composita, & coarctata, si in eam cucumerem, aut cucurbitam, dum adhuc parua est, immiseris, augescens per omnem longitudinem, arundinem explebit. Palladius: Si quis eius flores, sicut in sua vite est, in forma fictili clauserit, ac ligauerit, qualem vultum forma, vel hominis, vel animalis, talem cucumis figuram præstabit. Aliqui florem cucumeris cum viticulę suę capite cannis inferunt, quibus prius omnes nodos perforauerint, ibi cucumis nascetur in nimiam longitudinem tensus. Crescunt qua coguntur forma: iidem in fistula flore demisso, mira longitudine crescunt. Nos cucumeris florem cum viticulæ suæ capitulo arundini, cui nodos articulorum omnes perforauimus, inseruimus, & ibi cucumis natus est, qui in magnam longitudinem protendebatur, nanq; quod latitudini per teretem cannæ angustiam demitur, secum paria faciens, longitudine repræsentabit. Sic florem sicut in sua vite erat, in fictili forma, quæ hominis vultum exprimebat, clausimus, talem cucumis figuram prętulit, tam nouæ formæ auidus est, vt vasis, cui indideris, æmula facie repręsentet effigiem. Quin & saporum differentiam quandam semina capiunt, si prius macerata & pręparata lacte, vel mellicrato serantur, vt cucumis, ex Theophrasto: cuius rationem assignat, libro de causis, mutationem à radice prouenire. Sunt enim radices arborum elementa, elementorum conditionem omnibus sectari necesse est. Addo etiam alimentum coctius à radicibus accipi, mutatisq; ipsis fieri, vt tota arbos mutetur: ab his enim omne alimentum transmittitur, dispensaturq;, ita vt aquæ copia, & solum & cultura radices primum attingant, atq; hinc inito principio, cætera subinde mutentur. Columella: Cucumis tener, & iucundissimus fit, si antequam seras, semen eius lacte maceres. Nonnulli etiã, quo dulcior existat, aqua mulsa idem faciunt. Palladius: Semina si ouillo lacte, & mulso maceres, dulces nascuntur, & candidi. Plinius: Quin lacte & mulso semine eorum biduo macerato. Apud antiquos Græciæ authores scriptum est seri oportere, vt dulciores fiant. Non habebunt semina cucumeres hoc modo, vt Quintilii docent: Sarmentum, aut virgultum primum mox vbi increuerit, in terrã defodito, quemadmodum vitis sarmenta solent, vt summa pars tantum virgulti emineat, & postquam auctum fuerit, rursus idem, iterum ac tertio defodito, & exortus iuxta medium, & super terram extantes secato, solumque postremum, tertium videlicet relinquito, & habebis cucumeres semine carentes. Similiter sine semine eadem facies, si triduo antequam semines semẽ ipsum oleo sesamino maceraueris. Sine semine nasci Palladius pollicetur, si prius eorum semina oleo sabino perungantur, & herba ea, quæ culix dicitur trita confricetur. Plinius: Sunt qui herba, quæ vocatur culix nomine, trita, semen eorum maceratum seri iubeant, vt sine semine nascantur.

ficantur. Sed herbam hanc culicem, vtrum Theophrastus vocet canopa, veretur Hermolaus, quoniam & cynopa scriptum est. Theodorus canis oculum, & caninum conuertit, quasi cynopa non canopa probarit. Olus est Theophrasto, primis post æquinoctium imbribus germinãs, & inter spicatas herbas apponit. Ruellius conyzam vertit. Inaquosos cucumeres habebis, si vbi scrobẽ foderis, in quem cucumeres plãtaturus es, dimidium altitudinis eius paleis aut sarmentis expleueris, & aggesta terra plantaueris, & rigaueris. Qui etiam alui deiectionem cibo moliri volunt, radices agrestis cucumeris in aqua potabili per triduum macerant, & diebus quinq; plantulas huius liquoris haustu satiant. longeq; magis ventrem purgatione sollicitabunt, qui dum radices sua germina fundunt, ablaqueatis tenuibus fibris ellebori potionem adiiciunt, deinde exaggerata terra crescere patiuntur, ex Quintiliis.

Quintilii: Cucumeres in vini albi feces dulces, & non peruersas immittes, expletum vas oblines, manebuntq; recentes. Asseruantur etiam & in muria. Seruabis etiam in vigore, si vas aceti parum habens suspẽderis, ita vt acetũ non contingãt, & vas obleueris, vt nõ respiret. Hoc modo etiã hyeme recentes habebis: Seruãtur in muria, vsq; ad alios fere prouẽtus, & virides quoq; in sabulo locis opacis, fœno sicco operiẽte. Plinius: Salgamarii aceto, sale, & fœniculo, & sampsuco cõdiunt. Alii trita sinapi cũ aceto: sed & scrobe, opaco in loco, arena substrato, fœnoq; sicco opertos, ac deinde terra virides seruari tradunt. *Cõditura.*

Quintilii: Non lædentur à pulicibus, si origani ramulos, paruis adhuc existentibus, his propè defixeris, nam & præsentes pulices perdunt, & alios nasci non permittunt. Si semina cucumerum semperuiui succo herbæ rigabis, illæsa permanebunt, ex Florentino. *Infect. remedia.*

De altera cucumis specie. CAP. LXVIII.

NVNC ad aliam cucumeris speciem deueniemus, quum admodum à prioris forma distet.

Videtur dracontias Græcis dictus. Refert enim Athenæus Eudemum libro de oleribus inter cucumerum species illius meminisse, si de anguineo siue syluestri cucumere non intelligit. Mihi Græcis, & Latinis indictus videtur. Neapolitani vulgò *anguria* vocant, deflexo ab angue nomine, quum intortus ad anguis formam crescat. *Nomen.*

Serpit longis, & viticulosis sarmentis, folio cucumeris plantæ rotundiori, pallidioriq;, minus hirsuto, tempestiuius fruticat. Iunii principio, floribus luteis, fructu oblongo, duorum cubitorum longitudine, crassitudine hominis cruris, obtorto, obuoluti anguis figuram imitatur, foris striato, lanuginoso, & nigro, herbidoque nitore, cute tenui. Putat Matthiolus *anguriam* hanc nostrã cucumim esse satiuum, in hanc formam artis mangonio redactum, quippe cucumi in arundinem immisso totam explere, & inde semina sata genus effecisse. Sed id tam euidenter falsum, vt refelli non mereatur, tum quod *Descriptio.*

aliis in locis à nobis probatum est, quòd neglecta in suam naturam commeat, tum quod folio, fructu, magnitudine, colore, ac pariendi tempore longè ab illo distat.

Cæl. Sol. Cœlum, & solum, vt cucumis, quærit. Nos in Apulia vidimus, tam vastæ magnitudinis, vt duos vix asellus ferret.

Satio. Seritur semine Martio in sulcis: qui inualidi nascuntur, extirpantur: distet alter ab altero oportet passus longitudine. Sed cucumis sesquipedalis, planta enim huius latius euagatur, & maius accipit incrementum, vbi effloruit, cymas incidunt iuxta flores: nam nouæ, & meliores regenerantur, maioraque fructus accipiunt incrementa.

De melone. CAP. LXIX.

IN cucumerario genere sunt etiam melones, siue melopepones, fructus veteribus Græcis, & Latinis incognitus, à Galeni, & Plinii ætate, qui ferè contemporanei, nobis id genus irrepsit. Lusitani Regis Laburniæ inter alia meridianæ illius nauigationis miracula, melones in Æthiopia nobilissimos haberi prædicant, quorum odore elephantes sagacissimi olfactus, animalia de longinquo sentiant, aduolantesq; cucumeraria tota depopulātur & proterunt. Galenus eorum cibum minus improbat, quum cucumerum, vt minus humidi nec tam parui succi.

Nomen. Galenus μηλοπέπονας vocat. Florentinus Græcus eodem modo. Latini, vt Palladius, melones vocarunt, quasi μήλωνας, id est, pomeos, à malorum figura. Plinius melopeponas vocat, composito ex malo & pepone nomine, quum formam & effigiem mali rotundi referat, & genere & substantia cucumeres, vel maturos pepones. Neapoli *meloni d'acqua*, & *meloni rossi*, aut *meloni di pane*.

Descriptio. Plinii tempore in nostra Campania repertum fuit, vt ex eius verbis, quæ subiiciam, patebit. Inquit enim: Ecce quum maximè noua forma in Campania prouenit mali cotonei effigie: fortè primo natum, vt audio, vnum, mox semine ex illo genus factum: melopeponas vocant, non pendent hi, sed humi rotundantur, mirum in his, præter figuram, coloremque, & odorem, quod maturitatem adepti, quamquam non pendentes, statim à pediculo recedunt. Nostrum verò *melone de pane* describemus. Vite serpit prælonga, flagellis vltro, citroq; reptantibus, frondibus ferè vitigineis, sed minoribus incisuris, scabris hirsutisq;, floribus luteis, particulatim floret, vt faba, fructu cartilagineo, humani capitis instar, ac longè maiori, orbiculatim striato, prominulis puluinorum toris, strigilibus in vertice pomi, & vmbilico coeuntibus, ibidemq; stellatim decussatis, cute aspera, veluti tuberculis occupata, carne fulua, sapore mellito, vel saccharato, seminibus in vtero liratim digestis, copiosis, oblongis, flauis, putamine vel si mauis corio obductis, intus dulcis nucleus. Melones verò aquei circinata pomi rotunditate, magnitudine, vt vix

brachiis

brachiis complecti possis, non tamen torulis sulcata, sapore magis peponem quàm antedicti melonis melleam dulcedinem referente, sed succo saccharato, cortice coloris herbacei, carne alba, friabili dulcissimaque.

In duo potissimum genera diuidemus. Vnum, quod *melon di pane* diximus, alterum quod *melone di aqua*, vel *saracenicum* dicimus. Primum genus in multa & penè infinita diuiditur, color nanq; aliis herbaceus, pallidus, rufus, flauus, albus, cinereus, aliis cutis læuis, aliis textura quadam reticulari, magno Naturæ ingenio prouenit. Pulpa etiam versicolor, aliis alba, aliis rufa, aliis ex albo rufescens, vel herbacea. Aliis dura, aliis friabilis, aliud moschi odorem spirat. Est & aliud genus, quod in sua terra non maturescit, sed laquearibus suspensum, figura ouali & oblonga, hyeme magna cũ voluptate comeditur. Alterum genus *saracenicum* dictum, multis etiam scatet generibus: nam est & quod succo scatet sanguineo, aliud semine albo, aliud nigro, est quod dulcedinem gustui tantam repræsentat, vt saccharinos vocitent, aliud moschi odorem halat, est etiam quod hyeme suspensum maturatur, & estur. Genera.

Cœlum poscunt, quale cucumeribus destinauimus, scilicet calidũ, vel temperatum. Locis frigidis meridiei obserantur. Cœlum.

Seritur, ex Palladio, locis subactis, vel pastinatis, maximè arenis. Solum minus pingue & stercoratum, quale cucumeribus dedimus, arboribus nudũ, gaudet enim libertate, qua possit vltro citroque vagari. Fimo corrumpitur odor, & sapor, & citius maturescunt: vt sapidiores nascantur, oportet esse nouale solum, & viribus refertum, quales nobis ex Siliceo ponte in Campania dicto deferuntur, prope Auersam. In Apuliæ Barulo humidis arenis maximi nascuntur, sed insipidi. Solum.

Palladius Martio mẽse melones serendos docet. Distẽt inter se semina duobus pedibus. Seruntur etiam Aprili. Serenda semina ex iis fructibus capiãtur, qui potius integri, quàm qui maturitate aperiuntur, corticemq; habent durũ, firmum. Semina sint grauia, & quæ aquis iniecta, sidant, quæ superfluitant, reiiciantur vt inania. Sint recentiora quæ haberi possunt, eaque fructus parte tollantur, quę hęret pediculo. Rigare oportet, vbi pluuiæ deficiẽt, sed quando fructus concoqui cœperit, his pluuiæ aduersissimæ sunt: nam ignaui, & insipidi nascuntur. Mirum quòd ex eadem planta perpauci optimi præstant. Satio.

Florentinus Græcus: Rosarum fragrantiam spirare facies, si ipsorum semen cum aridis rosis deposueris, & mista plantabis. Palladius: Odorati autem fiunt, si eorũ semina multis diebus inter rosæ folia sicca sepeliantur. Vt moschi odorẽ spirent, seminibus ex ea parte, qua germinant, apertis, & rosacea stillatitia aqua maceratis, quæ moschi odorem exceperit, pangantur. Fructus dulces efficies, si ipsorum semen lacte, & melle maceraueris. Semina eius mulso & lacte per triduum maceranda sunt, & tunc iam siccata ponenda: hinc suaues efficientur ex Palladio. Vt præcoques melones habeas, super calidi fimi aggeres paululum terræ indas, quando è stabulis extrahuntur, in ea terræ parte plan- Ars.

tentur ſemina, quæ fimi caliditate cito naſcentur, ea à rore noctu cadente defendas, vbi cadere deſierit, tranſplantentur eodem fimo, & terra, vbi coaluerunt, & citius naſcentur. Fiunt & arte melones, vt ſupra de cucumeribus diximus, quorum ſemina corio vacant, vt ſine labore, & impedimento corticum mandi poſſint ſapidiſſimè. Hoc genus Neapoli viſitur, exoptaturque ad condituram ſaccharinam. Fiunt & melones, qui in vtero alterum geſtent, eodem pediculo dependentem. Fiunt & melones, qui eodem modo cucumeres habent. Faciendi modum in arborum fructibus docuimus.

De cucurbita. Cap. LXIX.

CVCVRBITA etiam cucumerum generi tribuitur. Iacent, creſcuntque eædem & pendent, quamuis grauiores etiam iis, quę in arboribus gignantur, ex Plinio. Cucurbitarum numeroſior vſus, & primus caulis in cibo, cortex viriditener: deraditur nihilominus in cibo. Cibos ſalubres, ac leues pluribus modis exiſtimant, qui perfici humano ventre non queant, ſed non intumeſcant: cibis quo longiores, teneriores que, eo gratiores, & ob id ſalubriores, quæ pendendo creuêre, minimumque ſeminis tales habent, duritia eius in cibis gratiam terminante. Galenus. Cruda inſuauis, ſtomachoque pernicioſa, quapropter elixa, ſartagine frixa, toſtave veſcitur, & ſaporis expers, ideo multos parandi modos aſciſcit. Sinapis acrimonia, aut ſalſamento aliquo conditur, quorum ſibi facilè conditionem recipit, & nullo ſapore imbuta inter aſſandum magnam humoris aquoſi vim remittit. Non diu perſiſtit in aluo, quod lubricos & parum tenaces efficiat meatus, quibus delapſa facilè euadit.

Nomen. Theophraſtus κολοκύνθα, & κολοκύνθη, vt etiam Dioſcorides Atticè κολοκύντα. Vocabulumque Græci ex aduerſo poſuere, quod ſcili et pumili, & breues ſint partus, quum ipſa corporis mole omnes herbarum, arborúmve fructus videatur ſuperare. Megalopolitani σικυώνην dicunt, authore Athenæo, & Helleſpontii rotundas κολοκύνθας, longas verò σικύας. Latini cucurbitam à concuruatu haud dubie dixerunt, quod facilè, ſi quid obſtiterit, quo minus extendátur, concurueſcant. ex Varrone. Itali *Zucca*. Neapolitani *Cocuzza*.

Genera. Theophraſtus alios eſſe, qui dicant cucurbitæ genera non eſſe, alios qui dicant eſſe ſcribit, ſed in vno eodemque genere, alias meliores, alias deteriores affirmat. Sed primum in ſatiuam, & ſylueſtrem partiemur. In ſatiuis duo alia prima genera, Plinio camerarium, & plebeium. Camerarium tenui pediculo, libratur pondus immobile auræ, plebeium verò, quod humi repit. In his ſunt vernaculæ, peregrinæque. Vernacula prima ventroſa eſt, & rotunda, quæ in ventrem creſcit, mira amplitudine turgeſcens, altera ab obliquo fructu, longam dicimus, & libertate penſili conceſſa, viſa Plinio nouem pedum longitudinis. Eſt & ſeſſilis pyri forma turbinata, cuius venter in orbem collectus poteſt

test lagenaria dici, quod sæpius lagenæ officio fungatur. Columella Alexādrinas vocat, ad vsum vasorum idoneas. Plinius: Nuper in balnearum vsum venere vrceorum vice: iampridem verò etiam cadorum ad vina condenda. Sunt ex peregrinis maioribus nostris indictæ, tanta naturæ varietate, quasi ad sui variationem ludentis, Turcicæ dictæ, subrotundæ, paruæ, & veluti anguina vernatione pluribus in locis per plagulas interlitæ, carne firmiore, pulpaque in qua semina, vt phaseolorum, rubicundissima. Sunt Indicæ. Eudemus Atheniensis libro de cibis, cucurbitam Indicam vocauit, quod eius semen ex India primùm allatum fuerit, ex Athenæo. Est & Neapoli nuper allatum genus vnum cucurbitarum, specie ouata flauum, quarum medullæ pulpæque post corticem in vermiculos, vel funiculorum speciem efformatur, vt funis capite arrepto ferè tota dissoluatur, non paruo naturæ miraculo, nec minus gratioris gustus, quàm formæ gratia exoptantur. Syluestris est duplex, κολοκυνθίς, quæ folia sarmentáve satiui cucumeris emittit, per terram repentia, diuisa, fructum in speciem mediocris pilæ conglobatum, vehementer amarum, ex Dioscoride. Hippocrates eam σικυώνην, Galenus σικυωνίαν, & κολοκύνθην ἀγρίαν. Altera σομφὸς Græcis dicta ob inanitatem, digitalis crassitudinis: non nisi in saxosis nascens. ex Plinio.

Theophrastus breui radice inniti dixit, & si superna parte amplietur, luxurieturque. In olerum genere incommutabilis manet. Plinius reptantibus flagellis, scandentes parietum aspera in tectum vsque, natura sublimitatis auida. Vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix, leui vmbra cameras & pergulas operiens. Addimus nos: Folio amplo personatæ haud dissimili, flagellis, & viticulis cum cucumere conuenit, caduca sui sorte humi serpit, & nisi sit frutice vicino, perinde quasi adminiculo fulta, fertur per terram, quum verò datur facultas erigendi, in altum se extollit, peculiaribus viticulis, & clauiculis quicquid adepta est, complectitur, & lapsu erratico, & multiplici intricans irretit, flore albo, fructu coloris primùm herbacei, paulo pòst flaui, qui vel in pyri formam turbinatur, aut in longum porrigitur, aut in orbem collectus intumescit, aut breui crassamento cogitur. *Descriptio.*

Æquè ac cucumeres hyemem odit. Plinius. Apud Athenæum Diocles optimas nasci cucurbitas apud Magnesiam dixit. Calido cœlo & loco meridiei opposito lætius assurgunt, vel saltem temperato. *Cœlum.*

Solum pingue cucurbitis Palladius tribuit, stercoratum, & humidum. Sed sine aquis fructum iucundioris saporis præbere dixit Columella. *Solum.*

Theophrastus ex tertia sementi esse dicit, quam æstiuam appellāt: Et mense Martio fit. Quinto, sexto, vel vt alii volunt septimo à satione emicat die, ex rectiori semine celerius: nam eius semen infirmum, vt cætera æstiua. Columella: Cucurbitæ copiam aquæ nactæ, minorem curam desiderant: primo quoque tempore, non tamen ante kalendas Martias semen ponendum est, vt *Satio.*

deferri possit æquinoctio confecto. Sin autem in eo loco seri debebunt, quo rigationem ministrari non expediat, mense Februario sesquipedali altitudine sulci fodiendi sunt. Post idus Martias tertia pars sulci stramentis inditis tegenda, mox stercorata terra vsque ad dimidium sulcum aggeranda, positisque seminibus, tandiu est aqua præbenda, donec enascantur, atque vbi conualescere cœperint, adiecta humo, incrementa eorum prosequenda sunt, donec sulcus coæquetur. Sic exculta semina sine rigatione tota æstate satis valebũt. Palladius: Vbi adolescere cœperint adminiculis adiuuentur. Plinius: Cucurbitæ seruntur semine, in terra sesquipedali fossura, inter æquinoctium vernum, & solstitium. parilibus tamen aptissime, aliqui malunt ex kalend. Martii, & per quinquatrum serere. Custodiendum est, vt quamminimè ad eum locum, in quo cucurbitæ conditæ sunt, mulier admittatur: nam ferè contactu eius languescunt incrementa virentium. Si verò in menstruis fuerit, visu quoque suo nouellos fœtus necabit, ex Columella. Aquæ experimento scilicet quæ mergantur, vel quæ innatent serenda semina seligantur. Distent semina quatuor pedum interuallo inter se, tribus digitis latitudine, in profundum cooperiantur. Si verò siticulosa fuerint loca, rigationem ministrare diligenter oportet, quare fictilia vasa, aquę plena, iuxta ponenda sunt, fasciis inditis, quę perpetim humorem instillent. Palladius: Quæ seruantur ad semina vsque ad hyemem in sua vite dependeant, deinde sublatæ in sole ponantur, aut fumo: aliter semina putrefacta depereunt. Vt copiosiores afferat fructus, iuxta flores decidantur flagella, sic spissior fructus, & diutius durabit.

Ars. Vt cucurbita vastioris incrementi fiat, de media cucurbitæ parte semen inuerso cacumine ponito: at si esculentæ merci præparaueris, recto cacumine de collo cucurbitæ sumptum semen serendum erit, quo prolixior, & tenuior fructus eius enascatur, qui scilicet maius cæteris pretium inuenit. Idque carminibus satis eleganter in suo hortulo explicauit:

Vna neq; est illis facies: nam si tibi cordi
Longior est, gracilis capitis quæ vertice pendet,
E tenui collo semen lege. sine globosi
Corporis, atq; vtero nimium quæ vasta tumescit,
Ventre leges medio, sobolem dabit illa capacem
Narycie picis, aut Actæi mellis Hymeti,
Aut habilem lymphis hamulam, Baccóve lagenam.

Palladius: Hoc in cucurbitis insigne est, quod longas pariunt, & exiles semina, quæ in earum ceruice nascuntur: quæ in ventre fuerant, cucurbitas faciũt crassiores: quæ in fundo, latas, si inuersis cacuminibus obruantur. Plinius: Semina quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt, item ab imis, sed non comparandas supradictis. quæ in medio, rotundas: quæ in lateribus, crassas breuioresque. Vt cucurbita magna, & tenera fiat, idem faciendum quod in cucumere diximus. Theophrastus: Idem cucurbitis eueniet, si paruas abscondas, vt nulla

pars

pars alimenti à sole detrahatur, nec flatibus resiccetur, quibus de causis moles augeri non possunt, vt arboribus euenit, quæ locis, soli, ventoq; expositis manent. Nec cucurbita (vt Quintiliorum fert opinio) semen alet, si primum more vitium sarmentum sic inhumetur, vt solum eis caput extremum promineat, rursumque quum adoleuerit, iterum ac tertio defodiatur. Sed danda est opera, vt quæ adnascentur propagines, in medio & super terram secentur: sola postrema, id est, tertia relinquatur, ita curatæ fructus sine intestinis seminibus creabunt, solis cartilaginibus contentæ. Sine semine etiam nascentur, si per triduum antea spargenda semina oleo sesamino macerentur, ita prolem seminibus orbam parient. Si florem, vel primum fructus rudimentum, sicut in sua vite est, cum viticularum suarum capitibus inseras arundini, cui primum omnes nodos perforaueris, ibi coalescet in nimiam longitudinem protensa. Plinius: Cucurbita quoque omni modo fastigiatur, vaginis maximè vitilibus, coniecta in eas postquam defloruit. Crescit qua cogitur forma, plerunque & draconis intorti figura. Quintilii, Si quis cucurbitas præmaturas habere voluerit, ineunte vere terram cribratam, & stercoratam fictilibus, aut cophinis obserat, modicumq; præbeat humorem: deinde calidis diebus, & insolatis, aut imbre modico pluentibus sub diuo ponat. Cæterum solis occasu, sub ædificii tectū referat, idq; tandiu faciat, subinde rigans aqua, dum frigora, tempestates, & gelicidia discutiantur, postea quum primum opportunitas vacabit, totos cophinos, & fictilia labro tenus demittat in terram, reliquamq; impendat diligentiam: sic enim præcoquem fructum habebit. Si luxuriantes earum viticulas putaueris, longè celerius suos edent fructus. Lagenariæ fient cucurbitæ, siue turbinata pyri forma, si arctè funiculum illigaueris in ea parte, quam desiderabis angustam. Deinde sicca, & carne exinanita peregrè proficiscentes vrceorum vice vti possunt, quo per vias à sitis iniuria se vendicare possint: præterea condēdis seminibus, & sali, rusticæ supellectili. Scribunt Quintilii: Si aluum vis purgare, semina in scammonio diu noctuque madefacies. Vt cucumeres, ita & cucurbitę diu asseruantur, sicut diximus, si apud puteum serantur, & intro immittantur.

Cōditura. Recentium dissectæ taleolæ in feruentem aquā fundantur, dein exemptæ, vbi sub dio totā noctem refrixerint, in acri muria conditæ mergantur, ita diutissimè seruātur: ex Quintiliis. Athenæus refert demiratos cōuiuas suos, quod Ianuario mense virides oblatæ essent mensis, peculiaris succi nō immemores, nec proprium saporem ementitæ, quod olitorum studio, qui artem hanc percallerent, referendum putabant, erant enim à salgamariis asseruatæ, quamuis à Nicandro in secundo Georgicorum suorum modus esset descriptus. Cucurbitas aere prius assiccatas, & funiculo transfixas fumo appēdi iubet; vt refertæ iis ollæ hyeme habeantur.

De fungis. Cap. LXX.

INTER cartilaginea referemus & fungos, nec nisi supra terram totus est. Diocles Caristius inter rusticas dapes recenset, Athenæus. Nunc autem sua iucunditate tam moroso diuitum palato placent, vt eos in mortis discrimina sæpius adducant. Euripides, quum in Icarum insulam adnauigasset, matremq; cum duobus filiis, & virgine fungorum esu mortuos vidisset, hoc epigramma fecisse dicitur apud Athenæum,

Sol qui perpetuo cœlorum tramite curris,
An visum facinus huic simile antè tibi est?
Pars eadem lucis geminos cum virgine fratres
Abstulit, & matrem: quatuor vrna tegit.

Libuit Plinio coquendi dare aliquas communes in omni eorum genere obseruationes, quando ipsæ suis manibus deliciæ præparant hunc cibũ solum, & cogitatione ante pascuntur, succineis nouaculis, aut argenteo apparatu comitãte. Noxii erunt fungi, qui in coquendo duriores fient, innocentiores, qui nitro addito coquentur, si vtique percoquantur. Tutiores fient cũ carne cocti, aut cũ pediculo pyri, prosunt & pyra confestim sumpta. Debellat eos & aceti natura, cõtraria iis. Diphilus Medicus iis, qui hoc cibo strãgulantur, remedio esse dicit aquæ mulsæ, nitri, & aceti potũ, ita vt in vomitione reddatur: itaq; parari debẽt ex aceto, aqua mulsa, vel melle, & sale, ex Atheneo. Apitius de fungorũ apparatu hęc habet: Fũgi farnei elixi, calidi exiccati in garo cum pipere excipiuntur, ita vt piper cũ liquamine feratur. Aliter: In fungis farneis, piper, carenũ, acetũ, & oleũ laudantur. Vel fungi farnei elixi ex sale, oleo, mero, & corianno cõciso inferuntur. Fungos boletos, carenum, fasciculũ corianni viridis vbi ferbuerint, exempto fasciculo inferes. Vel boletorum coliculos, liquamine, vel sale aspersos inferunt: vel boletorũ thyrsos concisos in patellã, ouaq; per fundes addito pipere ligustico, modico melle, & liquamine, temperabis oleo modico. Platina coquendi rationes aliquas affert. Cum succosa illa thyrsi parte, qua terræ inhęret, in aqua primum cum excauato pane, cumq; pyris, aut pyrorum surculis, ac pediculis coquendi sunt. Allium quidam indunt, quod obstare venenis putatur. Elixi ac saliti in oleo aut liquamine friguntur, fricti moreto viridi, quod salsam vocant, aut alliato suffunduntur. Sunt etiam qui eos ablata pelle, aut superiori folliculo, indito sale, atque oleo sursum versum in carbonibus decoquant, pipereque aut cinnamomo aspersos deuorent.

Nomen. Gręci μύκητας ab ensis capulo, vel summo vertice vaginam occludẽte, appellarunt. Significat μύκης ensis manubriũ, sicuti ex Herodoto liquet, vnde & Mycenas nuncupari credunt. quod ibi à Perseo sint conditæ Mercurii præcepto, vbi excidit gladii manubrium. Poetæ γηγενεῖς vocant, hoc est terræ natos: nam quorũ pater ignotus est, filios terræ vocare solent. Quod Cicero ad Atticum in epistola confirmat. Porphyrius θεοτρόφους deorum filios, quod sine semine prouenire videantur. Latini fungos vocant, nomenq; (aliquorum opinione) à funere deducitur, quod suo veneno ad funus vescentes ducant. Italis *fonghi*.

Nunc

Nunc genus, suis verò particulatim tractationibus species subscribemus. Theophrastus cortice, medulla, neruo, & vena carere dixit, ac radice penitus. Sed Athenæus, Theophrasti testimonio fretus, leui cortice esse dicit sine radice, sed principium habere suæ pullulationis caulem in longitudinem protensum, atq; per ipsum vimen se extēdere. Phanias verò: neq; florem, neq; seminū vestigia demōstrare. Quod falsum esse iā alibi diximus, quippe semen afferunt. *Descriptio.*

Fungorum perniciosa natura. Nos paucis genera perstringemus. Fūgorum genus, vel naturæ, vel artis opus. Sunt enim ægiritæ ex industria, vt dicemus. Naturalium duplex discrimen, Dioscoride authore. Ait enim Qui mandūtur, aliquādo perniciales sunt. Letales multifariam virus cōtrahunt, vel vbi clauus ferreus, in quo sit rubigo, vel vbi putridi pāni, vel serpentū latibula, & caua, vel si iuxta arbores erūpunt, qui noxios priuatim pariunt fungos. Omnibusq; iis colluuies quædā insidet, & spuma, ideóq; à carptu celeriter cōputrescunt, atq; marcore vitiantur. Plinius à Dioscoride, & aliis excipiendo hæc habet: Pernicialia prorsus improbanda: Si enim caligaris clauus ferrive aliqua rubigo, aut panni marcor adfuerit nascenti, omnē illicò succū alienum, saporéq; in venenum cōcoquit, deprehendisséq; nisi agrestes possunt, atq; qui colligunt. Dicūt ipsi alia vitia, nunc quidē si serpentis cauerna iuxta fuerit, si patescentes primo adhalauerit, capaci venenorū cognatione ad virus accipiendū, itaq; caueri conueniet, priusquā se condant serpētes. Signa erunt tot herbæ, tot arbores, fruticésve ab emersu earū ad latebrā vsq; vernantes, & vel fraxini tantum folia, nec postea nascentia, nec antè deficientia. Quorūdam ex his facile noscūtur venena diluto rubore, rancido aspectu, liuido intus colore, rimosa stria, pallido per ambitum labro. Non sunt hæc in quibusdā. Sicciq; & nitri similes, veluti guttas in vertice albas ex tunica sua gerunt. Vnde à peritis regionum legendi sunt: arborum verò, quæ varios fungos parere solent, qui cibis abdicantur, passim authores meminêre Nicander in Georgicis suis, Athenæo referente. *Genera.*

——— oleis inimica propago,
Quercu, & punicea malo tristißima pestis,
Ilicibusq; venit fungus grauis, humidus, atq;
Letifer.

Plinius, Robur, cupressus, & pinus noxios pariūt, itē fragus. Theophrastus, Robur è radicibus, & iuxta radices emittit fungos. Auicenna ex oliua improbos, Platina noxios emitti. Sed edules autumnali, vel verno tempore nascuntur. Dicemus de autumnalibus, qui primis imbribus nascuntur. Horum genus tripliciter partiemur, vel enim in pratis, vel arboribus, vel lapidibus adnascuntur. Dicemus primo de pratensibus, quum sint laudabiliores. Horatius:

——— pratensibus optima fungis
Natura est, aliis male creditur.

Pratensium optimi, quiq; principatum tenent, boleti sunt dicti à Latinis, à Græcis verò βωλῖται, Galeno, & Paulo Æginetæ suo assedlæ. Sunt qui dictum

volunt ἀπὸ τῆ βώλου, quod glebam, & priuatim rubricam illam, vulgò bolós dictam, significat, vnde colos boleti. Neapolitani *ouole*, & *boloeciols* vocant: ita enim ouorum vitellū dicunt, cuius formam præ se ferunt. Quantum olim existimati fuerint, indicat vel illud Martialis,

Argentum atque aurum facile est, lanamq́; togamq́;
Mittere, boletos mittere difficile est.

Plinius, Inter ea, quę temere manduntur, boletos merito posuerim: optimi quidē hos cibi, sed immenso exēplo in crimē adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per hāc occasionē à coniuge Agrippina dato. Origo talis est. Voluā terra ob hoc prius gignit, ipsum postea in volua, ceu in ouo est luteū: nec tunicæ minor gratia in cibo infantis boleti. Rūpitur hæc primò nascente, mox in pediculo corpus absumitur, raroq́; vnquā gemini ex vno pede. Origo prima, causaq́; è limo, & acescente succo madentis terræ, aut radicis fermè glandiferę, initioq́; spuma lentior, dein corpus mēbranæ simile, mox partus. Ortus occasusq́; eius omnis intra dies septē est. Robur boletos producit circa radices. Glaucia stomacho vtiles putat boletos. Galenus: omniū fungorū minimè sunt noxii. Sed nequis eis largius vtatur, praui enim sunt succi, atq; interimere possunt, variè condiuntur, vt ea, quæ nulla insigni qualitate prædita sunt. Eadéq; Paulus asserit. Succedant quos Gręci ἀμανίτας vocāt, Latini suillos, quos ad hūc vsq; diē Neapolitani vocant *silli*, & *ammonitt*. Apicius farneos fungos vocat, vt suspicor, à farno, roboris genere. Dixit enim Plini⁹ robora eos producere. Proximi bonitate iā dictis. Galen⁹: secūdi post hos sunt amanitæ. & Paulus, Colore sunt fuliginoso, pediculo omniū crasso, orbe, vt sępe humanū caput ęquiparēt, infra colore nigro, virescente. Quum elixantur fiūt mucosi, nascuntur in sylvis, vbi solū incultū. Nicander eum non torreri debere dixit, ex Athenæo. Plinius venenis accommodatissimū. Familias nuper interemere, & tota cōuiuia, Annæum Serenum pręfectum Neronis vigilū, & tribunos, & centuriones. Quæ voluptas tanta ancipitis cibi? Siccantur pendentes suilli iunco transfixi, quales è Bithynia veniunt. Suilli gulæ nouissima irritamenta. Circa roborum radices gignuntur. Tutissimi, qui rubent callo, minus diluto rubore, quàm boleti. Mox candidi, velut apicęs flaminis insignib. pediculis. Hos Neapolitani *conocchielle* vocant, longo enim prodeunt pediculo, callo corporis in turbinem mucronato, à neto fusorum glomere, *conocchia* vulgò dicto, ita vocāt, placentq́; moroso diuitū palato. Sunt & in fungorum genere à Gręcis dicti pezicæ, qui sine radice, aut pediculo nascuntur, ex Plinio. Nūc aliquos subiūgemus antiquis indictos. Est fungorū species, Neapolitanis *gallinaccia* vulgo dicta, mirabili profectò forma, vt nescias cui assimiles, ad magnā crescit altitudinē, vt brachiis diductis vix homo complecti possit: pondus sexaginta librarum, non orbiculari forma, vt cæteri, sed velut manus in digitos plures diducta, vt quercus frondibus assimiletur, albi, callosi, vt vix integro vniuersa familia vesci possit. *Gallinella* verò parua est forma, spongiis vel nascentibus porris persimilis,

milis, quatuor digitorum longitudine. Nascuntur autumno locis vmbrosis. Est & fungus, quem *piperitum* vocant: nam vescendo linguam vellicat, ac si piper voraremus, ac fauces incendit: nascuntur autumno, coloris albi, vulgò *peperella* dicunt. Est & candidus, odoratissimus, orbem vix vtraq; manu, diductis pollice & indice cinges, tam esu suauis, vt crudus edatur, præbetur ægris innoxiè, incolæ *richione* vocant, quasi magnum fungorum regem dicas. Qui vulgò *gallucci* dicuntur, candoris sunt immaculati, binis, aut ternis, ab vno pediculo iunctis, forma non rotundi, sed veluti galli cristæ, vnde nomen sumpsisse suspicor, croci odore, coma velut villosa. Sed ne molesti simus, summa est, quòd vnaquæq; regio suos populares habet.

Nunc ad aliud genus deueniendum, quod scilicet circa arbores adnascitur. Nicander maximè fungos, qui ficui adnascuntur, laudat, inquiens:

Quum fuerit ficus multo sub stercore tecta,
Si mox perpetuo fructu conspexeris illam,
Innocuus surgent radicibus vndiq; fungi,
Quos tu ne vertas, radicem cadito nullam.

Plinius non solùm ex ficus arbore, sed his aberit, inquit, veneni argumentum, quo similior fuerit arborum fici. Quidam discreuere arborum generibus, fico, ferula, & gummi ferentibus. Populus alpina fungis nascentibus laudatissima. Quercus probatissimos, inquit Plinius. Sed apud nos noxii sunt, nec scio cur quercus probatissimos ab eo producere dicatur, robur verò noxios, quum eiusdem generis sit, ne dicam idem. Diphilus medicus: Familiares, & innoxii creduntur, recentes, minutissimi, molles, friabiles, qui in vlmis & piceis nascuntur, ex Athenæo. Sed omnium optimi, qui in sambuci radicibus adnascuntur, & hyeme edimus.

Postremum genus è saxis nascitur. Præciditur ad esum, alius subnascitur, semperq; nouos producit, restibili fœcunditate, septem diebus perficitur, sexies anno demetitur, terra dodrante operitur. Neapoli afferuntur ex Vesuuio monte lapides, Surrentum ex Fageto altissimo sui tractus monte, Abellini ex Parthenio monte, in Apulia ex Gargano & celsioribus montium partibus: nam saxa, vbi semel produxisse vident, suffodiunt, & venales exportant. Nascuntur aliquando non pileati, sed turiones vt asparagi, & in ramos diuisi.

Nunc & genera indicabimus, quæ verno nascuntur tempore. Plinius. Nec non & carnosa aliqua appellabimus, vt spongias in humore pratorum enascentes. Nascuntur Martio mense, eisq; vescimur quadragesimalibus ieiuniis. A spongiarum similitudine *spongiolas* dicimus. Strobilos magnitudine, & forma præferunt, vt trium librarum pondus sæpe expleant. foraminibus peruiæ, & vacuæ sunt. Simul & cum his nascuntur, quas vulgò *monacelle* vocamus, colore nigro, cauli sex foliolis rotundis per centrum annexis hærentibus, sed sapore inferiores. Sunt & omnium fungorum optimi, qui vulgò *virni* dicuntur, quod verno tempore nascantur, Romanis *prignoli* dicuntur, primis Apri-

&i imbribus erumpunt, odorati, gustui suaues, & innocui, nascuntur in syluis, sub arborum vmbris: vbi semel nascuntur, quotannis repullulant. Aliquando cæsis arboribus è loco euanescunt. Solum, in quo nascuntur, cinerei coloris. Hermolaus innocentissimos dixit, qui è rubis vere nascũtur, rotunditate clusili, quos inde *prunello*, & *spinulos* vocãt, & è carduis, quos inde *carduelos* vocãt.

Ars. Postremo eos prosequemur, quos ars reperit. Dioscorides tradit esse qui dicant, vtriusq; populi, albę nigræq; cortices in minutias concisos, & segetibus stercoratis insparsos, fungos vtiles, innocentesq; parere toto anno esitibiles. Ait Tarentinus: Fermento in ipsis populi nigræ truncis, iuxta terram recisis aqua diluto, protinus coalescunt ægiritæ. Additq;, si montanum aruum, multis calamis, stipulis, & fruticibus scatens, quum cœlum imbres parturit, incendatur, permulti sponte naturæ prorumpent fungi: si tamen aruo iam ignem experto, non subsequitur imber, qui impendere videbatur, aqua linteo raro stillatim imbris imitatione conspergenda, iis incensis locis, nascenturq́, fungi quidem, sed aliquando deteriores, siquidem meliores in hoc genere sunt, qui imbre aluntur.

De tuberibus. CAP. LXXI.

POST fungorum aggrediemur tuberum tractationem. Ferè eodem in genere sunt, eodemq; ferè malo placent. Iuxta illud Martialis,

Rumpimus altricem tenero de vertice terram,
Tubera: boletis poma secunda sumus.

Decens erat, priusquam genus cartilagineum, quod sub terra occulitur, aggrederemur, de tuberibus alloqueremur, quæ non nisi radices sunt. Galenus radicibus aut bulbis annumeranda dicit, innoxia & insipida esse, proinde, qui ipsis vtuntur ad excipienda condimenta vtuntur, alimentumq; quod ab ipsis in corpus distribuitur, nullam insignem qualitatem habere. Platina vino lota sub cineribus coquenda dixit, & sale ac pipere aspersa adhuc calida in conuiuiis post carnium esum comedenda. Apitius, Tubera elixabis, sale asperges, surgulo infiges, subassabis, & mittes in caccabum, oleum, liquamen, careum, vinum, piper, & mel, quum ferbuerint, amylo elixabis, tubera exornabis, & inferes. Vel tubera elixabis, & asperso sale in surculis affiges, & subassabis, & immittes in caccabum liquamen, oleum, carenum, vinum modicè, & piper confractum, & mellis modicum, feruere permittas, quum ferbuerit, amylo obligabis, & tubera compinges, vt combibant, illud exornabis, quum bene ferbuerint, inferes, si volueris eadem tubera omento porcino inuolues, assabis, & sic inferes, & alia. Credidit antiquitas cognationem illius aliquam cum cœlo esse, nec nisi tonante Ioue nasci, vt in Satyra Aquinas Poëta:

Et faciunt lautas optata tonitrua cœnas.

Cuius causam sympoliorum quarto Plutarchus peruestigat, aitq; complures asseuerare tonitru perinde quasi insolatione, vel aëris impulsu terram hiasce, sic rimis solo fathiscente solere conuici, qua parte tubera latitarent. quapropter

pter tonitru gigni tubera, non ostendi vulgus opinatur, nõ secus, quàm si quis existimet imbres cochleas creare, potius quàm illectas humore ex maceriis, & sepibus in lucem euocare. Agemachus rem confirmabat experientia, ac miraculum quidem censebat, cui tamen fides non debeat derogari, siquidem permulta tonitrus, & fulminis prodigia conspiciuntur, quæ cœcas habent causas, & cognitu difficiles, vel quorum nemo prorsus rationem potest inire: etenim bulbus, inquit, qui derideri solet, ac in prouerbium abiit, non exilitate sua fulmen vitat, sed occursante discordantium virium miraculo: veluti ficus arbor fulmine non icitur. Sic cœlestibus aquis, tonitru, fulgetro, calore, & ventorum impetu, penitus in terræ viscera compulsis humum in se colligi dicebat, & globosas quasdam collectiones, abscessusq; fungosos excitare, quemadmodũ in corporibus calor & sanguis sæpe strumosa, glandulosaq; tubercula creãt, itaq; tubera non sine calore neq. sine aqua gignuntur, sed à terra pariente, permutataq; corporum incrementa capessunt, huius itaq; fermento cœlestis imbris imbuta terra globatur, & caloris adminiculo humor terreus in hæc tubera coalescit. Plinius: De tuberibus hæc traduntur peculiariter, quum fuerint imbres autũnales, ac tonitrua crebra, tunc nasci, & maximè è tonitribus, nec vltra annũ durare. Atheneus autumno, quũ imbres & tonitrua incesserint, gigni, vere iam vegeta ad vsum promi. Si maxima tonitrua fuerint, maxima erũt, si magna, magna, vnde illa præcipua generationis causa videtur. Plinius: Crescãt ne, an vitium id terræ (neq; enim aliud intelligi potest) ea protinus globetur magnitudine, qua futurũ est, haud facile arbitror intelligi posse. Putrescẽdi etiam ratio communis est iis cum ligno. Laertio Licinio prætorio viro iura reddẽti in Hispania, Carthagine. paucis hinc annis scimus accidisse mordẽti tuber, vt deprehensus intus denarius primos dentes inflecteret: quo manifestũ erit terræ naturã in se globari, quod certum est ex iis, quæ nascuntur, & seri non possunt.

Græcis ὕδνον, & οἶδνον dictum videtur. οἶδνον ab οἰδαίνω, id est, tumeo. Græci Poëtæ γηγενεῖς, id est, terræ natos dixerunt. Porphyrius θεοτρόφυς, id est, deorum filios: rationem diximus in fungis. Latini tubera vocant. Itali *tartufi*. **Nomen**

Phanias, ex Atheneo, neq; florum, neq; seminum vestigia ostendere dixit. **Descriptio**
Dioscorides ita describit: Tubera rotundæ radices sunt, sine foliis flauescentes, vere fodiuntur, cruda & cocta eduntur. Theophrastus: Radix proculdubio est, & si radicis nullam habeat formam. Plinius: vndique terra circumdata, nullis fibris nixa, aut saltem capillamentis, nec vtique extuberante loco, in quo gignuntur, aut rimas agente, neque ipsa terræ cohærent, cortice tamen includuntur, vt planè nec terram esse possimus dicere, nec aliud quàm terræ callum. Excedit sæpè magnitudinem mali cotonei, etiam librali pondere. Miraculum est maximum, aliquid nasci aut viuere sine vlla radice. Athenæus biennium non absoluere dicit, quamuis annum viuant: eorum vigor verno tempore. Sed quæ Plinius habet, (Nec vtique extuberante loco in quo gignuntur, aut rimas agente) falsa videntur: nam

Maio mense, quum iam ad debitum incrementum venerint & maturitatem, terra in rimas fathiscens foras eiicit. Quod etiam Martialis testatur, dicens:

Rumpimus altricem tenero de vertice terram.

Genera. Plinius duo eorum genera. Arenosa dentibus inimica, altera sincera. Distinguũtur colore, rufo, nigroq;, & intus candido. Diphilus apud Athenæum inter tuberum genera, quædam lethalia esse dicit, vt in fungis. Apud nos duo eorum genera, alba, quæ extrinsecus læuia, & insipida; & nigra vulgaria: aiunt enim eum locum, qui tubera producere amplius nequit, alba illa producere.

Solum. Athenæus: In littoribus & arenosis locis nasci vult. Plinius, Sabulosis, siccis, fruteċtosisq; locis. Asiæ nobilissima circa Lampsacum & Alopeconesum, Græciæ verò circa Elim. Athenæus in Acarnida circa Lampsacum, & in Alopeconeso, & in Eleorum regione. Hegesander Delphus in Hellesponto. Neapoli, Morono, Cardinali, in Apulia, & Calabria nascuntur,

Satio. Cæterum non desunt, qui seminaria dicant origine nasci. Plinius, Quibusdam locis acceptantur riguis, & seruntur, sicut Mitylenis nasci negant, nisi exundatione fluminum, inuecto semine ab Tiaris. Est autem is locus, in quo plurima nascuntur. Athenæus: Sunt tamen qui etiam seminis principium hæc habere arbitrentur, quando in Mitylenorum littore, non prius nasci compertum est, quàm pluuia aqua semen ex Tiaris detulerit: is enim locus est, in quo plura nascuntur. Herbam, quæ super tubera crescit, qua reperta præsertim subesse cognoscuntur, Pamphilus hydnophyllon vocat. Sed id nostro tempore falsum videtur: nam sub omnibus herbis indifferenter nascuntur. Herbæ enim sub quibus nascuntur multæ sunt, & syluestres, quæ sub arborum vmbris viuere possunt, vt gramen, trifolium cæteraq;. Sed tubera sues demonstrant: dum enim proni pabulum quærunt, odore forsan illecti, rictu excauant, ac inueniunt, eisq; auidissimè depascuntur. Subulci loca notant, vt altero anno ibidem effodiendo alia inueniant. Nascuntur autumno, quia copiosius hyeme & vere reperiuntur. Maio mense terram aperiunt, ac foras emergunt, quæ ab auibus, vel suibus deuorantur, si ab hominibus non capiuntur.

De radicula, seu raphano. CAP. LXXII.

NVNC ad alias radicum species descendẽdum, quæ terra occuluntur, demum ad bulbos, quum radices etiam imitentur, vt rectus hortensium herbarum seruetur ordo. Plinius: Raphano vis mira colligendi spiritum, laxandiq; ructum, ob id cibus illiberalis, vtiq; si proxime olus mandatur. Si verò cum oliuis drupis, rarior ructus fiet, minusq; fœtidus. Ægypto mirè celebratur propter olei fertilitatem, quod è semine eius faciunt, hoc maximè cupiunt serere, si liceat, quoniam quum & quæstus plusquàm è frumento, & minus tributi est, nullumq; copiosius oleum. Atq; vt est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeo cęteris cibis prælatus raphanus, vt ex au-

ro dicaretur. Scripsit & Moschion Græcus vnum de raphano volumen. Vtilissimi in cibis hyberno tempore existimantur, iidemq; dentibus semper inimici, quoniam atterant: ebora certe poliunt. Odium his cum vite maximum, refugitq; iuxtà satos. Palladius, Raphanum sicut brassicam constat esse vitibus inimicum, nam si circa se serantur, natura discordante, refugiunt. Sed vterq; in errorem irrepsit, nam Plinius è Theophrasto transcripsit de brassica loquente, vt superius visum est ex quarto libro, capite vigesimo de historia: & libro de causis de vite loquens ait, Quum germen propinquũ est brassicæ, retrorsum parte sua postrema flectitur, quasi odoris vehementiá fugiat. Transcripsit Plinius: Lædit odore, aut succi mistura, vt raphanus vitem: olfactrix enim intelligitur, & tangi odore mirum in modum, ideoq; quum iuxta sit auerti & recedere, saporem inimicum fugere. Hinc sumpsit Androcides medicinam contra ebrietates raphanum mandi præcipiens: odit & caulem, & olus omne. Florentinus: Si quis perunctas succo raphani manus habuerit, impunè serpentes tractabit, impositi scorpionibus, confestim necant, & si quis prægustans à scorpione feriatur, citra aleam vitæ ad integram valetudinem cito redigetur. Galenus vrbanos homines dicit ante alios cibos crudum mandere cum garo, vel aceto alui ciendæ gratia: rusticos verò & cum aliis obsoniis, estq; potius obsonium, quàm alimentum. Caules & folia cocti manduntur. Caulis quem vere producit, elixus estur cum oleo, garo, & aceto, vt rapæ caulis, nutritq; magis, quàm eius cruda radix. Sunt enim, qui non solum caules, sed ipsas radices raparum modo elixas esitant.

Theophrasto ῥαφανὶς Atticè, aliàs ῥάφανος, & ῥάφανον appellatur, vt tradit Athenæus, quod facilè appareant, siue nascantur: ἀπὸ τοῦ ῥαφαίνειν. Athenæus etiam, Calliam raphanum dixisse ait. Varro à Græcis raphanon, & crambidion dici scribit. Dioscorides à Romanis radices dici. Raphanus item & radicula à Celso dicitur, nomenque apud Latinos sibi arrogasse radicis videtur, quod cæteras corporis amplitudine superet, vel quia paucissimis cedat. Itali *radice, & rafano.* Nomen.

Raphanum Theophrastus ex eo genere esse dicit, quod ex pluribus constat, & hæc recenset. Radicis genera, Corinthium, Cleonæum, Liothalassium, Bœotium. Amplissimè Corinthia adolescit, quæ vel stirpe detecta constet, hæc enim sursum versus protruditur, non vt cæteræ in terram ampliari solita est. Liothalassia, quam alia Thraciá vocant, hyemis patientissima. Bœotia dulcissima est, & figura rotunda, nec vt Cleonęa prælonga. Tradunt præterea genus vnum erucæ foliis: quò folium læuius, suauior, atq; mitior est: quò scabrius est, acrior est raphanus. Athenæus è Theophrasto quinq; recenset genera, excepto syluestri erucifolio, scilicet Corinthium, Liothasium, Cleoneum & Bœotium, addit autem Amoreũ, quod in nostris codicibus apud Theophrastum desideratur. Plinius autem dum Theophrasti raphanorum genera interpretari conatur, brassicarũ genera recenset, vt diximus in brassica, & quæ Genera.

Theophrastus de raphanis, ipse erranter napis tribuit. Inquit enim: Græci naporum quinq; genera fecêre, Corinthium, Cleoneũ, Liothasium, Bœoticum, & quod per se viride dixerunt. Ex iis in amplitudinem adolescit Corinthium, nuda ferè radice. Solũ enim hoc genus supernè tẽdit, non vt cętera in terram. Liothasium quidam Thraciũ appellant, frigorũ patientissimum: ab eo Bœoticum dulce est, rotunditate etiam breui notabile, nec vt Cleoneũ prælongum: in totum quidem, quorum tenuiora folia, ipsi quoq; dulciores: quorũ scabra, & angulosa, & horrida, amatiores. Est præterea genus syluestre, cuius folia sunt erucæ similia. Nostri alia fecêre genera. Algidense à loco, longum atque translucidum, alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suauissimum fere, ac tenerrimum, hiemisq; patiens: præcipuum tamẽ est, quod è Syria non pridem aduectum apparet, quoniam apud authores non reperitur. Id autem tota hyeme durat. Est & syluestre, in omnibus autem probandis maximè spectantur caules: immitium enim rotundiores, crassioresq;, ac longis caulibus: folia ipsa tristiora, & angulis horrida. Nicander duo raphanorum genera tradidit suis in Georgicis, Athenæo referente,

Vt raphanos duplici cernes consurgere forma,
Deinde rapas, hæc longa simul, simul aspera gustu,
Surgit in areolis.

Et alibi:

Duplex raphani species, hæc longa, rotundus
Surgit in areolis alter.

Genus est vnum raphani, quod ab Herodoto narratur. Smyrnea in Ægypto cum cæpis & allio pyramidibus condendis pręberi solitum. Iulius Pollux author, cõfirmat id Diodorus & Plinius, qui scribũt ad id opus, in raphanum, cępas, & allium talenta mille octingẽta erogata. Plinius. Palladius. Fœminini generis radices putantur, quę minus acres sunt & habent folia latiora & lęuia, & cum rotunditate virentia, ex qua iubent folia colligi. Nos ita distinguemus genera à varietate, quã Neapoli habemus, nostrasq; species authorum speciebus accommodabimus: si coniectura, & verisimilibus rationibus aliquid assequi possimus. Est genus primum satiuũ dulce, tenerum, translucidum, lõgum, cęteris tenuius, folio lęuiori, latiori, & virẽti, & hoc duplici colore, albo & rubeo. Album nostratẽ dicimus, rubrum Hispanicum, fortasse nobis illinc aduectum. Id genus Theophrasti Cleoneum, quod pręlonga radice est, & dulci, nec tam patiens aduersus frigora, & huic nostro adaptari possunt omnes hæ notę. Plinii enim Algidense genus, longum, translucidum, & Palladii genus fœmininum, quod minus acre, & folium latius, lęuiusq; fit, & cum iucunditate virenti. Secundum genus magis ferum & immite est, & si etiam seratur à nobis. Vulgò *rapeste* dicimus, maiori amplitudine, sapore acriori, corticè duriori, validius aduersus frigora, folio hirsutiori, nigriori, cuius plures sunt species. Prima est rotũda, rapæ forma, sapore dulciori, quàm pręlonga, & hyeme velluntur è

terra,

terra, vulgò *ramoraccie* dicũtur, & vtrumq; genus & albo, & colore nigro vestitur. Quæ orbicularis est formæ, videtur à Theophrasto Bœotica dici, quæ dulcissima & rotũda figura. Nicandri autẽ rotũda species. Plinii Syriaca. Alterũ rapi figura, quod vocant Syriacũ, suauissimum, & tenerrimũ, hyemisq; patiẽs, hyeme enim Neapoli edimus, & tunc increscũt. Longas, quas vulgò *rapeste* dicimus, Liothasias esse coniicimus Theophrasti, validissimas aduersus frigora. Longũ Nicandri genus, & simul asperum gustu, Palladii masculinum genus. Vnum Apuliæ nascitur, paruum, rotundũ, album, resipiens piper, cibis expetitum, raphanum vulgò vocant. Est & postremum genus, syluestre, longa radice & tenui, omnibus acutius, cuius caules & cymas vere, & æstate edimus ex iis, quæ sponte nascũtur in aruis expetũturq;, ob id magis quã cętera genera, vulgò *rapeste seluaggie*. Aliud sequenti capite syluestre genus describemus.

Theophr. Radice nititur longa, crassa, rectaq;, cuius cortex crassus, & extricabilis. Carnosa nec siccata quidẽ dulcescit. Semen in siliqua, & latere potius apta est germẽ parere. Quum indurescit, transit in lignũ. Dioscorides sphondilio similem dicit, & astragalo. Plinius. Cortice & cartilagine cõstat raphanus, multisq; eorũ crassior cortex, etiam quàm quibusdam arborũ amaritudo plurima illi est, & pro crassitudine corporis cętera quoq; aliquando lignosa. Nos ita describemus. Assurgit caudice vno tereti, flore purpureo obsoleto, vt rapa syluestris floret vere, flore rapitio sed angustiore, & scabro, & magis hirto, siliquis tumẽtibus, pixidatim effigiatis, rapo quadruplo maioribus, in quibus semẽ rotundũ, rufum, superius acutũ, nec maius rapo, sed eadẽ planta sæpius inspicienda est: nam & folia rumici, & erucæ modo diuisa, & similia habet. *Descriptio.*

Theophrastus: Gaudet raphanus, dulcescitq; frigoribus, quibus incrementum in radices, non in folia vertit, austrinis atq; serenis temporibus, celerius in caulem attollitur semenq; promit. Cato: Nebuloso cœlo gaudet seri. Palladius item. Plinius. Frigore adeo gaudet, vt in Germania puerorum magnitudinem æquent. Itemq; nebuloso seri debere. *Cælum.*

Cato raphanũ in loco stercorato benè, aut loco crasso seri iubet. Columella stercorata terra, & subacta. Palladius, Amat terrã pinguẽ, solutam, & diu subactã, qualem rapa: tophum, & glaream reformidat. Lętamẽ non est ingerendum, sed potius paleæ, quia inde fungosę sunt, meliores proueniunt in arenis. Plinius. Seri vult terra soluta, humida. Fimum odit, palea contentus. *Solum.*

Theophrastus. Ex prima sementi est. Iulio mense seritur. Ex hybernis celerrime omnium erumpit, die nanq; (vt ita q; loquar) tertio erumpit. Sua radice seri non potest, quum facile exiccetur, imbecillisq; ad perdurandum penitus sit. Sed quæ radice seruntur, tunicas habeãt plures oportet, simul & lentitiam quandam, vt bulbus, & scilla. Columella: Raphanum radix bis anno rectè seritur, Februario mense, quum vernum fructum expectamus, & Augusto mense circa Vulcanalia, quum maturius. Sed hæc satio sine dubio melior est. Cura est eius, vt terra stercorata, & subacta obruatur, post vbi ceperit *Satio.*

aliquod incrementum ſubinde aggeretur, nam ſi ſuper terram emerſerit dura & fungoſa fiet. Sed ne antiqua priſcorum obſeruatio lectores neotericos remoretur, explanabimus, quæ Vulcanalia ſint tempora. Vulcanalia dicebantur Vulcani feſta. Alii dicunt circa calendas Maii, quoniam Flamen Vulcanalis calendis Maii diuinam rē Maiæ faciebat, vt Macrobius in Saturnalibus teſtatur: quam opinionem refellendam contendũt, vtpote quòd circa canis ortum, qui Vulcano fertur ſacer, fiebant, aut circa calendas Auguſti. Palladius, Auguſto menſe locis ſiccis radices ſeruntur, quæ hyeme ſuũ vſum miniſtrent, ſerendæ ſunt ſpatiis grandibus, & altè foſſis. Seruntur poſt nouam pluuiã, niſi poſſint fortè rigari: quod ſatum eſt, ſtatim debet operiri leui ſarculo. Iugerum duo ſextarii, vel vt quidam quatuor, quum ſeruntur implent. Plinius: Seritur poſt idus Februarias, vt vernus ſit, iterumq; circa Vulcanalia, quæ ſatio melior. Multi & Martio, & Aprili ſerunt, & Septembri. Incipiente incremento cōfert alterna folia circũ obruere, ipſos verò accumulare: nam qui extra terrã emerſerit, durus fit, atq; fungoſus. Ariſtomachus detrahi folia per hyemem iubet, & ne lacunę ſtagnent, accumulare, ita in æſtate grandeſcere. Raphanus ſexto naſcitur die. Sed coniicio Pliniũ erraſſe, quippe quum Theophraſtus tertio die dixerit, & omnes cōſentiant, ipſe autem ſexto dixit. Sed fortè quæ Theophraſtus de braſſica dixit decimo die prouenire, ipſe de raphano protulit. Plinius: Tertio idus Nouembris Vergilię occidunt, in his temporum interuallis opera ruſtica, raphanos ſerere quibus diebus diximus. Apud noſtros olitores radix ſeritur primum Februario ſeminibus manu depoſitis, in ſulcis ſcilicet binis, radicibus altero, altero verò cucurbitis, aut cucumeribus: nam poſt vigeſimum diem radix eruitur, & eſtur, remanent cucurbitæ, & ſpatio, vbi ſatæ erant, terra repletur, quod Martii calce fit. Secundo ſeritur Auguſto, ſemine fuſim ſato. Poſt decimum diem herbis liberatur, & ſtercoratur, poſt quindecim dies eruitur, ſerunt ſimul paſtinacas, & ſpanachia: & ſi denſius naſcantur, interpollantur aliqua, vt largius radices ſe extendant, nam denſius ſatę graciles fiunt, tranſfertur quæ ſemini deſtinatur. idque autumno fieri debet, vt vere det ſemen. Quærunt ſolum benè ſubactum, vt poſſint radices profundius extendere, in ſolo pingui, & paſtinato radices magnas, & parua folia edunt: in duro, & ſicco, radices paruas, folia magna.

Art. Sed quomodo radices mira capiant incrementa, docet apparatũ Theophraſtus, ab olitoribus ſui temporis factitatum. Ablatis enim per hyemem foliis, quũ maximè vigent, deſuper ſuccretam inſpargunt humum, ne imbres poſſint admitti: non enim regerminát, nec folium remittunt, niſi congeſtitiã humum ſubmoueas. Cuius rei in libro de cauſis rationē explicat. Radix enim quũ nullum ab imis vim obtineat germinandi, alimentum, quod ſurſum tranſmittebant, tunc ſubtus cohibetur, percraſſaturq;, tumq; omnis putredo, omniſque corruptio aſperſu obiectæ terrę propulſatur, & imbrium, aliarumq; noxarum rerum iniuria vindicatur. Ariſtoteles autē ſuis problematis inquit. Cur ſi quis

radicu-

radicularum folia tempore hyberno, quum maximè rigent, absciderit, & terram pedibus complanarit, conculcaritque, vt imbrem vllum admittere possit, radiculæ ipsæ per æstatem amplitudine mira crescunt. An propterea quia ne corrumpantur causa conculcandi soliditas est, quæ tumorem patefacere prohibet, alimentum verò quod aliter ad germen sursum transmitteretur, radix sibi ipsa totum dispensat, itaque vel amplior fiat necesse est, vel suo de latere radices alias mittat, germinans modo cæparum, has enim multiplices effici nouimus, si quis annuas non euellat, sed tempore hyberno relinquat, at quum vim istam procreandi vt laseri cæparum natura dedit, sic radicularum negarit, necesse profectò est ipsas illas crassescere, nimiam ob copiam alimenti. Palladius idem docet: Maiores fieri creduntur, si sublatis omnibus foliis, & solo tenui, caule dimisso sæpè terris operiatur. Plinius. Caule reciso ferè omnia regerminant, exceptis quæ non scabrum caulem habent. Est in vsu verò ocimum, raphanus, lactuca: hanc etiam suauiorem putāt à regerminatione. Raphanus vtiq; iucundior detractis foliis, antequam decaulescat, hoc & in rapis, nam & eadem direptis foliis cooperta terra crescunt, durantq; in æstate. Quæ omnia ex Theophrasto de brassica loquente transtulit, ne aliqua quæ Theophrastus brassicę tribuisset, ipse raphano non ascriberet. Theophrastus: porrorum, radicumque magnitudo ex translatione. Plinius, Omnia translata meliora, grandioraque fiunt. In translatione & medicina est, desinuntq; sentire iniurias, vt raphani. Sed puto Theophrastum de vniuersalibus herbarum radicibus locutum, non de raphanis, & quæ Plinius scripserit de raphanis à Theophrasto de brassica loquente transtulisse: nam raphani hic Neapoli non transferuntur. Plinius: Præcipuè salsis aluntur, itaq; etiā talibus aquis irrigantur, vt in Ægypto nitro sparguntur, vbi sunt suauitate præcipui: in totū quoq; salsugine amaritudo eorum eruitur, fiuntq; coctis similes: nanq; & cocti dulcescunt, & in vaporum vicem transeunt. Itemq; peculiaris medicina raphano in salsis aquis, quæ & alioqui plurimū suauitati, & fertilitati conferunt: quæ omnia è Theophrasto trāstulit, vt vidimus capite brassicæ dicato. Ex quo Palladius, Suauiores fiunt, si eas aqua salsa frequēter aspergas, fuitq; in causa, vt Palladius quoq; erraret. Plinius: Prodidere, si palo adacto cauerna palea insternatur sex digitorū altitudine, deinde in semē, fimumq; & terra cōgeratur, ad magnitudinem scrobis crescere. Palladius: si ex nimis acra dulcē fieri velis, semina die ac nocte melle macerabis, aut passo. Florentinus: Raphani dulces erunt, quorum semen vino mulso, aut vuarum passarum succo fuerit maceratum.

Pulices appellātur bestiolæ raphanis innascentes, dicit Theophrastus, quibus ne noceant, eruum interserere remedium est. Sed ne nascantur, nullū adhuc remedium repertum putat. Plinius: Raphano innascuntur erucæ. Sed item erranter interpretatus est à Theophrasto, quippe qui brassicis erucas innasci dixit, non raphanis. *Inf. rem.*

De armoracea, siue raphano syluestri. Cap. LXXIII.

Alia raphani syluestris species nunc describitur. Dioscorides huius tam folia, quàm radicem in olera recipi dixit. Columella ita condit. Armoraciorum cymas salire oportet, diemq; vnum, & noctem sinere, dum muriam remittant, deinde muriam eluere, & expressas in cratibus pandere, dum assiccescant, sic conditis superinfundi ius, quod sit aceti duarum partium atque vnius muriæ, deinde arido spissamento fœniculi sic comprimi, vt ius supernatet: inde oportet sæpius ius suffundere, nec pati sitire salgama, idq; verno tempore faciendum.

Nomen. Græcis ῥαφανὶς ἄγριος, id est raphanus syluestris. Theophrasto videtur κορινθία ῥαφανὶς, vt videbitur inferius. Dioscorides Romanis ramoraciam dici fatetur. Sed admonendum agrioraphanon differre à raphano agria, nam aliud est syluestris raphanus, & aliud raphanus syluestris, quemadmodum leucacantha ab acanthaleuce, & alba spina à spina alba. De agrioraphano Dioscorides libro quarto egit, de raphano agria, siue de raphano syluestri nũc agetur. Columella armoracium vocat. Plinius armoraciam, & Pótici armon, & alii leucem. Palladius: ramoracea agrestis est raphanus. Romæ adhuc *armoracia* dicitur. Neapolitanis ab armoracia corrupto satis nomine *racecotena* dicitur.

Descriptio. Theophrastus ita describit. Amplissime Corinthia radix adolescit, quæ vel stirpe constat delecta, hæc enim sursum versus producitur, non vt cæteræ in terram ampliari solita est. Dioscorides verò, Folia satiuo similia, sed magis lapsanam imitantia. Radix tenera, gracilis, subacris, similisq; radici, seu tragii. Plinius: Fronde copiosius quàm corpore. Folia longa, & acuta, sinapi instar acerrima, adeò vt caput tentet, & lachrymas cieat.

Genus. Plinius: Est satiui vsus in Italia, & armoraciam satiuam vocant.

Cœlum. Plinius Arcadicum prætulit omnibus, & si alibi nascatur.

Solum. In hortis habetur, sic è syluis translatus ad culta edomita feritate mitescit, meliorque fiet. Crescit aliàs circa margines itinerum, & loca arenosa, inque pratis, nonnunquam sua sponte copiosa prouenit. Quærit solum solutum, pingue, & profundè pastinatum, vt omnia olera, vt radices longiores iniiciat.

Satio. Palladius Martio seri posse, & transferri dixit. Locis sicciotibus Octobri transferri ad culta, vt melior fiat. Seri etiam Nouembri. Seri semine apud nos non vidi, seritur tamen agnatis propaginibus, helenii, vel ari modo, integris, aut dissectis, aut radicibus in multas partes recisis, Nouembri, Decembri, Ianuario, Februario, & Martio, tam viuaci est natura, quod vbi semel seueris, vix eo possis liberare loca: nam & si radices integras extirpaueris, illius fibræ, vel potius capillamenta rediuiuam nanciscuntur naturam, eundemq; locum raphanis replebunt.

De rapis. Cap. LXXIIII.

AB his ratio habenda est raporum, naporumque: nam vtraque rusticos implent, magis tamen vtilia rapa sunt, quia & maiore incremento proueniunt, & non homines solum, verùm etiam boues pascunt. nam hyberna cibaria pecudibus id olus præbet, ex Columella. Plinius: Latini in transcursu de rapis attigere, paulò diligentius Græci, & ipsi tamen inter hortensia: si iustus ordo fiat, à frumento protinus ei locus assignandus, quando aliis præstantior vsus ab his non est. Ante omnia nanque cunctis animantibus nascuntur, nec in nouissimis satiant ruris alitum quoque genera, magisque si decoquatur aqua, quadrupedes & fronde earum gaudent, & homini nō minor rapaciorum suis horis gratia, quàm cymarum flaccidorum quoq;, & in horreis enecatorū, vel maior quàm virentium. Ipsa verò durat, & in sua terra seruatur, & postea passa, penè ad alium prouentum, famemque sentiri prohibent. A vino atque messe tertius hic Transpadanis fructus: in cibis quidem nostris pluribus modis commendantur, durantq; ad alia, sinapis acrimonia domita, etiam coloribus picta præter suum sex aliis, purpureo quoq;, neq; aliud in cibis tingi debet. Atq; vt est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeò cibis prælatus, vt rapum dicaretur è plumbo. Scires non ibi genitum Manium Curium Imperatorem, quē Samnitium legatis aurum repudiaturo afferentibus, rapū torrentem in foco inuentum, annales nostri prodidere. Galenus. Olerum omniū radicū aduersissimæ sunt rapæ. Nisi coquatur dura est, nec esculenta, cocta omniū minus nutrit. Vnde conditur muria, & aceto & in totū annū ipsa vtuntur, coctionē diuturniorem postulat, eaq; laudatissima, quæ cocta bis fuerit. Crudior sumpta concoctu difficilis, flatulenta, stomachoq; noxia est. Plinius: Democrit⁹ in totū abdicauit eā à cibis propter inflationes. Diocles magnis laudibus extulit, etiā Venerem stimulari ab ea professus. Itē Dionysius, magisq; si eruca conderetur. Sed ad eius conditaras accedamus. Varro seruari rapa cōsecta in sinapi dixit. Columella ita docet: Raporū quamrotundissima sumito, eaq; si sunt lutosa detergito, & summā cutē nouacula decerpito, demū sicut consueuerunt salgamarii decussatim ferramento lunato incidito. Sed caueto ne vsq; ad imum præcidas rapū. Tum salem inter incisuras raporum non nimium minutum aspergito, & rapa in alueo, aut seria cōponito, & sale plusculo aspersa triduo finito, dum exudent. Post tertiam diem mediam fibram rapi gustato, si receperit salem. Deinde quum videbitur satis recepisse, exemptis omnibus, singula suo sibi iure eluito. Vel si non multum liquoris fuerit, muriam duram adiicito, & ita eluito. Et postea in quadratam cistam vimineam, quę neq; spisse, solidè tamē, & crassis viminibus cōtexta sit, rapa cōponito. Deinde sic aptatam tabulam superponito, vt vsq; ad fundū, si res exigat, intra cistam deprimi possit. Quum autem tabulam sic aptaueris, grauia pondera superponito, & finito nocte tota, & vno die siccari. Tum in dolio, picato fictili, vel in vitreo componito, & sic infundito sinapi, & acetum, & à iure conteganutr. Sed curandum, vt antequam caulem, aut cymam faciant, dum sunt tenera cōponan-

tur. Apicius, Rapæ sic apparantur. Rapos elixatos exprimes, deinde teres cumini quamplurimũ, rutæ verò minus, laserpitium item Particum adde, vel acetum, liquamen, defrutum, & oleum, quæ modice feruere facies, & inferes. Alia ad delicias præparato. Rapas elixatas inferes, oleum̃ subinstillabis, quibus si voles acetum addis. Platina: Non erit insalubre, si prima abiecta decoctione, secundo elixaueris, additis aromatibus, quæ eius inflationem tollant. Palladius aliam docet: Decembri rapa in partes minutas recisa, & leniter cocta, tota die diligentius exiccata, ne quid reseruet humoris, & sinapi ex aceto (sicut mos est) temperato immersa condire curabimus, & repleta vasa claudemus, ac post aliquos dies gustibus explorata proferemus vsuri, quam Ianuario quoque, & Nouembri mense poterimus efficere. Nicander etiam docet aceto condire, & sinapi, vt quando comederentur, aperirentur venæ.

Vt raphanos duplici cernes consurgere forma,
Deinde rapas, hæc longa simul, simul aspera gustu
Surgit in areolis, hanc tu concidito, ventis
Extenuans gratamq; hyemi, & custodibus aptam.
Otia longa domi qui carpunt, fluctibus ipsum
Si calidis spargas, vitam renouare videbis.
Radicem concide rapis, pellemq; virentem,
Purgato paulum sumptas, soliq; reponens
Siccato paulum, quum feruida protinus vnda
Fecerit has tumidas, tingens salsugine multa
Mergito ponderibus æquis infundito acetum,
Albaq; musta, tegas intus stringens sale multo,
Mox æquare tibi studio sit, fundito sæpe
His vuam passam, & mordentia grana sinapis,
Vtraq; pars face si profundatur aceti,
Iucunda salsamentum lacerare parabit
His, quibus haud aderunt mensæ conuiuia lauta.

Nomen. Græcis γογγύλη; & γογγυλὶς ab eius figura, quæ plerunque rotunda esse solet, vocabulum detorserunt: nam apud eos γογγύλον dicitur, quod in rotunditatem coactum sit. Apellas in ciuitatibus Peloponnesi scribit à Lacedæmoniis gasteras appellari. Nicãder apud Bœotas zeceltidas appellari ex Athenęo. Latinis rapum, & rapa est, quod extra terrã ruat, quasi ruapa nominent, Varrone teste. Alii quod passim rapiatur, rapi nomen deflexum esse censent. Columella cum gongilida vocat in hortulo:

Gongilis illustri mittit quam Nursia campo.

Italis dicitur *rapa*.

Genera. Alios rapæ esse, alios non esse generis diuersitatem putant, sed vtrumque sexum ex hoc genere intelligunt, ex eodem genere prouenientem: effœmina-

ri nanque rarius collocatas, masculescere densius compositas, & in terra difficili, Theophrastus dixit. Nicander rotundæ, & longæ genus dixit, vt raphani:

Vt raphanos duplici cernes consurgere forma.

Deinde rapas, hæc longa simul, simul aspera gustu.

Græci duo prima fecere genera, ex Plinio, masculinũ, fœmininumq́;: & ea serendi mod ɔ ex eodem semine. Densiore enim satu masculescere item in terra difficili. Sępius satam transire in marem. Cassianus Gręcus in Augusto: Rapum capitatum, & rapũ præcox, & gongila asparagos nominant, & rapum syluestre. Plinius: Species omnium tres, aut enim in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari: tertiam speciem appellauere syluestrem. Medici masculini generis in his faciunt rotunda, latiora verò, & concaua fœminini, præstátiora suauitate, & ad condiendum faciliora. Possidonius rapas etiam syluestres esse ait. Apud nos in duo genera diuiduntur, alba rotunda, capitata & longa.

Rapa constat radice longa ex Theophrasto, velut raphanus, & breui caule, radice carnosa, & cortice & carne, sed cortice carni adhærente. Semen includitur siliqua, & fœcundum est. E latere apta est fructum parere. Plinius syluestrem describit: Radice in longitudinem procurrẽte raphani similitudine, folio anguloso scabroq́;, succo acri: in aruis maxime nascitur fruticosum, semine candido, duplo maiore, quàm papaueris. Nos verò, Satiuum rapum caule & foliis raphano simile est, floribus verò & siliquis, in quibus semẽ profert, rapis, aut brassicis. Floret æstate, ac siliquatur. Subinde syluestrem ita depingit Dioscorides. Syluestre rapum in aruis nascitur, frutex est in cubiti altitudinem assurgens, ramosus, læuis in cacumine, folia fert læuia, digitali latitudine, aut maiora, & fructum in siliquis calyculatis, cumq; eorum inuolucra aperiuntur, alia intus siliqua spectatur, quæ quandam capitis speciem præbet, in qua semina parua conspiciuntur. Foris nigra, intus alba. *Descriptio.*

Dulcescit algoribus ex Theophrasto, per quos in radicem, non in folia incrementum capessit. Pollux ex Athenæo: E Mantinea maximè commendantur. Columella ex Nursina ciuitate Italiæ, vt diximus. Cato cælo nebuloso lætari dixit. Plinius: Nebulis & pruinis aluntur amplitudine mirabili. Vidi quadraginta libras excedentia. Frigore dulciora fieri existimantur, & grandiora. Tepore in folia exeunt. Palma in Nursino agro nascentibus. Taxatio in libras sextertii singuli, & in penuria bini, proxima in Algido natis. Possidonius syluestres in Dalmatia frequenter nasci dicit, ex Athenæo. *Cælum.*

Cato agrum lætum & crassum optare dixit. Alibi: Rapinam & coles rapitii vnde fiant, & raphanum in loco stercorato benè, aut in loco crasso serito. Columella: Solum putre & solutum desiderat, nec densa nascitur humo. Campis humidisque locis lætatur. Loci proprietas semen commutat: nanque in alio solo rapa biennio sata, conuertuntur in napum, in alio napus raporum accipit speciem. Solum subactum pluribus iterationibus aratri, vel rastri, largoque stercore satiatum postulant: nam id plurimum refert, non solùm quod melius *Solum.*

ea proueniunt, sed quia etiam post fructum eorum sic tractatum solum segetes optimas facit. Palladius. Solo putri, soluto, nec spisso, locis humectis lætatur, & campis. Loci proprietas rapi, & napi semen mutat in alterum: nam rapa in alio solo per biennium sata, mutantur in napos, alio verò napus transit in rapum. Plinius: Terram non morosè eligit, penè vbi nil aliud seri possit. Alibi: Nisi in stercorato non lætatur.

Satio. Ex prima sementi Theophrastus dixit, post æstiuum solstitium mense Iulio. Refert enim & tempus, sata enim diebus calidis, celerius excaulescit, & ocyus siliquatur. Semen præstantius, quo subtilius, crassum vitio non caret. Semine satas transferunt, ne densius satu masculescere possint. Varro: Tantum valet vetus semẽ, vt naturam commutet, nam ex veterum semine brassicæ nasci aiunt rapa, & contra ex raporum brassicam. Plinius ab eo: Ex semine brassicæ veteris rapa fiunt, atq; inuicem. Florentinus: Rapæ semen post annos tres brassicam producit, & vice versa. Palladius: Semen brassicæ vetustum mutatur in rapa. Columella: Riguis locis recte ab solstitio seritur, siccis vltima parte mensis Augusti, vel prima Septembris. Iugerum agri non amplius quatuor sextariis raporum seminis obserendum est. Duas habet sationes & eandem culturam, quam raphanus. Melior tamen satio mensis Augusti. Seruant adhuc antiquorum consuetudinem religiosiores agricolæ, qui quum ea serunt, precantur vt sibi, & vicinis nascãtur. Locis frigidis, vbi timor est, ne autumnalis satio hyemis gelicidiis peruratur, harundinibus humiles canterii fiunt, iisque virgæ transuersæ imponuntur, & virgis stramenta supra iaciuntur, & sic à pruinis semina defenduntur. Palladius, Iugero raporum quatuor sextarii sufficiunt. Si spissa sunt, interuelles aliqua vt cætera roborentur. Plinius: Seruntur ante Calen. Martias. In iugero sextarii quatuor. Diligentiores quarto sulco seri iubent, stercorato. Serere nudum volunt, precantem sibi & vicinis serere se. Satus iustus inter duorum numinum dies festos, Neptuni, atque Vulcani. Feruntq; subtili obseruatione, quota luna præcedente hyeme nix prima ceciderit, si totidem luminum die intra prædictum temporis spatium serantur, mirè prouenire. Seruntur & vere in calidis, atq; humidis. Vulgus agreste post ciconiæ discessum malè seri rapam putant, nos omnino post Vulcanalia & præcocia cum panico. Apud nos primis Augusti imbribus spargitur semen in aruis iam duris, ac aratro operitur, eisq; vescimur Nouembri, ac Decembri. Serunt iterum Maio pro bobus. Seritur dum adhuc in area sunt stipulæ: quæ semini destinantur, transponuntur, & sequenti æstate semen proferunt. Theophrastus seri radice non posse dicit, quum non nimium duret eruta, vtpote tenui & diluto cortice intecta. Id enim genus facilè exiccatur, imbecilleque ad perdurandum est. Sed tunicas habeat plures oportet, simul & lentitiam, vt scilla. Cassianus: Augusto mense seritur capitatum rapum, præcox, Septembri rapum syluestre. Transplantatur autem capitatum, & rapum transiens in gongile asparagon. Octobri transplantatur capitatum, Octobri syluestre.

Theo-

Theophrastus tellure accumulata condi ab olitoribus tradit, vt in sequentem annum regerminet. Plinius: Rapa demptis foliis non crescit, duratque in æstate. Theophrastus: Sunt quæ vi temporis quo seruntur, diuersam speciem capiant, ceu rapa. Si quis protinus ab area serit, ampla efficitur, quod ideo fit, quia plenius radicatur, dilataturque amplius. Columella: Rapæ semina Higinius putat post trituram, iacentibus adhuc in area paleis inspergi debere, quoniam fiunt vastiora capita, quam subiacens soli duritia non patitur in altum descendere. Nos istud sæpe frustra tentauimus, itaque rapum melius existimamus subacta terra obrui. Palladius: vt verò semina maiora redigantur, eruta rapa, foliis omnibus purgabis, & ad dimidii digiti crassitudinem in caule succides, tunc in sulcis diligenter subactis, octonis digitis separata obrues, & iniicies terram, & calcabis, ita magnæ nascentur. Plinius, Lætiora fieri, si cum palea serantur, dicit. Ars.

Columella: Qui æstate ista seret, caueat, ne propter siccitatis culex adhuc tenera folia prorepentia consumat. Id quoque vt vitetur, puluis etiam, qui supra cameram inuenitur, vel etiam fuligo, quæ supra focos tectis inhæret, colligi debet, deinde pridie, quàm satio fiat, commisceri cum seminibus, & aqua conspergi, vt tota nocte succum trahant, ac sic macerata postero die rectè seruntur. Inf. tem.

De buniade, siue napo. Cap. LXXV.

SVNT è raporum genere napi, siue buniades, sed bunias à bunio differt: de bunio enim Dioscorides libro secundo inter oleracea loquitur, & Galenus inter raparum species bunium locat, nihilque referre dicit siue gongilis, id est rapa, siue bunium, id est napus dicatur. At bunii Dioscorides libro quarto meminit, apii folia ei tribuens, vbi etiam de pseudobunio loquitur. Plinius verò erranter vtrumque confundit, quum vtrunque diuersas possideat facultates, quod etiam Dioscorides indicauit, rapi speciem esse subinnuens, quod post caput de rapis napos subiunxit, eandemque facultatem eis tribuit. Diphilus Siphnius Medicus, Napus rapa melior est, dulcior enim, & facilius digeritur, stomacho magis confert, magisque nutrit. Napos antiquitas condiebat, nunc conditura prorsus exoleuit. Dioscorides sale condiri scripsit, sed cui cordi scire erit, adeat Columellam in rapis iam describentem eius modum, & nos superiori capite descripsimus. Apitius etiam napos condit, & rapos.

Maris nomine rapum buniada Theophrastum intellexisse Athenæus contendit, præsertim quum alibi nunquam buniados meminerit. Sed nescio vbi Theophrastus maris rapi meminerit, nisi in iis quæ superius recitauimus, quod densius satus masculescat, quod nostris aruis sæpe visitur, quum densius seritur, sterilique solo, raphani longi speciem accipere. Græcis βουνιὰς à tumente Nomen.

figura, quam præ se fert. Vocantur enim cliui, & colles, verrucosaq; loca βουνοὶ, quæ napus adamat, vt videbimus in suo loco. Nicander buniadis mentionem facit, Athenæo referente,

Mox sere in areolis rapas, æquare cylindro
Cura sit, vt platanis æque: depressa virescat
Bunias ipsa magis.

Latinis napus. Itali *navone*, Neapoli vulgò *rape di catalogna*. Galenus nullam inter rapum, & napum differentiam facit. Huius plantæ, inquit, quam gongilida, aut buniada appelles licet.

Genera. Andromachus senior duplicis napi meminit, γλυκερῆς βουνιάδος. Andromachus verò iunior syluestris bunii in theriacæ descriptione, sed iunior Andromachus, & Galenus videntur potius de syluestri rapo, quàm napo locuti. Plinius quinque genera fecit, Corinthium, Cleoneum, Liothasium, Bœoticum, & quod per se viride dixerūt. quæ genera, vt vidimus superiori capite ex Theophrasto, raphanis dicato capite, errante transtulit. Alibi tamen duorum raporum mentionem facit, quos Græci in medicina seruant. Angulosis foliorum caulibus, florens vnum, quod bunion vocant, alterum genus buniada appellant, & raphano, & rapo simile: quæ verba vt diximus ex Dioscoride falsò trāstulit, quum de diuersis bunii generibus sit loquutus.

Descriptio. Athenæus: nil rapis simile magis, nisi quæ bunias dicitur. Plinius cum fraxino florere dixit. Apud nos longa & tumenti figura, colore flauo, sapore rapis dulciore, ac ructus minus illiberales mouet.

Cœlum. Athenæus Thebaicos Græcos laudare dixit. Latini præcipuum bonitatis gradum Amiterninis dant. Columella in hortulo:

Quæq; Amiterninis defertur bunias arvis.

Martialis huius iudicio subscribit:

Hos Amiternus ager felicibus educat hortis.
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Plinius æque cum rapo frigidis gaudere scripsit, palmam Amiterninis dari. Est Amiternum Campaniæ nostræ vrbs, hodie Aquilam dicimus.

Solum. Columella solum putre, & solutum desiderare dixit, nec densa nascitur humo. Terram deuexam amat, & siccam tenui propiorem, itaque glareosis, sabulosisque aruis melior exit, locique proprietas vtriusque semen commutat, nam in alio loco rapa biennio sata conuertitur in napum, in alio napus raporum accipit speciem. Subactum solum pluribus iterationibus aratri, vel rastri, largoque stercore satiatum postulat: nam id plurimum refert, non solum quod melius ea proueniunt, sed etiam post fructum eorum. sic tractatum solum segetes optimas facit. Palladius, Napus in sicco, & propè tenui, atque deuexo, & sabuloso melior nascitur, loci proprietas vtriusque semen in alterum mutat: nam rapa in alio solo per biennium sata mutatur in napos, alio verò napus mutatur in rapum. Subactum solum, stercoratum, ver-

satum-

satumque conquirunt, & quod & ipsis, & segetibus proderit, quæ ibi anno eodem seruntur.

Columellę riguis locis rectè à solstitio seritur, siccis vltima parte mensis Augusti, vel prima Septembris. Iugerum agri non amplius quinq; sextariis naporum seminis obserendū est. Duas sationes habet, & eandem culturā, quam raphanus. Melior satio mensis Augusti. Palladius: Iugero naporum quinq; sextarii sufficiunt: si spissa sunt, interuelles aliqua, vt cætera roborentur. Plinius: Seruntur & ante cal. Martias, diligentiores quinto sulco napos seri iubent, & stercorato, satus iustus inter duorum numinum festos Neptunni, atq; Vulcani. Seruntur & vere in calidis, & humidis. Tertio die à satione nasci dicuntur. Translata omnia meliora, grandioraq; fieri, maximè porri, napiq;. Sed quod dixit Plinius serendos napos inter duorum numinum festos, Neptunni atque Vulcani, id est, serendos esse in mense Februario, qui Neptunno sacer est, vsque ad Septembrem, qui Vulcano, vel circa Augusti finem. *Satio.*

Columella: Qui æstate seret, caueat ne propter siccitates culex eius folia prærodat. Cuius remedium in rapis diximus. Plinius rapo culices innasci dicit. Naporum medicina est, siliquas vnà seri, sicut olerum cicer, arcet enim erucas. Quo si omisso iam natæ sint, remedium absinthii succus decocti inspersus, & sedi, quam aizoum vocant, genus hoc herbæ diximus. *Infect. remedia.*

De pastinaca. Cap. LXXVI.

ERapina, & napina egressis se offert pastinaca, è cartilagineo genere est, & quæ terra occulitur, annicula vtilis esse incipit, bima vtilior, gratior autumno, patinisq; maximè, ex Plinio. Orpheus amatorium inesse staphilino dixit, fortasse quoniam Venerem stimulari hoc cibo certum est, ideo conceptus adiuuari aliqui prodiderunt. Quod & testatur Athenæus ex Diphili authoritate, vnde philtrum eam vocant. Columella condire docet: vt sępius diximus in aliis oleribus. Apitius ita condit. Pastinacę, seu carotæ, frictæ cum œnogaro inferuntur. Vel carotas sale, oleo puro, & aceto inferes. Vel carotas elixatas & concisas cum cumino & oleo decoques, & inferes, indeq; cuminarum colicorum facies. Platina: Bis elixanda est pastinaca, prima decoctio abiicitur, secunda cum lactuca coquitur, inde in patinam translata cum sale, aceto cōditur. Pipere condita esui peraccommodè datur. Frigi etiam excauata post primā concoctionē in oleo, & liquamine farina inuoluta solet. Conditur cariota eo modo, quo & pastinaca, sed suauior habetur, quæ sub calido cinere, & carbonibus coquitur. Subtracta vbi paululum refrixerit, depilanda est; & omnino abstergendus cinis. tessellatim concidenda, in patinamq; transferenda, addendum sal, irrorandum oleum, atq; acetum, ex defruto, vel sapa nonnihil addendum, inspergenda aromata dulcia.

Dioscorides σταφυλῖνον vocat. Theophrastus videtur δαῦκον vocare, quippe Athenæus Theophrastum pastinacæ meminisse dicit. Nec de ea verbum apud Theophrastum extare vidimus, nisi libro nono, capite quintodecimo. Daucus *Nomen.*

Spartensi agro prestátior ceteris. Huic vis calefactoria est, & radix nigra, quod idē capite vigesimo secūdo retulit. Daucos agro Spartēsi Achaiæ laudatissimū referunt, natura calefacere, radice nigra. Cassianus daucū vocat. Diocles solus astaphilinum dixit, ex Athenæo. Staphilinū vocauit Columel. in suo hortulo:

—— Mollemq; sinum staphilinus inumbret.

Idē Columella tā feræ, quàm edomitæ pastinacæ nomen esse staphilinum à Græcis impositū his verbis indicat: Tum agrestis pastinaca & eiusdē nominis edomita, quam Græci σταφυλῖνον vocant. Latinis pastinaca, nomen ei à pascendo datū videtur. Natura ei calens, sapor vehemens, corpus alit, & cit venerē. Idēq; nomē Italis, vel *carote*, quod nomē etiā ab Apitio scriptore antiquo vsurpatur.

Genera. Pastinacæ duo genera Græci tradunt, satiuum vnum, erraticum alterum. meminit Dioscorides syluestris pastinacæ, & satiuæ. Plinius ex his: Pastinacæ vnum genus agreste, sponte prouenit, staphilinos Græcè dicitur: alterum seritur radice vel semine: tertium genus hibiscum, quartum daucon, cuius genera quatuor fecere. Apud nos trium est generum. Syluestre vnum, satiua duo, album & rubrum, siue nigrum, & tertium croceum.

Descriptio. Syluestrē Dioscorides describit: Folia gingidii habet, latiora, subamara, caulem rectū, scabrū, vmbellā similē anethi, in qua flores insunt, cādidi, & in medio purpureū quoddam, fermè croceū habentes. Radix digiti crassitudine dodrātali, odorata, quę cocta māditur. Satiuā ita depingit: Cibo aptior. Muscario tertii dauci. Addimus nos. Syluestri per omnia similis, sed flores in medio purpureū quiddā non habēt, radice lōga, brachiali crassitudine, longitudineq; colore tū albo, tū purpureo, vel sanguineo. Iulio & Augusto floret. Semē dauco simile producit. Hoc genus rubrū videtur Theophr. descripsisse in suo dauco.

Cælum. Theophrastus in Spartensi Achaiæ agro præstantiores nasci scripsit.

Solum. Columella altè pastinatū, & stercoratum solū optare dixit. Palladius solum pingue, & altius pastinatum. Plinius: Solum quàm altissimè refossum.

Satio. Columella autumno & vere seri posse, vel circa calendas Septēbris, vel melius ante calendas Martias Februario seri. Sed locis siccis tepidisq; possunt circa idus Ianuarias terrę cōmitti: quàm rarissimè ponēdę sunt, vt maiora capiāt incrementa, nec est alius cultus, nisi vt sarritionibus herbę tollantur. Cōmodissimè autē deponentur prima parte Septembris, vel vltima Augusti. Plinius: Pastinaca seritur vere, & autumno, magnis seritur interuallis, nullóve minus, quàm ternorum pedum, quoniam spatiosè fruticat. Seritur radice, vel semine primo vere, vel autumno, vt Higinio placet, Februario, Augusto, Septembri & Octobri. Palladius ex his: Februario è semine ponetur, & plantis rarā statues, vt robur accipiat. Apud nos serūtur, vbi primum Augusto terra imbribus madefit vsq; ad Decembrem, sed quas Augusto seueris, velluntur Decembri, quas verò Decembri seueris, Martio ieiuniis quadragesimalibus explendis. Spargitur fusim semen in porcis, & transfertur, optimè prouenit, alius labor superfluus est, quum solo altè pastinato, & large sato proueniat optimè.

De

De sisere. CAP. LXXVII.

TERRA etiam conditur siser, vt pastinaca, ex Plinio. Ipsum Tiberius Princeps nobilitauit, flagitans omnibus annis è Germania. Inest longitudine neruus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis tẽperata, etiã in gratiã vertitur. Neruus idẽ & pastinacę maiori, duntaxat anniculæ. Dioscorides radicẽ decoctæ, ori gratam, & stomacho vtilem, & appetentiam inuitare scribit. Columella eius condituram docet. Ianuario, & Februario siseris radicem eadem ratione, qua olusatrum condiebamus. Conditur & quum exegerit vsus, eximes de fidelia, & oxymelli cum exiguo oleo superfundes. Varro apes ex siseris flore liquidum mel facere scripsit.

Græci σίσαρον, Latini siser. *Nomen.*

Plinius duum generum esse dicit, satiuum & erraticum. *Genera.*

Dioscorides eius formam, vtpote notam describere dedignatus est, ob id nostro æuo ignota. Est apud nos planta pastinacæ similis domesticæ, sed gratior, radices verò dissimiles, nam multæ sunt pendulæ, bulbosæ, teretes, & oblongæ asphodeli modo, & vescæ sunt. *Descriptio.*

Tyberius Cæsar è Germania flagitans omnibus annis. Gelduba appellant castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua, ex quo apparet frigidis locis conuenire, ex Plinio. *Cælum.*

Stercorato & alte pastinato solo conualescit, ex Columella. *Solum.*

Columella duobus temporibus seri posse scripsit, autumno & vere, vel circa calend. Septembris, vel melius ante calend. Martias Februario, locis siccis, aut tepidis. Circa idus Ianuarias terræ committi potest, sed quam rarissimè ponatur, vt maiora capiat incrementa: nec est alius eius cultus, nisi vt sarritionibus herbæ tollantur. Cõmodissimè autem deponitur prima parte Septẽbris, vel vltima Augusti parte. Plinius: Siseris satus mensibus Februario, Martio, & Aprili, Augusto, Septembri, Octobri. Seritur vtroque tempore, vere & autumno, magnis seminum interuallis, nullóve minus, quàm ternorum pedum, quoniã spatiosè fruticat, transferre melius. Sed in siseris satione Ruellius doctissimus, & Matthiolus lapsi sunt, putãtes seri posse oculis radice excisis, quod Plinius de elenio dixerat, excipiens à Dioscoride & Columella, vt diximus. *Satio.*

De aro. CAP. LXXVIII.

PRIVSQVAM radicibus finem imponamus, de aro nobis dicendum videtur. Dixit Theophrastus cibo quoq; idoneum esse, & folia eiusdem decocta in aceto mandi posse, suauia profecto. Dioscorides item ait: Radix decocta estur, quum nimis acris sit, folia ad esum conduntur, & acida per se decocta manduntur in totum: ob mitiorẽ eius acrimoniam in cibis expetitur. Plinius: Aron miris laudibus extulere, in cibis fœminã pręferentes, quoniam mas durior esset & in coquẽdo lẽtior. Galenus, Ari radix, rapi modo manditur. In quibusdam autẽ regionibus àcrior quodammodo nascitur, vt dracontio fe-

rè similis sit. Dum rectè parare voles, prioris decoctionis aqua effusa, repentè in alteram calidam iniicere conuenit. Cyrenis contrà quam in nostra regione arum se habet, illic nimirum medicamentosum, minimumq; acrimoniæ possidens, adeò vt vel rapis sit vtilius, iccirco radicem quoq; in Italiam comportant, vt quæ non putrescat, aut regerminet, ac longo tempore perdurare possit. In aqua elixa estur cũ sinapi, & aceto, & oleo garo, quin etiã cum obsoniis, & sale & iis, quæ caseo constant, sumitur. Apud nos in Asia ari radices acriores sunt. Neapoli adeò acres sunt, vt linguam, palatum & fauces incendant. Cæsar de bello ciuili tradens. Est etiam genus radicis inuentum ab iis, qui fuerant cum Valerio, quod appellatur chara, quod admistum lacte multum inopiam leuabat, & similitudinem panis efficiebat, eius erat magna copia, ex hoc effectos panes, quum in colloquiis Pompeiani famem nostris obiectarent, vulgò in eos iaciebant, vt spem eorum minuerent: & paulò post, Exercitus optima valetudine vtebatur.

Nomen. Græcis ἄρον, Theophrasto ἄρρος, apud Syros iupha vocatur. Dioscoride authore. Phanias scribit dracunculum iam arum dici, ex Athenæo. Galenus charum vocat. Latini arum. Itali *iaro*.

Descriptio. Theophrastus. Radix fungosa, mollis, & cortice nuda. Folio item cauo, & cucumeraceo, caulem multum reddens. Radix inferius crassa. Quamobrem dubitabit sane quispiam, an debeat inter radices connumerari: nam radix, quæ sub tellure cohæret, quare postrema non tenuior est, & in acutius assiduè tendit, sed è contrario crescit. Caules & supernæ partes breues, pusillæq; sunt, inferiores verò valdè crassæ, & prægrandes. Dioscorides: Folia emittit dracunculi ferè longiora, & paucioribus sugillata lituris, caulem subpurpureum dodrantalem pistilli specie, è quo croceum semen exit, radice dracunculi alba. Plinius: Aron magnæ cum dracontio litis, quidam enim eandem dixerunt. Radicem nigram, in latitudinem rotundam habet, multoq; maiorem, ex qua manus impletur. Addimus nos: Ante seminis partum sagacis naturæ artificio, dignum erumpit inuolucrum pedali longitudine, quod mucronata in turbinem vaginula puluillis complectitur, & suo fouet sinu, tam est diligens seruandis rerum seminibus Natura. Sed vbi fructu prægnans fatiscit in hiatum, solida pistilli facies dilutiori purpura, rutilans emergit, & anfractu penitus patente crocea semina spectantur, quæ in coronæ modum concinnè contexta imam eius partem ambiunt.

Genera. Theophrastus aron duplex demonstrat, vnum arum dictum, alterum dracunculum, à mensis abdicatum, solum Medicis natum. Phanias idem arum & dracunculum existimauit, ex Athenæo. Plinius Græcorum opinione in marem, & fœminam diuidit, in cibis fœminam præferens, quod mas durior esset, & in coquendo lentior.

Satio. Theophrastus radice seri dixit, vt omnia, quæ capitatorum generis eiusmodi sunt.

Theo-

Theophrastus, Arorum radices fiunt altiles inhibita germinatione, foliis videlicet terra obrutis. Quum enim frondibus luxuriat, perquam amplæ funduntur, sed vt radix maiore proficiat incremento, folia deflectentes ipsa circum obruere solent, quo minus planta in germẽ suscitetur, alimentumq; in suum resiliat caput. Vaporis etiam attractio, qua nutrimentum, profectusq; accedit, ratione minime caret. *Art.*

De habaziz. CAP. LXXIX.

POSTQVAM in radicum mentionem incidimus, priusquã ab his discedamus, de radice illa dicendum proposuimus, quam vulgus *habaziz* vocat, quæ ab omnibus estur, maxima iucunditate, & præsertim hyeme.

Sunt qui existiment ab Hippocrate ὀλοκωνίτιδα dici, à Tralliano cæterisque recentioribus Græcis βολβοκάστανον, quum bulbum, & castaneam mentiri videatur, composita nomenclatione. Ægineta manicam, Mauritani sua voce habaziz vocant, qua etiam voce in Sicilia & Neapoli dicitur. ab aliis Italiæ locis audio *Trasi*, & *dulcichini* dici. *Nomen.*

Folio exit oblongo, & mucronato, caule cubitali, & anguloso, in cuius cacumine frondes, & flores aperti videntur. Radicibus numerosis, & tenuibus, à quibus radiculæ illæ, vt in cypero dependent, ac tandem cyperũ idem esse diceres, seu radices, seu totam plantam spectes, nec natalia differunt, solum radicum sapore differt, qui gratus vescendo, & radix resiccata per trãsuersum striata est, vt harundinum radices. *Descriptio.*

Calidum cœlum videtur exoptare, quale illud Mauritaniæ: nam Siciliæ maritima pars Austrum versus vergens affatim producit, & si à Matthiolo nuspiam in Italia spontè oriri dicatur præterquam amœnissimo Veronensi agro. In Sicilia sponte nascitur, & Neapolim venũ exportant plenos quasillos, & apud nos plantata etiam optimè producit. *Cœlum.*

Solum arenosum, quale Mauritaniæ, & Siciliæ maritima pars, exoptat. *Solum.*

Seruntur radiculæ illæ mense Martio. Augusto excrescunt folia, cui annua sunt, radiculæ autumno eruũtur è terra. Vbi semel seueris, restibili fœcunditate procreantur è radicularum reliquiis. *Satio.*

De capa. CAP. LXXX.

SED cæpinam ingrediamur. Id primo mirandum occurrit, quod Plutarchus recõditioris literaturę author refert commentariolo illo de Iside, & Osiride, quod cæpe reuiuiscit, & congerminat decedente Luna, contra autem marcescit adolescente. Solumq; olerum omnium contra syderis incrementa damnaq; vices minuendi, & augendi habet contrarias. Siquidem omnia crescente Luna gliscunt, & senescente tabescunt, vt in ostreis apertè cognoscitur, quas syderis iuuenta complet, & vberiores facit, seniũ deplet, & maceriores reddit, eamq; ob causam sacerdotes Ægyptij Pelusitæ cæpe

non edebant, & idolus auersabantur, eoq; cibo simul, & feriatis, & castè degentibus interdicebant, his, quòd sitim inuitaret, illis quod lachrimas euocans feriarum celebritatem interpellaret, quibus Ægyptia superstitione imbutis eæ ridiculę rationes satisfaciebant. Agellius ad cæcas rerum discordias reuocare videtur. Sed cæpæ natiuus calor iuuenescẽtis Lunæ intus feruore glutinosum humorem concoquit, & terrenum cum aqueo aerioque constantius permiscet, quod munus obiri nequit, quum magna fiat aquei iactura: nam glutinosus lentor non facilè discutitur, quo fit, vt partes cæparum, quæ prius humore distendebantur, eo nunc exutæ flaccescant, & velut passæ, & in rugas contractæ tabescant. Sed quum sydus orbe toto iam refulsit, & ad intermenstruum spectat, prægnans humorem parit aqueum, quem velut alimentum ex aëre perinde, atque terra, quum hærent exutæ, auidius hauriunt, quo vernaculum lentorem ieiunæ foueant priorem que iacturam illo liquoris raptu resarciant, quo velut satiatæ surgunt, & ferè reuiuiscunt. Siquidem erutæ solo, diutius humi, vel in laquearibus pensiles in aëre viuunt, quasi ancipitis vitæ modo è terra, modo ex aëre nutrimentum capessant: nam extra terram germinare, & humoris illectu gestire certum est. Sed acto colicolo statim euanescere, tunc, quum non satis suppetat crassioris alimoniæ, quo scapus excitetur, depactæ cartilago in ceruicem abit, quin & incrementum saliuæ cæpis declaratur hoc illunii tẽporis curriculo, quum edomita paululum acrimonia subdulcescat, quæ tunc aliquantum ascito humore diluitur. Sed peruestigandum, vt Aristoteles in problematibus inquit, cur cæpe vnum tam acriter mordere oculos potest: vnde nomen quoque à Græcis crommyon impositum putant, perinde quasi pupillam comprimi cogeret. Origanum verò nihil eiusmodi facit, nec aliud quodpiam ex cæteris, quamquam acre. neq; enim nasturtium, quod mordacius est oblatum oculis officit æquè, vt lachrymæ profluant, vt cæpe, & quum oculis admouetur, & quum comeditur lachrymas mouet. An quod acriũ genus discrimine euariat numeroso, quod sua cuiq; vis consistit, rataq; habetur: nasturtium ergo quia calidius est, resiccare quod colliquauerit amplius potest: nam extrudere lachrymã, quum editur, potest, admotum tamen ad oculos, nihil propterea mouet, quia nullũ mittit vaporẽ, est enim id & siccius, & calidius: origanus, cæteraq; id genus calida sunt leniter & sicca: quod lachrymas autem moueat, mordax esse debet, & humidum & lentum; quamobrem oleũ quoq; lachrymas excutit. quamuis leniter mordeat; subiens enim, irreptansq; suam ob lentitiam & tenuitatem dolorem mouet, ac perinde humorem tabificat. At cæpe vim eiusmodi sanè habet, vt quod & humore & vapore sit calido, tenui, & lento, itaque oculis admotum, eo quod vapor eiusmodi est, humorque tenuis commeat, lachrymas mouet, quumq; editur, itidem trãsmissa respiratione facere potest. Allium quidem calidum est, & acre, & humoris aliquid continens, sed

lentum

ſentum non eſt: itaque lachrymam mouere non poteſt. Immo quærit etiam cur allia, & cæpe ſolæ ex plantis reconditæ germinari poſſint: an quod humore alimentoque ſunt refertæ? copia igitur alimenti eſt, quæ germen efficere queat, idque conſtat argumento tum ſquillarum, tum etiam bulborum qui idem facere poſſunt. creſcere autem quodque ſolet, quum tempus venerit. Ariſtoteles etiam ſolſtitio laquearibus appenſas florere dixit. Ægyptiæ gentes antiquitus per cæpe & allia iurabant. Ad id Plinius: Allium, cæpasque inter deos iureiurando habet Ægyptus. Athenęus dixit, antiquos conuiuis cæpam appoſuiſſe, vt plus biberent, atque prouerbium prorepſiſſe, Cæpa in potu obſonium. Porro iuxta coronarias herbas, acria, vt cæpas, allia & id genus ſerenda præcipit Theophraſtus. Id enim multum conferre ad creandum odoris ſuauitatem affirmat, quod ſi verum fuerit, ad alteram harum cauſarum referre conuenit, aut quòd quantum inibi mali odoris adfuerit, ea ad ſe alliciunt, alitur enim vnumquodque re ſibi conſimili, attrahens cognatum, vicinumque, quo ſummoto reſiduum purius, odoratiusque relinquitur, aut quod locum ſuo edaci calore reſiccent, ſiccis enim locis omnia proueniunt odoratiora. Columella eius docet condituram. Hanc prius ſole ſiccatam, deindè ſub vmbra refrigeratam, ſubſtrato thymo, vel cunila componito in fidelia, iure, quod ſit aceti trium partium, & vnius muriæ, faſciculum cunilæ ſuperponito, ita vt cępa deprimatur, quæ quum ius combiberit, ſimili miſtura vas ſuppleatur,

Nomen. Græcis κρόμμυον, quod oculorum tunicam, pupillamq; comprimi cogat, mordaci vapore lancinando cõniuere, cõtrahiq; cogat, lachrymas eliciendo, vt ſuperius ex Ariſtotele diximus in problematis. Latinis cæpa, & neutro genere cæpe, à capitis magnitudine dicta. Itali *cepolla.*

Genera. Differunt & cæpæ genere ex Theophraſto: pleræque ſunt, vt quæ à locis nomina acceperint, Gardiæ, Cnidiæ, Samothraciæ. Item Setaniæ, fiſſiles, & Aſcaloniæ. Ex his Setaniæ minimæ, ſed largæ, dulces. Fiſſiles verò & Aſcaloniæ tum cultu, tum natura inter ſe differunt. (ideo nos de illis ſeparatè dicemus) Colore etiam differunt nonnullæ, etenim apud Iſum cætera quidem candidis ſimiles conſtant, ſed colore candidæ admodum proueniunt, Sardianisque ſimiles ferè affirmant. Cretenſium peculiaris maximè natura notatur. Sed Aſcaloniis quodammodo proxima. ni fortè vel eadẽ dici debet. Plinius. Cæpe genera apud Græcos, Sardia, Samothracia, Alſidena, Setania, Schiſta. Aſcalonia ab oppido Iudęæ nominata. Eſt & colorũ differentia. Samo enim, & Sardibus candidiſſimæ proueniunt. Sunt in honore Creticæ, de quibus dubitant an eædem ſint, quæ Aſcaloniæ. Diſtant ſapore tantum dulci. Apud nos duo prima genera, vnum condimentarium, quod illi gethyon, noſtri pallacanã vocant, alterum capitatum. Genera eius auſteritatis ordine, Africana, Gallica, Tuſculana, Amiternina. Columella tria recenſet genera: Pompeianam, Aſcaloniam, & Marſicam ſimplicem, quam ruſtici

vocant vnionem, ea est autem, quæ non fruticat, nec habet soboles adhærentes. Plinius cæpas, non esse syluestres dixit. Apud nos duo sunt genera: Augustiniana, quæ Decembri seritur, transplantatur Martio, & Augusto eruitur, editurque. Si verò relinquitur, iterum Septembri eruitur, diuiditurq; in plura capita, ac plantatur, Martio eruitur, editurque. Si verò relinquitur, iterum Septembri eruitur, diuiditurq; in plura capita, ac plantatur, Martio eruitur, nam porri instar longa est ceruice, ac editur. Hæc Columellæ dici potest Marsica cæpa. Si relinquitur Augusto semen affert, ac illico obarescit. Est & alia communis, quæ Octobri seritur.

Descriptio. Capitatorum corpus ferè carne, & cortice tutum est, tenui folliculo totum vestiente, quapropter non immerito in dubium venit, si hæc in radicum numerum asciici debeant, etenim quod subter terræ cohæret, radix esse creditur, quod è diuerso promitur, nullam radicis conditionem putamus. Si quidem radicis is est habitus, vt parte posteriore semper extenuata in gracilitatem, quasi in mucronem minuatur, radix cæpe contra crescit, vt in latus tendens inolescat, nam cæteræ radiculas de suo latere mittunt. Cæpæ corpus tunicatum est, quum semper aliquid eximi potest, quod duplex genus radicis quodãmodo exhibere videtur, habet enim carnosam illam, & corticosam, & eas, quæ ex illa proueniunt. Folio illico à radice exeunt, pediculo carentia, & concaua. Ex caulibus laterales surculos non edit, quia secaulis est. Fœcundissima seminis. Quum seritur, & nucleus intumescit, tota intorquetur, & hinc aucta rursus in nucleos discernitur, atque ex vno plura efficiuntur, dum caput consummatur, & continuo ab radice aliud atque aliud obducit, & si non euellantur, plura in dies fiunt. Super fistula capitari posse affirmant. Germen ab imis educere potest. Omnia capitata, partem superiorem tenuem, imbecillemque, radices amplas, carnosasque gerunt: prorsus in quibus acredo inest, vel alia eiusmodi vis, radicibus potius inest, quod ratione optima euenit, quum natura eò potius tendat. Hæc omnia ex Theophrasto. Addimus. Cæpa caulem vacuum promit, florem iucundum villosum, purpurascentem, semẽ copiosum nigrum. Caulis à ceruice sensim comprimitur in latiorem, & à lateribus reductam vtrinque circumferentiam, bulbi vmboni numerosa fibrarum coma aptata subest.

Cælum. Iulius Pollux Samothraciam commendat, ex Athenæo.

Solum. Columella. Cæpina magis subactam postulat terram, quàm altius conuersam, itaque ex Calendis Nouembris proscindi solum debet, vt hyemis frigoribus & gelicidiis putrescat, intermissisq; quadraginta diebus, tum demum iterari, & interpositis vno; ac viginti diebus tertiari, ac protinus stercorari, mox bidentibus æqualiter perfossum in areas disponi, deletis radicibus omnibus. Palladius. Terram pinguem vehementer subactam irriguam stercorari. Cassianus, in terra rubra lætari.

Theo-

Theophrastus semine prouenire dicit, qui prouentus omnibus communis est. Seritur etiam radice, vt omnia capitata, quum tunicas habeat plures, & lentitiam quandam, vnde diuidunt eas in fibras, tegumentaque detrahunt, deinde omne nō viuum à vitalibus semouendum censent: quum neque partes istæ viuant, nec primatum obtineant. Omnes post autumnum proueniunt, tepido adhuc solo, vt depositas imbres occupent. Seruntur & toto capite, & circumciso, sed generationes haud similes fieri solent: parte nanque inferiore cæpæ nascuntur, superiore herba tantum erumpit. Sectæ in rectum germinare omnino nequeunt, sed vtra sit radix, bulbus an fibræ diximus iam ex Theophrasto. Sed constat bulbum radicis rationem obtinere, siquidem & sub terra est, & sine fibris etiam vtuntur vice radicum: si verò fibræ subsunt, erit fibra bulbi radix, aut vtraque fuerit radicis pars, sed potior bulbus, quoniam mortuis fibris viget nihilominus. Aliqui tunicas & fibras abscindunt, quod neutrum impediat generationem, argumentumque est, quod cæpullæ in cellis suspensæ germinant, tolluntur fibræ, & nouellas submittunt, tunica non prohibet generationem, sed defendit putrefactionem. Diligit aquam, quamquam nōnulli negent, si principio bis, aut ter imber incesserit: non desunt tamen, qui pluuias aquas prodesse minimè putent. Columella: Ad Calendas Februarias sereno die conuenit semina spargi, quibus aliquid Satureiæ seminis intermiscendum erit, vt eam quoque habeamus. Sed cæpina certè non minus debet, quàm quater sarriri. Palladius: Februario mense cepullas serimus, sed cōstat vere, & autumno esse seminandas. Si tamen eas seueris, in caput crescit, & minus reddit in semine. Si capitulum ponas, ipsum inarescit, & multū semen educit. Vbi terram parauimus, ibi areas faciemus, omnibus herbis, & radice purgatas. Seremus placido, & sereno die, maximè Austro, vel Euro flantibus. Si minuente Luna serantur, tenues & aridiores prouenient, si crescente, robustæ & saporis humecti. Rarius sunt ponendæ, runcandæ ac sarculandæ sunt sæpius. De quibus semina colligenda sunt, iuuentur amminiculis, vbi caulem cœperint excitare. Quum niger color seminis fuerit, præferunt maturitatis indicia. Vellendi sunt thalli adhuc semisicci cum semine, & sic in Sole siccandi. Martio locis frigidis: Octobri semine seruntur, & Nouembri. Martio mense cepullas seremus, & Aprili. Iulio mense serimus irriguis, & frigidis locis. Plinius: Seritur Amiternina frigidis, & humidis locis, & sola allij modo capite, reliquæ semine, proximaque æstate nullum semen emittunt. sed caput tantum, quod inarescit. Sequenti autem anno permutata ratione semen gignitur, caput ipsum corrumpitur. Ergo omnibus annis separatim semen, cæpæ causa seritur, separatim cæpæ, seminis. Cætero cæpas ter fosso solo seri iubent, extirpatis radicibus herbarum. In iugera denas libras. Intermisceri satureiam, quoniā melius proueniat. Runcari præterea, & sarriri, si non sæpius quater. Quærit Aristoteles in problematis: Satio.

Cur cæpæ & allia, quò sicciora serantur, eò meliora possint euadere, cætera autem deteriora? An quòd omnia istiusmodi maximè plena humoris cõficiuntur? Itaque terræ commissa sicciora temperamento commodo germinare incipient. Adde quod minus putrent, quum sicciora seruntur.

Art. Theophrastus folia his vere detrahenda censet, vt vim suam in imo cõtineant, neque effusæ seminescant. Sotion: Capita, vt maiora reddantur; si quum transfertur, fibras, omnemque comam auferas. longè maiores cæpæ nascentur, si quum transl tioni locus est, in terra viginti diebus ante subacta, & tantisper resiccata, dum omnis exhauriatur humor, deponatur. Magis in capita crescẽt, si detractis tunicis, nudæ pangẽtur. Palladius: Si capitata his voluerimus esse maiora, folia omnia debemus auferre, & sic succus ad inferiora cogetur.

Cõditura Incorrupta durabunt, inquit Sotion, si in calidam aquam demersæ, mox insolatæ, donec penitus siccescant, paleis ordeaceis recõdantur: ita compositæ, vt nulla parte se contingant.

De ascaloniis. Cap. LXXXI.

QVIA ascalonias cæpas tum natura, tum cultu ab alijs Theophr. differre dixit, ideo illarũ separatim meminerimus. Plin. ascaloniã condi dixit.

Nomen. Græcis ἀσκαλώνια κρόμμυα, Latinis Ascalonia cæpa. Plinius: à Iudeæ oppido nominata. Alij Ascalonitides siue Palęstinas vocant gentili nomine dictas. Nos retentis pristini vocabuli rudimentis vulgò *scalogne* dicimus.

Descriptio. Peculiarem quandam figuram, vel naturam habent, vt rectè meminit Theophrastus, quippe ancipitem inter cæpam, allium, & porrum, similiores cæpis, sed minores, multæ, & simul coaceruatæ.

Genera. Theophrastus: Cretensium peculiaris natura notatur, sed Ascaloniis quodammodo proxima, ni forte vel eadem dici debeat. Est in Creta genus quoddam quod semine quidem satum, ni radices crassatur, depositum verò in caulem semenque totum funditur sine capite, saporeque dulce est: id enim contrarium quasi cæpis habet, omnes namque depositæ, melius celeriusque proficiunt. Plinius: sunt in honore & Creticæ, de quibus dubitant an eædem sint quę Ascaloniæ, quoniã satis capita crassescunt, depositis caules, & semina. Distãt sapore tantùm dulci. Hoc genus nobis ex Caieta affertur, vocanturq; *scalogne capece*, nam maiores fiunt, aliæ acrioris saporis.

Cœl. Sol. Cœlum, quale Iudęæ, & solum vt cæpæ reliquæ desiderant.

Satio. Quia solæ fissiles, & veluti steriles ab radice cõsistunt, ideo iubet Theophrastus quũ neq; ab radice crassescãt, semine seri, nõ deponi. Prętereà circa ver, quũ germinant trãsferri. Maturę celeriter putrescũt. Si deponãtur, caulẽ ædunt, & semẽ fundunt, tũ ipsæ euanescũt. Columella: Si cæpæ semen excipere velis, capita maxima generis Ascalonij, quod est optimũ mense Februario, deponito, quaternorum vel etiam quinûm digitorum spatiis distantia, & quum

& quum cœperint virere, nec minus ter consarrito, deinde quum fecerint caulem, humilioribus, quasi canteriolis interpositis rigorem stylorũ conseruato: nam nisi arundines transuersas in modũ iugatæ vineæ crebras disposueris, thalli cæparum ventis prosternuntur, tantumque semen excutietur, quod scilicet nõ antè legendum est, quàm quũ maturescere cœperint, coloremq; nigrũ habere. Sed nec patiendum est, vt perarescat, aut totũ decidat. Verùm integri thalli vellẽdi sunt, & sole siccandi. Plinius. Ascaloniarum propria natura: etenim velut steriles sunt ab radice, & ob id semine seri illas, non deponi iussere Græci: præterea serius circa ver, quum germinant transferri, ita crassescere, & tunc properare præteriti temporis pensatione. Festinandum autem in his est, quoniam maturæ celeriter putrescunt. Si deponantur & caulem emittunt, & semen, ipsæq; euanescunt. Ascaloniam mense Februario serunt nostri. Neapolitani Martio mense serunt, vt allij spicas. Primò pastinantur Maio, secundò Iunio, Augusto terra eruuntur, laquearibus appensæ seruantur ad vernam sationem.

Nostri olitores inquiunt, si quis allij spicas in perforatã cæpam indiderit, ac plantauerit, in Ascalonias cæpas mutari. *Ars.*

De cæpa fissili. CAP. LXXXII.

DIFFERT etiam à cæteris cæpa fissilis cultu, & natura, vt scribitur à Theophrasto: ideo post Ascalonias de eis dicemus, vt clarius, quæ scribimus, elucescant. Fissilis etiam conditur, Plinio authore.

Theophrastus σχιςὰ κρόμμυα, Theodorus vertendo Theophrastũ fissiles vocat, idq;, quia detractis prioribus foliis altero germinãt, simulq; inferius finduntur, vnde fissiles appellatæ. Plinius à Græcis schista vocat. Itali *cepolle maliggie.* *Nomen.*

Theophrastus. Fissilem hyeme cum sua coma relinquunt inertem, vere externa folia detrahunt, & reliqua colunt, detractis his foliis altero germinat, simulq; inferius findũtur. Quidam vel omnibus detrahenda folia censent, vt vim suã imo contineant, neq; effusæ seminescant. Plinius. Schistam cum sua coma hyeme relinquunt, vere folia detrahunt & alia subnascuntur iisdem diuisuris: vnde & nomen. Hoc exemplo reliquis quoque generibus detrahi iubent, vt in capita crescant potius, quàm in semina. Apud nos, vt porri plantantur, vt pede distet altera ab altera, & suum vnaquæq; impleat foramen. Cespitem magnum faciunt. Æstate post Pascha eduntur. *Satio.*

De gethyo. CAP. LXXXIII.

DVBITATVR à nõnullis gethyũ an inter cæpæ genera, vel porri reponẽdum fuerit. Nos inter vtrumq; locauimus, post cæpã, & ante porrum. Theophrastus inter cępæ genera recenset. Plinius cæpam in duo genera diuidit, in capitatũ, quod cæpã diximus, & condimentariũ, quod gethyon vocãt. Theop. γήθυον vocat. Sed sunt ex Græcis, Athenæo referẽte, qui eũ gethyllida, & epithillida vocãt. Sed Epænetus gethyllida capitatũ porrũ appellari *Nomen.*

tradit. Latini pallacanam vocant, authore Plinio. Ait enim. Condimentarium genus, quod Græci gethyon vocant, nostri pallacanum, sed inuenitur plerunq; gethyon, getion dici, sine y, & aspiratione. Neapolitani *porrone* vocant, quod magnum porrum præ se ferat. Sed non est à cæpis separatum genus. Nascitur enim in cæpinis, quum strictius satum est, aut solo minus pingui, & masculescere dicunt.

Descriptio. Ita eum depingit Theophrastus. Gethyon penè sine capite est, ceruicis tantùm longæ, & ideo totum in fronde, sæpiusq; resecant, vt porrum. Singulari capite est, vt cæpa, allium, porrum. Germinat suo latere. Subtus veluti quoddam caput bulbaceum suo latere promit, vt porrum, quod folia, semine etiam sublato, & arefacto prorsus caule creat. Caput multis tunicis constat, vt bulbi, cæpæ, & similium: folio cõcauo, semine ad perdurandum infirmo. Didymus gethyum simile fecit ampelopraso. Aristophanes gethyum naturam radicum allij habere dicit, Athenæo authore. Plinius: Gethyum penè sine capite est, ceruicis tantum longæ, & ideo totum in fronde resecatur, vt porrum, folio concauo. Semen infirmum ad perdurandum.

Satio. E secunda sementi est, inquit Theophrastus. Post brumã Ianuario mense incipit, tunc seminant, defiguntq; gethyum, decimo, aut duodecimo die prosilit, ex recenti semine maturius. Non annicaule modo, sed à bimatu etiam fructificat, nec annuum dici debet. Semine seritur nõ deponitur, quia germinatio tota in fronde, sæpiusq; retondetur. Diligit aquã, quamquam nonnulli negent, si principio bis, aut ter imber incesserit. Fimum cupit. Difficile germinat: humorem enim habeat aptum & non minus, sed forsitan magis temperiem ad augendum, ac patiendum, oportet, quod germinaturum facile, beneq; sit. Plinius. Seritur mensibus Martio, Aprili, Maio, non deponitur. Ex recentiori semine maturius gignitur. Radix diuturna: quia ex ea nascitur.

De porro. CAP. LXXXIIII.

ET in hac cognatione de porro dicendum, inquit Plinius: præsertim quum sectiuo nuper authoritatem dederit princeps Nero vocis gratia, ex oleo statis mensium omnibus diebus, nihilque aliud, ac ne pane quidem vescendo. Fama est Melam equestris ordinis reum ex procuratione à Tiberio principe accersitum in summa desperatione succo porri ad trium denariorum argenteorum pondus hausto, confestim expirasse sine cruciatu. Ampliorem modum negant noxium esse. Sed cur porrum prosit ad vocem sonoram quærit Aristoteles libro problematum. nam & perdici commodũ eadem in re nouimus. An quod allium quoq; elixum delinit, & quidem porrum lentitiam quandam obtinet, quę fauces detergere possit. Porrum non olere scribit Sotion, qui cuminũ prægustarint: hoc enim esu grauis odor extinguitur. Capitatos porros, vt Athenæus est author, Latonę sacros

cros esse narrant: nam quum Apollinem in vtero gestans, prægnantiũ malacia laboraret, hoc cibo fertur elanguentem appetentiam inuitasse: quare Polemon vetustus Aristophanis enarrator, quum id olus Latona concupisset, latam fuisse Delphis legem tradit in Theoxeniis; Qui maximum attulisset porrum huic deæ, sportulam è mensa sacerdotum acciperet. Seque vidisse fatetur Athenæus gethyllidem in rapi magnitudinem excreuisse. Diphylus obsonia commendare dixit. Esus in olere, vbiuis frequens.

Nomen. Græcis πράσον dicitur à colore, Latinis porrum, à callosa porri capitis simillima in ossibus ferruminatis concretione, vt coniicimus. Alij porrum volunt dictum, quòd porrò eat, & longè lateq; grassetur. Itali *porro*.

Genera. Porrorum duo genera, syluestre & satiuũ, agreste ampeloprason dictũ, de quo dicturi sumus mox in sequenti. Satiui duo genera signauit antiquitas, capitatũ & sectiuũ. Capitatũ Dioscorides κεφαλωτὸν vocauit, quod eius radix in caput crescat. Athenæus gethyllidas dici testatur ab Epæneto. Alterum genus sectiuum vocant, quod frondenti coma super terrã eminens auferatur. Videtur id genus Martialis Tarentinum vocare ob grauem halitum quem eructat:

Et Tarentini grauiter redolentia porri
Edisti quoties. oscula clausa dato.

Sectiui Plinius duo genera facit. Herbaceũ folio incisuris eius euidentibus, quo vtuntur medicamentarij. Aliud genus rotundioris folij, suauiorisque, incisuris lenioribus. Sed miror antiquos porrum in duo genera diuisisse, quod vnum naturale, alterum artis mangonio confictum sit.

Descriptio. Theophrastus annuo folio non dici debere autumat, quippe nõ annuo folio, sed à bimatu fructificare. Vnicaule esse, nec è lateribus laterales surculos emittere. Semine fœcũdissimo. Semine ad perdurandum firmo. Plinius ait, nõ annuum tantũ, sed sæpius parere: renasci enim à radice: semine firmo. Addim' nos. Porrũ radice est cartilaginea, crassa, multis fibris capillata, tunicis quibusdã vestita, ex albæ ceruicis augustiis extuberans, fronde super terram carinata, & in angulum oblonga, colore adeo viridi, vt pro herbaceo porraceus color vsurpetur, bimum prosilit in caulem longum, cauum, multis floribus aceruatim collectis, & in speciem absolutæ pilæ cõglomeratis. Vbi sementem protulit, intermoritur.

Cœlum. Palladius loco læto, & campestri lætari ait. Nos omne cœlum sustinere vidimus. Columella aricinum laudat.

——— *Quæ mittit Aricia porri.*

Martialis: *Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros,*
In niuea virides frõte cerne comas.

Plinius laudatissimos in Ægypto, mox Orchiæ, atque Ariciæ.

Solum. Palladius plana, alte pastinata, diu subacta, & stercorata terra lætari. Plinius: Insigne quod infimo, lætoq; solo gaudeat, rigua odit, & tamen proprietate quadam soli constat.

Satio. Theophrasto è secunda semẽti est. Post brumã Ianuario mense defigitur porrum, duodeuigesimo die, & vigesimo à satu prorumpit, è recentiori semine celerius prouenit. Cuius causam in libro de causis disquirit. Quia omne calidum facilè germinat, & calida sunt, quæ acria, porrũ verò, gethyũ, satureia, origanum acria sunt, & tamen non cito germinant, sed humorem habeant aptum, temperatumq; ad augendũ, pariendumq; oportet, quod cito breuiq; germinaturũ est. Columella: Mense Februario porri semen ponitur; locis apricis circa Calendas Martias licet porrũ (si iam ingranduit) transferre. Circa Calendas Aprilis æquè transferes. Porri caput circa idus Maias tolerabiliter adhuc trãsfertur. Sotion admonet, post sationẽ porrorũ, statim cõculcãdos esse sulcos, & nõ irrigãdos, sed neglectos relinquẽdos per tres dies, quarta verò rigari debere, ita enim pulcherrimos prouẽturos.

Ars. Theophrastus porro recisionẽ conferre dixit, tonsumque, retonsumque tenerius, dulcius, albidius, & omnino melius euadere: rationẽq; reddit libro de causis, quippe q̃ diminuuntur, eo magis vere cõcipiunt, & si validiores fiunt, plus pabuli trahũt, meliusq; incoquere possunt. Germinatio enim prima, vt debilis, deterior etiã: præterea frondibus illis ablatis, vtpote impedimento ablato plus proficit. Columella: Si sectiuũ facere velis, densius satũ præceperũt priores relinqui, & ita quũ increuerint secari. Sed nos docuit vsus longè melius fieri, si differas, & eodem modo quo capitatũ modicis spaciis, id est inter quaternos digitos depangas, & quum conualuerit deseces. In eo autẽ, quod magni capitis efficere voles, seruandum sit, vt antequã translatum deponas, omnes radiculas amputes, & fibrarũ summas partes intondeas: tum testulæ, vel conchulæ, quasi sedes in singulis subiectæ seminibus adobruuntur, vt fiant capita latioris incrementi. Cultus autem porri capitati assidua sarritio, & stercoratio est, nec alius tamen sectiui, nisi quod toties rigari & stercorari, sarririque debet, quoties demetitur. Palladius: Si porrum sectiuum facere velis, post duos menses, qui satus est, poteris dissecare, & mandare in areis suis: quamuis asserat Columella etiam sectiuum diutius duraturum, melioremque, si transferatur, & quoties secabitur, aqua iuuetur, & stercore. Apud nos qui temperatis degimus locis, seritur Decembri, Ianuario, Februario, & Martio, semine fuso, Martio deinde transfertur, pangiturq; in sulcis: distet alter ab altero quatuor digitorum latitudine, quum rectè accommodaueris, dum secundus ducitur sulcus, effossa humo cooperitur, atq; pedibus leuiter calcatur. Primo secãtur Iunio, stercoranturq; & irrigantur, secundo Augusto, tertio Septembri, eandem semper operã imponendo. Post mensem eruuntur, exponunturq; væno. Alij serunt palo foramine adacto, pedem profundo, radiculas amputant Aprili, Maio, & Iunio. Seruntur etiam Iulio, Augusto, Septembri, & Octobri. Inde eruuntur Martio, & Aprili. Poteris etiam inter cæpas serere. Palladius: Si capitatũ facere velis, quod vere seueris, Octobri mense trans-

ferre

ferre debebis, sed rarius feras, sarculo frequentandus est, & herbis liberandus, quum digiti crassitudinem habuerit à media parte præcisis foliis, & truncatis radicibus transferatur. Oblitus fimo liquido quaternis, vel quinis digitis separetur: quum radices aget, modicè comprehendendus, & alleuandus est sarculo, vt suspensus à terra, quod spacij vacuum subter inuenerit, capitis vastitate cogatur implere. Columella. Quo porri incrementum maius fiat, raris linteolis complura grana illigantur, atq; ita obruuntur. Enatum autem in his locis, quibus aqua subministrari non potest, deferri debet circa æquinoctiũ autumni, at quibus possis humorẽ præbere, mense Maio rectè transfertur. Palladius: Item plura semina in vnum ligata si deposueris, grandis porrus nascetur ex omnibus. Item si capiti eius rapæ semen immittas sine ferro, & pangas, multum fertur increscere, melius si frequenter hoc facias. Theophrastus, Porrorũ magnitudo ex transhalatione fit. Et semina plura linteolo deligata terræ mandari iubet, sic radices, & germina faciet ampliora. Plus enim valent quæ plura, & illa omnia in vnam naturam coalescunt. Sotion Græcus laudat statim, atq; satum fuerit, puluinos arearum pedibus proculcari, triduumque velut habitũ neglectui minimè rigari, quarto die aquæ respersu iuuari, ita probatissimum nasci putat. Si inter serendum arena terræ misceatur, vberrimum prodibit, si dum transfertur, capiti stilo vel arundine citra ferrũ puncto cucumeris semẽ in mediũ inseras, mirum in modũ fertur grandescere, quando seminiis coalescentibus in magnũ tumorem extuberabit. Sunt qui nõ cucumeris, sed rapæ semen ventri potius insinuent, hoc in vnitatem coiens, turgidam capiti molem adfert. Item si quanta tribus digitis carpi possunt, oblita fimo semina vetere linteo ligata deposueris, grãdis porrus nascetur ex omnibus, si protinus irrigetur. Hoc falsum esse iam supra declarauimus.

Vermiculos paruos porros insectantes Theophra. πρασοκουρίδας vocat. *Inf. rem.*
quasi porricidas dicas, hos humor collectus interimit, & fimus aceruatim iniectus: industria enim bestiola condit sese, & vt in stramento, quiescit in stercore: quamobrem venari facile est, aliter nulla venandi datur facultas.

De ampeloprason. CAP. LXXXV.

AMPELOPRASON Galenus inter porrum, & albũ medium quoddam esse dicit. Nos post porrũ locauimus, dicturi mox de allio. Ipse syluestre porrum esse testatur, & tantum à porro dissidere, quantum in congeneribus syluestre à satiuo. Syluestria enim omnia maiori acrimonia, sicciorique natura pollent. Salgamarij cæparum modo in aceto condiunt, & vsque ad sequentem annum recondunt, & sic innocentius redditur.

Dioscorides ἀμπελόπρασον vocat, quasi vineale, vel vitigineum porrum *Nomen.*
dicas, nomen à natalibus inditum. Plinius ampeloprason vocat. Neapolitani *porrini, & porri seluaggi.*

Plinius ita describit: Folij porri, ructu grauis. Addimus: Caule prosilit *Descr.*

cubitali, foliis porraceis, ſed anguſtioribus, flore candido, radice bulboſa.

Solum. Plinius, Prouenit in vinetis.

De allio. CAP. LXXXVI.

ALLIVM Plinius ad multa ruris medicamenta prodeſſe credit, tædium huic quoq; halitu, vt cæpis, nullũ tamen coctis. Menander è Græcis author eſt, alliũ edentibus ſi radicem betę in pruna toſtã ſuperederint, odorẽ extingui. Sotion, Allium edentibus halitus tædium dixit aboleri, ſi crudam fabam ſupermanducauerint. Plinius: Ferrum ad ſe trahente magnete lapide, & allio rurſus abigente à ſe. Caſſianus: Magnes attrahit ferrum: expirat ſi illi alliũ affricetur: reuiuiſcit ſanguine hircino ipſi infuſo. Plutarchus: Magnus allij cum magnete diſſenſus, quam vocant antipathiam, tantumque inter has res ſurdas, & ſenſu carentes odium, vt ferrum abigat à ſeſe, ſi affricetur allio lapis. Idem confirmat Ptolemæus, magnetem non trahere ferrum, ſi linatur allio. Quærit Ariſtoteles in problematis, cur allia quum excaleſcunt plenius quàm recens edita oleant. An quod recẽtia humoris multum adhuc extranei continent? quo fit, vt vim ſuam integram habere nequeant, quum autem decocta iam ſunt, ſecreto humore illo inutili tum ſuum odorem ſincerè adipiſcuntur, qui ſcilicet acer eſt. Quin etiam cæteri nuper æditi fructus dilutiores ſunt, & cæpas recentiores ob eam cauſam minus acres ſentimus. Si iuxta coronarias herbas ſeratur, magis eas olere facit, cuius rationẽ ex Theophraſto reddidimus in cæpis. Pantheræ, leoneſque non attingunt perunctos allio, præcipuè ſi & allium fuerit incoctum. Allium cæpaſque inter deos iureiurando habet Ægyptus, ex Plinio.

Nomen. Nominant Græci *σκόροδον*, vt nonnullis placet quaſi *σκαιὸν ῥόδον*, id eſt rudem roſam, quòd aſpere ſupra modũ redoleat & nares offendat. Alij quod pandiculationes moueat, quas Græci *σκορδινισμοὺς* vocant, ſcorodon vocatum dixêre. Latini allium dicunt à Græco fortaſſe verbo *ἅλλεσθαι*, id eſt exilire, quòd nimium exiliendo creſcat. Itali *aglio*.

Genera. Theophraſtus. Diſcrimen eorum quod aliud præcox, aliud ſerotinum: eſt enim genus quoddam eiuſmodi, vt ſexaginta diebus perfici poſſit. differunt præterea magnitudine ſingulari, vt Cyprium vocatum maxime tale eſt, quod non decoquunt, ſed in myttotis vtuntur, & quũ tunditur mirum quàm ſpuma increſcat. Quin & illud differentiam facit, quod quædam non nucleis coagmentantur. Dioſcorides in duo etiam diuidit, in ſatiuum hortenſe vnum, alterum ſylueſtre. Satiuum aliud Ægyptium, ſingulari conſtans capite: aliud ex pluribus coagmentatum nucleis, ſylueſtre ophioſcorodon dictum. Plinius à Theophraſto. Generum differentia in tempore: præcox matureſcit ſexaginta diebus. Tum in magnitudine. Vlpicum quoque in hoc genere Græci appellauere allium cypricũ, alij antiſcorodon, præcipuè Africæ celebratum inter pulmentaria ruris, grandius alio, tritum in oleo & aceto, mirum quantum increſcat ſpuma.

Theo-

Theophrastus. Folia illico ab radice exeunt, vnicaule. Plinius: Tenuissimis, & quæ separantur in vniuersum velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, & his separatim vestitis: asperi saporis: & quo plures nuclei fuere, hoc est asperius. Addimus: Fronde viret cæpacea vel graminea, caule tereti, & inani. In cacumine flores in globum circumaguntur, in quo semen emicat. Bulbis è multis nucleis vna spicatim congestis, membraneis cuticulis inuolutis, è quorum medio fibrillæ tortiles porriguntur. *Descriptio.*

Sotion optimè alba terra prouenire ait. Palladius idem. Terra maximè alba seritur, fossa, & subacta sine stercore. *Solum.*

Substinet quodcunque cælum. Vniuersale enim olus est. *Cælum.*

Theophrastus hæc de allij satione: Allium ante solstitia, aut paulo post solstitia, seritur, nucleatim diuisum: perfici enim semine potest sed tardè. Primo anno caput accipit porri, sequenti discerni in nucleos incipit, tertio redditur perfectum, nec quicquã deterius. Sed etiam quidam vel deposito melius id existimant. Radicis autem allij, aut cæpæ, haud similis ortus fieri solet. Allij namque quum nucleus extumuerit, tota intorquetur, & hinc aucta in nucleos rursus discernitur, atque ex vno plura efficiuntur, dum caput consumatur. Etenim si non euellantur, plura in dies fiunt. Super fistula quoque & allium capitari posse affirmant. Neapoli continuè visitur, vt mihi multoties videre contingit, in allij flore, quem diximus, orbiculatos bulbillos paruos prouenire, vt quot fuerint flores tot bulbos producat. Quando seruntur allia, diuidere bulbos in nucleum solent, & cæparum fibras, tegumentaq; detrahunt: denique omne non viuum à vitalibus semouendum censent, vt etiam arboribus partes, quæ obarescunt, abscindere solent. Columella: Autumno conseri debet allium. Et vltima temporis positio allij est Februario mense. Circa calendas Octobris antequam deponantur allia, ex vna capite in plura diuiduntur, habent enim plures cohærentes spicas, eæque quum sint diuisæ, liratim seri debent, vt in puluinis positæ, minus infestentur hyemis aquis. Est autem lira similis ei porcæ, quam in sationibus campestribus rustici faciũt, vt vliginem vitẽt. Sed hæc in hortis minor est faciẽda, & per summam partem eius, id est in dorso, inter palmaria spacia, spicæ allij disponendæ sunt. Sulci lirarum inter se distent semipedali spacio, deinde quũ ternas fibras emiserunt spicæ, sarriantur: nam quò sæpius id factum est, maius semina capiunt incrementum. Regionibus pruinosis per autumnum non seri debet: nam brumali tempore corrumpuntur, quod ferè mense Ianuario mitescit, & iccirco frigidis locis tempus optimum est allium ponendi circa idus prædicti mensis. Multa tamẽ ante calendas Ianuarias medijs diebus serunt mense Decembri, si cœli tepor & situs terræ permittit. Palladius ab eo: Nouẽbri mense sulcos in areis facies. & semina in locis altioribus pones quatuor digitis separata, neq; altius pressa, sarculabis frequenter, inde plus crescunt. Plinius: quidam allium in pla- *Satio.*

no seri vetant, castellatimq; grumulis imponi distātibus inter se pedes ternos. Inter grana quatuor digiti interesse debent: simul atque tria folia eruperint, sarriri. Grandescunt quo sæpius sarriuntur. In frigidis vtilius vere seri, quàm autumno. Sunt qui allium inter compitalia, ac saturnalia seri aptissimè putent. Allium & semine prouenit, sed tardè Primo enim anno porri crassitudine capite efficitur, sequenti diuiditur, tertio consummatur, pulchriusq; tale existimant quidam. In semen exire non debet, sed intorqueri caulis sationis gratia, vt caput validius fiat. Apud nos ponuntur spicæ Septembri, vbi quatuor foliorum fuerit, primo foditur Octobri, secundo Decembri, tertio Ianuario, quarto Februario. Si spicas quæris eruuntur Maio: si relinquis, erit Decembri tenerrimum.

Art. Quo vastiora capita fiant, docet Columella, Antequam caulem faciant, omnem viridem superficiem intorquere & in terram sternere conueniet. Sed quandocunq; vel conseremus, vel iam matura in tabulatum reponemus, seruabimus in iis locis, quibus aut obruentur, aut eruentur, vt Luna infra terrā sit: nam sic sata, & rursus sic recondita existimantur, neq; acerrimi saporis existere, neque mandentium halitus inodorare. Palladius ab eo: si capitatum facere volueris, vbi cœperit caulis prodire, proculca, succus reuertetur ad spicas. Fertur si Luna sub terris posita seratur, & item sub terris Luna latente vellatur, odoris fœditate cariturum. Plinius: Cæterum vt odore careant, omnia hæc iubentur seri quum Luna sub terris sit, colligi quum in coitu. Allia tradit Sotion dulcescere, quorum fractæ leniter spicæ serantur, dulciorem contrahere saporem, quæ in pangendo olearum fraces admiserit. Idem asserit, allium, si Luna sub terris posita seratur, & item sub terris Luna latente vellatur, odoris fœditate cariturum. Meliora nascuntur omnia aceruatim sato semine, quàm sparso, ita certè allium serunt in laciniis colligatum.

Cōditura Plinius: Quod si diutius allium, cæpamque inueterari libeat, aqua salsa tepida capita intingenda sunt, ita diuturniora fient, melioraq; vsui, sed in satu sterilia. Alij contenti sunt primo super prunas suspendisse, abundeque ita profici arbitrantur, ne germinent, quod facere allium cæpamque extra terram certum est, & cauliculo acto euanescere. Aliqui & allium palea seruari optimè putant. Palladius: Vel paleis condita allia, vel fumo suspensa durabunt.

De allio cyprio, siue vlpico. CAP. LXXXVII.

NVNC alteram allij speciem ab hortensi dicamus, scilicet cypriū. Theophrastus id nō decoqui dicit, sed in myttotis vsurpari. Myttota dicebantur ab odoris fœditate, in quo caseum quoq; addebant. Plinius ruris pulmentaria vocauit.

Theophrastus κύπρειον σκόροδον vocat, id est cyprium allium, Columella à Græcis ἀφροσκόροδον appellari dixit, ab aliquibus allium punicū, & vlpicum. Plinius

Plinius à Græcis ἀντισκόροδον, & allium cyprium à Latinis vlpicũ dici. In Plinij verbis mendum subesse suspicor. quippe nõ ἀντισκόροδον, sed ἀφροσκόροδον legendum, quippe à Theophrasto κύπρειον, & à Columellæ penu ἀφροσκόροδον desumpsit, vt eius mos vniuerso suo opere perpetuus, præsertim quum in aliis authoribus nil de antiscorodo tractetur. Et ἀφρὸς vocabulum vel ab Aphrorum gente nomenclaturam sibi vendicauit, cùm Columella aphroscorodon punicum allium vocari dixit, & Plinius vlpicum præcipuè Africæ celebratum prodidit inter pulmentaria ruris: vel à spuma quam Græci ἀφρὸν dicunt, ad quod satis accedit Theophrastus, qui dixit, Cyprium, quum tunditur, mirum quàm spuma increscat. Et Plinius ab eo verbotenus detorquens, Trito mirum quantum increscat spuma. Hodie Neapoli *aglio di India* dicitur. Theophr. ab aliis differre magnitudine singulari dicit, nec decoquũt, inquit, sed in myttotis vtuntur, & quũ tundũtur mirũ quàm increscat spuma. Columella dicit vlpicũ esse longè maioris incrementi, quàm alliũ, habet enim velut alliũ multas cohærentes spicas. Addimus nos: Caule adolescit multo proceriore, glabro, & tereti, foliis lõge vulgari latioribus, in cuius fastigio semen in cumulũ congeritur, capite ex grandioribus spicis cõglomerato, quæ veluti fœdere quodã inito cõiunctæ confertim hærẽt, & ꝑtenuibus teguntur mẽbranis, grandiore folliculo omnes simul ambiẽte: ceruice breui tunicata. Radix primũ extumescit in spicas, deinde curuatur, vbi succreuerit, iterũ in numeros diducitur. Odore graui Colum. in horto: *Descriptio.*

——— & olentia latè
Vlpica.

Calido cœlo fruitur, proinde à Plinio dictum Africæ celebratum. Nobis ex Aprilia affertur. *Cælum.*

Terra alba, fossa, & subacta sine stercore delectatur, vt allium. Palladius. *Solum.*

Quomodo à Columella seratur, diximus capite de allio. *Satio.*

De allio Ægyptio. CAP. LXXXVIII.

INTER hortensis allij species, Ægyptij meminimus ex Diosc. & Theophr. Dioscorides Ægyptium vocat. Itali *aglio maschio.* *Nomen.*

Theophrastus. Quiddam & illud differẽtiam facit, quod quædam nõ in nucleis coagmentatur. Dioscorides: singulari constat capite, dulce, in purpureum vergens parum. Negant olitores nostri Ægyptium allium, genere ab aliis diuersum, sed vulgare allium densius satum, vel tenuiori solo caput vnum accipere, quod masculescere dicunt. *Descriptio.*

De allio anguino. CAP. LXXXIX.

DIXIMVS hortensia allij genera, accedendũ ad syluestria. Huius meminere Dioscorides & Plinius, aduersus improbitatẽ alitum depascentium semina coctũ, ne renasci possit, abiicitur: statimq́; quæ deuorauere aues stupentes manu capiuntur, & si paulum commorentur consopitæ.

Diosc. itẽ & Sotion ὀφιοσκόροδον nominant, quasi anguinũ alliũ dicas. Plinius illud sponte nascens in aruis, alum vocari dixit. Itali *aglio serpentino.* *Nomen.*

Descriptio. Nos ita describemus: Caule foliisq; serpẽtariæ modo maculosis, radicis ceruice longiore, rimosa cute obsita, proximè vrsinum allium delineans.

Solum. Nascitur in montosis.

De allio vrsino. Cap. XC.

INTER allij species, Plinius vrsini meminit, & nostro huic horto inserimus. *Nomen.* Plinius vrsinum nominat.

Descriptio. Plinius, odore molli, capite prætenui, foliis grandibus. Addimus: foliis ephemeri non lætali similibus, floribus in summo candidis. Floret Aprili, & Maio. Bulbus aliquot nucleolis oblongis sparsis, candicans: allij tædiosum spirans odorem, sapore acri, sed non ingrato, magis odore, quàm habitu allium referens.

Solum. Syluis & vmbrosis, vel vdis pratensibus quibusuis obuium.

De scorodopraso. Cap. XCI.

POST allij & porri tractatum scorodoprason aggrediemur, quũ vtriusque naturam participet. Dioscorides scorodoprason autumat qualitatem habere porri, & allij, quòd coctum pari modo dulcescat, & in olerum vicem transeat. Galenus item: scorodoprason mistum ex gustu & odore, virtutem obtinens ex allio nempe & porro: sic & Paulus: Sunt qui olitorum diligentia olera hæc duo in vnum veluti monstrum aliquod coaluisse suspicentur, quum habitu porrum simul, & allium æmulentur, vtrumque exprimens olus, ita & medias vires retinere.

Nomen. Dioscorides: σκοροδόπρασον, quasi alliporrum dicas, mutuatur ab vtroque parente nomen. Itali *aglioporro*, aut *porrone*.

Descriptio. Dioscorides. Magnitudine porrum æquat: natura ei promiscua, temperans in eo allij porriq; parentum proprietates, effectus vtriusq; præbens.

De bulbis. Cap. XCII.

SVNT etiam bulbi è genere cartilagineo, atq; iam dictis proximi. Cato in horto suburbano, coronamenti omne genus è bulbo Megarico seri oportere scribit. De bulborũ conditura hæc à Philemone docta leguntur, apud Athenæũ: Caseo indiget, melle, sesamo, oleo, cæpa, aceto, lasere: nam suapte natura, malus est, & asper. Heraclides Tarentinus ait, quod sperma generare videtur, tum quod multi sit nutrimenti, tum quod primam naturam in spermate & vires vniformes habeat. Vnde prouerbium, Nil profuerint bulbi, nisi neruus adess[e]t. Martialis ad illud,

Cùm sit anus coniux, cum sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm satur esse potes.

Prouerbio sunt obnoxij, qui obstipo capite terrã spectant, & oculos humi defigũt, quasi bulbos quęrãt, vt est apud Aristophanẽ. Libidinosos quoque taxauit, quos ait bulborũ ollã deuorasse, quasi mulierosos esse dixisset. Apitius de bulborũ apparatu hæc habet, Bulbos oleo, liquamine, & aceto infe-

inferes, modico cumino hæc super disperso. Vel bulbos aqua tundes, & ex aqua coques, dein oleo friges. His sic facies: Accipe piper, pulegiũ, origanũ, mel, acetum, defrutum, careotam, liquamen, & olei modicum asperges & inferes. Vel bulbos elixos in pultarium pressos mittes, thymum, origanum, mel, acetum, defrutum, careotam, liquamen, oleum modice aspergas, & inferes. Varro hæc de bulbis dixit, Aqua decoque bulbos, qui Veneris vsum quęrunt, deinde legitimis nuptiis in cœna ponantur, sed & cum nucleis pineis, aut cum erucæ succo, & pipere, vel bulbos frictos cum garo inferes. Paulus Ægineta bulbos cibi appetentiam proritare, ac stomachum roborare dixit, si bis decoquantur, vberius enutrire, ipsorumq; propulsari amarorem, semen producunt, & libidinem accendunt, comeduntur q; cum oleo, garo, & aceto. Plutarchus memoriæ prodidit bulbos nunquam de cœlo tangi, quod non exiguitati corporis, sed cæcis rerum discordiis refert acceptũ. Hercules vt est in Amalthia Euboli bulbis abstinuit, feruorem eorum causatus, & grauem halitum.

Græcis βολβὸς, Latinis bulbus, Italis *cepolle seluaggie*. *Nomen.*

Bulborum genera plura esse descripsit Theophrastus. Differunt nanq; magnitudine, colore, figura, & suauitate. *Genera.* Quippe quum adeo dulces quibusdam in locis prodeant, vt crudi facillimè mandi possint, vt in Chersoneso Taurica. Sed peculiaris natura lanigerorum. Est enim bulbi genus circa littora nascens, cuius inter summum corticem, eamq; partem, qua vescuntur, lanea continetur natura, ex qua mappæ, aliæque vestes quondam conficerentur, ob id lanigerum appellarunt. Indis non lanati, sed criniti nascuntur. Plinius ab eo. Theophrastus est author, esse bulbi genus circa ripas amnium nascens, cuius inter summum corticem, eamq; partem qua vescũtur, esse laneam naturam, ex qua mappæ vestesq; conficiantur. Eadem Phanias retulit, authore Athenæo. Reliqua bulborum genera differunt colore, magnitudine, & suauitate. Post eos, qui dulces in Taurica Chersoneso nascuntur, sunt qui in Africa nati maximè laudantur, mox Appuli. Genera Græci hæc fecere, bulbinem, setanion, pythion, acrocoriõ, ægilopa, sisyrinchion. In hoc mirũ, imas eius radices crescere hyeme, verno autem quũ apparuerit viola, minui & contrahi, tum deinde bulbum pinguescere, ex Plinio. Apud Theophrastum: Sisyrinchion redigi ad genus bulborum desideratur, quod radice orbiculetur. Peculiare sisyrinchio datum est, vt vna radix primò augeatur hyeme, tum ineunte vere, quod in imo excreuit, contrahatur, supernumq; crescat quod manditur. Apud Athenęum regii sunt, qui Venerem accersant, cæteris præstantiores, hos sequuntur fului, scillæ naturam æmulantes, deterrimi omnium Ægyptii. Quæ bulbinæ dicuntur, meliorem habent succum, quàm bulbi: non tamen stomacho conferunt, quia dulcedinem cum crassitie habent. Plinius, Bulbinem Græci vocant herbam porraceis foliis, rubicundo bulbo.

Theophrastus. Folio valdè angusto, caulis nimirum assurgit, germen è se- *Descriptio.* mine laterale producit, sed ei peculiare datur, quod non simul ex omnibus se-

minibus exit, sed partim anno primo, partim secundo. Tunicas habet plures, simul & lentitiam quandam. Radice pusilla inhæret, vt omnes bulbi, qui radice sunt capitata, contrà partem superiorem tenuem, imbecillemq́; radicem amplam, carnosamq́ue gerit. Antiquis bulborum facies notior visa est, quàm quæ deberet repræsentari: nostris verò temporibus vsus obsoleuit, vt vix dignoscatur. Nos ita describemus: Bulbi caput ex pluribus nucleis coagmentatur, qui simul in capillitio coeunt, factis sensim eorum diuortiis, ita vt in latus pateant, vertice fibris crispato, medio torosiore, cortice tenui, foris squamosis membranis tunicata, nullo tamen folliculo omnes partes amplectente, fronde cępitia, terete, inani, angusta, in mucronē desinente, cauliculo dodrantali, in cuius fastigio flos purpureus. Mucosi aliqui, sapore insulsi, vt magis accipiendo condimenta, quàm condiendo apti.

Cultum. Nicander Megarenses bulbos laudat, ex Athenæo, eosdem antiquus Cato, & Martialis,

——— Quæq; viros acuunt, armantq́; puellas,
Iam Megaris veniant genitalia semina bulbi.

Plinius è Taurica Chersoneso bulbos laudat, post hos in Africa natos, mox Appulos. Vnde Ouidius hos enumerans, ait:

Daunius, aut Libycis bulbus tibi missus ab oris,
Aut veniat Megaris, noxius omnis erit.

Satio. Theophrastus radice seri dixit. E semine partim primo, partim altero prouenit anno. Anatolius à cal. Nouēbris ad Februarias serendi tēpus indicat. Plinius: Bulbos non nasci nisi ex semine priores tradiderunt. Sed & Prænestinis campis spontè nascitur, ac sine modo etiam in Remorum aruis. Effodiuntur bulbi ante ver, at deteriores illico fiunt, si finduntur. Signum maturitatis folia inarescentia ab imo. Improbant vetustiores, item paruos & longos, contrà rubicundis, rotundioribusq́; laus, & grandissimis.

Art. Vt bulbi in caput crescant, & grandiore corporis callo protuberent, Anatolius testam vasorum radicibus substerni præcipit.

De scilla. CAP. XCIII.

SCILLA è genere capitatorum, siue bulborum est: et si non tamen omnis estur, nostro seremus horto, ob multiplices, quas in villa retinet vtilitates, & maximas. Tradit enim Theophrastus, scyllam ante portam satam contra veneficiorum noxam amuletum esse. Fructus contentos seruat, præsertim punica mala, pediculo prius exempto. Si ficus iuxta eam seratur, ocyus crescit, minusq́ue à vermibus infestatur: & in summa quicquid scillæ fuerit consitum, faciliùs germinat, & celerius gliscit. Habet enim lentorē, caloremq́; insitum, ob id proficiens, in arborum putationibus, ne plagis intrudatur imber, aut sol; nam facilè morbi contrahendi periculū imminet: plagis scillam apponunt, vt eas foueat. Democritus fissum sarmentum, vt citius caulescat, scyllæ insertum.

insertum terræ mandat. Pamphilus, Scyllæ contactu lupus conuellitur, vnde vulpes propter lupos latebris suis scillas apponunt. Plinius, Nobilissima est scylla, & medicamentis nata, acetoq; exacuendo: vnde de his Pythagoras volumen condidit, atq; scyllam in ianuæ limine suspensam, malorum iniuriam propellere dixit, quod non subticuit etiam Dioscorides. Scyllæ flos, vt Berius est author, virgata specie prosiliens, modo celeriter non emarcescat, largos fructuum prouentus, ac vberem annonam nobis promittit.

Nomen. Græcis σκίλλα, Hippocrati scella, & schœnum vocari Galenus est author. Nomen inditum putant à squilla pisce testaceo, à tunica squamarum compactili serie composita. Tanta inter eas similitudo intercessit. Latini scylla, Varroni squilla: vnde puto nomen Neapolitanis deriuatum, *Cepolla squilla*.

Descriptio. Theophrastus, Caulis prius per se prosilit, vt in croco, & narcisso, tamē flos ex eo emergens insidit, particulatim floret, ab ima sui parte incipiens, floret ter, singulis suis floribus, singulas sementes, quæ ternæ sunt, denuntiat. Primus enim florum prouentus, arandi primum tempus ostentat, secundus medium, tertius nouissimum, quum flos lenuerit, folia demum multis post diebus emicant. Prorsus pediculo vidua, ab radice pullulat. Aliud, atq; aliud producit. Radix multiplicibus tunicis contecta, in rectum agitur. Itaque duplex radicis genus exhibere videtur: habet enim capitatam illam, & carnosam, & eas, quæ ex illa proueniunt. Quapropter dubitabit sanè quispiá, an hæc in radicum numero asciści debeant: siquidem radicis is est habitus, vt parte posteriore semper extenuata, in gracilitatem semper acuminetur. Scillæ radix contorta crescit, ita vt latus tendens inolescat, item cæteræ lateribus foras iaciunt, illa glabra, & medio capite capillamenta quædam fundit, quibus pars extuberans alitur, quo dubitari posset, fructus ne, an radix sit. Id tamen peculiare sortitur, quod omnium maximè viuax sit, quippe solo eruta, ac pensilis viuere plurimum temporis possit. Immo ad germen excitandum valet. Plinius hæc habet de scylla: Nobilis & scyllæ natura, quod omnes herbæ folium primum emittunt, mox in caulem rotundantur. In ea caulis primum intelligitur, quàm folium: caulis exit, deinde flos ex eo emergit, eademq; ter floret, tria tempora sationum ostendens. Primo flore primam arationem ostendit, medio secundam, tertio nouissimam. Nulli amplitudo maior, nec vis asperior.

Genera. Theophrastus: Vescenda est scillæ radix, non tamen omnis sed ἐπιμενίδιος vocatæ, quæ ab vsu nuncupationem sortita est. Hæc angustiori folio, leuioriq;, quàm reliqua constat. Plinius, duo genera medica. Masculus foliis albis, fœmina nigris, tertium genus cibis gratum epimenidium vocatum, angustius folio, ac minus aspero, candidissima, vtilissimaque.

IOAN. BAPTISTAE PORTÆ NEAPOLITANI

VILLAE

LIBER VNDECIMVS SIVE SEGES.

PROOEMIVM.

IAM ad reliqua herbacea veniendum nobis est, vnde in aruo fœcundæ segetes, & læta pascua nostris sese offerant oculis: hæc enim duo supersunt fastigia ex iis, in quæ herbariam familiam ab initiò diuiseramus, quæq; cognatione, & herbaceæ naturæ consequutione sibi mutuò cohærebant. Nos primum fruges, post pabula prosequemur. Cato sextum locũ agro frumentario in prædii existimatione tribuit. M. Varro tertio loco Cererem, & Liberum veneratur, quòd horum fructus maximè necessarii ad victum sint: ab his enim cibus, & potio venit è fundo. Ex frugibus primùm de tritico loquemur, quum sit stirpium omnium vtilissimum, præstantissimumque, & necessarium, ex quo animantium princeps homo victum trahit. Ob id quum exactius hanc doctrinam tradere constituissemus, ad Laborias nostras, & Apuliam nos contulimus, quarum latifundia, & vastæ æquoreæ planities restibili, nec intermissa fœcunditate frugibus semper abundant, vt non solùm cupidi agricolæ votis potiantur, sed eò opum progrediantur, vt cum principibus ferè contendere audeant. Ibi enim, quæ ab antiquioribus tradita sunt præcepta, cum recentioribus contulimus, vt quicquid boni ex vtrisque esset, colligeremus, addisceremus, doceremus. Frumenti prima, & maxima duo genera sunt, authore Theophrasto; frumentacea, & χέδροπα, id est, legumina. Frumentacea vocamus triticum, ordeum, zeam, typham, & cætera, quæ tritici, ordeíve specimen gerunt. Legumina verò fabam, pisum, & cætera. Addit & præterea tertium genus, veluti milium, panicum, sesamum, & ad summum quæ in æstiuis sementibus communi carent appellatione. Ex quo Plinius: Sunt autem duo frugum prima genera, frumenta, vt triticum, ordeum: & legumina, vt faba, cicer: differentia notior, quàm vt indicari debeat.

Frumentũ

Frumenti ipsius totidem genera, per tempora satu diuisa. Hyberna, quæ circa Vergiliarum occasum sata terra per hyemem nutriuntur, vt triticum, far, ordeum. Æstiua, quæ æstate ante Vergiliarum exortum seruntur, vt miliū, panicum, sesama, horminum, irio, Italiæ duntaxat ritu. Alioquin Græcia, & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur. Quędam autem vtroque tempore in Italia. Ex his quædam & tertio, veris scilicet. Aliqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, alicam appellant. Sementina autem triticum, ordeum, fabam, napum, rapam. Nos dictam diuisionem sequemur. Primò triticea, post leguminea, postremò æstiua pertractabimus.

Quid seges, & de Segetia dea, & Cerere. Cap. I.

SEGES, authore Varrone, pro ipsa terra accipitur iam arata, & sata. Columella de leguminibus loquens, etiam segetem vsurpauit, inquiens, Quod prædictorū leguminum segetibus farbiscit, Valla fruges vocat propriè eorum seminum, ex quibus conficitur panis, nondum demessas. Per translationem Poetæ telorum, & stimulorum segetem dicunt. Cicero gloriæ segetem dixit. Hinc Segesta dicitur dea Plinio à segetibus, quibus pręesse putabatur, & vt alijs placet, Segetia, Seiaq; à serendo, quarum simulachra in circo erant. Ceres dea frugum dicitur, à creando, Saturni & Opis filiæ, quæ peculiari epitheto alma dicitur, quia nos alit, vel, vt Cicero libro de natura Deorum scribit, dicta Ceres, tanquam geres, à gerendis frugibus. A Græcis δημήτηρ, quasi γημήτηρ, id est terræ mater, quod fructuum creatrix, & altrix sit. Hanc etiam Thesmophoram vocant, id est legum latricem, quia antiquitùs homines nulla lege viuebant, postea quum ipsa Agriculturæ vsum & frugum docuisset, cœptum est de agrorum finibus disceptari: ob id eam legum, & iuris originem fuisse primam volunt. Virgilius,

Legiferæ Cereri, Phœboq;, patriq; Lyæo.

Hæc quandoque pro Luna dicitur, vt Liber pro Sole. Virgilius Georgicorum primo,

——— vos ô clarißima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Varro suæ agriculturæ libri initio statim Cererem inuocat, quasi frugum inuentricem: erant enim homines primò βαλανοφάγοι, id est glandium comedones. Quod etiam ex Virgilio elicitur,

——— alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaonicam pingui glandem mutauit arista.

Et in Cereris sacris querna corona messoribus tribuebatur, quod frugum inuentione glandium victum aboleuerit. Virgilius,

Et Cererem clamore vocant in tecta, neque ante
Falcem maturis quisquam supponit aristis,

Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Theodosius verò Cererem ait Siculi Siciliæ Regis vxorem fuisse, & primam, quæ vsum tritici demonstrasset populis: vnde ansam Poetæ fabulandi sumpserunt. Hesiodus,

Plutonem inprimis venerare, atq; annua sacra
Vota refer Cereri, quum stiuæ innixus agendo
Incipis exercere boues, stimuloq; fatigas.

De cœlo frumentis apto. Cap. II.

MAXIMA Naturæ benignitate factum est, vt triticeum genus, ex quo in toto ferè terrarum orbe homo victum trahit, eiq; immensæ vtilitatis est, vbiq;, quouis cœlo, & solo luxuriet, eoq; nihil sit fœcundius, vtpote, quum è modio, si sit aptum solum, quale in Byzantio Africæ campo, centeni, quinquageni modii reddantur. Misit ex eo loco, inquit Plinius, Diuo Augusto procurator eius ex vno grano (vix credibile dictu) quadringẽta paucis minus germina, extantque de ea re epistolæ. Misit & Neroni similiter CCCXXXX stipulas ex vno grano. Cum centesimo quidem & Leontini Siciliæ campi fundunt, aliiq;, & tota Bætica, & in primis Ægyptus. Plurima, & ferè infinita sunt eius genera, vt quibusuis locis seri possit. Plurimis tunicis Thracium vestitur, ob nimia frigora illi plagæ exquisitum. Eadem de causa & trimestria inuenit, detinentibus terras niuibus, quod tertio ferè à satu mense, & in reliquo orbe metitur: totis hoc Alpibus notum, & hyemalibus prouinciis, nullum hoc frumento lætius. Est & bimestre circa Thracium sinum quod quadragesimo die, quum satum est, maturescit: mirumque nulli frumento plus esse ponderis, & furfuribus carere. Vtitur eo & Sicilia, & Achaia, montosis vtraque partibus. Eubœa quoque circa Carystum. Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, vt singula spicas nostras æquent. Sed cœli qualitates ad agrum à summo agricolarum præceptore Theophrasto petamus. Libro enim de caussis quærit, quî fiat, vt & frigida loca, & calida sint fertilissima? vt in septentrione Thracia, & Pontus, in Austro Africa, & Ægyptus. Etenim supra cætera frigus, æstusque aliquid conferunt, & aër circumfusus. Omnino ager bonæ frugis, frigora quoque multa desiderat, serenitates enim & austrini flatus vitia afferunt sæpè, æruginosasque segetes efficiunt: frigus verò constipatis, canceratisque radicibus magnitudinem modicam verno tempore facit, terramque si occupauerit, cultam, rariorem, & solutiorem reddit. Si aliquod genus tunicis multis contegitur, ceu Thracium, solo hyberno conuenientius dabitur: frigus enim nil officere potest, rarum, solutumque, ceu canchrydias vocitatum, agro pluuio serendum profectò est, quippe quum alimenti copiam id quoque desiderat, quamobrem & culmo crasso exurgit.

Et

Et in historiis. Differt terra à terra, & cœlum à cœlo: quædam enim loca proferre intra pauciores dies videntur, vt conspicuè in Ægypto: illic enim ordeum sexto à satu mense, triticum septimo metitur, quod apud plurimos octauo. Quin & Siciliæ apud Milas vocatas, agri Mesani celerem quandam fieri consummationem serotum affirmant, esse nanque sementem eorum menses sex, sed tamen cum primis vnà metere posse, qui mense nouissimo seuerit. Sed mirabilius quod in Melio fieri aiunt, sata enim intra triginta, aut quadraginta dies metere incipiunt. Sed omnibus mirabilius, quod in Chalcia Rhodiorum insula fieri solet: illic enim locum præcoquem fertilemque adeò narrant, vt ordeum satum in eo, quum cæteris sereretur locis, metere, iterumque serere, atque cum reliquis vnà frugibus rursus metere possint. Atque in totum loca maritima tam ad hæc ipsa, quàm ad reliquos fructus festinatiora intelliguntur. Ob id fingunt poetæ Saturnum genitori Cœlo genitalia detruncasse, & in mare proiecisse, falcemque non procul à promontorio Lilybeo cecidisse, vnde loco Drepanum inditum nomen, quum falx Græcis δρέπανος dicatur. Quo inuolucro Poëtæ illius loci vbertatem designant. Sed à falcis forma, cui littus assimilatur, nomen Drepani inditum memini me legisse. Columella verò dicit: Omne autem frumentum maximè campo patente, & ad solem prono, apricoque lætatur. Collis enim quamuis granum robustius aliquanto, minus tamen triticum reddit. Ideo fertilissimi Apuliæ campi, vbi immensa planities patenti Soli obiecta. Terrarum enim situm memorat Theophrastus plus afferre momenti, quàm ipsius arui qualitates, si ad flatum, solemque optimum vergant. Enimuero plerique agri graciles, & vitiati feraces sunt, quod commodam ad hæc ipsa positionem habeant.

De solo frumentis apto. CAP. III.

ETSI varia tritici genera varias exposcant soli qualitates, vnum tamen & quamplurimis commune. Vnde multum refert inspicere in ea regione in qua segetem instituere voles, an solum habile sit frumentis: docente Virgilio,

Ventos, & varium cœli perdiscere morem
Cura sit: ac patrios cultusq́, habitusq́, locorum:
Et quid quæq́, ferat regio, & quid quæq́, recuset.
Hic segetes, illic veniunt felicius vuæ.

Sed Theophrastus pingue solum segetibus tribuit, quod alimentum illud exugant, quod summa tellure suppeditatur, neque id exiguum, neque exuctile esse debet. Sed cur frumentum pingui terra non lædatur, ait, quia frugum omnium stipula exucta, strigosa natura est, & quæ humoris indiga, sunt auida pinguioris alimenti, hominum exemplo, qui macilenti ieiuniique sunt, ex pingui cibo summum attrahunt alimentum, & in colore

& viribus maximos progressus faciunt. Sicca corpora pingui indiga sunt cibo; quia defectus emendatur supplemento, sicciori non iuuatur, quia humor non adsit, quo perflui valent, immò in periculum adducit ægrotandi, & præcipuè qui ventriculo tentari solent. Solum igitur rarum & tenue, si altum siccumq; sit, frumento incommodum est; laxum enim transmittit hybernos imbres in profundum, quo ex loco sibi haurire nequeunt fruges, ob radicum superficiarium situm. Humectum frumentis habile, quia humorem ad alendum fruges habet: siccum verò minimè bonum, quia pabulo careat, quod sufficiat. Cato agrum crassum, & lętum & sine arboribus frumẽtis tribuit, Virgilius nigrum, putre, & densum probat,

Nigra ferè, & presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (nanque hoc imitamur arando)
Optima frumentis.
Nunc quo quamq; modo possis cognoscere dicam.
Rara sit, an supra morem si densa requiras,
Altera frumentis quoniam fauet, altera Baccho,
Densa magis Cereri, rarißima queq; Lyæo:
Ante locum capies oculis, alteq; iubebis
In solido puteum demitti, omnemq; repones
Rursus humum, & pedibus summas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum, pecori, & vitibus almis
Aptius vber erit, sin in sua posse negabunt
Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis,
Spissus ager.
Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix: ea nec mansuescit arando,
Tale dabit specimen. Tu spisso vimine qualos
Colaq; prælorum fumosis deripe tectis.
Huc ager ille malus, dulcesq; a fontibus vnda
Ad plenum calcentur, aqua eluctabitur omnis,
Scilicet & grandes ibunt per vimina guttæ.
At sapor indicium faciet manifestus, & ora
Tristia tentantum sensu torquebit amaror.
Pinguis item quæ sit tellus, hoc deniq; pacto
Discimus: haud vnquam manibus iactata fatiscit,
Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo.

Columella quæ à Virgilio excepit habet: Frumentarius ager pinguis, & dulcis sit oportet, vtrumque hoc expedita ratione contingit discere. Perexigua conspergitur aqua gleba, manuq; subigitur. ac si glutinosa est, leuissimo quouis tactu pressa inhærescit picis in morem, eademque illisa humo non dissipatur, ea res admonet nos tali materiæ naturalem succum, & pinguedinem. Sed si ve-

ſi velis ſcrobibus egeſtam humum recondere, & abundauerit, certum erit eſſe pinguem, quum defuerit, exilem, quum æquauerit, mediocrẽ. Sapore ſic quoque dignoſcemus: ſi ex ea parte agri, quæ maximè diſplicebit, effoſſæ glebæ, & in fictili vaſe madefactæ, dulci aqua permiſceantur, ac more fæculenti vini colatæ guſtu explorentur: nam qualem retulerit humor ſaporem, talem eius ſoli dicemus. Significant frumentis habilem terram iuncus, calamus, gramen, trifolium, ebulum, rubi, pruni ſylueſtres, & alia complura, quæ aquilegis nota, non niſi dulcibus terræ venis educantur. Nec contentos nos eſſe oportet prima ſpecie ſummi ſoli, ſed exploranda eſt inferioris terræ qualitas, terrena nec ne ſit: frumentis bona erit bipedanea humus. Plinius, quæ Cato habet, recenſet: Ebulum, vel prunus ſylueſtris, vel rubus, bulbus minutus, trifolium, herba pratenſis, quercus ſylueſtris, pyrus, malusque frumentarii ſoli notæ. Item terra nigra, & cinerei coloris. Omnis terra, inquit, niſi permacra. Sabulum etiam, niſi id prætenue eſt, & multo campeſtribus, quàm cliuoſis reſpondet eadem. Tarentinus, In profunda terra ſeminare melius eſt frumentum. Leontius in lutoſam, & humidam terram ſeminandum, quia in tali magis augeſcit. Appuli frumentariam terram eligunt, vbi coronopus, ferula, vel ſylueſtris carduus naſcitur, quem *ſclaream* vocant, vulgò nimirum à ſcolymo detorto nomine. Campani ex ebulo, & herba, quam vrſinam vocant, ruta capraria. Hæc numeroſis conſtat radicibus, foliis oblongis, quæ foliolis oliuæ ſimilibus, hinc inde diſtinctis conſtant, vt in bibinella, caule alto, flore cæruleo, ſemine in ſiliquis. Hoc ſignum præferunt, quum à Maio menſe herbæ ſolum amiciũt viridi decore, quum in cæteris à Martio, & Aprili.

De ſegetum cultura, & primò de aratione. CAP. IIII.

NVNC de ſemente agitur, & de agri ſubactione, quæ alia eſt, prius, quàm ſeratur, alia quum ſeritur. Ante ſationem curãdum, vt terra optimè proſcindatur in rectum, & per tranſuerſum, & quæ porca fuit, ſit ſulcus, & è contrario: poſtea agendũ, quo tempore, hyeme, æſtate, vel vere, pinguis, macra, vda, ſicca, vel ſaxoſa terra aretur, quæ omnia ſigillatim nos perpẽdemus. Theophraſtus ſoli agitationem præcipit, tempus ſementis indicat, & ſarritionem poſt ſatum monet, in quorum tractatione non deſunt, quæ iudicium prudentis coloni deſiderant. Humidam terram, grauem, pinguem, & ſolidam æſtate vertendam dicit, ſiccam, reſolutam, leuem, tenuem hyeme. Cauſa eſt, quòd tali cultu vtrique tribuitur quod opus habet. Æſtiua enim aratio ſiccat, & attenuat, hyberna craſſitudinem addit, & humectat. Cura noualium vtroque tempore ſuſcipitur, incumbendum autem eſt ſub frigore. & ſub calore arationi, vt terra ſolem, & frigora ſentiat; terra enim mota, & ſubacta, peruia redditur, & libera ab obſidione plantarum, à quibus abſumitur alimentum. Niues hybernis noualibus commendantur, pruina obeſt, excedit enim, & rarefacit. Poſt primas arationes ſecunda erit aratio verna, vt ceſpitem

inuertat ad herbas extirpandas. Tertio etiam æstare arant, quarto quum serere volunt leniter proscindendo, vt pote quum solum bene præagitatum, præparatumque est: quapropter ad hoc opus præstant aratro ligones, & ligoni pastinum, maius ferramentum, quod altiùs descendit, & terram inuertit. Hæc agri cultura est. Vnde si qui de hac diligentia per ignauiam omiserint, id quod semel non benè fecerunt, coguntur sæpè facere, propterea quod herbarum radices non sunt per initia reuulsæ: sic anticipat herba segetē, tum quia validior, tum quia præerat. Sed si vicissim anteuertit herbis seges, herbæ necantur: nam quæ suboriuntur herbæ, imbecilliores sunt. Catonis sententia hæc est. Vbi locus aquosissimus, frigidissimusq; erit, ibi primum serito, in calidissimis postremo. Terram caue cariosam tractes. Ager rubricosus, & terra pulla, atterina rudeta, & arenosa. Quid est agrum benè colere? bene arare. Quid secundum? arare. Quid tertium? stercorare. Agrum frumentarium quum ares, bene & tempestiuè ares. Sulco vario ne ares. Varro arationes docendo, earum vocabula declarat. Terram quum primum arant, proscindere appellant, quum iterum, offringere dicunt, quòd prima aratione glebæ grandes solent excitari, quum iteratur offringere vocant, tertio quum arāt, iacto semine, boues lirare dicuntur, id est cum tabellis additis ad vomerem simul, & satum frumentum operiunt in porcis, & sulcant fossas, quò pluuia aqua dilabatur, nōnulli postea, qui segetes non tam latas habent, (vt in Apulia) id genus prædii per sarritóres occare solent, si quæ in porcis grandiores glebæ relictæ sunt. Qua aratrum vomere lacunam striam fecit, sulcus vocatur. Quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quòd ea seges frumentum porrigit. Hesiodus Græcus arationis tempus ita præfiniuit,

——— sed sydus quum deficit Orionis,
Pleiadesq;, Hyadesq; cadunt, meminisse iuuabit
Protinus impresso subuertere vomere terram.
Contemplare etiam quum grus è nubibus altis
Assiduos agitat clangores, inuocat imbrem,
Venturamq; hyemem, tempusq; inducit arandi.
Preterea, quum tempus adest rescindere campum,
Fortius instantes operi exercere ministros;
Nam vertenda duplex sibi sicca, atque humida tellus
Vere nono veniunt celebres ad aratra iuuenci.

À quo Virgilius:

Vere nouo gelidus canis quum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit,
Depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.
Illa seges demum votis respondet auari
Agricole, bis que solem, bis frigora sensit:

ergo

——— ergo age terræ
Pingue solum primis extemplo à mensibus anni
Fortes inuertant tauri; glebasq; iacentes
Puluerulenta coquat maturis solibus æstas.
At si non fuerit tellus fœcunda; sub ipsum
Arcturum, tenui sat erit suspendere sulco.
Illic officiant lętis ne frugibus herbæ,
Hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.
Alternis idem tonsas cessare nouales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Sed inter agricolas nemo exactius, quã ipse Columella docet: nos eius verba perstringentes, quàm breuiter poterimus repetemus. Pingues cãpi, & vliginosi, post idus Aprilis proscindendi sunt, anni tẽpore incalescẽte, quũ herbas ediderint, nec semina maturuerint, sed tã frequẽtibus sulcis arãdi, vt vix dignoscatur in vtrã partem vomer actus sit, quoniã sic radices herbarũ perruptæ necantur. Sed & compluribus iterationibus sic resoluetur veruactum, vt nullam desideret occationem, quum seminauerimus: nam veteres Romani dixerunt, malè subactum agrum, qui satis frugibus occandus sit; eum an rectè aretur ita exploret agricola. Pertica trãsuersis sulcis inseritur, quæ si sine offensione penetrauerit, solũ esse motum manifestabit, & hoc quũ bubulci viderint, scamna non facient. Hoc igitur tempore quum campi arati fuerint, diebus interpositis circa solstitiũ, quod est nouo, vel octauo kalendarum Iuliarũ, iteratos esse oportebit, ac deinde circa Septembris kalendas tertiatos, quũ id tẽpus ab ęstiuo solstitio cõuenit inter peritos rei rusticæ nõ esse arandũ, nisi magnis imbribus terra permaduerit. Quod quũ accidit, nihil prohibet, quò minus mẽse Iulio veruacta subigantur. Sed obseruandũ ne lutosus ager aretur, quia toto anno desinit posse tractari, nec est habilis sementi, occationi, aut sarritioni, néve semimadidus, id est quũ post longas siccitates leuis pluuia superiorẽ partẽ glebarum madefecerit, quã terram cariosam appellant, quia cõtinuo triennio sterilitate afficitur. Igitur in arandis agris, neq; succo careant, neq; abundent vligine. Itaq; siccitatibus, quod iam proscissum est, iterare pluuiamq; operiri, quę madefacta terra, facilem nobis culturam præbeat. Sed iugerum talis agri quatuor operis expeditur: nam cõmodè proscinditur duabus, vna iteratur, tertiatur dodrante, in lirã statim redigitur quadrãte operæ. Liras rustici vocant porcas, quum sic aratum est, vt inter duos sulcos medius cumulus siccam sedem frumentis præbeat. Colles pinguis soli mense Martio, si tepor cœli, siccitasque regionis suadebit, Februario proscindendi sunt. De Aprili medio vsque in solstitium iterandi, tertiandique, Septembri verò circa æquinoctium, ac totidem operis, quot vliginosi campi excolitur iugerum talis agri. Sed in arando maximè obseruandum semper, vt transuersus mons sulcetur. Paulum tamen quotiescunque iterabitur modo in elatiora, modo in depressiora cliui

obliquum agi ſulcum oportebit, vt in vtramque partem reſcindamus, nec eodem veſtigio terram moliamur. Exilis ager, planus, vliginoſus primum aretur vltima in parte menſis Auguſti, ſubinde Septembri, ſic iteratus, paratusque ſementi circa æquinoctium, operæ tres in iugero ſufficiunt. Graciles cliui non ſunt in æſtate arandi, ſed circa Calendas Septembres, quoniam ante hoc tempus æſtiuo ſole perurunturr. Itaque optimè inter Calendas, & idus Septembris aratur, ac ſubinde iteratur, vt primis æquinoctialibus pluuiis conſeri poſſit, nec in lira, ſed ſub ſulco talis ager ſeminandus eſt. Heſiodus negat ſub æſtu arandam eſſe terram,

Et ſterilis tellus medio verſata ſub æſtu.

Plinius Catonis placita refert, aliqua addit. Tepidioribus locis à bruma proſcindi arua oportet, frigidioribus ab æquinoctio verno, & maturius ſicca regione, quàm humida. Maturius denſa terra, quàm ſoluta, pingui, quàm macra. Vbi ſiccæ, & graues æſtates, terra cretoſa, aut gracilis: vtilius inter ſolſtitium, & autumni æquinoctium aratur. Vbi leues æſtus, frequentes imbres, pingue herboſumque ſolum, ibi melius caloribus. Altum & graue ſolum etiam hyeme moueri placet, tenue valdè & aridum paulò ante ſationis tempus. Sunt & hic ſuæ leges. Lutoſam terram ne tangito. Vi omni arato: prius quàm ares proſcindito. Hoc vtilitatem habet, quod inuerſo ceſpite herbarum radices necantur. Quidam ab æquinoctio verno proſcindi volũt. Quod vere ſemel aratum eſt, à temporis argumento veruactum vocatur. Hoc in nouali, atque requieto neceſſarium eſt. Nouale eſt quæ d'alternis annis ſeritur. Iuſtum eſt proſcindi ſulco dodrantali iugerum vno die, iterari ſeſquiiugerum, ſi ſit facilitas ſoli; ſi minus, proſcindi ſemiſſem, iterari aſſem. Palladius ea habet, quæ ab his excepit.

Arationis inuentor, & inſtrumenta. CAP. V.

DIODORVS ait Dionyſium ſecundum ex Ioue & Proſerpina genitum, vel, vt alii dicunt, ex Cerere, boues ad aratrum primum iunxiſſe, quum terra prius hominum manibus coleretur. Baccho cornua aſcribi, quoniam iudicarunt, quod prius coniungendorum boum author fuerit. Plinius ait: Aratrum Biges Athenienſis inuenit, vt alii tradunt Triptolemus, de quo etiam Virgilius intellexit,

——— *vnciq; puer monſtrator aratri.*

Seruius & Tibullus Oſyrim inuentorem fuiſſe dicunt: nam Triptolemus frumenta diuiſit, & ob id Virgilium nomen tacuiſſe, quia non vnus in orbe monſtrator aratri fuerit, ſed diuerſi in diuerſis locis. Trogus dixit Habidem Hiſpaniæ Regem barbarum populum docuiſſe primo boues aratro domare, frumentaque ſulco ſerere. Cæterum omnia ruſtica ferramenta, quibus terra vertitur ſimul cum aratro Cererem compeliſſe, Virgilius dixit hoc verſu,

Prima

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit.

Varinus Herculem Buzygem dixit, quod bubus iunctis terram arauerit, à quo familia Buzygia. Iugarius deus colebatur, quod coniuges coniungeret, vel quod iuga committebat. Augustinus tradit libro de ciuitate Dei. Minerua Βοαρμία παρὰ τὸ συναρμόσαι, καὶ ζεῦξαι, quod coniunxerit in iugum & aratrum boues. Colitur autem hoc nomine apud Boetos. Pallas βούδεια cognominatur, quia humana excogitatum prudentia est boum opera terram colere. Sed Eusebii ac Lactantii testimonio constat, ante multas tempestates, quàm esset Ceres, frumenti vsum apud mortales fuisse, præsertim apud Hebræos, & Ægyptios, vti ex Iosepho colligere licet. Aratrum quibus lignis confici debeat, docet Hesiodus:

Temonem ex vlmo, viridi seu confice lauro,
Stiua fit ex pino, dura dentalia quercu.

Virgilius ex eo:

Continuo in syluis magna vi flexa domatur
In burim, & curui formam accipit vlmus aratri.
Huic a stirpe pedes temo protensus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur & tilia ante, iugo leuis, altaq́; fagus,
Stiuaq́; quæ currus a tergo torqueat imos,
Et suspensa focis exploret robora fumus.

Flagellum est stimulus, quo punguntur boues: est autem prælonga arundo, vel hastile cuspide quapiam acuminatum, quo & hodie vtimur.

Arationis regulæ & vtilitates. CAP. VI.

ALIQVÆ supersunt arationis regulæ, & vtilitates, quas à Columella recensebimus. In opere boues arctè iunctos habere conuenit, quo elatis capitibus ingrediantur, ac minus colla labefactentur. Nam si cornibus illigetur iugum (vt quibusdam prouinciis vsurpatur) resupinis capitibus excruciantur, & leui vomere terram sauciant: at hoc modo tota corporis mole nituntur, & qui altè terram proscindunt, plurimum virentibus conterunt, & segetum incremento. In Italia vbi arbustis, atq; oleis consitus est ager, altius resolui desiderat, vt summæ radices vitium, olearumq; rescindantur, quæ si maneant, frugibus obsunt. Celsus exiguis vomeribus terram subigit, sed sua ratio Ægypto, & Numidiæ conuenit, vbi arboribus viduum solum, & terram pinguibus arenis putrem dente moueri satis est. Bubulcum per proscissum ingredi oportet, alternisq; versibus obliquum tenere aratrum, & alternis recto sulcare, necubi crudum solum relinquat. Boues quum ad arbores venerint retinere, ne in radicem vomis impactus colla commoueat, neve cornu ad stipitem offendat, aut extremo iugo truncum delibret. Voce potius quàm verbe-

ribus terreat, vltimaque ſint opus recuſantibus remedia plagæ. Nunquam ſtimulo laceſſat iumentum, quod calcitroſum eum reddit, ſed admoneat flagello. Nec in media parte verſuræ conſiſtat, detq; requiem in ſumma, vt ſpe ceſſandi totum ſpatium, bos agilius enitatur. Sulcum non ducat longiorem, quàm pedum centum viginti: vbi hunc modum exceſſerit, plus æquo fatigatur. Quum ventum erit ad verſuram, boues inhibeat: & in priorem partem iugum propellat, vt eorum colla refrigeſcant, ne ex eo tumor, & vlcera inuadant. Dolabra & vomere bubulcus vtatur, vt ſummas radices, & perfractas ſtirpes refodiat, & perſequatur. Quum boues ab opere diſiunxerit, ſubſtrictos confricet, colla ſubigat, merumque faucibus infundat, ſi æſtuauerint: antequam ſudare, & anhelare deſierint, ad præſepia ne religentur, & quum tempeſtiuè potuerint veſci, paulatim cibum præbere conuenit: quem quum aſſumpſerint, ad aquam ducantur, tum reducti largiori pabulo ſatientur. Plinius præterea quæ Columella, hæc habet. Si inter arbores, viteſq; aretur, fiſcellis capiſtrari, ne germinum tenera præcerpant. Purget vomerem ſubinde ſtimulus cuſpidatus rulla.

De occatione. Cap. VII.

ARATIONEM occatio ſequitur. Eſt enim occare glebas confringere. Varro ad hanc ſignificationem accepit, inquiens: Arare, & poſtea occare, id eſt comminuere, ne ſit gleba: quod ita occidunt, occare dicunt. Feſtus occare dictum putat ab occidendo, quod cædant grandes globos terræ. Plinius, Aratione per tranſuerſum iterata occatio ſequitur, vbi res poſcit, crate, vel raſtro, & ſato ſemine iteratio. Columella: frigidioribus regionibus Septembri puluerationem faciunt, quam vocant ruſtici occationem, quum omnis gleba in vineis refringitur, & reſoluitur in puluerem. Eſt & occare ſemen operire. Cicero de ſenectute: Quæ quum gremio mollito, ac ſubacto ſparſum ſemen excipit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt. Palladius: Arbores, quæ ablaqueatæ fuerunt, occare, id eſt operire iam conuenit. In hoc ſignificatu etiam Columella: Nam quod ſicco ſolo ingeſtum & inoccatum eſt, perinde ac ſi repoſitum in horreo non corrumpitur. Sunt qui dicant occatio, quaſi occæcatio quædam.

De arui ſtercoratione. Cap. VIII.

SED ſi terra exilis fuerit, ſtercorandam eſſe poſt arationem præcipiunt veteres agricolæ. Theophraſtus ſecundo loco ante ſationem ſtercorandam eſſe terram dicit, ſed macram largius, pinguem parcius, tum propter ſoli virtutem, tum quia fimus plus affert ſucci, quàm quantum percoqui poſſit: ſuperfluus enim ſuccus additus, abit in cruditatem. Addit & præceptum ſimile ſtercorationi, intermiſcendo terrenum diuerſi habitus, ſicut graui leuem, macro pinguem, ſic albo rubrum, & ſi qua contrarietas alia ſit, quippe non ſo-

lùm

lum mutuis beneficiis vtrinq; afferri quantum deest supplementi, sed etiam vim addi quandam, veluti si effœtæ terræ fertilis permisceatur, recentabitur, & ferre vegeta facta incipiet. Argilla sterilis est, si aliis admisceatur, iuuat fertilitatem, est enim alteri altera fimi vice. Megarensium consuetudo est permiscere eas quinquennio, aut sexennio, eandem è profundo petunt, vt terra ima, quæ succum retinet, in summo sit, pro ea quæ amittit in fruge succum. Intimus enim locus, quasi gremium est, in quod aqua resedit ad alendum idonea. Cato: Quid est agrum benè colere? Primum bene arare. Quid secundum? Arare. Quid tertium? Stercorare. Præcepitque columbinum fimum agro spargendum. Columella autem satis diffusè: Prius quàm exilem terram iteremus, stercorare conueniet: nam eo, quasi pabulo, gliscit. In campo rarius, in colle spissius. Acerui stercoris instar quinque modiorum disponentur, atque in plano pedes interualli quoquouersus octo, in cliuo duobus minus. Sed id decrescente Luna fieri placet, nam ea res herbis liberat segetes. Iugerum, quod spissius stercoratur, desiderat vehes quatuor, & viginti, quod rarius, duodeuiginti. Disiectum deinde fimum inarari, & obrui conuenit, ne solis halitu vires amittat, vt permista humus hoc alimento pinguescat. Itaque quum in hoc agro disponentur acerui stercoris, non debet maior modus eorum dissipari, quàm quem bubulci eodem die possint obruere. Secunda ratio est, antequam sarrias, more seminantis, ex auiariis puluerem stercoris per segetem spargere, si is non erit, caprinum, atq; terram sarculis permiscere. Scito refrigescere agrum, qui non stercoretur, ita peruri, si nimium: magisque conducit frequenter, quàm immodicè facere. Aquosus ager maiorem eius copiam, siccus minorem desiderat: alter, quòd humore rigens, hoc adhibito regelatur, alter quòd hoc largiore assumpto torretur. Si stercus non suppetet, è sabulosis locis cretam ingerat, cretosis sabulonem, & si his omnibus destituatur agricola, ad lupini præsidium confugiendum, quod cum exili loco circa idus Septembris sparserit, & inarauerit, idque tempestiuè vomere succiderit, vim stercorationis exhibebit. Sed sabulosis locis lupinũ succidi oportet, quum secundum florem: rubricosis, quum tertium egerit: illic dum tenerum est, celeriter putrescit, permisceturque solo: hic iam robustius solidiores glebas diutius substinet, vt eæ solibus vaporatæ resoluantur. Præterea stercus, quod tempestiuè repositum anno requieuerit, segetibus maximè est vtile: nam & adhuc vires solidas habet, & herbas non creat. Plinius aliqua habet ab his prætermissa: Autumno aliquid saturus, Septembri mense fimum inaret post imbrem. Vtique si vernò erit saturus, per hyemem fimum disponat. Iustum est vehes XVIII iugero tribui, dispergere autem priusquam arescat, aut iactato semine. Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est priusquã sarriat, ante puluerem. Quod vt hanc quoque curam determinemus, iustum est singulas vehes fimi, denario ire, in singulas pecudes minores, in maiores denas, nisi contingat hoc, male substrauisse pecori colonum appareat. Sunt qui

optimè ſtercorari putent, ſub dio retibus incluſa pecorum manſione. Sed minori & labore, & impenſa nos optimè agrum ſtercorare ſolemus. Sed oportet in eo prius pratum ſit ſatum, & densè ſuis radicibus ſolum irretitum, vt ſumma terræ cutis aptis ligonibus, vel paſtinis decorticetur, idq; Aprili, vel Maio faciendum, ſi tempus ſerenum fuerit. Sit terræ cortex euulſus longitudine quinque pedum, latitudine quatuor, altitudo verò binûm digitorum. Primum à ſolo ex vna parte decorticetur, poſt à contraria leuibus, & crebris ictibus, vt maxima diligentia integra ex humo diuellatur. Pars quæ ſolo hęſerit obliqua, obuertatur ſoli meridiano, vt optimè reſiccetur quinq; dierum ſpatio. Erit paſtini commoda longitudo duorum pedum, latitudo vnius, acies acuta valdè, vt ſecet, non conuellat cutim: nam ſic commodius opus abſoluent. Hæ cutes in clibani modum componantur, alteram alteri ſuperimponendo, vt aptè per eas ignis euagetur. Sit diameter duorum cubitorum, eademq; altitudo: oſtium vnius pedis, in ſummo foramen apertum, per quod exhalet fumus, intus paleas, & ſarmenta iniicienda, vt facilius ignem concipiant. Vbi omnia benè accenſa cognoueris, ſuperius os operies: ſic & ora, quæ vis ignis effecerit. Quum optimè omnia combuſta videbis, & in cinerem verſa, quod diei curriculo eueniet, benè erit, ſi aliqua in combuſta remanent, aliis clibanis accommodetur, vt omnia in cinerem reſoluantur, quo maiores, & ſpiſſiores clibani erunt, & meliores, & ſpiſſior cinis, vbi ſolum ab igne crudum remanſit, & paſtino, & ligonibus permiſcetur, idq; fiat ante ſationem quinque diebus.

De ſeminum electione in ſerendo. CAP. IX.

THEOPHRASTVS de ſeminum electu hęc habet. Ad exortum autem, vniuerſamq; ſementem ſemen anniculum optimum putatur, bimum deterius & trimum, quod autem vltra acceperis, ſterile fermè eſt, quamquam ad vſum cibarium idoneũ conſtat. Omnibus ad generandum data eſt vita definita, & inter ſeſe differunt, locorũ cauſa, quibus cõdantur. In petra Cappadociæ vel quadragenos annos fœcunda, ſexagenos autem, & ſeptuagenos ad vſum cibarium idonea. Locum hunc cùm aliàs excelſum, tum flatibus eſſe apertum, & ab exortu, occaſu, meridieque auris editum. Columella præcepit, demeſſis ſegetibus iam in area, futuro ſemini conſulamus. Ait Celſus, Vbi mediocris eſt fructus, optimam quamq; ſpicam legere oportet, ſeparatimque ex ea ſemen reponere, quum amplior meſſis prouenerit, quicquid exteretur, capiſterio expurgandum erit, & quod propter magnitudinem ac pondus in imo ſubſederit, id ſemen reſeruandum: nam niſi cura talis adhibeatur, frumenta degenerant, & ex robuſto fit non robuſtum. Ideoque Virgilius de ſeminibus præclarè ſic diſſerit,

Vidi ego lecta diu & multo ſpectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis

Maxima

Maxima quæq; manu legeret, sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Granum rutilum, si quum diffissum est, eundem colorem interiorem habet, integrum esse non dubitamus. Quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum, leue, ac vanum intelligi debet. Plinius quæ ii scripsere habet. Vindanionius Græcus ad id. Frumentum, quod seremus, eligendum est generosum, plenum, solidum, colore ad aurum inclinante, & quod gratissimum est, ex panificio cognoscitur. Fugiendum contrà contusum, & rugosum. Quidam pleniores spicas eligunt, quæ grana habent solida, & perfecta, eaq; in sementem reseruant, præstantiorem fructum ex his capientes. Didymus ad fertilitatem conferre tradit, vt semina in contrarios locos serantur, velut ex montanis in campestres, ex humidis in squallidos, & vice versa. Esse enim contrariorum appetentiam æqualiter & in seminibus, & in terra. Quod tamen si fiat, oportet vt ex deterioribus regionibus in meliores transferamus, non ex præstantioribus in peiores.

De tempore sationis. CAP. X.

SED satus tempora dicamus, & primum Theophrasti placita demonstremus. Inquit enim: Sementis duo tempora notantur, sed primum atq; potissimum, quod circa Vergiliarum occasum accipitur, quod & Hesiodus & maxima ferè pars authorum sequuta est,

Quum cœlo emergunt sublimi ab Atlantide natæ
Pleiades, truncanda Ceres. Morientibus illis
Mitte in aratra boues.

Quamobrem id tempus per excellentiam satum appellarunt. Secundum quod vere incipit, post brumam, sed non eisdem datur vtrumq;. Alia maturè seri desiderant, alia serò, quod hyemem nequeant tolerare: non desunt quæ vtrumq; tempus satis aptè contingant. Maturè seritur triticum. Alii iubēt Vergiliis orientibus, tunc enim semina in terra sicca, & irroscida incolumia seruari arbitrantur. Alii illarum occasu, ex Cleodemi sententia, quod septimo die imbres subsequi consueuerint. Sed ipse optimam iudicat eo anni tēpore quo terra turget ad conceptionem, esse mandandum. Ad id addit receptum sententiam, in lutum non esse ponēdum semen, nec in semimadentem terram, nec insolatam: dilutum enim in lacteum pultem dissolui dixit, & postquam maduerit, si siccetur oblinit, nec transmeandi libertatem concedit. Semimadidum facile putrescit, quia neq; humor, neque calor satis est ad operis perfectionem. Caloris quidem generationis apparatum auspicatur, sed germinationem non absoluit, quare hanc omnium mentem pessimam esse. Quæ in sicco facta est tempestiuè, non corrumpit semen. Aliam addunt Cleodemi opinionem, aduersusq; brumalem satum. Terra enim per id temporis vda, ponderosa, vaporosa, ac similis lanis malè carptis, nec potest vapores attrahere, ac in altū trans-

mittere calore destituta, qui vtriusq; author est. Sed quia sunt quędam fruges serotinæ, ideo melius ad brumam serũtur, & cœli fauor seminibus in satu prodest, & post satum si tepor fuerit, vt semina valeãt pullulare, qui superueniente frigore vtilis est, nil enim iam confirmatis & stabilitis obest, sed cõstipando fœcundiora reddit: quippe quum radice robustiore plus alimenti trahatur, & incrementum pòst festinantius veniat. Quę nanq; præcipitant incrementa, & præmaturè erumpunt, de facili pereunt, immò intẽpestiua educatio fluxa est, vnde effusionem illam cohibent alii, secando, aut carpendo. Conferunt etiam niues, quod iis fermentatur ager, & rarefit, & pabulum præbet, & constipato calore radices augescunt roboranturq;. Alibi verò præcepta tradit seminandi tum siccum, tum humidum solum. Ante imbres in sicco serere, vt imbriũ iuuetur superuentu, & in humido eodem modo, vt imbres pręueniantur, vt adhuc humo tepida semina pullulare possint, & imbres validius sufferre. Frumentacea maturè seri debent, vt fortius radicentur, nam sua natura protinus sursum feruntur, hyemis autem superuentu cohibentur, sic verò deorsum retento alimento radices plus fundant, & multiplici culmo se attollere possunt. Sed Democritus Gręcus naturali quadam obseruatione tradit, circa Coronæ occasum seminandũ esse, tunc enim non solũ multi imbres emitti solent, sed terra ipsa naturalem quendam motum suscipiendi, & ad ea, quæ sata sunt, fœcunda efficienda habet. Incipit Coronæ occasus circa Phœnicẽ ad septimum cal. Decembres. Oportet satorem boreales dies, vel frigidos euitare, in his enim terram conclusam, & velut horrẽtem semina non suscipere manifestum est. In serenis enim diebus, remisse calidis, semina tum suscipere, tũ ad radicem agendã concitari, & plenos fructus facere. Alioqui sementẽ augescente Luna, à quarta vsq; ad plenã, hoc est quindecim dierũ spacio facere cõsulunt. Quidam tutius operantes, non omnẽ seminationẽ pręcocem faciunt, sed in bina, terna, vel quatuor tẽpora partiuntur, temporis incertitudinẽ deuitantes. Leontius dicit: Satio pręcox omnibus pręstat, profundam terram anticipare oportet, si parum aëris pluuiosi nacta fuerit. Quibusdam videtur frigidioribus locis autũno per totam hyemem rectè seminationem fieri ad idus vsq; Martii, vel æquinoctium vernũ. Diligentiores sementis tempora hoc modo distribuunt. Frumenti sationẽ incipiunt à Pleiadum occasu, qui ad quartũ nonas Nouembres cõtingit: cessant à satione solstitio hyemali, hoc est ad nonũ cal. Ianuarias. Cato è Latinis primus ita docet: Vbi quisq; locus frigidissimus, aquosissimusq; erit, ibi primũ serito, in calidissimis locis sementẽ postremo fieri oportet. Varro ab ęquinoctio autũnali incipere scribit oportere serere vsq; ad diem xc i post brumam, nisi quæ necessaria causa coegerit non serere, quod tantum intersit, vt ante brumam sata, septimo die, quæ à bruma sata x l die vix exeant, neq; ante æquinoctium incipi oportere putant, quòd si minus idoneæ tempestates sint consequutæ, putrescere semina soleant. Nec tædeat elegantissima Virgilii carmina recitare primo Georgicorum libro:

At si triticeam in messem, robustaq́; farra
Exercebis humum, solisq́; instabis aristis,
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnossiaq́; ardentis decedat stella coronæ,
Debita quàm sulcis committas semina, quamq́;
Inuitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cœpere, sed illos
Expectata seges vanis elusit auenis.

Columella Virgilii placita sequitur, in occasu Vergiliarum seri debere. Absconduntur altero & vigesimo die post autumnale æquinoctium, quod ferè conficitur nono cal. Octobris. Erit ergo tritici satio dierum sex & quadraginta ab occasu Vergiliarum, quod fit ante diē nonum cal. Nouembris ad brumę tempora. Sic vt quindecim diebus prius, quàm conficiatur bruma, totidemq; post eam confectā non arent. Nec ambigendum tēperato agro sementem sic fieri. Locis verò vliginosis, exilibus, frigidis, & opacis circa cal. Octobris seminare conuenire, sicca tellure, dum nubila pendent, vt prius radices frumentorum conualescant, quàm hybernis imbribus infestentur. Quidam præcepere, ne seminarentur agri, nisi quum terra pluuiis permaduerit, quod si tempestiuè contigerit, proderit: sed si seri sunt imbres, quamuis sitienti solo, rectè semen committitur: nam quod sicco solo ingestum, & inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo non corrumpitur. Atq; vbi venit imber, vno die semen surgit. Plinius multa antiquorum dicta adducit, quæ nec adducere pigebit: Accius in Praxidico dicit seri debere quum Luna est in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Zoroastres sole XII partes scorpionis transgresso, quum Luna esset in Tauro. Sequitur huc dilata, & maxima indigens cura de tempore serendi fruges quæstio, magnaq; ex parte ratione syderum connexa. Quamobrem sententias omnium in primis ad id pertinentes exponemus. Hesiodus qui omnium princeps de agricultura præcepit, vnum tempus serendi tradidit à Vergiliarum occasu. Scribebat enim in Bœotia Helladis, vbi ita seri diximus. Inter diligentissimos conuenit, vt in alitum, quadrupedūq; genitura, esse quosdam ad conceptus impetus terræ. Hos Græci ita definiunt, quum sit calida & humida. Virgilius à Vergiliarum occasu seri iubet, quo fit, vt horum syderum exortus, & occasus digerendi sint in suos dies. Sunt qui properent, atq; ita pronuncient, festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper. E contrario alii, vel vere potius serendum, quàm male in autumno, atq; vbi fuerit necesse inter Fauonium, & vernum æquinoctium. Palladius eadem habet.

De modo serendi. CAP. XI.

NVNC præcepta serendi describemus, vt pro agri qualitate, & temporis, seminis mensura proiiciatur, quod accuratius despiciendum.

Theophrastus quod ante pluuiam seritur, iubet rarum seri: quod post, spissum: quòd hoc multum radicetur, illud parcè. Quod enim maturè seritur, si spissum seritur, non radicatur, quia terra siccior: quod serò seritur, quia terra madet, frequentius serendum: suppetit enim humor, fit ergo quæ crebro seritur seges multistipula. Plinius ab eo: Festinata satione densim spargi semen, quia tardè concipiat, serotina rarum, quia densitate nimia necetur. Artis etiam cuiusdam est æqualiter spargere. Manus vtiq; cõgruere debet cum gradu, semperq; cum dextro pede. Fit quoq; quorundam occulta ratione, quod sors genialis atq; fœcunda est. Serere in agro temperati soli iustum est tritici modios quinq., pingui solo plus, gracili minus. Est & alia distinctio: In denso, aut cretoso, aut vliginoso solo tritici modios sex. In soluta terra & nuda, & sicca, & læta quatuor: macies enim soli maior, nisi rarum culmum habeat, spicam minutam facit, & inanem. Pinguia arua ex vna seminis radice fruticem numerosum fundunt, densamq; segetem è raro semine emittunt. Ergo inter quatuor & sex modios pro natura soli alii quinq; non minus seri, pluresve præcipiunt. Item in consito, aut cliuoso, vt in macro. Pamphilus Græcus mensuram ita præfinit. Diducito digitos manus, eosq; imprimito in terram, & sublata deinde manu, multitudinem seminum in impresso digitorum typo considerato. In frumẽto numerum septenarium summum esse oportet, minimũ quinarium. Cæterum in terram, quæ assiduas niues perpetitur, semina crassius iacienda sunt, propterea quod aliqua glacie corrumpãtur. Columella etiam quantum frumenti iugerum agri recipiat, refert. Iugerum agri recipit tritici modios quatuor, vel quinq;. Hesiodus post sationem cooperiendum semen docet,

Semina quum terræ committis, ponè sequatur
Seruulus, atq; auibus retro sata læta recondat.

Plinius: Sato semine sequitur iteratio. Hæc quoq; vbi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro annexa: quod vocant lirare, operientes semina, vnde primum appellata deliratio est.

De sarritione, & runcatione. CAP. XII.

MEMINIT Theophrastus in segetum cura post satum sarritionis, & ad frugum suauitatem plurimum conferre dixit. Significat enim sarrire sarculis fodere, vel purgare, quod fit, quum segetes leniter scalpendo rastris à noxiis herbis purgamus. Plautus,

Semper occant prius, quàm sarriunt rustici.

Varro segetem sarriri iubet primo interuallo inter Fauonium, & æquinoctium vernum. Columella exactam sarritionis disciplinam tradit, ideo ipse audiendus. Peracta sementi, sequens cura est sarritionis, de qua non conuenit inter authores. Quidam negant eam quicquam proficere, quod frumenti radices sarculo detegantur, aliquæ etiam succidantur, ac si frigora incesserint, post sarritionem gelu frumenta enecentur. Satius autem

esse

esse ea tempestiuè runcari, & purgari. Pluribus tamen sarriri placet, sed neque eodem modo, neque iisdem temporibus vsquequaq; fieri: nam in agris siccis, simulac sarritionem pati queant segetes, debere eas permota terra adobrui, vt fruticare possint, quod ante hyemem fieri oportet, & post hyemem iterari. In palustri transacta hyeme sarriri, nec adobrui, sed plana sarritione terram promoueri. Multis regionibus aptam esse hyemalem sarritionem comperimus, vbi scilicet cœli tepores permittunt, sed incolarum consuetudinem sequi debemus. Sunt enim regionum propria munera, vt Ægypti, & Africæ, quibus agricola post sementem ante messem segetem non attingit, quoniam ea cœli conditio & terræ est, vt vix vlla herba exeat, nisi ex semine iacto, siue quia rari imbres, siue quòd ea sit humi qualitas. Iis locis vbi sarritio desideratur, nō sunt attingendæ segetes, etiam si cœli status permittit, nisi quum sata sulcos contexerint. Triticum autem cùm quatuor fibras habere cœperit, rectè sarrietur. Plinius: Sarculatio induratam hyberno rigore soli tristitiam laxat temporibus vernis, nouosque soles admittit. Qui sarriet, caueat, ne frumenti radices suffodiat. Triticum bis sarrire melius. Sarritur diebus viginti. Ab æquinoctio nocere sartura segeti existimatur. Leontius Græcus de sarritione hæc habet: Optimum est sata per homines sarriri, & adobrui, vt optimè omnia contegantur. Quod si fieri non potest, per boues sarriantur. Quando verò iam glebam & sulcum occultare, & contegere cœperint, id fiat, quo & agrestes herbæ dissipentur, & nudatæ ab aquis radices obruantur. Bis quoque si sarritio fiat, geminata erit vtilitas. Runcatio est inutilium herbarum, fruticumque euulsio, inquit Columella. Subiungenda est deinde sarritioni runcatio, curandumque ne florentem segetem tangamus, sed vt antea, aut mox quū defloruerit. Varro, Secundo interuallo inter vernum æquinoctium, & Vergiliarum exortum hæc fieri debent, segetē runcari, herbam ex segetib⁹ expurgari. Plinius: Quum seges in articulo est, euulsis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit à cespite. Leontius Græcus: Quando iam frumenta spicam emiserint, runcētur. Sic etiam fructus puri, & multæ commoditatis perficientur, quum non amet terra herbas peregrinas iugiter coalere.

De vitiis segetum & remediis CAP. XIII.

SVNT & permulta segetum vitia, morbique, quorum etsi cuique in sua tractatione remedium demonstrabitur, lubet tamen aliqua generatim præfari, quum præsertim & à nostris antiquioribus geoponica pertractantibus, describantur. Sed qui fuerint hi morbi, à Theophrasto perdiscamus. Seminum vitia quædam omnibus communia, vt rubigo, quædam propria quibusdam dantur, vt tabitudo radici ciceris, & erucarum infestatio. Aliis etiam publicum, bestiolarum erosio: nonnulla scabie, & salsugine pereunt, vt cuminum. Animalia vel in iis gignuntur, vel extrinsecus veniunt, quæ non æquè officiunt. Nascitur in tritico cantharis, & in eruo phalangiū, & in aliis alia genera. Mor-

bi autem, vt in summa dixerim, omnibus seminibus ob alimenti, cœlique intemperiem eueniunt, videlicet, quum plus, minúsve alimenti præbetur, aut aër immodicè humidus siccúsve est, vel quum non tempestiue humescit. Sed incipiamus primo à rubigine, à qua aliæ fruges vastantur, aliæ immunes sunt. Rubigo in frumentaceis magis, quam in leguminibus, & inter frumenta ordeum magis, quàm triticum sentit, & inter ordea aliud plus, aliud minus. Rubiginem nullam sentiunt tractus excelsi perflatique; caui, depressiq; & flatibus nullis expositi frequentissimè habent. Gignitur hæc plenilunio. Rubigo putrefactio quædam est, quum exceptus in spica humor non defluit, sed solis superuentu calefactus, putrescit. Aufugiunt hoc vitium quæ inclinatam habent spicam, non porrectam, quia ab ea non excipitur humor. Longiores stipulæ spicis grauatæ incuruescunt, quia sub illis flectuntur, breues verò subiectas gerunt, ob id ærugini obnoxiæ. Prodest quũ à foliis suspensa spica est, quia longius humor abest, qui in foliis continetur. Ordeum achilleis vocatum æruginosum est, quia porrectam gerit spicã, eteocritum verò, quia incuruatur, ab ærugine innoxiũ est. Sic & ventis perflatæ segetes minus rubigine infestantur, quia humor vento deiicitur, & post imbres sequente flatu mox compluta spica resiccatur prius, quàm solis calore ferueat. Pleniluniis potissimum gignitur, quia Luna plena caloris plena est, quo putrefacit. M. Varro in limine sui de re rustica libri, Robigum, & Floram inuocat, quibus propitiis rubigo neq; frumenta, neq; arbores corrũpat, neq; non tempestiuè floreant. Namq; publicæ Robigo feriæ robigalia, Floræ ludi floralia instituti sunt. A quib. Plinius: Cœleste frugum malum, nullo minus noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu, conuallibusq;, ac perflatum non habentibus: E diuerso carent ea ventosa, & excelsa. Tria tẽpora fructibus metuebãt Romani, propter quod instituerunt ferias, diesq; festos, Robigalia, Floralia, Vinalia. Robigalia Numa constituit, anno regni sui vndecimo, quæ (Plinii tempore) agebantur ad VII Calen. Maii, quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinauit sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies vndeuiginti ab æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium obseruatione in IIII cal. Maii Canis occidit, sydus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit. Iidem itaque floralia IIII Calen. eiusdem instituerunt vrbis anno quigentesimo sextodecimo ex oraculis Sibyllæ, vt omnia benè deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, sole tauri partem quartamdecimam obtinente. Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges & omnia, quæ florebunt, lædi necesse erit. Ex his canis in sacris Robigi victima fuit. Ouidius Fastorum libro;

Est canis, (Icarium dicunt) quo sydere moto
Tota sitit tellus, præripiturq; seges.
Pro cane sydereo, canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.

Pro cuius remediis Plinius hæc recitat: Rubigo quidem maxima segetum pestis, lauri ramulis in aruo defixis, transit in earum folia ex aruis. Sarmenta, aut palearum aceruos, & euulsas herbas, fruticesq; per vineas, camposque, quum timebis incendito, fumus medebitur. Hic è paleis, & contra nebulas auxiliatur, vbi nebulæ nocét. Ab eo Palladius: Contra nebulas, & rubiginem, paleas & purgamenta pluribus locis disposita, simul omnia, & quum nebulas instare videris, combures. Sed ad Theophrastum redeamus: Triticum vermiculi enecant, alii protinus nascentes, radicitus erodentes, alii quum squallentes absolui nequeant, tunc enim vermiculus culmum vsque ad spicam erodit, deinde alimento consumpto, emoritur, & si totum erosit, triticum ipsum interit, si verò alteram tantummodo culmi partem frugemque fundendam eatenus violauit, id quidem spicę pereat necesse est, reliquum autem incolume extat. Idq; in Thessalia maximè, minus verò in Africa, & in Lelanto Eubœæ. Libro de causis rationem assignat. Nam vbiq; animal gignitur, quum calor cum humiditate debita ratione coit, humiditas enim, ceu materia subiacet calori ad excoctionem conficiendam, quod in tritico euenire videmus. Vermes enim in eius radice creantur, quum post sementem flatus austrini crebro incesserint. Tunc enim radice humescente, & aere calido, radicem caliditas putrefaciens, animal procreat, vermis inde natus radicem erodit. Singulis enim ex eisdem rebus generationem, & alimentum Natura præscripsit. A quo Plinius: Nascuntur & vermiculi in radice, quum sementem imbribus sequutis incluserit repentinus calor humorem. Gignuntur & in grano, quum spicæ pluuiis calor inferuescit.

Est & cantharus dictus scarabeus, paruus frumenta erodens. Omnia ea animalia cum cibo deficiunt. Sed hæc eorum remedia. Semina cupressi foliis tusis si misceantur, non esse vermiculis obnoxia, nec si interlunio serãtur. Democritus succo herbæ, quæ appellatur ἀείζωον, in tegulis nascens, tabulisve, Latine verò sedum, aut digitellum, medicata seri iubet omnia semina. Vulgò verò, si dulcedo noceat, & vermes radicibus inhæreant, remedium est amurca pura, ac sine sale spargere, deinde sarrire. Maximè intereunt afflatibus triticum, atque hordeum, inquit Theophrastus, quum aut florentia perflantur, aut flore demisso protinus infirma concutiuntur. Sed ordeum magis ita perire certum est, sæpè enim crassescunt, si vehementius diutiusque flatus inuaserint, exiccantur, & penitus inarescunt, quod quidam euentari dixerunt. Plinius: Venti autem tribus temporibus nocent, frumento, & ordeo. In flore, aut protinus quum defloruère, aut maturescere incipientibus. Tum enim exinaniunt grana, prioribus causis nasci prohibent. Sol quoque ex nube, inquit Theophrastus, ambo ista interimit, sed triticum magis, quàm ordeum, ita vt quanquam spica exinanita sit, visu tamen percipi minimè possit. Plinius: Nocet & sol è nube creber. Inter vitia segetum luxuria est, quum onerata fertilitate procumbunt.

Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat, & depastæ quidem, vel sæpius nullam in spica iniuriam sentiunt. Retonsarum etiam semel omnino certum est granum longius fieri. Sed inane, cassumque, ac satum non nasci. Imber in herba vtilis tantum. Florentibus autem frumento, & ordeo nocet, leguminibus innocuus, præterquã ciceri. Maturescentia frumenta imbre læduntur, & ordeum magis. Virgilius nitro & amurca perfundi iubet fabam, sic etiam grandescere promittit. Vino ante semina perfusa minus ægrotare existimant. Quin & armo talpæ contacta semina vberiora esse. Apuleius testatur semina vino conspersa minus esse ægrotatura. Aqua etiam & amurca, si irroraueris ipsa maximè iuuabis. Palladius: Quædam animalia subterranea sectis radicibus necant plerunque frumenta. Contra hæc proderit, si herbæ, quę sedum dicitur, succus aquæ mistus, vna nocte madefaciat, quæ spargenda sunt semina, vel agrestis cucumeris humor expressus, & eius radix trita, si aqua diluatur, & eodem, quæ serẽda sunt, macerentur humore. Plinius: Mures abiguntur cinere mustelæ, vel felis diluto, & semine sparso, vel decoctarum aqua. Sed redolet virus animalium eorum in pane. Ob id felle bubulo semina attingi vtilius putant. Apuleius: Si post sationem, & vbi terra iam obruta fuerint semina, modicum frumentum veratro ammistum propè seminaueris, quæcunque aues gustauerint, morientur. Auiculas ipsas mortuas arundini affixas ex pedibus suspendito, & de cætero auicula nulla accedet. Vel si modicum frumentum veratro ammistum foris per ambitum seminaueris, sata ab auium iniuria vindicabis. Si cancros fluuiales, aut marinos in aquam coniectos ad dies octo siueris, & hac aqua foris sata ipsa consperseris, neque semina, neque plantæ ab auibus lædentur. Quidam cerui cornu, aut elephantis siccum aspergũt, alii aqua madefaciunt, atque ita semina irrorant. Si in mensuram, qua semina metiri solemus, serenda semina iniiciuntur, & hyænæ pelle contegantur, post aliquot dies transsumpta ab animali, naturali potentia e rodore, à nemine facilè lædentur. Incorrosa manent, quæ Luna semiplena seminata sunt. Priusquam aruum fodiatur, rubeta noctu circum ipsum gestanda est, & in vase fictili concludenda, atque in medio aruo adobruenda. Verùm sationis tempore instante, refodienda est, & extra aruum eiicienda, vt ne fructus amarus fiat. Quin veteri vrina, ac canino stercore simul solutis si semina madefeceris, aut arbores, aut vites, illæsa omnia conseruabis.

Prænotio segetum fertilitatis. CAP. XIV.

FVTVRÆ vbertatis prognostica segetũ aliqua à syderibus, vel ab aeris qualitatibus, vel ex arboribus cognosci possunt. Nos primo ea manifestabimus signa, quæ etiam agricolis innotescere possunt, postremo quæ accuratiorem astrologiæ scientiam exposcunt. Et primò si optimè floruerit seges, optimam præbere potest spem vbertatis. Ouidius in Fastis,

Si bene floruerint segetes, erit area diues.

Virgilius

Virgilius ex amygdalæ floribus futuræ frugum copiæ iudicia desumit.

Contemplator item, cum se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes.
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore,
At si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Sed Appuli ex asphodelo iudicium vbertatis desumunt, quippe si optimè florescentem cõspexerint, & deflorescentẽ, & seminum copiam, eandem frugum vbertatem sibi promittunt. Legitur apud Græcos Zoroastræ prænotio, qualia semina fertilia futura sint. Paucis diebus ante caniculę exortum in quopiam loco de vnoquoque semine paululum experimenti gratia serunt. Quum igitur exoritur Canicula, quædam ex satis, vt verisimile est, lædit, quædam nequaquam. Hoc igitur signum statuentes, ea, quæ in eius ortu illæsa manent, serunt, relinquunt incuruata. Est autẽ Canis exortus decima nona Iulii mensis. Cæterũ quæ sic seremus, ea triginta diebus ante rigabimus, quò videlicet eò commodius nasci possint. Vel post Canis ortum primum tonitru obseruant, & in qua Zodiaci domo existat Luna. Si in Tauro, frumenti & ordei corruptionem portendit. Si in Geminis, frumenti corruptelam. In Cancro ordei corruptionẽ. In Leone, frumenti, ac ordei perniciem in montana regione. In Sagittario, in montana regione frumenti fertilitatem, in campestri corruptionem. In Aquario, leguminum perniciem. In Piscibus, frumenti corruptionem modicã. Ex Caniculæ etiam ortu, qui fit illucescente vigesima Iulii mensis, obseruantes in qua domo existat Luna, prædicunt. Si in Leone fuerit Luna, frumenti fertilitas magna. In Virgine, frumenti corruptela. In Sagittario, frumẽti abundantia. In Capricorno, fertilitas. In Aquario, carentia. In Piscibus, vbertas. In Ariete, copia exigua. In Geminis, multa fertilitas. A quibus Palladius: Gręci asserũt Ægyptios homines prouentum futuri cuiusq; seminis experiri. Aream breuem loco subacto, & humido nunc excolunt, & in ea diuersis spatiis omnia frumenti, vel leguminum semina spargunt. Deinde in ortu Caniculæ, qui apud Romanos quartodecimo Calendarum Augustarum die tenetur, explorant, quæ semina ortum sydus exurat, quæ illæsa custodiat. His abstinent, illa procurant, quia indicium noxæ, aut beneficii per annum futurum generi vnicuique sydus aridum præsenti exitio, vel salute præmisit.

De frumenti generibus, & primo de tritico. Cap. XV.

Et quia iam vniuersis frumenti generibus agrum præparauimus, nunc ea diuidamus. Diximus frumenti genera pro tempore satus diuisa, hyberna, & æstiua. Dicemus de hybernis, & primum à tritico incipiemus.

Græcis πυρὸς dicitur, ab acutie, aut à similitudine, quam habet cum nonnullorum fructuum granis, vel gygartis, quæ πυρῆναι dicuntur. Dicitur enim Nomen.

obliquum agi sulcum oportebit, vt in vtramque partem rescindamus, nec eodem vestigio terram moliamur. Exilis ager, planus, vliginosus primum aretur vltima in parte mensis Augusti, subinde Septembri, sic iteratus, paratusque sementi circa æquinoctium, operæ tres in iugero sufficiunt. Graciles cliui non sunt in æstate arandi, sed circa Calendas Septembres, quoniam ante hoc tempus æstiuo sole peruruntur. Itaque optimè inter Calendas, & idus Septembris aratur, ac subinde iteratur, vt primis æquinoctialibus pluuiis conseri possit, nec in lira, sed sub sulco talis ager seminandus est. Hesiodus negat sub æstu arandam esse terram,

Et sterilis tellus medio versata sub æstu.

Plinius Catonis placita refert, aliqua addit. Tepidioribus locis à bruma proscindi arua oportet, frigidioribus ab æquinoctio verno, & maturius sicca regione, quàm humida. Maturius densa terra, quàm soluta, pingui, quàm macra. Vbi siccæ, & graues æstates, terra cretosa, aut gracilis: vtilius inter solstitium, & autumni æquinoctium aratur. Vbi leues æstus, frequentes imbres, pingue herbosumque solum, ibi melius caloribus. Altum & graue solum etiam hyeme moueri placet, tenue valdè & aridum paulò ante sationis tempus. Sunt & hic suæ leges. Lutosam terram ne tangito. Vi omni arato: prius quàm ares proscindito. Hoc vtilitatem habet, quod inuerso cespite herbarum radices necantur. Quidam ab æquinoctio verno proscindi volũt. Quod vere semel aratum est, à temporis argumento veruactum vocatur. Hoc in nouali, atque requieto necessarium est. Nouale est quę alternis annis seritur. Iustum est proscindi sulco dodrantali iugerum vno die, iterari sesquiiugerum, si sit facilitas soli; si minus, proscindi semissem, iterari assem. Palladius ea habet, quæ ab his excepit.

Arationis inuentor, & instrumenta. CAP. V.

DIODORVS ait Dionysium secundum ex Ioue & Proserpina genitum, vel, vt alii dicunt, ex Cerere, boues ad aratrum primum iunxisse, quum terra prius hominum manibus coleretur. Baccho cornua ascribi, quoniam iudicarunt, quod prius coniungendorum boum author fuerit. Plinius ait: Aratrum Biges Atheniensis inuenit, vt alii tradunt Triptolemus, de quo etiam Virgilius intellexit,

——— *vnciq; puer monstrator aratri.*

Seruius & Tibullus Osyrim inuentorem fuisse dicunt: nam Triptolemus frumenta diuisit, & ob id Virgilium nomen tacuisse, quia non vnus in orbe monstrator aratri fuerit, sed diuersi in diuersis locis. Trogus dixit Habidem Hispaniæ Regem barbarum populum docuisse primo boues aratro domare, frumentaque sulco serere. Cæterum omnia rustica ferramenta, quibus terra vertitur simul cum aratro Cererem comperisse, Virgilius dixit hoc versu,

Prima

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit.

Varinus Herculem Buzygem dixit, quod bubus iunctis terram arauerit, à quo familia Buzygia. Iugarius deus colebatur, quod coniuges coniungeret, vel quod iuga committebat. Augustinus tradit libro de ciuitate Dei. Minerua Βοαρμία παρὰ τὸ συναρμόσαι, καὶ ζεῦξαι, quod coniunxerit in iugum & aratrum boues. Colitur autem hoc nomine apud Boetos. Pallas βύδεια cognominatur, quia humana excogitatum prudentia est boum opera terram colere. Sed Eusebii ac Lactantii testimonio constat, ante multas tempestates, quàm esset Ceres, frumenti vsum apud mortales fuisse, præsertim apud Hebræos, & Ægyptios, vti ex Iosepho colligere licet. Aratrum quibus lignis confici debeat, docet Hesiodus:

Temonem ex vlmo, viridi seu confice lauro,
Stiua sit ex pino, dura dentalia quercu.

Virgilius ex eo:

Continuo in syluis magna vi flexa domatur
In burim, & curui formam accipit vlmus aratri.
Huic a stirpe pedes temo protensus in octo,
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Cæditur & tilia ante, iugo leuis, altaq; fagus,
Stinaq; quæ currus a tergo torqueat imos,
Et suspensa focis explores robora fumus.

Flagellum est stimulus, quo punguntur boues: est autem prælonga arundo, vel hastile cuspide quapiam acuminatum, quo & hodie vtimur.

Arationis regulæ & vtilitates. CAP. VI.

ALIQVÆ supersunt arationis regulæ, & vtilitates, quas à Columella recensebimus. In opere boues artè iunctos habere conuenit, quo elatis capitibus ingrediantur, ac minus colla labefactentur. Nam si cornibus illigetur iugum (vt quibusdam prouinciis vsurpatur) resupinis capitibus excruciantur, & leui vomere terram sauciant: at hoc modo tota corporis mole nituntur, & qui altè terram proscindunt, plurimum virentibus conferunt, & segetum incremento. In Italia vbi arbustis, atq; oleis consitus est ager, altius resolui desiderat, vt summæ radices vitium, olearumq; rescindantur, quæ si maneant, frugibus obsunt. Celsus exiguis vomeribus terram subigit, sed sua ratio Ægypto, & Numidiæ conuenit, vbi arboribus viduum solum, & terram pinguibus arenis putrem dente moueri satis est. Bubulcum per proscissum ingredi oportet, alternisq; versibus obliquum tenere aratrum, & alternis recto sulcare, necubi crudum solum relinquat. Boues quum ad arbores venerint retinere, ne in radicem vomis impactus colla commoueat, neve cornu ad stipitem offendat, aut extremo iugo truncum delibret. Voce potius quàm verbe-

tibus terreat, vltimaque sint opus recusantibus remedia plagæ. Nunquam stimulo lacessat iumentum, quod calcitrosum eum reddit, sed admoneat flagello. Nec in media parte versuræ consistat, detq; requiem in summa, vt spe cessandi totum spatium, bos agilius enitatur. Sulcum non ducat longiorem, quàm pedum centum viginti: vbi hunc modum excesserit, plus æquo fatigatur. Quum ventum erit ad versuram, boues inhibeat: & in priorem partem iugum propellat, vt eorum colla refrigescant, ne ex eo tumor, & viscera inuadant. Dolabra & vomere bubulcus vtatur, vt summas radices, & perfractas stirpes refodiat, & persequatur. Quum boues ab opere disiunxerit, substrictos confricet, colla subigat, merumque faucibus infundat, si æstuauerint: antequam sudare, & anhelare desierint, ad præsepia ne religentur, & quum tempestiuè potuerint vesci, paulatim cibum præbere conuenit: quem quum assumpserint, ad aquam ducantur, tum reducti largiori pabulo satientur. Plinius præterea quæ Columella, hæc habet. Si inter arbores, vitesq; aretur, fiscellis capistrari, ne germinum tenera præcerpant. Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rulla.

De occatione. CAP. VII.

ARATIONEM occatio sequitur. Est enim occare glebas confringere. Varro ad hanc significationem accepit, inquiens: Arare, & postea occare, id est comminuere, ne sit gleba: quod ita occidunt, occare dicunt. Festus occare dictum putat ab occidendo, quod cædant grandes globos terræ. Plinius, Aratione per transuersum iterata occatio sequitur, vbi res poscit, crate, vel rastro, & sato semine iteratio. Columella: frigidioribus regionibus Septembri puluerationem faciunt, quam vocant rustici occationem, quum omnis gleba in vineis refringitur, & resoluitur in puluerem. Est & occare semen operire. Cicero de senectute: Quæ quum gremio mollito, ac subacto sparsum semen excipit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata est. Palladius: Arbores, quæ ablaqueatæ fuerunt, occare, id est operire iam conuenit. In hoc significatu etiam Columella: Nam quod sicco solo ingestum & inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo non corrumpitur. Sunt qui dicant occatio, quasi occæcatio quædam.

De arui stercoratione. CAP. VIII.

SED si terra exilis fuerit, stercorandam esse post arationem præcipiunt veteres agricolæ. Theophrastus secundo loco ante sationem stercorandam esse terram dicit, sed macram largius, pinguem parcius, tum propter soli virtutem, tum quia fimus plus affert succi, quàm quantum percoqui possit: superfluus enim succus additus, abit in cruditatem. Addit & præceptum simile stercorationi, intermiscendo terrenum diuersi habitus, sicut graui leuem, macro pinguem, sic albo rubrum, & si qua contrarietas alia sit, quippe non so-

lùm

lum mutuis beneficiis vtrinq; afferri quantum deest supplementi, sed etiam vim addi quandam, veluti si effœtæ terræ fertilis permisceatur, recentabitur, & ferre vegeta facta incipiet. Argilla sterilis est, si aliis admisceatur, iuuat fertilitatem, est enim alteri altera fimi vice. Megarensium consuetudo est permiscere eas quinquennio, aut sexennio, eandem è profundo petunt, vt terra ima, quæ succum retinet, in summo sit, pro ea quæ amittit in fruge succum. Intimus enim locus, quasi gremium est, in quod aqua resedit ad alendum idonea. Cato: Quid est agrum benè colere? Primum bene arare. Quid secundum? Arare. Quid tertium? Stercorare. Præcepitque columbinum fimum agro spargendum. Columella autem satis diffusè: Prius quàm exilem terram iteremus, stercorare conueniet: nam eo, quasi pabulo, gliscit. In campo rarius, in colle spissius. Aceirui stercoris instar quinque modiorum disponentur, atque in plano pedes interualli quoquouersus octo, in cliuo duobus minus. Sed id decrescente Luna fieri placet, nam ea res herbis liberat segetes. Iugerum, quod spissius stercoratur, desiderat vehes quatuor, & viginti, quod rarius, duodeuiginti. Disiectum deinde fimum inarari, & obrui conuenit, ne solis halitu vires amittat, vt permista humus hoc alimento pinguescat. Itaque quum in hoc agro disponentur aceirui stercoris, non debet maior modus eorum dissipari, quàm quem bubulci eodem die possint obruere. Secunda ratio est, antequam sarrias, more seminantis, ex auiariis puluerem stercoris per segetem spargere, si is non erit, caprinum, atq; terram sarculis permiscere. Scito refrigescere agrum, qui non stercoretur, ita peruri, si nimium: magisque conducit frequenter, quàm immodicè facere. Aquosus ager maiorem eius copiam, siccus minorem desiderat: alter, quòd humore rigens, hoc adhibito regelatur, alter quòd hoc largiore assumpto torretur. Si stercus non suppetet, è sabulosis locis cretam ingerat, cretosis sabulonem, & si his omnibus destituatur agricola, ad lupini præsidium confugiendum, quod cum exili loco circa idus Septembris sparserit, & inarauerit, idque tempestiuè vomere succiderit, vim stercorationis exhibebit. Sed sabulosis locis lupinũ succidi oportet, quum secundum florem: rubricosis, quum tertium egerit: illic dum tenerum est, celeriter putrescit, permiscetur que solo: hic iam robustius solidiores glebas diutius substinet, vt eæ solibus vaporatæ resoluantur. Præterea stercus, quod tempestiuè repositum anno requieuerit, segetibus maximè est vtile: nam & adhuc vires solidas habet, & herbas non creat. Plinius aliqua habet ab his prætermissa: Autumno aliquid saturus, Septembri mense fimum inaret post imbrem. Vtique si verno erit saturus, per hyemem fimum disponat. Iustum est vehes XVIII iugero tribui, dispergere autem priusquam arescat, aut iactato semine. Si hæc omissa sit stercoratio, sequens est priusquã sarrat, ante puluerem. Quod vt hanc quoque curam determinemus, iustum est singulas vehes fimi, denario ire, in singulas pecudes minores, in maiores denas, nisi contingat hoc, male substrauisse pecori colonum appareat. Sunt qui

optimè stercorari putent, sub dio retibus inclusa pecorum mansione. Sed minori & labore, & impensa nos optimè agrum stercorare solemus. Sed oportet in eo prius pratum sit satum, & densè suis radicibus solum irretitum, vt summa terræ cutis aptis ligonibus, vel pastinis decorticetur, idq; Aprili, vel Maio faciendum, si tempus serenum fuerit. Sit terræ cortex euulsus longitudine quinque pedum, latitudine quatuor, altitudo verò binûm digitorum. Primum à solo ex vna parte decorticetur, post à contraria leuibus, & crebris ictibus, vt maxima diligentia integra ex humo diuellatur. Pars quæ solo hęserit obliqua, obuertatur soli meridiano, vt optimè resiccetur quinq; dierum spatio. Erit pastini commoda longitudo duorum pedum, latitudo vnius, acies acuta valdè, vt secet, non conuellat cutim: nam sic commodius opus absoluent. Hæ cutes in clibani modum componantur, alteram alteri superimponendo, vt aptè per eas ignis euagetur. Sit diameter duorum cubitorum, eademq; altitudo: ostium vnius pedis, in summo foramen apertum, per quod exhalet fumus, intus paleas, & sarmenta iniicienda, vt facilius ignem concipiant. Vbi omnia benè accensa cognoueris, superius os operies: sic & ora, quæ vis ignis effecerit. Quum optimè omnia combusta videbis, & in cinerem versa, quod diei curriculo eueniet, benè erit, si aliqua in combusta remanent, aliis clibanis accommodetur, vt omnia in cinerem resoluantur, quo maiores, & spissiores clibani erunt, & meliores, & spissior cinis, vbi solum ab igne crudum remansit, & pastino, & ligonibus permiscetur, idq; fiat ante sationem quinque diebus.

De seminum electione in serendo. Cap. IX.

THEOPHRASTVS de seminum electu hęc habet. Ad exortum autem, vniuersamq; sementem semen anniculum optimum putatur, bimum deterius & trimum, quod autem vltra acceperis, sterile fermè est, quamquam ad vsum cibarium idoneū constat. Omnibus ad generandum data est vita definita, & inter sese differunt, locorū causa, quibus cōdantur. In petra Cappadociæ vel quadragenos annos fœcunda, sexagenos autem, & septuagenos ad vsum cibarium idonea. Locum hunc cùm aliàs excelsum, tum flatibus esse apertum, & ab exortu, occasu, meridieque auris editum. Columella præcepit, demessis segetibus iam in area, futuro semini consulamus. Ait Celsus, Vbi mediocris est fructus, optimam quamq; spicam legere oportet, separatimque ex ea semen reponere, quum amplior messis prouenerit, quicquid exteretur, capisterio expurgandum erit, & quod propter magnitudinem ac pondus in imo subsederit, id semen reseruandum: nam nisi cura talis adhibeatur, frumenta degenerant, & ex robusto fit non robustum. Ideoque Virgilius de seminibus præclarè sic disserit,

Vidi ego lecta diu & multo spectata labore,
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis

Maxima

Maxima quæq; manu legeret, sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Granum rutilum, si quum diffissum est, eundem colorem interiorem habet, integrum esse non dubitamus. Quod extrinsecus albidum, intus etiam conspicitur candidum, leue, ac vanum intelligi debet. Plinius quæ ii scripsere habet. Vindanionius Græcus ad id. Frumentum, quod seremus, eligendum est generosum, plenum, solidum, colore ad aurum inclinante, & quod gratissimum est, ex panificio cognoscitur. Fugiendum contrà contusum, & rugosum. Quidam pleniores spicas eligunt, quæ grana habent solida, & perfecta, eaq; in sementem reseruant, præstantiorem fructum ex his capientes. Didymus ad fertilitatem conferre tradit, vt semina in contrarios locos serantur, velut ex montanis in campestres, ex humidis in squallidos, & vice versa. Esse enim contrariorum appetentiam æqualiter & in seminibus, & in terra. Quod tamen si fiat, oportet vt ex deterioribus regionibus in meliores transferamus, non ex præstantioribus in peiores.

De tempore sationis. CAP. X.

SED satus tempora dicamus, & primum Theophrasti placita demonstremus. Inquit enim: Sementis duo tempora notantur, sed primum atq; potissimum, quod circa Vergiliarum occasum accipitur, quod & Hesiodus & maxima ferè pars authorum sequuta est,

Quum cœlo emergunt sublimi ab Atlantide natæ
Pleïades, truncanda Ceres. Morientibus illis
Mitte in aratra boues.

Quamobrem id tempus per excellentiam satum appellarunt. Secundum quod vere incipit, post brumam, sed non eisdem datur vtrumq;. Alia maturè seri desiderant, alia serò, quod hyemem nequeant tolerare: non desunt quæ vtrumq; tempus satis aptè contingant. Maturè seritur triticum. Alii iubẽt Vergiliis orientibus, tunc enim semina in terra sicca, & irroscida incolumia seruari arbitrantur. Alii illarum occasu, ex Cleodemi sententia, quod septimo die imbres subsequi consueuerint. Sed ipse optimam iudicat eo anni tẽpore quo terra turget ad conceptionem, esse mandandum. Ad id addit receptum sententiam, in lutum non esse ponẽdum semen, nec in semimadentem terram, nec insolatam: dilutum enim in lacteum pultem dissolui dixit, & postquam madueri t, si siccetur oblinit, nec transmeandi libertatem concedit. Semimadidum facile putrescit, quia neq; humor, neque calor satis est ad operis perfectionem. Caloris quidem generationis apparatum auspicatur, sed germinationem non absoluit, quare hanc omnium mentem pessimam esse. Quæ in sicco facta est tempestiuè, non corrumpit semen. Aliam addunt Cleodemi opinionem, aduersusq; brumalem satum. Terra enim per id temporis vda, ponderosa, vaporosa, ac similis lanis malè carptis, nec potest vapores attrahere, ac in altũ transf.

mittere calore destituta, qui vtriusq; author est. Sed quia sunt quędam fruges serotinæ, ideo melius ad brumam serũtur, & cœli fauor seminibus in satu prodest, & post satum si tepor fuerit, vt semina valeãt pullulare, qui superueniente frigore vtilis est, nil enim iam confirmatis & stabilitis obest, sed cõstipando fœcundiora reddit: quippe quum radice robustiore plus alimenti trahatur, & incrementum pòst festinantius veniat. Quę nanq; præcipitant incrementa, & præmaturè erumpunt, de facili pereunt, immò intẽpestiua educatio fluxa est, vnde effusionem illam cohibent alii, secando, aut carpendo. Conferunt etiam niues, quod iis fermentatur ager, & rarefit, & pabulum præbet, & constipato calore radices augescunt roboranturq;. Alibi verò præcepta tradit seminandi tum siccum, tum humidum solum. Ante imbres in sicco serere, vt imbriũ iuuetur superuentu, & in humido eodem modo, vt imbres pręueniantur, vt adhuc humo tepida semina pullulare possint, & imbres validius sufferre. Frumentacea maturè seri debent, vt fortius radicentur, nam sua natura protinus sursum feruntur, hyemis autem superuentu cohibentur, sic verò deorsum retento alimento radices plus fundant, & multiplici culmo se attollere possunt. Sed Democritus Gręcus naturali quadam obseruatione tradit, circa Coronæ occasum seminandũ esse, tunc enim non solũ multi imbres emitti solent, sed terra ipsa naturalem quendam motum suscipiendi, & ad ea, quæ sata sunt, fœcunda efficienda habet. Incipit Coronæ occasus circa Phœnicẽ ad septimum cal. Decembres. Oportet satorem boreales dies, vel frigidos euitare, in his enim terram conclusam, & velut horrẽtem semina non suscipere manifestum est. In serenis enim diebus, remisse calidis, semina tum suscipere, tũ ad radicem agendã concitari, & plenos fructus facere. Alioqui sementẽ augescente Luna, à quarta vsq; ad plenã; hoc est quindecim dierũ spacio facere cõsuluunt. Quidam tutius operantes, non omnẽ seminationẽ pręcocem faciunt, sed in bina, terna, vel quatuor tẽpora partiuntur, temporis incertitudinẽ deuitantes. Leontius dicit: Satio pręcox omnibus pręstat, profundam terram anticipare oportet, si parum aëris pluuiosi nacta fuerit. Quibusdam videtur frigidioribus locis autũno per totam hyemem rectè seminationem fieri ad idus vsq; Martii, vel æquinoctium vernũ. Diligentiores sementis tempora hoc modo distribuunt. Frumenti sationẽ incipiunt à Pleiadum occasu, qui ad quartũ nonas Nouembres cõtingit: cessant à satione solstitio hyemali, hoc est ad nonũ cal. Ianuarias. Cato è Latinis primus ita docet: Vbi quisq; locus frigidissimus, aquosissimusq; erit, ibi primũ serito, in calidissimis locis sementẽ postremo fieri oportet. Varro ab ęquinoctio autũnali incipere scribit oportere serere vsq; ad diem XCI post brumam, nisi quæ necessaria causa coegerit non serere, quod tantum intersit, vt ante brumam sata, septimo die, quæ à bruma sata XL die vix exeant, neq; ante æquinoctium incipi oportere putant, quòd si minus idoneæ tempestates sint consequutæ, putrescere semina soleant. Nec tædeat elegantissima Virgilii carmina recitare primo Georgicorum libro:

At si triticeam in messem, robustaq́; farra
Exercebis humum, solisq́; instabis aristis,
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnossiaq́; ardentis decedat stella coronæ,
Debita quàm sulcis committas semina, quamq́;
Inuitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum Maiæ cœpere, sed illos
Expectata seges vanis elusit auenis.

Columella Virgilii placita sequitur, in occasu Vergiliarum seri debere. Absconduntur altero & vigesimo die post autumnale æquinoctium, quod ferè conficitur nono cal. Octobris. Erit ergo tritici satio dierum sex & quadraginta ab occasu Vergiliarum, quod fit ante diē nonum cal. Nouembris ad brumę tempora. Sic vt quindecim diebus prius, quàm conficiatur bruma, totidemq; post eam confectā non arent. Nec ambigendum tēperato agro sementem sic fieri. Locis verò vliginosis, exilibus, frigidis, & opacis circa cal. Octobris seminare conuenire, sicca tellure, dum nubila pendent, vt prius radices frumentorum conualescant, quàm hybernis imbribus infestentur. Quidam præcepere, ne seminarentur agri, nisi quum terra pluuiis permaduerit, quod si tempestiuè contigerit, proderit: sed si seri sunt imbres, quamuis sitienti solo, rectè semen committitur: nam quod sicco solo ingestum, & inoccatum est, perinde ac si repositum in horreo non corrumpitur. Atq; vbi venit imber, vno die semen surgit. Plinius multa antiquorum dicta adducit, quæ nec adducere pigebit: Accius in Praxidico dicit seri debere quum Luna est in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. Zoroastres sole XII partes scorpionis transgresso, quum Luna esset in Tauro. Sequitur huc dilata, & maxima indigens cura de tempore serendi fruges quæstio, magnaq; ex parte ratione syderum connexa. Quamobrem sententias omnium in primis ad id pertinentes exponemus. Hesiodus qui omnium princeps de agricultura præcepit, vnum tempus serendi tradidit à Vergiliarum occasu. Scribebat enim in Bœotia Helladis, vbi ita seri diximus. Inter diligentissimos conuenit, vt in alitum, quadrupedūq; genitura, esse quosdam ad conceptus impetus terræ. Hos Græci ita definiunt, quum sit calida & humida. Virgilius à Vergiliarum occasu seri iubet, quo fit, vt horum syderum exortus, & occasus digerendi sint in suos dies. Sunt qui properent, atq; ita pronuncient, festinatam sementem sæpe decipere, serotinam semper. E contrario alii, vel vere potius serendum, quàm male in autumno, atq; vbi fuerit necesse inter Fauonium, & vernum æquinoctium. Palladius eadem habet.

De modo serendi. CAP. XI.

NVNC præcepta serendi describemus, vt pro agri qualitate, & temporis, seminis mensura proiiciatur, quod accuratius despiciendum.

Theophrastus quod ante pluuiam seritur, iubet rarum seri: quod post, spissum: quòd hoc multum radicetur, illud parcè. Quod enim maturè seritur, si spissum seritur, non radicatur, quia terra siccior: quod serò seritur, quia terra madet, frequentius serendum: suppetit enim humor, fit ergo quæ crebro seritur seges multistipula. Plinius ab eo: Festinata satione densim spargi semen, quia tardè concipiat, serotina rarum, quia densitate nimia necetur. Artis etiam cuiusdam est æqualiter spargere. Manus vtiq; cõgruere debet cum gradu, semperq; cum dextro pede. Fit quoq; quorundam occulta ratione, quod sors genialis atq; fœcunda est. Serere in agro temperati soli iustum est tritici modios quinq;, pingui solo plus, gracili minus. Est & alia distinctio: In denso, aut cretoso, aut vliginoso solo tritici modios sex. In soluta terra & nuda, & sicca, & læta quatuor: macies enim soli maior, nisi rarum culmum habeat, spicam minutam facit, & inanem. Pinguia arua ex vna seminis radice fruticem numerosum fundunt, densamq; segetem è raro semine emittunt. Ergo inter quatuor & sex modios pro natura soli alii quinq; non minus seri, pluresve præcipiunt. Item in consito, aut cliuoso, vt in macro. Pamphilus Græcus mensuram ita præfinit. Diducito digitos manus, eosq; imprimito in terram, & sublata deinde manu, multitudinem seminum in impresso digitorum typo considerato. In frumẽto numerum septenarium summum esse oportet, minimũ quinarium. Cæterum in terram, quæ assiduas niues perpetitur, semina crassius iacienda sunt, propterea quod aliqua glacie corrumpãtur. Columella etiam quantum frumenti iugerum agri recipiat, refert. Iugerum agri recipit tritici modios quatuor, vel quinq;. Hesiodus post sationem cooperiendum semen docet,

Semina quum terra committis, ponè sequatur
Seruulus, atq; auibus retro sata læta recondat.

Plinius: Sato semine sequitur iteratio. Hæc quoq; vbi consuetudo patitur, crate dentata, vel tabula aratro annexa: quod vocant lirare, operientes semina, vnde primum appellata deliratio est.

De sarritione, & runcatione. Cap. XII.

MEMINIT Theophrastus in segetum cura post satum sarritionis, & ad frugum suauitatem plurimum conferre dixit. Significat enim sarrire sarculis fodere, vel purgare, quod fit, quum segetes leniter scalpendo rastris à noxiis herbis purgamus. Plautus,

Semper occant prius, quàm sarriunt rustici.

Varro segetem sarriri iubet primo interuallo inter Fauonium, & æquinoctium vernum. Columella exactam sarritionis disciplinam tradit, ideo ipse audiendus. Peracta sementi, sequens cura est sarritionis, de qua non conuenit inter authores. Quidam negant eam quicquam proficere, quod frumenti radices sarculo detegantur, aliquæ etiam succidantur, ac si frigora incesserint, post sarritionem gelu frumenta enecentur. Satius autem

eſſe ea tempeſtiuè runcari, & purgari. Pluribus tamen ſarriri placet, ſed neque eodem modo, neque iiſdem temporibus vſquequaq; fieri: nam in agris ſiccis, ſimulac ſarritionem pati queant ſegetes, debere eas permota terra adobrui, vt fruticare poſſint, quod ante hyemem fieri oportet, & poſt hyemem iterari. In paluſtri tranſacta hyeme ſarriri, nec adobrui, ſed plana ſarritione terram promoueri. Multis regionibus aptam eſſe hyemalem ſarritionem comperimus, vbi ſcilicet cœli tepores permittunt, ſed incolarum conſuetudinem ſequi debemus. Sunt enim regionum propria munera, vt Ægypti, & Africæ, quibus agricola poſt ſementem ante meſſem ſegetem non attingit, quoniam ea cœli conditio & terræ eſt, vt vix vlla herba exeat, niſi ex ſemine iacto, ſiue quia rari imbres, ſiue quòd ea ſit humi qualitas. Iis locis vbi ſarritio deſideratur, nō ſunt attingendæ ſegetes, etiam ſi cœli ſtatus permittit, niſi quum ſata ſulcos contexerint. Triticum autem cùm quatuor fibras habere cœperit, rectè ſarrietur. Plinius: Sarculatio induratam hyberno rigore ſoli triſtitiam laxat temporibus vernis, nouoſque ſoles admittit. Qui ſarriet, caueat, ne frumenti radices ſuffodiat. Triticum bis ſarrire melius. Sarritur diebus viginti. Ab æquinoctio nocere ſartura ſegeti exiſtimatur. Leontius Græcus de ſarritione hæc habet: Optimum eſt ſata per homines ſarriri, & adobrui, vt optimè omnia contegantur. Quod ſi fieri non poteſt, per boues ſarriantur. Quando verò iam glebam & ſulcum occultare, & contegere cœperint, id fiat, quo & agreſtes herbæ diſſipentur, & nudatæ ab aquis radices obruantur. Bis quoque ſi ſarritio fiat, geminata erit vtilitas. Runcatio eſt inutilium herbarum, fruticumq́ue euulſio, inquit Columella. Subiungenda eſt deinde ſarritioni runcatio, curandumq́ue ne florentem ſegetem tangamus, ſed vt antea, aut mox quū defloruerit. Varro, Secundo interuallo inter vernum æquinoctium, & Vergiliarum exortum hæc fieri debent, ſegetē runcari, herbam ex ſegetib⁹ expurgari. Plinius: Quum ſeges in articulo eſt, euulſis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, ſegetemq́ue diſcernit à ceſpite. Leontius Græcus: Quando iam frumenta ſpicam emiſerint, runcētur. Sic etiam fructus puri, & multæ commoditatis perficientur, quum non amet terra herbas peregrinas iugiter coalere.

De vitiis ſegetum & remediis CAP. XIII.

SVNT & permulta ſegetum vitia, morbiq́ue, quorum etſi cuique in ſua tractatione remedium demonſtrabitur, lubet tamen aliqua generatim præfari, quum præſertim & à noſtris antiquioribus geoponica pertractantibus, deſcribantur. Sed qui fuerint hi morbi, à Theophraſto perdiſcamus. Seminum vitia quædam omnibus communia, vt rubigo, quædam propria quibuſdam dantur, vt tabitudo radici ciceris, & erucarum infeſtatio. Aliis etiam publicum, beſtiolarum eroſio: nonnulla ſcabie, & ſalſugine pereunt, vt cuminum. Animalia vel in iis gignuntur, vel extrinſecus veniunt, quæ non æquè officiunt. Naſcitur in tritico cantharis, & in eruo phalangiū, & in aliis alia genera. Mor-

bi autem, vt in summa dixerim, omnibus seminibus ob alimenti, cœlique intemperiem eueniunt, videlicet, quum plus, minúsve alimenti præbetur, aut aër immodicè humidus siccúsve est, vel quum non tempestiue humescit. Sed incipiamus primo à rubigine, à qua aliæ fruges vastantur, aliæ immunes sunt. Rubigo in frumentaceis magis, quam in leguminibus, & inter frumenta ordeum magis, quàm triticum sentit, & inter ordea aliud plus, aliud minus. Rubiginem nullam sentiunt tractus excelsi perflatique; caui, depressiq; & flatibus nullis expositi frequentissimè habent. Gignitur hæc plenilunio. Rubigo putrefactio quædam est, quum exceptus in spica humor non defluit, sed solis superuentu calefactus, putrescit. Aufugiunt hoc vitium quæ inclinatam habent spicam, non porrectam, quia ab ea non excipitur humor. Longiores stipulæ spicis grauatæ incuruescunt, quia sub illis flectuntur, breues verò subiectas gerunt, ob id ærugini obnoxiæ. Prodest quū à foliis suspensa spica est, quia longius humor abest, qui in foliis continetur. Ordeum achilleis vocatum æruginosum est, quia porrectam gerit spicã, eteocritum verò, quia incuruatur, ab ærugine innoxiũ est. Sic & ventis perflatæ segetes minus rubigine infestantur, quia humor vento deiicitur, & post imbres sequente flatu mox compluta spica resiccatur prius, quàm solis calore ferueat. Pleniluniis potissimum gignitur, quia Luna plena caloris plena est, quo putrefacit. M. Varro in limine sui de re rustica libri, Robigum, & Floram inuocat, quibus propitiis rubigo neq; frumenta, neq; arbores corrũpat, neq; non tempestiuè floreant. Namq; publicæ Robigo feriæ robigalia, Floræ ludi floralia instituti sunt. A quib. Plinius: Cœleste frugum malum, nullo minus noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu, conuallibusq;, ac perflatum non habentibus: E diuerso carent ea ventosa, & excelsa. Tria tẽpora fructibus metuebãt Romani, propter quod instituerunt ferias, diesq; festos, Robigalia, Floralia, Vinalia. Robigalia Numa constituit, anno regni sui vndecimo, quæ (Plinii tempore) agebantur ad VII Calen. Maii, quoniam tunc ferè segetes rubigo occupat. Hoc tempus Varro determinauit sole tauri partem decimam obtinente, sicut tunc ferebat ratio. Sed vera causa est, quod post dies vndeuiginti ab æquinoctio verno per id quatriduum varia gentium obseruatione in IIII cal. Maii Canis occidit, sydus & per se vehemens, & cui præoccidere caniculam necesse sit. Iidem itaque floralia IIII Calen. eiusdem instituerunt vrbis anno quigentesimo sextodecimo ex oraculis Sibyllæ, vt omnia benè deflorescerent. Hunc diem Varro determinat, sole tauri partem quartamdecimam obtinente, Ergo si in hoc quatriduum inciderit plenilunium, fruges & omnia, quæ florebunt, lædi necesse erit. Ex his canis in sacris Robigi victima fuit. Ouidius Fastorum libro:

Est canis, (Icarium dicunt) quo sydere moto
Tota sitit tellus, præripiturq; seges.
Pro cane sydereo, canis hic imponitur aræ,
Et quare fiat nil nisi nomen habet.

Pro

Pro cuius remediis Plinius hæc recitat: Rubigo quidem maxima segetum pestis, lauri ramulis in aruo defixis, transit in earum folia ex aruis. Sarmenta, aut palearum aceruos, & euulsas herbas, fruticesq; per vineas, camposque, quum timebis incendito, fumus medebitur. Hic è paleis, & contra nebulas auxiliatur, vbi nebulæ nocēt. Ab eo Palladius: Contra nebulas, & rubiginem, paleas & purgamenta pluribus locis disposita, simul omnia, & quum nebulas instare videris, combures. Sed ad Theophrastum redeamus: Triticum vermiculi enecant, alii protinus nascentes, radicitus erodentes, alii quum squallentes absolui nequeant, tunc enim vermiculus culmum vsque ad spicam erodit, deinde alimento consumpto, emoritur, & si totum erosit, triticum ipsum interit, si verò alteram tantummodo culmi partem frugemque fundendam eatenus violauit, id quidem spicę pereat necesse est, reliquum autem incolume extat. Idq; in Thessalia maximè, minus verò in Africa, & in Lelanto Eubœæ. Libro de causis rationem assignat. Nam vbiq; animal gignitur, quum calor cum humiditate debita ratione coit, humiditas enim, ceu materia subiacet calori ad excoctionem conficiendam, quod in tritico euenire videmus. Vermes enim in eius radice creantur, quum post sementem flatus austrini crebro incesserint. Tunc enim radice humescente, & aere calido, radicem caliditas putrefaciens, animal procreat, vermis inde natus radicem erodit. Singulis enim ex eisdem rebus generationem, & alimentum Natura præscripsit. A quo Plinius: Nascuntur & vermiculi in radice, quum sementem imbribus sequutis incluserit repentinus calor humorem. Gignuntur & in grano, quum spicæ pluuiis calor inferuescit.

Est & cantharus dictus scarabeus, paruus frumenta erodens. Omnia ea animalia cum cibo deficiunt. Sed hæc eorum remedia. Semina cupressi foliis tusis si misceantur, non esse vermiculis obnoxia, nec si interlunio serātur. Democritus succo herbæ, quæ appellatur ἀείζωον, in tegulis nascens, tabulisve, Latine verò sedum, aut digitellum, medicata seri iubet omnia semina. Vulgò verò, si dulcedo noceat, & vermes radicibus inhæreant, remedium est amurca pura, ac sine sale spargere, deinde sarrire. Maximè intereunt afflatibus triticum, atque hordeum, inquit Theophrastus, quum aut florentia perflantur, aut flore demisso protinus infirma concutiuntur. Sed ordeum magis ita perire certum est, sæpè enim crassescunt, si vehementius diutiusque flatus inuaserint, exiccantur, & penitus inarescunt, quod quidam euentati dixerunt. Plinius: Venti autem tribus temporibus nocent, frumento, & ordeo. In flore, aut protinus quum defloruère, aut maturescere incipientibus. Tum enim exinaniunt grana, prioribus causis nasci prohibent. Sol quoque ex nube, inquit Theophrastus, ambo ista interimit, sed triticum magis, quàm ordeum, ita vt quanquam spica exinanita sit, visu tamen percipi minimè possit. Plinius: Nocet & sol è nube creber. Inter vitia segetum luxuria est, quum onerata fertilitate procumbunt.

Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat, & depastæ quidem, vel sæpius nullam in spica iniuriam sentiunt. Retonsarum etiam semel omnino certum est granum longius fieri. Sed inane, cassumque, ac satum non nasci. Imber in herba vtilis tantum. Florentibus autem frumento, & ordeo nocet, leguminibus innocuus, præterquã ciceri. Maturescentia frumenta imbre læduntur, & ordeum magis. Virgilius nitro & amurca perfundi iubet fabam, sic etiam grandescere promittit. Vino ante semina perfusa minus ægrotare existimant. Quin & armo talpæ contacta semina vberiora esse. Apuleius testatur semina vino conspersa minus esse ægrotatura. Aqua etiam & amurca, si irroraueris ipsa maximè iuuabis. Palladius: Quædam animalia subterranea sectis radicibus necant plerunque frumenta. Contra hæc proderit, si herbæ, quę sedum dicitur, succus aquæ mistus, vna nocte madefaciat, quæ spargenda sunt semina, vel agrestis cucumeris humor expressus, & eius radix trita, si aqua diluatur, & eodem, quæ serẽda sunt, macerentur humore. Plinius: Mures abiguntur cinere mustelæ, vel felis diluto, & semine sparso, vel decoctarum aqua. Sed redolet virus animalium eorum in pane. Ob id felle bubulo semina attingi vtilius putant. Apuleius: Si post sationem, & vbi terra iam obruta fuerint semina, modicum frumentum veratro ammistum propè seminaueris, quæcunque aues gustauerint, morientur. Auiculas ipsas mortuas arundini affixas ex pedibus suspendito, & de cætero auicula nulla accedet. Vel si modicum frumentum veratro ammistum foris per ambitum seminaueris, sata ab auium iniuria vindicabis. Si cancros fluuiales, aut marinos in aquam coniectos ad dies octo siueris, & hac aqua foris sata ipsa consperseris, neque semina, neque plantæ ab auibus lædentur. Quidam cerui cornu, aut elephantis siccum aspergũt, alii aqua madefaciunt, atque ita semina irrorant. Si in mensuram, qua semina metiri solemus, serenda semina iniiciuntur, & hyænæ pelle contegantur, post aliquot dies transsumpta ab animali, naturali potentia erodore, à nemine facilè lædentur. Incorrosa manent, quæ Luna semiplena seminata sunt. Priusquam aruum fodiatur, rubeta noctu circum ipsum gestanda est, & in vase fictili concludenda, atque in medio aruo adobruenda. Verùm sationis tempore instante, refodienda est, & extra aruum eiicienda, vt ne fructus amatus fiat. Quin veteri vrina, ac canino stercore simul solutis si semina madefeceris, aut arbores, aut vites, illæsa omnia conseruabis.

Prænotio segetum fertilitatis. CAP. XIV.

FVTVRÆ vbertatis prognostica segetũ aliqua à syderibus, vel ab aeris qualitatibus, vel ex arboribus cognosci possunt. Nos primo ea manifestabimus signa, quæ etiam agricolis innotescere possunt, postremo quæ accuratiorem astrologiæ scientiam exposcunt. Et primò si optimè floruerit seges, optimam præbere potest spem vbertatis. Ouidius in Fastis,

Si bene floruerint segetes, erit area diues.

Virgilius ex amygdalæ floribus futuræ frugum copiæ iudicia desumit.

Contemplator item, cum se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes.
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaq; cum magno veniet tritura calore,
At si luxuria foliorum exuberat vmbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Sed Appuli ex asphodelo iudicium vbertatis desumunt, quippe si optimè florescentem cõspexerint, & deflorescentẽ, & seminum copiam, eandem frugum vbertatem sibi promittunt. Legitur apud Græcos Zoroastræ prænotio, qualia semina fertilia futura sint. Paucis diebus ante caniculę exortum in quopiam loco de vnoquoque semine paululum experimenti gratia serunt. Quum igitur exoritur Canicula, quadam ex satis, vt verisimile est, lædit, quædam nequaquam. Hoc igitur signum statuentes, ea, quæ in eius ortu illæsa manent, serunt, relinquunt incuruata. Est autẽ Canis exortus decima nona Iulii mensis. Cæterũ quæ sic seremus, ea triginta diebus ante rigabimus, quò videlicet eò commodius nasci possint. Vel post Canis ortum primum tonitru obseruant, & in qua Zodiaci domo existat Luna. Si in Tauro, frumenti & ordei corruptionem portendit. Si in Geminis, frumenti corruptelam. In Cancro ordei corruptionẽ. In Leone, frumenti, ac ordei perniciem in montana regione. In Sagittario, in montana regione frumenti fertilitatem, in campestri corruptionem. In Aquario, leguminum perniciem. In Piscibus, frumenti corruptionem modicã. Ex Caniculæ etiam ortu, qui fit illucescente vigesima Iulii mensis, obseruantes in qua domo existat Luna, prædicunt. Si in Leone fuerit Luna, frumenti fertilitas magna. In Virgine, frumenti corruptela. In Sagittario, frumẽti abundantia. In Capricorno, fertilitas. In Aquario, carentia. In Piscibus, vbertas. In Ariete, copia exigua. In Geminis, multa fertilitas. A quibus Palladius: Gręci asserũt Ægyptios homines prouentum futuri cuiusq; seminis experiri. Aream breuem loco subacto, & humido nunc excolunt, & in ea diuersis spatiis omnia frumenti, vel leguminum semina spargunt. Deinde in ortu Caniculæ, qui apud Romanos quartodecimo Calendarum Augustarum die tenetur, explorant, quæ semina ortum sydus exurat, quæ illæsa custodiat. His abstinent, illa procurant, quia indicium noxæ, aut beneficii per annum futurum generi vnicuique sydus aridum præsenti exitio, vel salute præmisit.

De frumenti generibus, & primo de tritico. CAP. XV.

ET quia iam vniuersis frumenti generibus agrum præparauimus, nunc ea diuidamus. Diximus frumenti genera pro tempore satus diuisa, hyberna, & æstiua. Dicemus de hybernis, & primum à tritico incipiemus.

Græcis πυρὸς dicitur, ab acutie, aut à similitudine, quam habet cum nonnullorum fructuum granis, vel gygartis, quæ πυρῆναι dicuntur. Dicitur enim Nomen.

σῖτος, quaſi cibus, quæ vox vniuerſis cerealibus conuenit. Latini triticum dicunt, quod molis teratur, ſic etiam frumenta à fruendo dixere priſci. Itali *grano*.

Genera. Triticum omnes agriculturæ conſulti in quamplurimas differentias diſtraxerunt, etſi ſpecie, & natura reapſe vnum ſit, cœlum, regio, ſatus, cultus, & hominum induſtria varium fecerunt. Tritici diuiſionem à Theophraſto deſumemus, doctrina & tempore omnium primo. Triticum & vrbanum, & ſylueſtre dicit, ſed temporis ſpatio cultum, mitigatumq́ue & loci mutatione mutatum. Vrbanum Columella in plures ſpecies diuiſit. Prima, inquit, & vtiliſſima ſunt hominibus frumenta, triticum, & ſemen adoreum. Dicemus nos de tritico primùm, dein de adorei generibus. Tritici genera complura ſunt, & tempus differentiam in his primo facit: nam genus eſt, quod trimeſtre dicitur, quod tribus menſibus abſoluatur, de quo poſterius loquemur. Ex reliquis generibus vnum maximè ſerendum genus dicit, quod robus dicitur, quum & pondere & nitore præſtet. Secunda ſpecies eſt ſiliginis, reliquas tritici ſpecies, niſi ſi quos multiplex varietas frugum, & inanis gloria delectat, ſuperfluas dicit. Hoc genus Apulia, & Campania *brondella* vocat, quod ad flauum colorem inclinet, eſtq́ue primæ dotis inter cætera præſtantiſſimum. Granum non ita tumidum, ſed ſolidum, graue, flauum, vel rubellum, ſiccum, manſúve minimè muſcidum, & nitidum. Apuli præterea ſuis generibus vernaculis à folliculorum, & ariſtarum colore nomina impoſuerunt. Primum genus albo folliculo, & nigra ariſta eſt. Secundum nigro folliculo, & alba ariſta. Tertium folliculo & ariſta albis, quartum nigris. Apulo tritico multum Varro contulit. Vrbani plura genera apud Theophraſtum notantur, cognomina ex locis ſortita, vt Africum, Ponticum, Thracium, Aſſyrium, Ægyptium, & Siculum, quæ colore, magnitudine, ſpecie, & proprietate inter ſe differunt. Quædam cognomina ſortiuntur ex viribus, tum vel aliis, tum maximè quæ ad cibum pertinent, vt Cachrias, Stlengis, Alexandrinus. Nec ab re fuerit, ſi pro differentiis capies, quod aliud præcox, aliud ſerum, aliud auctu amplum, multumq́ue reddens, aliud ieiunum parum reddens, aliud ſpica grandiore, aliud paruam effundens, aliud diu in folliculo manens, aliud aptum breui abſolui, vt Africum, aliud culmo tenui conſtans, aliud craſſo, vt Africum, & Canchrydias. Item aliud tunicis paucis, aliud multis veſtitur, vt Thracium, & aliud vnicalamum, aliud multicalamum. Ponticum breuiſſimũ eſt, ponderoſius Siculum, ſed eo ponderoſius, quod Bœotia fert. In Aſia vltra Bactra, quodam in loco adeò grande frumentum fieri tradunt, vt nucleis oliuæ ſua æquiparent magnitudine grana ſingula. In Piſſotis adeò firmum naſci affirmant, vt ſi quis plus comederit diſrumpatur. Nuper genus illud, quod vltra Bactra naſci ſcripſit Theophraſtus, nobis è Conſtantinopoli exportatur, cuius granum oblongum, & amplum eſt, cætera valdè ſuperans, *alicam* vulgò vocãt. Hodie Bactra in Turcarum ditione ſunt, vnde Conſtantinopolim delata nobis deinde

adue-

aduehuntur,etſi oleæ nuclei magnitudinem non attingunt, ſoli, cœlive mutatione degeneraſſe putamus. Ponticum facillimum,& duriſſimum eſt. Nobis familiare eſt genus vnum,profectò admirabile viſu, cuius ſpica alias è lateribus ſpicas fundit,vulgò *grano a racemi* vocant, vt ſpica ſpicata ſit, & maximè fœcundum,quod ſerimus & colimus, vt cætera genera. Plinius à Theophraſto hæc habet: Tritici genera plura,quę fecere gentes.Italico nullum equidem comparauerim,candore,& pondere,quo maximè decernitur. Montanis modo comparetur Italiæ agris externum, in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia,mox Africa.Tertiū pōdus erat Thracio,Syrioq; , deinde Ægyptio, athletarum cū decreto,quorū capacitas iumentis ſimilis, quē diximus ordinē fecerat. Græcia Ponticū laudauit,quod in Italiam non peruenit.Ex omni eodem genere graui prætulit dracontiam,ſtrangiam,& ſelenuſium, argumento craſſiſſimi calami. Hæ fuere ſententiæ, Alexādro Magno regnante, quum clariſſima fuit Græcia, atq; in toto terrarum orbe potentiſſima:ita tamen vt ante mortem eius annis ferè c x x x x v Sophocles Poeta in fabula Triptolemo frumentum Italicum ante cuncta laudauerit,ad verbum tranſlata ſententia,

Et fortunatam Italiam frumento caneſcere candido.

Quę laus peculiaris hodieque Italico eſt,quo magis admitor poſteros Gręcorum nullam mentionem feciſſe huius frumenti.

Theophraſtus ita deſcribit. Aſſurgit triticum leuiori calamo,quā ordeum, lentiori,nec perinde fragili,&erecto,folio arundineo,anguſtiori,vtpote quod neruo tantum cōſtet.Sed ramis brachiari nequit,præter genus,quod frumentaginem vocant.Spica in cacumine incondita,& æqualis vndiq; cōſtat.Granū multis tegitur tunicis,palea ſuauior,mollior,& ſucculentior,radicibus multis, & prætenuibus.E frumentaceis ſolū de radicibus anno ſequente regerminat. Quin & anno primo retuſum regerminat culmo è latere ſubnaſcente. Ratio quod ſolùm radicis copiam,vimq; obtinet. Adde etiam id,quod conculcatum ab exercitu,adeo vt nil perſpici poſſit,reſtibile tamen efficitur.Sed huic exigua ſpica,imperfectaque funditur, vtpote quæ ſecunda emerſerit. Varro vocabula explicat.Spica quæ mutica non eſt,tria habet continentia. Granū, glumam, ariſtam,& etiam primitus ſpica quum oritur,vaginam.Granum dictum,quod eſt intimum ſolidum. Gluma, qui eſt folliculus eius. Ariſta,quæ vt acus tenuis longa eminet è gluma. Proinde vt granitheca ſit gluma, & apex ariſta. Ariſta & granum omnibus ferè notum,gluma paucis. Itaque id apud Ennium ſolùm ſcriptum ſcio eſſe in Euhemeri libris verſis. Videtur vocabulū etymon habere, à glubendo,quòd eo folliculo deglubitur granū.Itaq; eodem vocabulo appellant fici eius,quam edimus,folliculum. Ariſta dicta quod areſcit prius, granū à gerendo.Id enim ſeritur,vti ſpica gerat frumentū,non vt glumā, aut ariſtam gerat,vt vitis ſeritur, non vt pampinum ferat, ſed vuam. Spica autem,quam ruſtici, vt acceperunt antiquitus, vocant ſpecam, à ſpe videtur nominata: eam enim, quòd ſperant fore, ſerunt. Spica mutica dicitur,quæ non habet

Deſcriptio.

ariſtam. Ariſtæ autem quaſi cornua ſunt ſpicarum, quæ primitus, quum oriuntur, neque planè apparent: qua ſublatent herba, ea vocatur vagina, vt in qua latet conditus gladius. Illud autem ſumma in ſpica iam matura, quod eſt minus, quàm granum, vocatur frit; quod in infima ſpica ad culmum ſtramenti ſummum, item minus, quàm granum eſt, appellatur vrruncum. Plinius ex Theophraſto excepit: Frumenta multis radicantur fibris, ſine ramis. Tritico genicula quaterna. Folium arundinaceum. Grana in ſtipula crinito textu ſpicantur. Tunicæ frumento plures. Culmus altior, quàm ordeo.

Cœl. Sol. Diximus communiter cœlum, quod tritico conuenit: nunc variis tritici ſpeciebus quæ variæ cœli qualitates tribuantur, videamus. Africum, & Dracontias appellatum, & Strangias, & Selenuſium, lætum exigunt agrum: hæc enim vberius ſuccos hauriunt. Argumento calamus eſt, quem craſſum gerunt. Solo hyberno conueniẽtius Thraciũ dabitur, quod tunicis multis contegitur, (ipſa forma oſtendit) frigus enim huic nil officere poteſt. Rarum ſolutumq́;, ceu Canchrydias vocitatum, agro pluuio ſerendum, quippe alimenti copiam deſiderat, quamobrem & culmo craſſo conſurgit. Thracicum ſolo pluuio vberius, quàm ordeum ſeritur, & omnino contra imbres validius ex Theophraſto. Varro in pingui rectiùs ſeri, quæ ſucci ſunt maioris, vt triticum. Caſſianus, Martio menſe ſerere conuenire ait frumentum album ſitanium cognominatum, & nigrius, & oblongum Alexandrinum appellatum in leuem terram, & apricam, & montanam, & lacubus plenam, arenoſam, & aquis carentem vſq; ad Calendas Aprilis.

Satio. In Apulia Nouembri, & Octobri menſibus arua proſcindunt, vulgò *rompere* dicunt, Decembri iterant, vulgò *recotere*, & Februario tertio arant, quod *tertiare* dicũt, quarto Auguſto, quod *inquartare* vulgò nominant. Aliqua verò occaſione impediti, Ianuario, & Februario proſcindunt, Martio iterant, Aprili tertio arant, quarto Auguſti medio, & Octobri menſe, ſi aruum herboſum inueniunt, denuò arant, ſic liberum ſemen fundunt, & aratro cooperiunt, ſed prius quàm ſerant aruum, in porcas diuidunt, viginti, aut triginta pedum latitudinis, ſi ſarritor longimanus erit, triginta pedum porcæ latitudo erit, ſi breuimanus, viginti, vt hinc inde iactando ſemen, ęqualiter porcas compleat. Nouembri menſe vbi iã triticũ germinare cœperit, ſarritur raſtro. Ob id vulgò iactari ſolet. *Quando l'orgio naſce, il gran ſi paſce.* Maio runcant maiores herbas, vt ferulas, & ſimiles, nã eiuſmodi creſcendo minores ſtrangulant. Februario menſe ſi nix, vel frigus inceſſerit, radices conſtipato calore ſoboleſcunt, maximáq; ſpicarum copiam fundunt. Poſt ſatũ, ſi cœlum roſcidũ erit, ſeptem dieb⁹ pullulat triticũ, ſi ſiccum, viginti. Theophraſtus ad hæc: Quũ ſata conceperint, atq; adulta fuerint, aqua omnibus prodeſt, florẽti obeſt, facit enim, vt intereat: in plenũ craſſato noxia eſt, & ordeo magis, quã tritico. Septimo à ſatu die exit. Germen ex vtraq; parte effundit, quippe quod parte ima, craſſáq; radicem, tenui ſuperna herbam propellit, fit tamen vnum, atque cõtinuum ex ambobus,

radice, & caule. Exit vno folio, prætenuibus, & permultis radicibus innititur, qua de causa numeroso caule se attollit, sed quod brachiari ramis omnino nequeat. Hyeme in herba manet, tempore mitescente, caulem de medio mittit, atque geniculatur, vt protinus quarto geniculo incipiat spicam, sed nondum aliqua mole conspicuam, & quidem per totum culmum spica digeritur, vt fermè quum culmari incœperit, mox eam conspici sit, sed latet antequam adulta in folliculo fuerit, tum etiam fœtus suæ crassitudine molis euidens existat, mox folliculo absoluto, quarto, aut quinto die florere incipit, totidemque diebus ferè floret, qui verò plus temporis referunt, septimo die reflorescere notant: postquam defloruit crassatur, perficiturque, quum plurimum intra dies quadraginta. Quædam enim loca proferre intra pauciores dies videntur. In Ægypto triticum septimo mense metitur. Ex quo Plinius: Frumenta quędam in quarto geniculo spicam incipiunt concipere, sed etiamnum occultam. Genicula sunt tritico quaterna, sed non ante prædictum geniculorum numerum conceptus est spicæ, qui, vt spem sui fecit, quatuor aut quinque tardissimè diebus florere incipiunt totidemque aut paulo pluribus deflorescunt. Varro quater nouenis diebus fruges absolui tradit, & mense nono meti. Frumenta enim quum defloruere, crassescunt, maturanturque quum plurimum diebus quadraginta. In Ægypto septimo à satu mense metitur. Hæc omnia in Catone maiore Cicero mira verborum elegantia refert: Quamquam non modo fructus quidem me, sed etiam ipsius terræ vis, ac natura delectat, quæ quum gremio mollito ac subacto semen sparsum exceperit, primum id occatum cohibet, ex quo occatio (quæ hoc efficit) nominata est, deinde tepefactum vapore, & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato vaginis iam quasi pubescens includitur, è quibus quum emerserit, fundit frugem spicæ ordine structam, & contra auium minorum morsus munitur vallo aristarum. Columella: Omne autem frumentum, & ordeum, & quicquid non duplici semine est, spicam à tertio, ad quartum nodum emittit, & quum totam edidit, octo diebus deflorescit, ac deinde grandescit diebus quadraginta, quibus post florem ad maturitatem deuenit. Palladius ex his: Frumenta octo diebus florebunt, & deinde per dies quadraginta flore deposito vsque ad maturitatis euentum.

Messis, authore Varrone, proprio nomine dicitur in iis, quæ metuntur, Messis.
maxime in frumento, & ab eo vocabulo est declinata. Frumenti tria genera sunt messionis, vnum, vt in Vmbria, vbi falce secundum terram succidunt stramentum, & manipulum, vt quenque subsecuerint, ponunt in terra, vbi multos eos fecerunt, iterum eos percensent, ac de singulis secant inter spicas, & stramentum, spicas coniiciunt in corbem, atque in aream mittunt. Stramenta relinquunt in segete, vnde tollantur in aceruũ. Altero modo metunt, vt in Piceno, vbi ligneum habent incuruum batillum, in quo sit extremo serrula ferrea,

Hęc quum comprehendit fascem spicarum desecat,& stramenta stantia in segete relinquit, vt postea subsecentur. Tertium modo metitur, vt sub vrbe Roma & locis plerisq;, vt stramentum mediũ subsecent, quod manu sinistra summum prehendunt, à quo medio messem dictam puto. Infra manum stramentũ, quod terræ hæret, postea subsecatur. Contrà, quod cum spica stramentum hęret, corbibus in areã defertur, ibi discedit in aperto loco palam, à quo nominata esse potest palea. Alii stramentũ à stando, vt stamen dictum putant. Alii ab stratu, quod id substernatur pecori. Quum est matura seges, metendum, cum in ea iugerum ferè vna opera, propemodũ in facili agro satis esse dicatur, vt messas spicas in aream corbibus deferre debeant. Quæ seges grandissima, atq; optima fuerit, seorsum in areã secerni oportet spicas, vt semen optimum habeas. E spicis in area excuti grana: quod fit apud alios iumẽtis iunctis, ac tribulo id fit, è tabula lapidibus, aut ferro exasperata, quo imposito auriga, aut pondere grãdi, trahitur iumẽtis iunctis, vt discutiat è spica grana, aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellũ pœnicum. In eo quis sedet, vt agitet, quæ trahunt, iumenta, vt in Hispania citeriore, & aliis locis faciunt. Apud alios exteritur grege iumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod vngulis è spica exteruntur grana. His tritis, oportet è terra subiactari vallis, aut ventilabris, quum ventus spirat leuis. Ita fit, vt quod leuissimum est in eo, atq; appellatur acus, euannatur foras extra aream, ac frumentum, quod est ponderosum, purum veniat ad corbem. Messe facta, specilegium venire oportet, aut domi legere stipulam, aut si sunt spicæ raræ, & operæ caræ, compasci. Summa enim spectanda, ne in ea re sumptus fructum superet. Hesiodus tempus messim incidendi ita eleganter describit:

Quum cælo emergunt sublimi ab Atlantide natæ
Pleiades, truncanda Ceres, morientibus illis
Mitte in aratra boues, latitare ea sydera dicunt
Viginti, totidemq́, dies, annoq́; voluto
Apparent iterum: maturam incidere messim
Rursus & incipiunt dentata falce coloni.

Columella Varroni multa addit pernecessaria. Quum matura fuerit seges, antequam torreatur vaporibus æstiui syderis, qui sunt vastissimi per ortum Caniculæ, celeriter demetatur. Nam dispendiosa est cunctatio. Primùm quòd auibus prædam, cæterisq; animalibus præbet. Deinde quòd grana, & ipsæ spicæ culmis arentibus, & aristis celeriter decidunt, si verò procellæ ventorum, aut turbines incesserint, maior pars ad terram defluit, propter quæ recrastinari non debet. Quum rubicundum colorem traxerunt, messis facienda est, vt potius in area, & in aceruo, quàm in agro grandescant frumenta. Constat enim, si tempestiuè decisa sint, postea capere incremẽtum. Sunt autem metendi genera complura. Multi falcibus vericulatis, atq; iis, vel rostratis, vel dẽticulatis medium culmum secant, multi mergis, alii pectinibus spicam ipsam legunt,

gunt, idq; in rara segete facillimũ, in dẽsa difficillimum est. Quod si falcibus seges cum parte culmi demessa sit, protinus in aceruũ, vel in nubilarium congeritur, & subinde opportunis solibus torrefacta proteritur, sin autẽ spicæ tantũmodo recisę sint, possunt in horreũ conferri, & deinde per hyemẽ, vel baculis excuti, vel exteri pecudibus, at si cõpetit, vt in area teratur frumentum, nihil dubium est, quin equis melius, quàm bubus ea res conficiatur, & si pauca iuga sunt, adiicere tribulam & trabam possis, quę res vtraq; culmos facillimè comminuit. Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur, vannisq; expurgãtur. At vbi paleis immista sunt frumẽta, vento separẽtur, ad eã rem Fauonius habetur eximius, qui lenis, æqualisq; æstiuis mensibus perflat, quẽ tamen operiri lenti est agricolæ, quia dum expectatur, sæua nos hyems deprehendit. Itaq; in area detrita frumenta sic sunt aggerãda, vt omni flatu possint excerni. At si cõpluribus diebus silebit aura, vannis expurgẽtur, ne post nimiã ventorũ segnitiem vasta tẽpestas irritũ faciat totius anni laborem. Palladius nil noui habet, neq; Florentinus Gręcus. Plinius non spernenda describit. Messis ipsius ratio varia. Galliarum latifundiis valli prægrãdes dentibus in margine infestis, duabus rotis per segetem impelluntur, iumento in contrarium iuncto, ita direptæ in vallum cadunt spicæ, stipulæ alibi mediæ falce præciduntur, atq; inter duas mergites spica distringitur. Alibi ab radice euellunt. Quod qui faciunt, proscindi ab se obiter agrum interpretantur, quum extrahant succum. Differentia hæc, vbi stipulą domos contegunt, quamlongissimam seruant: vbi fœni inopia est, stramento paleam quærunt. Messis ipsa alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur. Triticum quò serius metitur, copiosius inuenitur, quo celerius verò, hoc speciosius, ac robustius. Lex aptissima, antequam granum indurescat, & quum iam traxerit colorem. Oraculum verò: Biduum celerius messem facere, quàm biduo serius.

Nil egimus, si seuimus & collegimus, nisi optimè cõdamus, & seruemus, circa quod non segnis agricolarum cura fuit. *Cōditura.* Theophrastus dixit: seminibus non vis eadem ad reseruandum vtiq; datur. Quædam reseruari egregiè possunt, vt milium, quædam celerrimè pereunt, vt aphaca, & siliqua, & ordeum celerius, quàm triticum, & puluerulentum celerius, quàm purgatum, & quod in horreis calce læuigatis conditum est, quàm quod in non ita læuigatis. Triticum non penitus exiccari patiuntur, quod ad reddendam farinam melius minus arefactum putatur, qua de causa in aceruos componere assolent: videtur enim in aceruo crassescere potius, quam attenuari. In spica nondum messum durare maximè potest. Quærit etiam in causis, cur triticum si post messem expandatur, peius habeat, quam si cumuletur aceruatim? Alii aspersionem aquæ instituant? Ratio est, quia expansum ab aëre humectatum, sole superueniente cum humiditate illa proprius succus exhauritur & exilius semen fit, at in metas coaceruatum, vapor terræ prætenuis atque animalis semen subit, & superpondium auget. Idem etiam

euenire contingit, quum in horreis fusim repositum est, ascendētem enim vaporem retinet, vt non abeat. Immò in foueas mittunt, vt magis crescat. Argumēto etiam est, quod admista terra cōseruat, ne laboret vitio vllo, & magnificat illud, & habitius facit. Addit etiam, quod semina trahere sibi alimentū sine radicibus possunt. Iccirco non ab re dictum esse, ab aëre, & à ventis quoque ali posse. Sed cur puluerulentum triticum putrescit, & reconditum horreis tectorio opere læuigatis? causa est calor extraneus, qui in puluere reperitur, & calcis illimento: intus enim calor proprius obsidetur, suffocatumq; feruefacit, ac putrescit, & plus caloris exoritur. Ordeum celerius, quàm triticum pertunditur, quia triticum magis solidum, & magis vestitum tunicis. Cuius remedio est protinus area illita, & triticum ventilatum, Columella: Pura frumenta si in annos reconduntur, repurgari debent, nam quanto sunt expolitiora, minus à curculionibus exeduntur: sin protinus vsui destinantur, nihil attinet repoliri, satisq; est in vmbra refrigerari, & ita granario inferri. Horreum, & remedia ad condituram frumenti iam primo libro docuimus.

De panificio. CAP. XVI.

SEQVITVR triticum panificium. Panis vocabulum à pano dici Varro putat. Messapios redundantiam & saturitatem appellasse paniam testis est Athenæus, vnde Latini nomen deflexerunt. Nauticum panem intelligimus, qui vetus, & siccus sit, dictus bis coctus, quem Græci δίπυρον vocant. Syncomistos, vel autopyros panis, Galeno authore, est, qui ex omnibus suæ farinæ partibus citra vllam detractionem constat, inter furfuraceum, & similagineum medius. Syncomistos quasi confusaneus dictus, quod omnes simul tulerit furfures, vtriculos, & similam. Vtriculos volunt id, quod furfure melius est, & simila deterius. Autopyri panes, qui furfure tantum leuiter succreto fiunt, qualis ferè secundarius est. Fieri autem solet, vt Galenus ait, quoties triticum generosum non est: generosum, inquit, vocatur, quod similaginis plus habet, quàm furfuris. Præfertur omnibus sanitatis vsu à Galeno clibanites, à clibano, Varroni testaceus dicitur, quod in testo calido coqueretur, nam quod clibanum Græci, Latini testum dicunt. Diphilus Siphnius panem ordeaceum tradit vberius alere vires, faciliusq; in membra distribui, quapropter ii primatum tenent, secundas partes sibi vendicant similaginei, quos triticei sequuntur, & hos ii qui ex noua farina subacti sunt. Philistion Locrus ex similagine confectos panes plus corporis robur firmare prodidit, post hos ex alica, deinde ex farina triticea coactos. Ex polline facti minus alunt, ventos creant, nec ægrè membratim digeruntur, siccati opplent, & difficilius in corpus permeant. Subcineritius stomacho grauis, & quod inæqualiter torreatur, ægrius membra subit. Clibanites longè magis viribus pollet, & sanitatis vsu prælatus, probum creat succum. Stomacho placet, facilè coquitur, nec ventrem coercet, nec spiritus distendit. Andreas Medicus ex ficu Ægyptia panem

fieri scriptum reliquit, quem vocant sycaminitem, quo qui vescuntur, capillorum sentiunt defluuia. Aristoteles libro problematum inquit, quod triticeus panis maximè corporibus nostris vescentior est, quod mediocrem lentitiam habeat, quam cibus habeat oportet, quippe adhærere, conglutinariq; corpori debeat. Præterea non salitos panes plus ponderare, quàm salitos, quia sal exiccat: absumitur enim à sale humor, qui ex calore putrescit. In pane igitur humor à sale consumitur, extraq; afflatur, & qui sale vacat, humor largius insidens efficit grauiorem. Iucundissimum panem citra fermentum docet parare Didymus, nitrum adiiciendo, etenim nitrum panes friabiles facit, velut etiam carnem. Alii panem absq; fermento sic faciunt: Vuas pridie quàm panem faciant, in aquam coniiciūt, & sequenti die vbi panem facere volunt, innatantes tollunt, ac exprimunt, effluenteq; humiditate pro fermento vtuntur, & panes faciunt iucundiores. Si verò in totum annum fermentum habere velis, quum in doliis mustum ebullierit, spumosum illud, quod efferbuit, acceptum cum farina milii commisceto, diligenterq; trita, in massas cogito, quas ad solem siccatas in humido loco repones, inde sufficienti accepta quantitate pro fermento vteris. Panes sine fermento efficacissimi sunt ad venerem. Florentinus ait, clibanitem panem graciliter efformatum, & in sole arefactum concoctilem esse, in furnis coctum, grauius concoqui.

Mutationis tritici in lolium & econtra, causæ, & disquisitiones. CAP. XVII.

NON parum maximi Theophrasti animum anxit causæ disquisitio egressionis è natura speciei, non solum in affines, & congeneres, vt tritici in lolium, sed in alienigenas, vt lini in lolium, quum naturæ conueniens non sit, quod species quæpiam se ipsam amittat, & in aliam commeet. Mirandum sanè tum ob eam ipsam mutationem, tum ob eius peculiarem euentum. Alia etiam subest admirationis ratio, quod vt robusta mutantur in debiliora, sic & imbecilla nunc in robustiora mutentur, quum loliū in triticum, & ordeū mutetur: est enim lolium quasi ferum triticum, & omnia agrestia sunt mitibus suis speciebus robustiora. Preterea mutatio & corruptio est seminis, vel plātę, si plantæ, id peractis radicibus contingit, sed radices mutari absurdum penitus est, quia non videmus segetem mutari, remanet ergo radix ab initio. Semen est ergo quod mutatur, seminis igitur erit lactatio, putrefactio, aut in totum resolutio. His de causis nonnulli negarunt omnino has degenerationes, sed euenire sine vllo tritici, vel ordei satu, & lolium sponte nasci in aruis multis imbribus oppletis, ab imbribus ergo gigni lolium, non autem è primordiis tritici seminis deprauari. Sed his hæ aduersantur obiectiones. Quòd à multis acceptum est, facta tritici, ordeive semente lolii messem habuisse, ergo ab radice mutationem illam fieri posse docebimus: nam radices mutatas esse necesse est, si sint mutata folia, & ob id seminum mutationem fieri, sed non à se-

mine corrupto: à semine nanque corrupto nil prodire certum est; nec radix corrupta nutriendi posset officio fungi. Sed seminis corruptionem aut putrefactionem, aut lactationem esse non intelligimus, sed aliam, quæ præ nimia nutriendi copia seminibus deliquescentibus euenit, quæ non ex toto semina perdit, sed victo naturali principio, in aliud genus traducit, exemplo sumpto ab animalibus: nam si fœmina robustior sit mare, fœminam pariet, vel si aliqua mutatio accidit, monstrum: terram nanque fœminam capi debere, & reliqua ad proportionem. Quum igitur terra imbrium frequentia largiorem alimenti copiam præstat, tunc degenerandi occasio euenit, quæ generandi vis non penitus aboletur, sed fit alia. Quod autem natura seminum viuax sit, ac sanè viuacior, quàm animalium natura, plus quoque durare ratio est: nam & sine seminum origine pleræque plantæ tum grandes, tum humiles sponte naturæ consistunt. Ob id liquido fit, non herbæ, sed seminis alteratione mutationem illam oriri, donec portionis seruetur existimatio. Si animalium mutationem intuebimur; mutato semine, videmus mutari animalia: nam asini semen ab equi semine alteratum, conformatur in mulum, tunc quum semen imbecille est: tunc ergo mutari arbitrandum, quum imbecilla planta est, ac in primo ipsius vestibulo generationis, quum enim est in eo traiectu vnius status in alterum, facilè potest aliorsum impelli, quia in motu est, postquam verò nata est, talis esse pergit, qualis extitit, nec fit amplius plantæ mutatio, sed diminutio tantum, & augmentum. Et rei rusticæ consulti, ex primis ortus rudimentis lolium existere, non fore dicunt, cognoscique id ex folii colore, & magis saturata viriditate, & quod pinguius & strictius sit, non autem prodire frumenti folio, quod postea fiat lolium. His rationibus semen causam habere apparet, nec aspernandam esse sententiam iudicamus, quæ radici assignat causam; vt ab ea ortum habeat vitium mutationis. Siquidem vnumquodque ortum à sua origine secunda incipit, est enim semen principium primum, radix secundum, vt in arboribus videre est, quæ fructus suos cultura immutat, ex acidis, amarísve in dulces, vel ex nucleosis in enucleatos. Ratio huius quoque mutationis in alimenti copia est, quum imbres crebrè incesserint, & potissimum verno tempore, & si simul sole incanduerint, quasi vtraque ex causa mutationem illam oriri necesse sit: locis vdis id omnino euenit, & folium immutatur, vt palam est, quod si non imbres accesserint, largam tritici copiam præstari autumant. Hoc itaque vtraque ratione fieri posse ratio est, sed quamuis vtraque eueniat, absurdum fortè non est, differentiam aliquam esse tum soli, tum aëris oportere: nam & quum sata fuere, statim copiosè pluuiam incessisse damnosum est, nam fit, vt radices infirmiores agantur, quod autem infirmum est, affici facilius potest: mutatio illa generis hac de causa est. Sed quum zea, quum robustissima sit, mutetur, scilicet in arenam; ratio est hæc, pro-

pter

pter radicum robur, & numerum, ob id resistere infirmius possunt: cætera verò, quæ imbecillia sunt, penitus pereunt: tempus enim satus maximis, plurimisq; imbribus afficitur, & diu in terra detinetur, obsideturq;. Cætera verò, quæ tempore verno seruntur, blando cœli tepore, germinare confestim incipiunt. Cæterum fabæ, quæ cum tritico seruntur, cur non mutentur in lolium, causa est, quia mutationes fiunt in propinqua genera, quare quum legumina non habeant, in quod mutentur, pereunt in aditu ipso corruptionis. Sed triticum ob affinitatem in lolium mutatur. Mutationes quæ inter genera frumenti eueniunt, quum ex tali, tale triticum, vel ordeum vel aliquid ex cæteris prouenit, haudquaquam mirandæ sunt: tempus enim, & alimentum, & cœlum alterationes efficiunt animalium pariter, & plantarum, qua quidem ratione omnino ad genus mutandum qualitatem quantitatemque alimenti conuenienter statuendum censemus.

De siligine. CAP. XVIII.

DICEMVS de siligine post triticum, quum inter tritici genera secunda conditio habenda sit siliginis, vt Columella admonet. Cuius species inquit, in pane præcipua, pondere deficitur, vitiumque esse ait tritici, nec eam longè, aut magna difficultate requirendam esse: nam triticum omne vliginoso solo per tertiam sationem conuerti in siliginem. Plinius siliginem propriè tritici delicias dixit, non vitium, ac biennio verti in triticum. Sed sunt qui parum de siligine inter Columellam & Plinium conuenire censeant. Nam Columella vitiũ tritici esse contendit, nec magnopere requirẽdum esse: quũ triticũ omne vliginoso solo creditũ post tertiam sationẽ in siliginẽ conuertatur. Prȩterea pondere à tritico deficere, ac breui in triticum desciscere, nonnullam vitii labem, & infirmitatis argumentum ostendit. Plinius verò delicias tritici vocat, ac veluti delicatam mollitiem pondere defectam, quum & semen nullum auidius esse tradat, nec quod plus alimentum trahat, candore præstare, laudatissimum è siligine panem, operaq; pistinorum laudatissima. Sed hi authores non nisi de vrbanitate, & feritate tritici disserunt: ostendit quippe siligo vrbanum habitũ, quòd præstat candore & mutica spina, sed virtute & pondere deficiat, quum triticum pondere, virtute, & aristis præcellat, quæ omnia syluestrem habitum in stirpium physiognomonia demonstrare iam ostendimus. Ob id Plinius tritici delicias, quasi tritici delicationem, & suauiorem panem, & vrbanum ostenderet, & siligo neglecta in triticum degenerat, quasi triticum siliginis vitium sit: vnde nil controuersiæ & dissensionis inter hos præclaros authores comperient, qui hæc sana mente diiudicabunt.

Siligo frumenti genus videtur Galeno, & σιλίγνιν vocat. Apud Romanos Nomen. quidem, vt etiam apud alios propemodum omnes, quibus ipsi imperant, panis quidem purissimus σιλιγνίτης, id est, siligineus vocatur, qui autem huic proximus σεμιδαλίτης, id est, similaceus nuncupatur. Verum σεμίδαλις, Græcum

quidem nomen eſt, & antiquum: σκλίγνις verò neq; Græcum eſt, neq; ipſam aliter poſſum exprimere. Putant Hermolaus, Manardus, & Ruellius ſimilaginem olyram dici à Græcis, ſed aperto errore labuntur, vt ex his paulo poſt videbimus. Latini Catone, Varrone, Columella, & Plinio authoribus, ſiliginem vocant. Neapolitani *grano cacoſello*, quod muticam ſpinam ferat, nam *caruſum* vulgò vocant caput glabrum & capillis vacuum. Aliis Italiæ locis *caluiſium* vocari audio à grani caluitie, quod ariſtis vacet.

Deſcriptio. Plinius ita deſcribit. Siligo nunquam pariter matureſcit, nec vlla ſegetum minus dilationem patitur propter teneritatem, iis, quæ maturuere protinus granum dimittentibus: ſed minus quàm cætera frumenta in ſtipula periclitatur, quoniam ſemper rectam habet ſpicam, nec rorem continet, qui rubiginē creet. Far ſine ariſta eſt, item ſiligo, excepta quæ laconica appellatur. Campana ſiligo rufior, Piſana candidior. Siligo ſine pondere eſt, & ſine virtute eſt. Apud nos triticum, quod *grano caroſello* vocari diximus, vt reliquum triticum ſurgit, ſed non tam multiplici ſtipula, nec tam craſſo culmo, ſpicam ſine ariſta fundit. In ſpica granum ferè rubellum, alibi album, ſed farinam omnium candidiſſimam & leuem facit, cuius modius quindecim ferè libris minus pendet, quàm reliquum triticumq. Panis primæ notis, & præſtantiſſimus piſtorum ſuffragio receptus, magnatum menſis apponitur, ob id cæteris carius venditur.

Colum. Cato, Siliginem in loco aperto, & celſo, vbi ſol quamdiutiſſimè ſiet, ſeri oportet. Columella verò: denſa, cretoſa, & vliginoſa humus ſiliginem non incommodè alit, & locis manantibus magis apta eſt, nec tamen ea longè nobis, aut magna difficultate requirēda eſt: nam omne triticum ſolo vliginoſo poſt tertiam ſationem conuertitur in ſiliginem. Plinius ab his. Siligo conueniens humidis tractibus, qualis Italiæ ſunt, & Galliæ comatæ, ſed & trans Alpes in Allobrogum tantum, Aruernorumq; agro pertinax. In cæteris ibi partibus biennio in triticum tranſit. Remedium, vt grauiſſima quæq; grana eius ſerantur. Præcellit in Italia, ſi Campana Piſis nata miſceatur. Rufior illa, at Piſana candidior, ponderoſior verò cretacea. Siliginem in loco aperto, æditoque qui ſole quàmdiutiſſimè torreatur, ſerito. Sed ſibi Plinius planè aduerſatur, qui modo aprico loco, & edito, & torrefacto ſiliginem ſeri præcipit ex Catone, quū prius ex Columella dixerit vliginoſo, & humidis tractibus. Sed id fuit in cauſa, vt opinor, quod alia eſt tritici ſpecies, ſiligo Catonis à communi noſtro, & Columellę. Sed Matthiolus increpat priſci ſeculi vecordiā tam excellentis frumenti ſpeciem, & propagationem ſic neglectui habuiſſe, vt non ſolùm in Italia, vbi maxima ſedulitate & diligentia circa gulæ cupedias fatigentur homines, ſed & in Europa deſideretur. Sed immeritò, quum in tota Cāpania noſtra, & locis finitimis ampliſſimæ ſegetes huius frumēti ad pręſtātiſſimi cibi vſum diligentiſſimè colantur. Nos in Venuſinis vliginoſis, & depreſſis aruis, vbi reſes aquarū vidimus: nec incolę adduci poſſunt, vt credant ſiliginē tritici vitium ex loci vligine, vel ex ſiccitate in triticum verti, quū per ſe proprium genus prędicent.

M. Varro

M. Varro in pingui solo rectius seri dixit, quę succi sunt maioris, vt siligo. Columella locis manantibus magis aptam esse. Plinius, cretosum & vliginosum solum sortiri: in pingui serenda, quæ cibi sunt maioris, vt siligo. Solum.

Columella: si mediocriter cretosus, & vliginosus ager est, etiam paulo plus, quàm vt prius dixi, quinque modiis ad sationem opus est, at si siccus, & resolutus locus, idemque vel pinguis, vel exilis est, quatuor, quoniam & è contrario macer tantundem seminis poscit: nam nisi rarè conseritur, vanam & minutam spicam facit, at vbi ex vno semine pluribus culmis fruticauit, etiam ex rara segete densam facit. Siliginis modii quinque bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris vnam, sarritoris duas primum, & vnam quum iterum sarriuntur, runcatoris vnam, messoris vnam & dimidiam, in totum summa operarum decem, & dimidia, quot erunt tritici. Plinius: Siligo nunquam maturescit pariter, nec vlla segetum minus dilationem patitur propter teneritatem, iis, quæ maturuere protinus granum dimittentibus. In denso, aut cretoso, aut vliginoso solo, tritici aut siliginis modios sex serito: in soluta terra, & nuda, & sicca, & læta quatuor. Macies enim soli maior, nisi ratum culmum habeat, spicam minutam facit, & inanem. Pinguia arua ex vna seminis radice fruticem numerosum fundunt, densamque segetem è raro semine emittunt. Serunt siliginem Nouembri mense. Siliginem occato, sarrito, runcato quibus dictum est diebus: singulæ operæ cuique generi in iugero sufficient. Seritur apud nos eodem modo, eademque cura, vt triticum. Satio.

Plinius. Siliginis & tritici eadem ratio in area, horreoque. Mess. com.

Galenus, vt diximus, ait. Purissimus panis siligineus, huic proximus similaceus. Siligineus plurimum alimenti præstat, post ipsum similaceus, tertio loco medius. Plinius: E siligine laudatissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima. Iustum est è grano Campaniæ, quam vocant castratam, è modio redire sextarios quatuor siliginis, vel è gregali sine castratura sextarios quinque. Præterea floris semodium. Et cibarii, quod secundarium vocát, sextarios quatuor, furfuris sextarios totidem. E Pisana autem siliginis sextarios quinq;, cætera paria sunt. Panis summa laus siliginis bonitate, & cribri tenuitate constat. Amylum ex siligine facere ita docet Cato. Siliginem purgato bene, postea in alueum indas, eò aquam addas bis in die, die decimo aquam exiccato, exurgeto bene, in alueo puro misceto bene, facitoque tanquam fęx fiat. Id in linteum nouum indito, exprimito cremore in patinā nouam, aut in mortarium, id omne ita facito, & refricato denuo. Eam patinam in sole ponito, vt arescat, vbi arebit, in ollam nouam indito, inde facito cum lacte coquat. Plinius amylum fieri ex omni tritico dicit, ac siligine, sed optimum ex trimestri. Panific.

De trimestri tritico. CAP. XIX.

POST siliginem de trimestri, siue bimestri tritico agemus. Est enim, vt Columella inquit, siliginis species, & tertium tritici genus, cuius vsus agrico-

lis gratissimus: ná vbi propter aquas, aliámve causam matura satio est omissa, præsidium ab hoc petitur. Sed diuersum genus est Theophrasto. Inquit enim, Sua illorum satio est, quæ genere discrepant, vt tritici genus quoddam, quod trimestre appellant, quoniam per tantum temporis perfici possit. Et alibi genera frumenti enumerás, ait, Quibus & trimestrium annumerari genus par est, & bimestriũ, & si quid intra pauciores dies valeat cõsummari. Et libro de causis quærit, cur congenera non pari tempore omnia perficiãtur, sed triticum aliud bimestre, aliud trimestre sit, & si quid aliud sit, quod festinantius perfici possit. & sic multis aliis in locis, trimestribus à tritico separatá esse formá innuit, quemadmodũ & ipsa quoq; trimestria diuersis locis differre videmus, nec eiusdẽ succi, ponderis, & formæ esse. Sed id est cõtra Columellæ sententiam, ipse nanq; nullum putat trimestre genus: ná etsi sic appellatur, cũ tritico satum nihilominus prouenire. Neq; enim est vllũ, inquit, (vt multi crediderunt) natura trimestre semen, quippe idẽ iactum autumno melius respondet. Plinius Columellam falli dixit, qui ne trimestre quidem proprium genus existimauit esse, quum sit antiquissimum: τριμηναῖον vocant. Nos autem quod sentimus in medium afferemus. Verum est quod Columella tradit, agricolas si quando malè cessit autumnus commentos hanc sationem pro subsidio, ac optimè prouenire. Et apud Samnites, quia triticum hyemis rigores, & imbres perferre neutiquam pote sit, satio in vernum tempus differtur, non quod autument, si alibi, vbi cœlum indulgens sit seratur, non prouenire, vel quod proprium genus sit, sed solum quod omissa tempestiua autumni sementis occasione, vel per imbres, vel niues, aliáve incommoda, huius serotina satione vtuntur, quod felicius longè proueniret, si eodem, quo reliqua genera tempore humo mandarentur, etsi quæ verno tempore serunt, alibi autumno serantur, vberius proueniunt. A nobis commune triticum vere satum tulit, sed minima radice, imbecillo trunco, & spica, sed nos serimus ante brumam vt firmius radicetur, & plures culmos ferat; nam semper, & vbiuis gentium satum prouenit & fert, dummodo nimio calore, vel frigore non intereat. Sed genus trimestre Theophrasti, vel Italiæ incognitum, vel triticum pluribus annis vere satum quoddam genus constituisse, vt vberius vere satum iisdem in locis proferat, alibi verò satum degenerabit in vernaculum. Ná, vt idem Theophrastus ait, continuatio vnius rei mutat naturam eius, vt genus diuersum videri possit: vnde non specie differre, sed imbecilliore quadam constitutione hoc trimestre triticum à vernaculo differre putarem.

Nomen. Græci τριμηναῖον vocant, vt apud Theophrastum, quod tertio à satu mense metatur. Dioscorides, & Galenus sitanium vocant. Sitanium dicit Galenus est triticum instantis anni, quod vere seritur. Setanium Atticè, quasi purum, vt Phocioni placet. Plinius: Græci trimenon vocát. Latini trimestre. Itali & Neapolitani *grano marzolino*, quod Martio mense terris mandetur iis locis, in quibus vsque ad id temporis niues supra terram detinentur.

Est

Est genus trimestre,& bimestre, Theophrastus inquit, & in Eubœa genus quoddam intra quadraginta dies crassari, perficiq; posse affirmāt, ideq; firmū esse,ac ponderosum,nec modo trimestris leue, nec multū in hoc furfuris esse volunt. Et bimestria quædam habentur, quæ ex Sicilia,& in Achaiam aduecta sunt,sed hæc paucū reddunt,parumq; fœcunda habētur, quamq; cibo facilia & iucunda sunt. Nascuntur & alia quędam genera in Eubœa,& pręcipue apud Caristum. Trimestria verò permulta,& vbiq; habentur. Vernū etiam durum admodū est, hybernū autem molle. A quo Plinius. Est & bimestre circa Thracium sinum, quod quadragesimo die,quam satum est maturescit: mirumque nulli frumento plus esse ponderis.& furfuribus carere: vtitur eo Sicilia, & Achaia,montosis vtraque partibus. Eubœa quoque circa Caristum. Genus.

Theophrastus ita describit. Trimestre triticum leue est, & parū fœcūdum, vnicalamum,atq; in totum infirmum, paucis radicibus paucisq; culmis consistit: qua de causa sursum continuo nititur, atq; celeriter consummatur, nam quod minus est,perfici facilius potest. Hinc etiam alterum largè fruticat, alterum parcè,alterum facile,alterum graue, quum plus alimenti & turbulentius trahat Excursus quoq; pręproperè agitur, quum in condendis radicibus haud multū temporis consumat. Si vere obseratur,velocius nascetur,& in culmos pauciores spargetur,& spicam paruam,& parum fertilem geret. Si maturè seratur, frigus tolerare non poterit, suæ causa imbecillitatis. Sic enim vetera minus radices agunt, sed sursum protinus tendunt, atq; ita celerius se perficiunt,quod in omnibus ferè vitam breuem agentibus constat. Descriptio.

Columella: Trimestre locis prægelidis, ac niuosis, vbi æstas est humida,& sine vaporibus rectè committitur,cæteris admodum raro respōdet, quam tamen ipsam celeriter & vtiq; ante æquinoctium vernum conueniet peragere. Si verò locorum ,& cœli conditio patietur,quanto maturius seuerimus, tanto commodius proueniet. Plinius: Totis Alpibus hoc notum, & hyemalibus prouinciis nullum hoc frumēto lætius. Est & bimestre circa Thracium sinum, quod quadragesimo die.quàm satum est, maturescit. Mirumq; nulli frumento plus esse ponderis, & furfuribus carere. Vtitur eo Sicilia & Achaia montosis vtraq; partibus. Eubœa quoq; circa Caristum. Dicimus nos quod trimestre triticum non frigida & niuosa quęrit, nam eius nuda forma non tale admittit, sed frigidis locis,vbi triticum seri autumno non potest, serunt trimestre vere, gelicidiis iam exactis. Id confirmat Theophrastus: Trimestre si maturè seratur,frigus tolerare non poterit,suæ causa imbecillitatis. Colum.

Theophrastus triticum trimestre solo tenui melius fieri tradidit, libro de causis. Alimentū enim subministrari modicū eo potest,hoc est leue leui. Cato, Trimestrem quo in loco sementem maturā facere nō poteris,& qui locus restibilis crassitudine fieri poterit, seri oportet. Plinius montosis partibus,dixit. Solum.

Columella Februario trimestrium sationem non esse alienā dicit,quāuis tepidis regionibus melius administretur per mensem Ianuar. Plinius. Februario Satio.

trimestria ferantur. Si trimestria bruma serantur, non ferunt frigoris incommoda, quippe necessario deberi vernum tempus trimestribus propter imbecillitatem, non autem seruari ad deficientis prouentus subsidia, vt Columella sentiebat, ex Theophrasti opinione.

Trimestre triticum facile est, quasi minus terræ in seminibus sit propter temporis breuitatem: quæ enim non multum terræ attrahunt, sed leuiori pabulo vegetantur, vsum quoque cibariorum faciunt leuiorem.

De tipha cereali. Cap. XX.

De cereali tipha agendum nobis est: ea enim duplex est, palustris, & cerealis. meminit vtriusque Theophrastus: palustris libro quinto, capite tertiodecimo, & primo capite octauo, Dioscorides tertio. Cerealem impræsentiarum describemus. Theophrastus è genere tritici, triticoque simillimum aspectu scribit, tantamq; affinitatem inter ea esse, vt nullum ostendi frumenti genus possit, quod in aliud transire tam facile queat, quàm tipha, & zea, siue semen. Sed paratu quodam, arteque fieri ait, si pinsita, hoc est tusa serantur, in triticum transire, idque non protinus sed anno tertio. Quod simile ferè fit, atque quum semina ratione locorum permutantur: nam ea quoque singulis in locis, temporis spatio ferè pari, atque tipha mutantur, cuius rationem libro de causis reddidit: quale nanque semen redditur, tale generat, vnde si alteratum committitur, facile commutatur: si pars aliqua tiphæ semini desit, affici oportet, vnde mutari necesse est, nec eandem paleæ altitudinem retinet, præterea sua imbecillitate semen nil tolerare potest.

Nomen. Genus hoc vnum tiphæ duplici nomine insignitum putat Mnesitheus, scilicet quod aliis τίφη, aliis ὀλύρα dicatur. Sed nos Mnesitheū falli putamus, quum aliud tipha, aliud sit olyra, vt suo capite videbimus. Theophrasto τίφη est, & aliis Græcis: Latinis tipha dicitur. Hermolaus differre putat typham à tipha cereali, quòd illa per y græcum scribatur. Briza Macedonū simillima fuit Græcorum tiphæ Galeni iudicio. Sed quid apud nostrates sit, maxima est inter authores discordia, & fortasse quia hæc ab illis pertractantur, quibus hæc genera nec inquirere nec serere curæ fuit. Nos Græcorum tipham vulgare *germanum* nostrum vulgò dictum non dubitamus proferre, quod reliquæ Italiæ *secale* dicitur, quum descriptio, quæ apud Theophrastum extat, nulli melius, quàm *germano* vocato quadret, & quæ Latini de secale descripserunt, eadem omnia eidē *germano* conueniant. Vtrumq; genus separauimus, non quod diuersas res putaremus, sed vt vnicuique liberum iudicium relinquatur perquirendi, scribendique, & vtriusque historia perlegatur. Maior pars authorum, qui apud me alicuius sunt authoritatis, tipham zeæ speciem faciunt. Sed Theophrasti zea à tipha valdè differt, & vtriusque ipse meminit, nec abhorret *germanum* nostrum zeæ speciem esse. Plinius, Tipha apud Græcos est zea.

Descriptio. Tipha tritici specimen gerit, eique simillima, frumentorum omnium leuissima

missima constat. Simplici prosiliens culmo, sed folliculo multiplici, radix numerosa. Nullum autem genus, quod totum transire in triticum aptum sit, prǣter tipham & semen comperies, quia ob imbecillitatem nil penitus quit tolerare, & in proximũ degenerat, quæ mutatio & sponte, & arte naturæ euenit. Plinius: Tradunt zeam, & tiphen, quum sint degeneres, redire ad frumentum, si pistæ serantur, nec protinus, sed anno tertio. Adiiciũtur his genera, bromos, siligo exceptitia, & tragos, externa omnia ab oriente inuecta, oryzæ similia, tipha & ipsa eiusdem generis, ex qua fit in nostro orbe oryza. Apud nos surgit *germanum* vocatum fœcunda, sed gracili stipula, triticea, & proceriore, spica erecta rubigini obnoxia, innocentioribus aristis, in versus spicatos, radice & culmo multiplici, grano tristi, strigoso, nigricante, glumis implicito, tam cognata res tritico, vt facilè alterum in alterum mutetur soli mutatione, & minimi ponderis grano. Mihi syluestre triticum videtur. Sed Galenus colore tritico flauiori, corpore strigosiori, exiliorique, vt exile triticum appellent, vescũq; esse. Hector, Homero teste, suis equis obtulit, eoque innoxiè depascuntur, quum tritici esu noxam contrahant.

Plinius, Ægypto ac Syriæ, Ciliciæq; & Asiæ, ac Græciæ peculiaris tiphe. Galenus in Asia nasci, regione, quæ supra Pergamum sita est. *Cælum.*

Theophrastus tenui solo contentam esse dixit, quia omnium leuissima, & simplici culmo assurgit, nec vti semen, pingue, & lætum desiderat. *Solum.*

Maturè seritur tipha, Vergiliarum occasu, vt triticum, & zea, ex Theophrasto. Postquam defloruerit, crassatur perficiturq;, cum pluribus intra dies quadraginta. Germen ex vtroq; latere effundit, quippe quæ parte ima, crassaq; radicem, tenui superna herbam propellat. Fit tamen vnum, atq; continuum radice, & caule. Cassianus. In propriis locis Maio mense serenda est tipha, quum sata in spicas abierit, runcabis ipsam. *Satio. l. 8* *c. 8*

Theophrastus paratu quodam triticũ in tipham, & tipham in triticum trãsire dicit, id est si tipha pinsita seratur, nec protinus, sed anno tertio: sicut ea, quę præmacerata fructus afferunt dulciores. Nostri agricolæ inquiunt, si grana illa imperfecta, quæ in acumine, & spicæ calce nascuntur, serantur, mutari in *germanum*. Et etiam ieiuno, & squallido solo semina commissa mutari. *Ars.*

Mnesitheus tertiam à tritico, & ordeo sedem assignauit tiphæ, quum satis alat, nec magno negotio conficiatur, præponitq; zeæ. Idemq; Diocles libro, quem Plistarcho dicauit de arborum facultatibus, confirmat. Caldusq; expetitur non solũ rusticis, sed politioribus, & moroso palato laborantibus. Sed reseruatus panis deterior euadit, quippe qui triduo, aut biduo vescatur, lutum in ventre concretum residere putet, tam ipsius massa tenax est, & lentitiæ sequacis, vt densetur, occalescatque, & ipsis etiam rusticis insuauior, & difficile concoquatur. Panis apud nos, qui ex *germano* conficitur, ad arcendum tantùm pauperum famem vtilis, quum viscosæ & tenacis substantiæ sit, vnde rustici in panificio milium admiscẽt, vt eius friabilitati huius viscositate consula- *Panif.*

tur. Plinius farri admiſceri tradit, vt eius amaritudinem mitiget, & quoq; ſic ingratiſſimus eſt ventri. Noſter amarus valdè, & ventri admodum ingratus, ſed citò è ventre labitur, totius familiæ & laborantium ruſticorum famem explet tritico admiſto.

De ſecale. Cap. XXI.

HERMOLAVS non ambigit vulgarem hanc ſegalam veterum eſſe ſiliginem, quum ab ea toto cœlo diſcrepet. Illa granum candidum, leue, multiplici tunica contectum habet, ſpina mutica, ex qua panis candidus fit, & primatum tenens, vt ex Columellæ & Plinii placitis iam diximus: hæc granum nigrum, ſtriatum, anguſtum, ſpicam ariſtis armatam habet: panis ad explendam famem plebeculæ, quem inuita comedit.

Nomen. Diximus ex Theophraſto τίφην, Latinis ſecalem eſſe, vel ſaltim eius ſpeciem. Taurini, Plinio authore, aſiam vocant ſub Alpibus. Neapolitani *germano*, quam tritico affinitate, & germanitate diximus cohærere.

Deſcriptio. Plinius ſic eam deſcribit. Naſcitur fœcunda, & gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum.

Cælum. Cœlum ſubſtinet frigidum, ex Plinio, ob id ſub Alpibus ſeritur. Et apud nos frigidis etiam locis.

Solum. Plinius qualicunq; ſolo naſci dixit, cum centeſimo grano, ipſumq; pro lætamine eſt. Nos ſicco, ſabuloſo, & eſtœto ſerimus.

Satio. Plinius. Occari tantum deſiderat. Apud nos ſeritur ante triticum. Aprilis calce floret locis temperatis, quo tempore tangi non debet, vnde quadraginta diebus ad maturitatem peruenit, ante triticum.

Vſus. Deterrimũ, & tantum ad arcẽdam famem vtile. Admiſcetur huic far, vt mitiget amaritudinem eius, & tamen ſic quoq; ingratiſſimũ ventri eſt, ex Plinio.

De adoreo, ſiue farre. Cap. XXII.

DIXIMVS de generibus tritici ex Columellæ opinione: nunc ex eiuſdem ſententia farris genera proſequemur: nam diximus vulgariſſima frumenti genera, triticum & far. Plinius inquit: Primus antiquis Latio cibus magno argumento in adoreæ donis. Præponitur zeæ, quia qui non habent far, zea vtuntur.

Antiquitus far ζεὰ appellabatur, teſtis eſt Dionyſius Halicarnaſeus, dicens: Vocabant priſci ſacras nuptias φαῤῥάκια, quia coniuges φάῤῥοι veſcebantur, quod nos Græci zeam dicimus. Et Aſclepiades apud Galenum libro nono κατὰ τόπους. Far veteres, Latini adoreum appellauere, Plinio authore. Dictumq; far à ferendo, quod in terra proferatur. Eſt far duplex, facticium, & naturale. Facticium, vt Varroni placet, à faciendo dicebatur, quod in piſtrino fieret, id eſt, prępararetur, & contunderetur. Hinc triticeum far, & hordeaceum far pro hordeo dicebant. Columella. Cauea cum matre claudendi ſunt, & farre ordeaceo cum aqua incocto alendi. Idemque. Labruſca de vepribus lecta cum

farre

farre triticeo minuto obiicitur esurientibus. Sed naturali proprie farris nomine certum quoddam frumenti genus intelligitur, quod primum ab edendo edor, deinde literæ primæ immutatione ador appellatum fuit, authore Festo, quod far adoreum dicebatur. Populum Romanum ex omnibus frumenti generibus trecentis annis farre tantum vsum ex Verrio Plinius tradit. Gloriam deniq; ipsam à farris honore Adoream appellabant. Minutius Augurinus farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit vndecimus plebis tribunus, qua de causa statua ei extra portam trigeminam à populo stipe collata statuta est. Alii sunt, qui ab adurendo dictum putant, quod torreri soleret, vt inquit Festus, antequam ex eo mola salsa conficeretur in vsu sacrorum. Nobis vulgò *farro* dicitur, aliquibus *spelta*.

Columella quatuor genera facit adorei. Far, quod appellatur clusinum candoris nitidi, quod vocatur vennuculum rutilum, atq; alterum candidum, sed vtrumq; maioris ponderis, quàm clusinum. Semen trimestre, quod dicitur halicastrum, idq; pondere & bonitate est præcipuum. Plinius. Galliæ quoque suum genus farris dedere, quod illic brance vocant, apud nos sandalum, nitidissimi grani. Et alia differentia est, quod ferè quaternis libris plus reddit panis, quàm far aliud. *Genera.*

Farri genicula sena, sed non ante geniculorum numerum conceptus est spicæ, qui vt spem sui fecit, quatuor, aut quinque tardissime diebus florere incipiunt, totidemque, aut paulo pluribus deflorescunt. Varro quaternouenis diebus fruges absolui tradidit, & mense nono meti. Ordeo ponderosius est. Far sine arista est in Ægypto. Nobis speltæ simile videtur, sed herba crassior, spica maior, rigidior, noxioque aristarum cingitur vallo, ægre è suis glumis educitur, quibus nisi euoluetur, & vsui, & panificio, fit incommodum. *Descriptio.*

Varro demonstrans in Italia vtensile non modo nasci, sed etiam egregium esse ait. Quod far conferam Campano? Plinius: Ex omnium genere durissimum far, & contra hyemes firmissimum. Patitur frigidissima loca, & minus subacta, vel æstuosa, sitientiaque. *Colum.*

In creta, & vligine, & rubrica, & agro, qui aquosus erit, semen adoreum potissimum serit Cato. Varro autem: Periti in loco humidiore far adoreũ potius serunt, quàm triticum. Contrà in aridiore ordeum potius quàm far, in medio-cri vtrumq;. Columella, Adorei genera propterea custodienda sunt agricolis, quod raro quisquã ager ita situs est, vt vno semine contenti esse possimus, interueniente parte aliqua, vel vliginosa, vel arida. Densa, cretosaq; humus & vliginosa non incommodè adoreum alit. Triticum in sicco loco coalescit, adoreũ minus infestatur humore. Magis aptè in pluuio agro adoreum, quàm triticum seritur, quoniam folliculum, quo cõtinetur, firmum & durabilẽ aduersus longioris tẽporis humorem habet. Plinius à Catone habet: In creta, & rubrica, & aquosiore agro adoreum, in loco humili far adoreum, potius quàm *Solum.*

triticũ seretur. Cretosum & vliginosum locum sortitur. In Campania campus est, subiacens montibus nimbosis totis quidem XXXX M. pass. planitie. Gratia terræ eius (vt protinus soli natura dicatur) puluerea summa, inferior bibula, & pumicis vice fistulans, montium quoque culpa in bonum cedit. Crebros enim imbres percolat, atq; transmittit, nec dilui aut madere voluit, propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, sed temperat, & concoquens intra se vice succi continet. Seritur toto anno panico semel, bis farre.

Satio. Columella. Placet nostro Poetæ adoreum nonantè seminare, quàm occiderint Vergiliæ, quod ipsum numeris sic edisserit,

At si triticeam in messem, robustaq; farra
Exercebis humum, solisq; instabis aristis,
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur.

Abscondũtur autem altero & trigesimo die post autumnale æquinoctium, quod ferè conficitur nono Calendas Octobris. Virgilius serenam hyemem, humidam æstatem farri optat.

Humida solstitia, atq; hyemes optate serenas
Agricolæ, hyberno lætissima puluere farra.

Et fertur rusticum hoc vetus canticum, vt ex Macrobio habetur, Hyberno puluere, verno luto, grandia farra Camille metes: ex quo Virgilium id traxisse existimant. Columella, Iugerum agri pinguis, adorei modios nouem postulat, si mediocre, decem desiderat. Quum quatuor fibras habere cœperit, rectè sarrientur. Virgilius à Vergiliarum occasu far seri iubet. Quidam omissa cœlesti cura far Septembri extremo vsque ad idus Octobris serunt. Farra purgari non nisi tosta possunt, itaque hæc cum suis folliculis seruntur cruda, & far in vaginulis suis seruant ad satus, atque non torrent. Occato, sarrito, runcato quibus dictum est diebus de tritico. Singulæ operæ cuique generi in iugero sufficient. Varro etiam seri farris modios decem in iugero dixit. Palladius autem ex his colligens exactius præcipit huius frumenti serendi disciplinam. Octobri mense adoreum seremus. Iusta satio est à decimo Calendarum Nouembrium vsq; ad sextum idus Decembris regionibus temperatis. Nouembri far seritur satione legitima ac semente solenni. Iugerum seminis modiis quinq; tenebitur. Septembri mense vliginosis locis, aut exilibus, aut frigidis, aut opacis circa æquinoctium adoreum seritur, dũ serenitas constat, vt radices ante hyemem conualescant. Sarritur, quum quatuor foliorum est, Ianuario.

Panis. Numa instituit far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset, ex Plinio. Farinam à farre dictam nomine ipso apparet.

De zea siue semine. CAP. XXIII.

Farris genere zea est, multique far ipsum zeam esse opinati sunt: non tamẽ dubito inter genera farris à Columella enumerata esse zeam, eiusq;

speciem

speciem è tritici genere esse, eiq; aspectu persimilem, immò, authore Theophrasto, nullum genus aptius in triticum transire est, quàm zea, siue semen dicas: pistamq; serunt, qui mutari eam volunt in triticum, idq; anno demum tertio. Cuius causam in tipha reddidimus. Rationem Theophrastus libro de causis recitat, cur facilè in auenam mutetur. Facilitas transmutationis, quia genere auenæ proxima est. Sed mirandum profectò, quod quum robustissimum sit semen, in eam degenerat. Sed quia validissimum est, radiceq; numerosa cohæret, iccirco resistere penitus potest, reliqua verò corrumpuntur penitus, non in aliam mutantur speciem. Sed tempore quo seritur, maximis plurimisq; imbribus afficitur, diuque in terra obsessum perpetitur multa. Pinsito semine mutatur in triticum, terræ commisso: pars enim aliqua deest, quæ si detrahatur principio, generationem minus impedit, sed si exempta penitus sit, & velut penitus semen dispolietur, atq; affici opportunius relinquatur, tum in qualitate mutatur, nec eandem multitudinem paleæ retinet. Plinius. Tradunt zeam, ac tiphen, quum sint degeneres, redire ad frumentum, si pinsitæ serantur, nec protinus, sed anno tertio. Homerus commendans aruum zeam producens, ζείδωρον ἄρουραν dixit, non vt aliqui arbitrantur, quoniam vitam donaret. Commendauit & Hesiodus à magna eius excellentia.

Ζειὰς apud Græcos olim vagum nomen fuit, & perplexæ notionis: nostra ætas id nomen vni duntaxat frumento largitur, quod speltam, vel spentriam dicit vulgò. Latini à frugis præstantia semen vocant. Plinius. Est & hæc Italiæ, in Campania maximè, semenq; appellatur. Hoc habet nomen res præclara. *Nomen.*

Dioscorides duas species tradidit, alteram simplicis grani, alteram duobus armamentis inuoluti, ob id Græcis appellata δίκοκκος. Plinius adulterinam Africæ, latioribus spicis, nigrioribusque, & breui stipula esse dicit. *Genera.*

Theophrastus suam zeam ita depingit. Zea quamsimillima tritico, & oryzæ, culmo assurgit numeroso, grano multiplici tunica tecto. Fructu facillimo, & cunctis animantibus gratissimo. Radice multiplici, altaq;. Speciem circa Capuam satam obseruauimus, quæ erat culmo, geniculis, & spica tritico simillima, duobus vtriculis iunctis duo grana simul ferebat, duplici ordine distinctis, quam à Dioscoride notatam diximus. Granum erat tritico fuscius, & minus, & glumosum. *Descriptio.*

Plinius: Ægypto autem ac Syriæ, Ciliciæq; & Asiæ, ac Græciæ peculiaris zea. Qui zea vtuntur non habent far. Est & hæc Italiæ, in Campania maximè. Est apud nos zea frigidi soli alumna: nam quum gelicidiis, & frigoribus minus sit obnoxia, horumq; minus iniurias, quàm reliqua frumenta reformident, eam inibi serere coguntur, qui hybernis regionibus, & gelido cœli statu zea victitant. Galenus tamen, qui regiones omnes hybernas peragrauit, & ab iis sciscitatus diligenter, qui eas perlustrassent, nusquam audiuit aliquod adesse frumenti genus, quod incolæ zeam appellent. Sed in Bithyniæ tractibus zeopyron inuenit. *Calumnia.*

Solum. Quum nil ea robustius, & maximè terram exinaniens sit, pingue & solum lætum desiderat, ex Theophrasto. Nos apud Capuanos, nigro & argilloso, albo lætoq; satam vidimus solo, locis frigidissimis, & glacie diutina obsitis.

Satio. Maturè seri Theophrastus dixit, circa Vergiliarum occasum. Germen ex vna grani parte effundit, ex crassa radicem, ex tenui herbam pellit, vt cætera frumenta. Plinius iugero modios decem seminat. Nos hic Martio serimus, non autumno.

Panis. Diocles zeam tiphæ in ciborum ratione postposuit. Mnesitheus panem ex ea factum caput aggrauare, & difficulter egeri dixit, ex Athenæo. Galenus vim habere inter ordeum, & triticum mediam, tantum in cibo tritico cedit, quantum ordeo præfertur in panificio. Alimonia maiore est, quàm ordeum, minore quàm triticum. Pane è zea confecto nemo diutius inoffensa valetudine vescens degit, præsertim si abundè estur: quod si quispiam insolens eo vtitur, pauco esu noxam contrahet: nam & ægrè coquitur, & stomacho negotium exhibet. Panis parum è zea per initia quod magno sit odore, deuorari potest, assuetis tamen familiaris redditur cibus, & qui facile conficiatur. In summa grauis concoctu, & pertinax est, sed valens & membranosa. Zea minus quàm tipha nutrit. Plinius, Alcia fit ex zea. Tunditur granum eius in pila lignea: nam lapidis duritia conteritur. Nobilius, vt notum est, pilo victorum pœnali opera. Primori inest pyxis ferrea: excussis inde tunicis, iterum iisdem armamétis nudata conciditur medulla. Ita fiunt alicæ tria genera, minimum, ac secundarium, grandissimum verò aphærema appellant. Alica adulterina fit ex zea, quæ in Africa degenerat.

De olyra. CAP. XXIIII.

DIOSCORIDES olyram ex zeæ semine esse existimat, ideo nos post zeam eius descriptionem apposuimus.

Nomen. Græcis ὀλυρα. Latinis Hermolao, Ruellio, cæterisq; authoribus siligo. authoremq; talis ineptiæ Plinium faciunt, quod nusquam dixit. Theodorus in Theophrasti versione satis ineptè etiam siliginem vertit. Turannius eandem esse olyram, & oryzam existimat. Arincam ab Homero vocari dixit Plinius, ab Herodoto zeam. Audio ab Italia *scandellam* vocari.

Descriptio. Theophrastus ex iis, quæ tritico simillima sunt, olyram esse dicit, zea molliorem infirmioremq;, grano multipliciter tunicato. Plinius, Spissior, quàm far, & minor spica, eadem & ponderosior. Raro modius grani non XVI libras implet. Facilis, fertilisq; Galenus. Tiphæ semen extrinsecus corticem habet, veluti olyra, & ordeum, verùm decorticatum in panes congeritur. Et alibi. Color in ordeis, & olyris est albus, in triticeis autem subflauus.

Solum. In Græcia nasci difficilem, in Ægypto verò facilem, fertilemq; Plinius dixit. Atinca Galliarum propria, copiosa & Italiæ est. Ægypto autem, ac Syriæ, Ciliciæq; & Asiæ, ac Græciæ peculiaris olyra.

Theo-

Theophrastus olyram maturè seri dixit, idemq; tempus serendi, vt tritico statuit. Solum vt zeæ ei darem, quum maiori spica, & ponderosiori grano constet, terram enim exinanir, ob id lætam constituerem. Seritur vt zea. *Sol. Satio.*

Plinius, Ex arinca dulcissimus panis, exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari ab Homero dicta. Galenus inter triticum & ordeum medium tenere temperamentum dixit. Prętereą olyrini panes sunt præstantissimi, si ex bona olyra fiant, post triticeos. Quod si olyrini ex vitioso semine sint facti, tiphinis erunt inferiores. Mnesitheus panem qui ex olyra fit, multum nutrire dixit, quia sine magno labore digeritur, ex Athenæo. Cassianus tragum ex olyra generosa facere docet. Olyra maceratur, & decorticatur, & in sole calido siccatur. Deinde idem rursus fit, donec & pelliculæ, & quicquid fibrosum est in fruméto dilabitur. Plinius far ex olyra fieri dixit. Dioscorides olyram minus aliquanto nutrire, quàm zeam, & in panes, vt zeam, cogi dixit. *Panis.*

De tritico Indico. CAP. XXV.

NVNC ad alia tritici genera transeamus, fortasse veteribus incognita, quorum primum se offert Indicum.

Nos Indicum triticum dicimus, quod ex occidentalibus Indiis nobis primum aduectum sit. Incolæ vernacula lingua *maiz* vocant, quod & nos quoq; ita vocare solemus. Sunt qui turcicum vocent, quod ex Turcica Asia primum adlatum dicant, atq; ab Plinio sub milii nomine memoratum, non quidem rectè, vt in milio dicemus. *Nomen.*

Granorũ color, & spicarũ varietas genera faciunt, nam sunt punicea, buxea, subcandicantia, vel etiã mixta ex croceis & subpurpureis. Addit & tẽporis discrimé differentiã, est enim genus trimestre, bimestre, vel sex hebdomadarũ. *Genera.*

Calamo assurgit procero, septenum, octonúmve pedum, crasso, rotundo, geniculato, medulla farcto candida, cuiusmodi saccharinę arundinis. Folio miliaceo. Flores summo nutant culmo, non fœturæ destinati, non vmbræ, sed spectatores ornatu oblectantes, naturæq; luxum ostentantes, quod raro in aliis ostendit. Medio foliorum, geniculorumq; sinu, spicam pandit muticam, cylindracea effigie, tiphæ clauæ simili, tenui vagina foliacea operta, in qua grana pisi magnitudine penitissimè stipata conduntur, denis duodenísve versibus ordinata, qualia in punicorum acinis, colore purpurea, interdum fulua, nonnunquam fusca, vel rubra. E vaginularum verticibus paniculacea, vel capillacea filamenta dependent, concolora granis. Inferior caudicis pars purpurascit. Radicibus multis, densis, ac minimè crassis. *Descriptio.*

Mediocré terræ, & cœli fert temperiem. Apud nos satum optimè prouenit. *Cœl. Sol.*

Indi hoc modo serunt. Descendunt Aprili, vel Maio in complutum agrum satores, recta linea æqualiter dispositi, ac deinde palo effossis scrobibus dextra manu, statim grana quatuor, vel quinque triduo macerata, sinistra in singulis coniiciunt, ac pede scrobes operiẽtes, ne psittaci semina depascantur, ac ita se- *Satio.*

riatim suo passu distantias metientes, agrum totum semine complent retrocedentes. Nascitur paucis diebus, metunt Augusto, vel Septembri. Dicunt Peruuiani toto fermè anno meti, & seri posse.

Panis. Indi ex granis candidissimam farinam moliuntur, quæ in panificium cogitur. Nostri & in pane, & placentis vtuntur. Substantia magis crassa, & viscida, ob id grauis, & ingratus ventriculo.

De ordeo. CAP. XXVI.

NVNC ad aliud frumenti genus deuentum est, scilicet ordeum. Duo nanque videntur antiquis fuisse frumentorum fastigia, tritici & ordei, præ cæteris quidem cerealibus vtilissima, & quorum cætera sint quasi abortus, & degeneres partus, mixtæq; naturæ ex tritico, & ordeo. Quin nonnullis videtur ordeum siligo spuria. Antiquissimum, inquit Plinius, in cibis ordeum, sicut Atheniensium ritu, Menandro authore, apparet, & gladiatorum cognomine, qui ordearii vocabantur.

Nomen. Græcis κριθὴ nomen est, quasi dicerent secretum, & separatum, quum ei multa opera essent secernendæ glumæ. Latini hordeum ab horrore dixere, quod eius arista tritici arista mordacior sit. Vel ab oriendi celeritate, quod ante omnia frumenta sit aridum. Vel ab antiquo verbo hordus, quod apud vetustissimos significabat grauidum. Italis *orzo*.

Descriptio. Ordeum, ex Theophrasto, triticeo, & multiplici attollitur culmo, sed qui non fundatur in brachia, sed quàm triticum horridiori, fragilioriq́ue, breuioriq́ue. Simplici in stipula folio, neruoso, vt arundineo, & latiori. Cacumine fert spicam, vt cætera frumentacea, sed minus à foliis discreta. Granum crinito textu spicatur, sed longè paucioribus tunicis contentum, quàm triticum: siquidem propè nudum extat, & omnium maximè tegumento caret, mordaciori arista. Radice tenui, frequenti coma fibrata. Palea durior, & insuauior, vtpote, quæ minus succi retineat. Ex Plinio, Breuiori, quàm triticum assurgit calamo, cui octona genicula. Cacumine folium vnum habet, sed scabrum, arundinaceum, cæteris læue. Granum maximè nudum, munitumq́; aristarum quadruplici vallo, & arista mordacior.

Genera. Apud Theophrastum plura ordei discrimina visuntur, fructibus, spicis, formis, viribus & effectibus differentia. Est enim aliud quod binos spicarum versus, aliud ternos, quaternosq́; continet, item quinos, nullum tamen plures senis. Quod verò pluribus construitur versibus, spissius hoc, posituq́; semper arctius constat. Magnam & Indicum differentiam facit, quod fundatur in brachia. Et spicæ aliis grandiores, rarioresq́; constant, aliis mitiores, frequentioresq́;, & aliis distantiores à foliis, aliis proximiores, vt Achilleis cognomine. Sunt & complura grani discrimina. Aliis rotundius, & breuius, aliis maius & oblongius, & rarius, aliud candicat, aliud vergit in purpuram, copiosius farina, validiusq; quàm candidum, & contra cœli mutationes contumacius. In

India

India syluestre nascitur ordeum, iucundum in panis esu, hoc equis oblatum Alexandri, vt manderent, necabat eos primo, dein in palea exhibitum, paulatim desiit esse noxium. Est genus ordei achilleis vocatum, propensius obnoxium rubigini, tam atrum, quàm candidum, quod spicam erectam gerat. Est & genus trimestre dictum, quod per dictum tempus perfici valet. Ex eo Plinius: Ordeum Indis satiuum & syluestre, ex quo panis apud eos præcipuus. Spicæ quædam binos ordines habent, quædam plures vsque ad senos. Grano ipsi aliquot differentiæ, longius, læuiusque, aut breuius, aut rotundius, candidius, nigrius, vel cui purpura est. Vltimo ad polentam, contra tempestates candido maxima infirmitas. Sunt & Columellæ sua genera: Exastichum, siue cantherinum, & distichum, siue Galaticum, vt suo loco dicemus.

Solum pluuium, & frigidum conuenit ad ordei fructificationem, cæterorumq; frumentorum, quum soluta hæc sint, sed minus ordeum geritur, & omnino contra imbres inualidius. Sed vere hybernis locis triticum potius, quàm ordeum datur. Sed differt cœlum à cœlo, & solum à solo ad fructuum productionem. Quædam enim loca proferre intra pauciores dies videntur. In Ægypto sexto à satu mense metitur. In Chalcita Rhodiorum insula, tam præcocem, tamque feracis naturæ locum esse prodidit Theophrastus, vt ordeum inibi cum cæteris satum, iterum seri, & vnà cum cæteris frugibus rursum demeti valeat. *Cœlum.*

Et si fruatur terra ordeum, gracili etiam solo proficere satis potest. Et alibi. Gracile solum ordeum melius præstat, quia minus & leuius alimentum desiderat. Lutosum solum commodius siccis, & paruo alimento contentis, vt achilleidi, quippe hoc succos melius digerens facit candidiora. Ex Theophrasto. Sed Plinius: Ordeum omnium frugum mollissimum est, seri non vult nisi sicca, & soluta terra, ac nisi læta. ordeum in nouali, & aruo, quod restibile possit fieri, seritur. Subtilis & illa sententia, serenda ea in tenuiore terra, quę non multo indigent succo, in pingui autem, quæ sunt cibi maioris. Sic ergo tenue solum ordeo dabitur, minus enim alimenti radix poscit. In humili loco far seritur, in temperato ordeum. *Solum.*

Sationem à tempore exordiemur. Theophrastus serit Vergiliarum occasu, & maturius quàm triticum. Cassianus ordei sationem inchoat ab æquinoctio autumnali, quod est ad octauum calendas Octobres, cessat à satione solstitio hyemali, quod est ad nonas calendas Ianuarii. Virgilius, *Satio.*

Libra dies, somniq; pares vbi fecerit horas,
Et medium luci, atq; vmbris iam diuidit orbem:
Exercete viri tauros, serite ordea campis,
Vsq; sub extremum brumæ intractabilis imbrem.

Plinius à Virgilio excipiendo, ait, Virgilius ordeum inter æquinoctium au-

tumni & brumam serit. Sed Vindanionius eligendum iubet ordeum plenum, recens, album, & quamgrauissimum, & non cõtusum. Sicco solo committendum præcipit Theophrastus, vtpote quod maximè valeat perdurare, vbi non auibus, aut aliis bestiis tellus obnoxia sit. Haud enim commodum semimadefactum solum putatur: quippe quum semina in eo facilè latescant, atq; intereant, simul accidit, vt frequens herba nascatur. Imbrem superuenire post sationem prodest. Densum, aut rarum spargere semen terrarum ratione conuenit: plus enim crassa, lætaq; tolerare potest, quàm arenosa, & tenuis. A quo Varro, Ordei seruntur quinque modii in iugero. Sed nonnullis locis paulo amplius, aut minus. Si enim locus crassus, plus: si macer, minus. quare obseruabis, quantum in ea regione consuetudo est serendi, vt tantum facias, quantum valet regio, ac genus terræ. Sed Pamphilus Græcus præcisius monendo docet, vt sata iustam symmetriam habeant, digitos manus diducendos, eosq; imprimendos in terram, & sublata deinde manu, multitudinem seminum in impresso digitorum typo considerandam: etenim in ordeo nouenarium summum esse oportet, minimum septenarium. Plinius, In iugero temperati soli iustum est ordei modios sex, pingui plus, gracili minus, Sarculo seritur, propterea celerrimè reddit, fertilissimumque quod in Hispaniæ Carthagine Aprili mense collectum est. Hoc seritur eodem mense in Celtiberia, eodemque anno bis nascitur. Ordeum nisi sit siccum ne serito. Et si in tritico dixerimus de radice, ortu, herba, flore, spica, dicamus iterum de ordeo. Erumpit, Theophrasto authore, à primo satu ordeum die septimo, magisque quàm triticum festinat. Ex vtroque extremo radicem, & folium emittit, caput alterum grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ prior floret. Radicem crassior pars grani fundit, tenuior florem, cæteris seminibus eadem pars radicem & folium. Exit vno folio, hyeme in herba est, tempore mitescente caulem de medio mittit, & tertio, vel quarto geniculo spicam, sed nondum aliqua mole conspicuam, & quidem per totum culmum spica digeritur, vt fermè quum culmari incœperit, mox eam conspici sit, sed latet, antequam adulta in folliculo fuerit: tum enim fœtus suæ crassitudine molis euidens extat, mox folliculo absoluta, quarto aut quinto die florere incipit, totidemque diebus ferè floret: qui verò plus temporis referunt, septimo die deflorescere notant. Postquam defloruit crassatur, perficiturque quum primum intra dies quadraginta. A quo Plinius. Erumpit à primo satu ordeum die septimo, alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam, quæ & prior floret. Radicem crassior pars grani fundit, tenuior florem, cæteris seminibus eadem pars & radicem & florem. Hyeme in herba est, verno tempore fastigiatur in stipulam. In octauo geniculo spicam incipit concipere, sed etiamnum occultam. Sed non ante supradictum geniculorum numerum conceptus est spicæ, qui vt spem sui facit, quatuor aut quinque diebus florere incipit, totidemque aut paulo pluribus

tibus deflorescere, & quum tardissimè, septem. Quum defloruit crassescit, maturaturq́; quumplurimum diebus quadraginta. Varro septimo à satu die exire dixit. Theophrastus nasci è radicibus anno sequente dixit, quin & anno primo prætunsum regerminat culmo è latere subnascente. Ratio, quod id radicis copiam, vimq́; obtinet. Columella, Ordei modii quinque bubulci operas tres exigunt, occatoris vnam, sarritoriam vnam & dimidiam, messoriam vnam, summa operarum sex, & dimidia.

Aqua nuper sato, & adolescenti prodest, florenti obest, facit enim, vt totum intereat, in plenum crassato maximè noxia esse putatur. A Theophrasto Plinius, Imber in herba vtilis tantum, florenti nocet, maturescens imbre magis læditur. Ordeum post florem, si adhuc humidum, tenellumq́; afflatu vehementer vexetur, facilè perit, educitur enim quod in his tenuissimum est, & conflictatum inter se euanescit, quum euanuerit, pluuia sequuta nocet, quia nudum est, & omnino tritico debilius est. Ordeum plus attrahit pabuli, quia rarum natura est, idque excoquere nequit, quoniam inualidum est, & quum riguum imbre fuerit, sol vnà cum aduentitio humore internum quoq; & proprium educit. Et à floribus quoq; concussum magis hoc perditur, vtpote quod imbecillum est. Rubigines in frumentaceis magis quàm leguminibus, & inter frumentacea ordeum magis quàm triticum sentit, & inter ordea aliud plus, aliud minus, sed præcipuè dixerim achilleis. Facile afficitur ordeum erugine, quod nudum est, & folium spicæ gerit proximius, vnde suam frugem effundit, residet enim in eo humor putrefactus, qui eruginem creat. Adde quod spicam gerat erectam, densioremq́;: hinc enim humor minus potest defluere: qua de causa spicam aliquantulum inclinari melius est, sic enim quod continuum est, dissolui atq; decidere celerius potest. Plinius: Ordeum ex omni frumento minimè calamitosum, quia tollitur antequam triticum occupet rubigo. Eteocritum genus ordei est tutum à rubigine, quoniam incuruum nascatur. Ordeum necat festuca, quæ vocatur ægilops. Theophrastus, Lolium & auena in ordeo prouenientes, pabulum tollunt, tam quod terra ministrat, quàm quod à sole, & aëre venit. *Cultus.*

Nullum ex seminibus corruptum mutari in aliud aptius est, quàm triticum, *Mutatio*
& ordeum, quod degenerat in lolium, idque imbribus infestis, aut vliginosis *ordei in*
locis, & longiore pluuia dilutum. Degenerant penitus fruges illæ potissi- *lolium.*
mum, quæ viribus præstant, vt ordeum, & triticum, quæ in lolium transeunt, præsertim quum lolium ordeo validius sit, quorum rationes in tritico reddidimus ex Theophrasto. Plinius, Ordeum in auenam degenerat.

In Ægypto sexto à satu mense ordeum metitur, inquit Theophrastus. Plinius autem, Rapitur omne à prima statim maturitate festinantius, quàm *Messis.* cætera: fragili enim stipula, & tenuissima palea granum continetur. Palladius: Iunio ordei messis incipitur, quæ consummanda est, antequam grana arefactis spicis lapsa decurrant; quia nullis, sicut triticum folliculis vestitur.

Quinq; modios recidere potest pleni agri opera vna messoris experti, mediocris verò tres, vltimi etiam minus. Sed ordei culmos iacere in agris aliquantulum sinamus, quia fertur hoc more grandescere. Theophrastus: Quoddam ordei genus nón patitur exiccari, quod ad reddendam farinam melius minus arefactum putatur. Qua de causa in aceruos componere assolent: videtur enim in aceruo crassescere potius quàm attenuari.

Conditura. Perit celeriter hordeum, & puluerulentum celerius, quàm purgatum, & quod in horreis calce leuigatis conditum est, quàm quod in non ita leuigatis. Ordeum multo celerius, quàm triticum tunditur, quia solutius ac nudius est. Singula pro suo humore peculiare animal creant, vt ordeũ curculionem. Triticũ magis ordeo durat, quia calidius sit, & tunicis pluribus tegatur. Ordeum enim nudum propemodum est. Non omittã quod loco medelæ aliquãdo ordeum plantis vitium interseratur, aut aliquid siccum, vt immodicũ humorem absumeret. Damageron incolume in horreis seruat lauri fertilis foliis siccis, & omnis cinis, præsertim à lauri ligno impositus. Similiter seruat ordeum semperuiuũ herba siccata, cũ calamintha, & vna cum gypso ordeo ammista. Quidam vas aceto plenum, & contectum operculo in medio ordei ponunt. Verùm nosse oportet, ordeum veterascens amarum fieri. Florentinus, Ventilatum & cribratum ordeum, vnam, aut alteram diem, aut noctem in area relinquere oportet, & deportare ante solis exortum, vt adhuc refrigeratus fructus in horreum deportetur, ad diuturnitatem confert.

Panis. Panem ex hordeo veteribus vsitatum vita damnauit, quadrupedumq; tradidit refectibus: eoq; Romani ignauos milites ignominiæ causa pascebant. Æthiopes non aliam frugem, quàm milii, ordeíve nouêre. Panis hordeaceus, præter id, quod ventriculo laborem inferat, frigidos lentosq; succos generat, parum nutrit, & flatus gignit, & si podagricis peridoneum esse dicant. Diphilus Syluius ordeaceos panes meliores esse, magis nutrire, & melius digeri dixit. Ex Athenæo.

De ordeo hexasticho, siue cantherino. CAP. XXVII.

PRÆTERMISSA illa vaga, & confusa ordei generum recensione, quippe non specificas, sed accidentarias, & aduentitias, nempe magnitudinis, coloris, glumarũ & aliarum affectionum differentias efficiebant, nunc ad magis proprias, paucis accedamus, & perspicuas ad historiam: nam Columella duplex affert hordei genus, hexastichum, siue cantherinum, & distichum, siue galaticum. Nos de priori dicemus.

Nomen. Columella rusticorum more ἑξάστιχον vocat: nam spicam fert, quæ sex ordines habet, reliquum nomen à glabritie, & grani nuditate affert. Siquidem vel oritur ordeum follicello pertinaci hæsu granum sepiente, aut leuiore gluma, & facili exutu, cuiusmodi est id genus, quod nudum nos vocamus. Cantherinum vocat, quod folliculo castratum nascatur, sponteque granum gluma

concidat.

concidat. Cantherii dicuntur equi, qui castrati sunt, Catone authore. Nos *orzo mondarolo* vulgò dicimus, quòd facilè mundetur.

Columella, Fragili culmo, & nulla vestitum palea granum eius, & ideo celeriter decidens. *Descriptio.*

Seritur sicca, & soluta terra, & vel prævalida, vel exili, quia constat arua eius segetibus macescere, propter quod pinguissimo agro, cuius nimiis viribus nocere non possit, aut macro cui nihil aliud committitur. Nullam mediocritatem postulat: nam vel pinguissima, vel macerrima humo iacitur: quod si lutoso commiseris, emoritur. A quo Plinius: Seri non vult, nisi sicca, & soluta terra, ac nisi læta. Palladius etiam: Seritur macra, & sicca terra, vel multum pingui: nam quia hoc semine macescunt arua, pingui vincitur agro, altero nō habet, quod amplius nocere possit, quum propter macritatem semen aliud ferre non valet. *Cæl. Sol.*

Columella. Altero sulco seminari debet, post æquinoctium ferè media sementi, si læto solo: si gracili maturius. Iugerum quinq; modii occupabunt, idq; vbi paulum maturuerit, festinantius quam vllum aliud frumentum demetendum erit. Nam & fragili culmo, & nulla vestitum palea granum eius celeriter decidit, iisdéq; de causis facilius teritur, quàm cætera. Sed quum eius messem sustuleris, optimum est noualia pati anno cessare, si minus, stercore saturare, & omne virus, quod adhuc inest terræ propulsare. Palladius: Octobri mense seri ordeum cantherinum. Gracili solo Septembri, modiis quinque per iugerum. Post hoc genus agros cessare patieris, nisi fortè lætamen aspergas. *Sat. mes.*

Columella. Proximus est frumentis vsus ordei hexastichi, quoniam & alia animalia, quæ ruri sunt, melius quàm triticum, & hominem salubrius, quàm malum triticum pascit. Nec aliud in egenis rebus magis inopiam defendit. *Pan.*

De oryza. CAP. XXVIII.

ALTERVM genus ordei Columellæ distichum erat, siue galaticum. Theophrastus oryzam vocat, Indiæ inquilinā, & indidem exportatam.

Theophrastus ὄρυζαν vocat, & Dioscorides. Latini oryzam appellant. Columella ordeum distichum, quod binis versibus ordinatum sit, & galaticum, quod eximii candoris sit. Et ab eo etiam Palladius ita vocat. Itali ex oryza truncato nomine *riso* dicunt. *Nomen.*

Theophrastus oryzam zeæ similem dicit, & aspectu folii. Effundit non spicam, sed milii, atq; panici modo iubam. Magna temporis parte residens in aquis, pista, tanquam alica concoctu facilis, redditur. Strabo apud Bosmoros, oryzę genus religiosum tradit, tritico minus, inter amnes proueniēs, excussum areis torretur protinus, & iureiurando adiguntur messores non asportaturos id prius inde, quàm coxerint: veriti ne semen in aliis terris communicaretur. Plinius, Oryzæ quidem folia carnosa, porro similia, sed latiora, altitudo cubi- *Descriptio.*

talis, flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis. Columella, Ordeo similis, binis ordinibus distincta spica. Granum ponderis, & candoris eximii. Nos autem: Culmo exurgit ordeaceo, cubitali, vel sesquicubitali. In arista flexuosa, & rigidula grana visuntur, spicata alterno situ subflauo folliculo, acutis seu angulosis liris per longum striata. Grano candido, pellucido, & duro. Radice tritici, folio arundineo, carnoso, porro simili.

Cal. Sol. Theophrastus. Magna ex parte in aquis residens. Strabo in amnibus prouenire. Dioscorides vliginoso, & palustri loco. Columella seri quàm pinguissimis, & frigidis locis. Theophrastus in India nasci scripsit. Italicos, Plinius ait, maximè oryza gaudere. Strabo in India. Hodie in Bactrianis, Suside, atq; Syria inferiore vberrimè nascitur, ex Strabone. Apud nos in Salernitano agro, & alibi maximo prouentu, patenti, vda planitie, quam tamen euripis, & illicibus, & fluuiis ductis, quoties opus est, rigamus, alioquin nullam, aut cassam segetem latura.

Satio. Columella; Quampinguissimis & frigidis locis circa Martium mensem seritur. Melius tamen respondet, si dementia hyemis permittit, quum seminatur circa idus Ianuarias. Iugerum sex modios postulat. Palladius: Si demens fuerit hyems, ordeum gallaticum, quod graue & candidum est, circa idus Ianuarias seremus locis temperatis. Octo modiis iugerum complebitur. Locis frigidis seretur circa Martias calendas. Messis serotina est circa æquinoctium autumnale. Maturescit enim æstiuis solibus.

Vsus. Columella: Ordeum galaticum tritico mistum egregia cibaria familię prębet. Plinius, Indos oleum ex oryza conficere, scripsit. Indi pistum, tanquam alica, reddunt concoctu perfacile, dixit Theophrastus. Bonum alimentum, & lautum suggerit, etiamq; valetudini prodest. Plinius: Italici ex oryza ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex ordeo. Sunt qui hodie in lacte parant, vt sanguinem alant, & genituram adaugeant.

De auena. CAP. XXIX.

DIXIMVS de tritico & ordeo: nunc de eius vitiis, scilicet de auena. Est enim vulgaris notitiæ, in quam triticum, & ordeum, & semen facilè mutatur.

Nomen. Theophrasto αἰγίλωψ, Dioscoridi βρόμος, vel ei consimile genus, sed alia est αἰγίλωψ Dioscoridis, de qua libro quarto disserit. Latini auenam dicunt. Poëtæ bromum, vel bromium. Sunt qui festucæ nomen adeptum putent, quod ei semen ante messem deciduum sit, & spica granis orba spicilegii tempore reperiatur, inarescente adhuc in festuca. Italis *auena* dicitur.

Descriptio. Theophrastus ita suam ægilopem describit. Inter ea, quæ tritico & ordeo similia sunt, auena est, sed aspectu quodam syluestri, & immiti. Numerosa radice attollitur, ex qua frequens culmus spargitur, folio piloso, lolio simili, non tamen vt illi pingue. Semine multipliciter tunicato: immò eius granum omnium maximè natura operuit. Matura illicò granum proiicit, vt culmus re-

ſtet inanis. Plinius: Ipſa frumenti fit inſtar, granum maximè nudum. Aſſurgit apud nos procero, craſſoque culmo, vt triticum. Semen *germano* iam dicto ſimile, ſed arctius, longius, acutius, & nigrius, ſæpè albicans, & admodum per meſſes caducum.

Satiuam auenam dicimus, ſylueſtrem bromum Theophraſti, vt dicemus in ſequenti. Hæc tamen quum ſeritur, & colitur, frugifera eſt, ſi neglecta & inculta, ſemine vidua. Ob id Virgilius, Genus.

——— *Steriles dominantur auenæ.*

Eſt & auena Græca, cui non cadit ſemen. Plinius, Sunt qui bromum fertilem auenam, ægilopem verò dicant ſterilem, quaſi feſtucam ſine ſemine.

Quia radice, culmoq; multiplici naſcitur, ſolũ emaciat, ob id Theophraſti pręcepto frugale ei damus. Alii ſicco ſolo lætari dicunt. Virgilius ſolũ emaciare dixit: *Vrit lini campum ſeges, vrit auenæ.* Solum.

Hoc ſemen, Galenus inquit, in Aſia frequens eſt, & potiſſimum in Myſia, quæ eſt ſupra Pergamum, vbi & tiphæ, & olyræ vberrimus eſt prouentus. Plinius: Germaniæ populi ſerunt eam, nec alia pulte viuunt. In oriente & Oonis inſulis. Ex hoc auguror, quod vtroq; cœlo fruitur, calido vt Aſiæ, & Apuliæ: & frigido, vt Germaniæ, atq; tritici naturam ſortitur. Colum.

Theophraſtus in cultis erumpere dixit, nonnunquam quum prius germinis infœcunda eſſet, diligenter culta germinauit, & copioſa reddita eſt. Et peculiari vel illo à cæteris frumentaceis diſcerni putatur, quod annis alternis ſemen aptum ſit prouenire. Quamobrem qui eam delere penitus volunt (nam deleri percontumax eſt) ſegetes annos duos laxant à ſatu, quumq; plenè diffuſa in herbam eſt, pecus ſæpe impellunt, vſq; dum penitus depaſcatur, idque planiſſimũ eius exitium fit, quod ſimul & alternatam eius germinationem teſtatur. Cuius rationẽ libro de cauſis veſtigat, & varia opinione fluctuat, num ratio in radice, ex qua poſtquã vnus prodierit ſtipes, prodit alter anno ſequente, & intercepta iterũ inſtauretur germinatio: vel collapſo prioris anni ſemine procreetur: ob id vt eam deleant, ruderũ primum faciunt, biẽnio ſuperſedendo arationi: & altero anno ſubpullulat, quod reliquum eſt, vt quod priore anno pręſtitũ eſt, & quod ſequenti pollicebatur, exeat non amplius rediturum. Vel ſemen totum annum incorruptum permanere ſub terra, quoad tempus appetat idoneum ipſum ciens ad germina, & tunicæ plures, quibus veſtitur, ei vſu veniunt. Vel bipartiti ſeminis pars abit in ſtipulam, pars manet ſequente anno germinatura. Columella: Auena autumno ſeritur, partim cæditur in fœnum, vel pabulum dum adhuc viret, partim ſemini cuſtoditur. In Apulia omni ſolo ſerunt, tempore quo ſeritur ordeum. Quæ ſata naſcitur, craſſiori & proceriori culmo eſt, quæ ſponte, tenui ſtipula, & ieiuna ſpica ſterilis eſt. Caducum præcedentis anni ſemen in agris reſtibili fœcunditate regerminat, reliquamq; frugem præcoci maturitate præueniens, tabe conficit, ei ſubripiens alimentum, ita ſeges ſuo decoquit domino.

Messis. Properanda messis est: nam vt diximus, illicò matura semen proiicit, vt spica granis viduata appareat, ex Theophrasto. Multo enim ordeum antecedit auena, vt culmus remaneat inanis.

Cōditura. Pertunditur etiam auena, & si multum vestita sit, sponte suæ naturæ. Intus enim incipit vitium; nempe si vetulam auenam consideres integro corio, optimam iudicabis, si conteres digitis, cassam inuenies, nec nisi acus, aut glumus est.

Panis. Germaniæ populi serunt auenam, nec alia pulte viuunt. Plinius. Et in Orientis partibus gentes esse, quæ ibi sponte nascenti auena vescantur, & in Oonis insulis. Et si apud nos equorum, iumentorumque pabulo seratur. Sunt gentes etiam, quæ alimoniæ caritate, confecto ex auena pane, famem arceant.

Mutatio. Mutatur zea, triticum, & hordeum in auenam. Theophrastus auenam in ordeo nasci scripsit, & esse, quæ non singulis frugibus oriantur, vt auena tritico, & ordeo: eaque interimat, quia pabulum tollit, tam quod terra ministrat, quàm quod à sole & aëre venit. Mutatio in formam alienigenam miranda sanè est: vt ex semine in auenam suam permutat naturam, sed vere transit in proximam. Plinius, Proximum omnium frumenti vitium auena est, & ordeum in eam degenerat. Soli maximè, cœlique humore hoc euenit vitium. Sequentem causam habet imbecillitas seminis, quum diutius retentum est terra, priusquam erumpat. Eadem est ratio si cariosum fuerit, quum sereretur. Prima autem statim eruptione agnoscitur, ex quo apparet, in radice esse causam. Est & aliud ex vicino auenæ vitium, quum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura priusquam roboretur corpus, afflatu noxio cassum, & inane in spica euanescit quodam abortiuo. Ægilopem ordei vitio fieri testis est Galenus ex nimia vligine, quum prima generatio vel incrementum ipsis non rectè successerint. Porrò vt Galeni pater ætate iam declinante, quum agricultura delectaretur, descripsit, triticum ac ordeum aliquando seminauit, omnibus diuersi generis seminibus, quæ ipsis erant admista, diligenter selectis, quo certo cognosceret, num ex ipsorum mutatione lolium, & ægilops nasceretur, an hæc propriè semina naturam haberent. Enatis seminibus in tritico frequens lolium, in ordeo parum, sed magnum ægilopis vim enatam conspexit.

De bromo. CAP. XXX.

SVBIVNXIMVS auenæ de bromo caput, quum vel eadem res multis existimetur, vel ab ea parum diuersa. Theophrastus de vtraq; seorsum egit, & inter se similia dixit: quod fuit in causa, vt nos diuersum caput cōderemus. Plinius externum semen esse, & ab oriente inuectum nobis dixit, & inter vitia segetum esse, & ex auenæ genere.

Nomen. Græcis βρόμος, non à fœtore, sed quia veterina ea vescantur, vel à fragore, quem

quem natura seges flatu edit. Latinis auena, quod ad fructum non veniat. Italis *auena. galatro.*

Theophrastus ita describit. Auena radice numerosiore, quàm ægilops, ex qua culmus frequens spargitur: aspectu veluti syluestri, & immiti, multiplici tunica loricatur. Semen vt zea. Mea sententia *galatrum* vulgò vocatum esse dicerem. Nascitur auena inter ordeum solum. *Galatrum* inter ordeum & triticum, & aspectu syluestrius quàm auena, stipula surgit crassiori, & nigriori folio, grana in spica bino ordine, in auena singulari, gluma foras binas profert aristas granum strigosius, longius, & pilosius, auidius à bestiis deuoratur: gluma pilosa est, & nigra, è cuius dorso arista intorta nascitur. Dioscorides bromum suum ita pingit: Genicula quædam habet, folio & stipula triticum imitatur, & in cacuminibus dependétes paruas veluti locustas bipedes gerit, in quibus semen continetur. Plinius à Dioscoride eadem refert. Herba est spicam ferens, folio & stipula triticum imitatur, in cacuminibus dependentes paruas veluti locustas habet. Auicenna ægilopem depingit. Est herba cuius folia sunt similia foliis tritici, sed sunt leuiora, & fructus eius habet velamina duo, aut tria, & super ipsa sunt quædam similia pilis. Galatrum tria habet velamina, duo, quæ diximus, tertium cito cadit maturescens. *Descriptio.*

Plinius. Genera bromos, siligo, & tragos, externa omnia ab oriente inuecta, oryzæ similia. Nascitur inter vitia segetum, ex auenæ genere. Galliæ, Germaniæ & Italiæ laudatissimum, equis pabulum eius granum. In Calabria audiuimus panes fieri non respuendos, & pultes, & potus. *Panis.*

De lolio. CAP. XXXI.

EST & inter segetum vitia lolium, cuius etiam semen seritur in panificium.

Græci αἴραν vocant, παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quod est sursum efferri: effertur enim in cerebrum vapida aura, atq; dementiæ affinis, tenebricosa vertigo ex lolii esu, vt temulentos efficiat vescentes, vt torpido veterno cerebrum opprimat, reliquaq; membra torpore afficiat. Vocant etiam & ζιζάνιον. Latini verò lolium. Itali *gioglio Zizania.* *Nomen.*

Ordei, cuius mentitur effigiẽ, vitium est, sed foliũ angustius, pinguius, & hirsutius. Sed pinguitudo ei peculiare notatur: nam pilositas auenę datur. Semen non multis intectũ tunicis affert, vt auena, sed nudũ, aspectu penitus syluestre, ideo & tritico validius est. Hęc ex Theophrasto. Dioscorides spicá ferre scripsit capite de phœnice. Describimus nos: Spica nulli similior, quàm phœnici, granum in dura tunica, stipula, codice, & reliquis, vt tritici, flore subpurpureo. *Descriptio.*

Aquam vehementissimè amare Theophrastus scripsit, ob id vliginosos tractus diligere existimarem, quum & huiusmodi in locis triticum, vel ordeum corruptis vligine seminibus, aut nimio imbre dilutis, nasci dicant. *Cal Sol.*

Negat Theophrastus lolium vernam esse frugem, quemadmodum reliqua *Satio.*

herba: nam confestim hyeme ineunte id exortum patescit. Nascitur partim anno primo, partim secundo.

Mutatio. Triticum, ordeum, & linum mutatur in lolium, & è contra. De lolii origine, tanquam cæca, ambigitur. Mirandum profectò arbitratur Theophrastus, triticum, & lolium mutatas inter se habere vicissitudines: nam & triticum in lolium, & rursus lolium in triticum, quum nullum ex frumentis istis validius reperiatur, & tam magnam mutationem recipiant. Permulti enim quũ ordeum & triticum seruissent, lolium messuerunt. Mirum quoque si linum in lolium transeat: nam inter se plurimum distant, quarum rationes superius capite de tritico diximus. Degenerant fruges, quæ potissimum viribus prȩstant, vt triticum atq; ordeum, hȩc enim in lolium transeunt, sed magis triticum, quia validius. At si lolium in triticum transeat, hoc certe admirabilius est, ceu imbecillitatem quandam, vel morbum seminis intelligere licet, quam aliméti, cœliq; mutatio tollere possit. Ad hæc in genere frumentorum aliud purum lolii nascitur, vt Ponticum, atq; Ægyptium, purum & siculum satis, & præcipuè Agrigentinum sine lolio exit. Sed hæc quidem locorum naturæ ascribi licet. Plinius lolium inter frugum morbos potius, quàm inter ipsius terræ pestes connumerat. A Virgilio infelix dictum in Georgicis,

Infœlix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Vires. Aristoteles libro de somno & vigilia inter ea, quæ grauedinem capitis efficiunt, lolium commemorat. Theophrastus graue lolium dixit, & caput tentans. In potu enim inebriat, & celerrimè vertiginem mouet. Aiunt Græciæ & Asiæ balneatores ad pellendum turbam solitos carbonibus id semen obiicere. Ouidius ad id in Fastis,

Et careant loliis oculos vitiantibus agri:

Hinc natum prouerbium, quo Plautus vtitur in milite, contra eum, qui nihil videat,

Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.
Quid iam? Quia lusciosus.

Monere solebat Galeni pater, vt cerealia semina priusquam in sationis vsum venirent, diligentissimè iis frugum vitiis liberarentur, etenim triticũ, nisi lolium à re frumentaria operosè idoneis ad hoc incerniculis expietur, vescentibus noxam inferet, nam capitis dolores continuo mouentur, vertigines obuersantur, postmodum sequens ęstas cutem fœdis obsidet vlceribus, aliaq; emergunt incõmoda, quæ nutrimenti huius improbitatẽ satis ostendunt. Præcepit igitur Galenus non fastidiendum triticei repurgaméti prȩceptũ: nam si grassantem sensim noxã inter initia propter exiguitatẽ vescentes non sentiãt, gliscente multo pluribus diebus vitio impunè non effugient, quũ tandem ea non sine magna vitæ alea, manifestius eruptura prodeat. Frumentũ, vt Paxamus est author, lolium necat, panibusq; mixtũ vertigines edentibus adducit.

Cõditura: Sponte naturæ tunditur, & si acerbi sit saporis, ex Theophrasto.

De melampyro. Cap. XXXII.

CONNVMERATVR etiam melampyron à Theophrasto inter ea, quæ tritico connascuntur, quasi etiam frugum pestis.

Theophrasto μελάμπυρον est, quasi nigrum triticum dicas: nobis verò pseudomelanthium dictum. Plinius git vocat. *Nomen.*

Theophrastus de suo melampyro hæc pauca habet, Melampyron siculo tritico peculiare, granum eius innocens, nec sicut lolium graue, ac caput tentans: nascitur inter triticum, & præcipuè apulum, quũ siculum conferrem, semen nigerrimum, farina alba, nec noxia capiti, vt Theophrastus dicit, panem candidissimum facit tritico immistum: nec curant pistores à tritico secernere, quum res innocua sit. Caules producit rectos, quinque vel quatuor pedum longitudine, folia lata, vt leucoii, pilosa, in summo flores profert purpureos, maluæ effigie, radix alba, multum fibrata. Semen nigrum, cuius farina tritico permista vesca est. Dixit Plinius: git pistrinis nascitur. *Descriptio.*

De milio. Cap. XXXIII.

NVNC ad alia frumenti genera deueniendum, quæ æstiua dicũtur, quum ante Vergiliarum exortum serãtur. Theophrastus tertium genus appellat, atq; communi appellatione carere ait. Nos miliacea frumenta dicemus. Columella inter frumenta reponendum cẽset, quamuis id leguminibus contribuerit, nam multis regionibus cibariis eorum coloni substinentur.

Græcis κέγχρος à minutis ficuum granis, seu gigartis numerosissimis, quæ κεγχραμίδες vocantur, dictum existimo. Straboni κέγχριον, Latini milium vocant, à miliaria summa, authore Festo, quasi millesimum ferat granum: est enim tantæ feracitatis, vt singula grana ternos reddere sextarios ferantur. Varro etymon à Græcis deducit, quod communi nomenclatura tum panicum, tum milium μελίνην vocant. Itali *miglio*. *Nomen.*

Theophrastus ita describit. Ex alta numerosa, & valida radice fruticat milium multiplici, & valida stipula geniculata, arundinacea, flore lanuginoso, quem circa spicam gerit. Semen in iubam profert, effusam illam arundinaceam comam iubam appellat, similem ei, quam oryza fundit, semine feraci, plurimis folliculis concluso. Plinius, Surgit milium in culmum geniculatum, & concauum. Semen tantum pro indiuiso, & paruis auibus expositum, indefensum quippe membranis continetur. Comæ granum complexæ fimbriato capillo curuantur. Apud nos fibrosa radice ternos, quaternósve culmos, binum triúmve cubitorum altos, hirsutos, arundinaceos exerit, iubata fœtura, comam harundinaceam imitante, grauida pusillis numerosisq; acinis, læuiore tunica tectis, rotundis, lubricisque. *Descriptio.*

Cato nebuloso solo seri iussit. Plinius eadem ex Catone. Columella humido cœlo gaudere dixit. A quo Palladius etiam humidum cœlum ei tribuit. *Cœlum.*

OOO 2

Milio Campania præcipue gaudere dixit. Plinius, Sarmatarum quoq; gentes, non aliam frugem nouiſſe: ſeríque debere in humidis. Apud nos aërem tepidiorem amat.

Solum. Theophraſtus quia multiplici culmo, numeroſa, validaq; radice præditum ſit, proinde maximè terram extenuare dicit, ob id facile lætum, & craſſum agrum tribuendum cenſuerim. Cato ei agrum craſſum, lætum, & ſine arboribus conuenire dixit. Columella leuem, ſolutamq; humum deſiderare. Nec in ſabuloſo ſolo, ſed in arena quoq; prouenire, modò humido cœlo, vel riguo ſolo: nam ſiccum, cretoſumq; reformidat. Plinius vetat inter vites arboresq; frugiferas milium ſeri, terram hoc ſatu emacrari exiſtimans, nec niſi in ſtercorato ſeri. A Columella Palladius eadem habet. Florentinus Græcus, Limoſa & humida terra gaudet milium, arenoſa etiam, ſi frequentius rigetur. Nos limoſo, pingui, & glutinoſo ſolo ſerimus.

Satio. Verno tempore ſeritur, quod æſtiuis ſeminibus attributum eſt, quum ob ſuam imbecillitatẽ hyemem perferre nequeat. A flore intra dies quadraginta abſolui dixit Theophraſtus, idq; inter omnes conſtare, non tamen deeſſe, qui vel pauciores prodiderint. Minus aquarum indiget, nam ſi plus habuerit, folia dimittit. A quo Plinius: Æſtiua ante Vergiliarum exortum ſerũtur, Italiæ duntaxat ritu, alioquin in Græcia & Aſia omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur. Alii vernum milium appellant. Quadraginta diebus maturatur à flore, & quia purgari niſi toſtum non poteſt, cum ſuis folliculis crudum ſeritur. Extremo vere milii ſatio eſt. Iuſtum eſt hoc maturato hordeo, atque etiam in eodem aruo, eſtq; ſignum illius maturitatis, & horum ſationis commune lucentes veſpere per arua cicindelæ. Ita appellant ruſtici ſtellantes volatus, Græci verò lampyrides, incredibili benignitate naturæ. Serere in iugero temperati ſoli iuſtum eſt milii ſextarios quatuor. Varro: Exit è terra milium quatriduo, aut quinque diebus. Columella: Ante ver ſeri non poteſt, quoniam tepóribus maximè lætatur. Vltima tamen parte Martii menſis commodiſſimè terræ committitur. Nec impenſa graui ſatione cultores onerat, quippe ſextariis ferè quatuor iugerum implet. Frequentem tamen exigit ſarritionem, & runcationem, vt herbis liberetur. Milii ſextarii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occantur operibus tribus, ſarriũtur tribus, quot operis carpantur incertum eſt. Palladius calidis & ſiccis regionibus Martio menſe milium ſerit, herbis iubet aſſiduè liberari, quinque ſextariis ſpatium iugeri compleri. Maio menſe locis frigidis, & humectis. Florentinus Græcus, Seminis pauxillum omnem implet agrum, ſarriri, & runcari continuo deſiderat. Seritur ab æquinoctio, quod ante octauum Aprilium calendarum diem peragitur. Quod ſi denſius ſeratur, noxam trahit, quando vix iugerum recipiat, quantum plena manus continet, etiam ſi inter ſarriendum quippiam euellatur. Itaq; ſatum diligenter iugerum modios quadraginta proculdubio perfert.

Meſſis. Semina quo minora ſunt, eo fertiliora ſunt, & quæ minima, maximè fru-

ctificare

ctificare videmus, vt milium. Rationem assignat Theophrastus libro de causis, quod minora facilius effici possunt, copia autem facilitati adiudicanda est, quod eiusmodi omnia facilius augescant, celeriusq; aëris qualitati obtemperent. Argumento quoque temporis breuitas accipi potest: nam & semina ipsa hac eadem causa fertiliora, quàm arbores sunt. Item eorum caules validi sunt, nec ligno constant, & multiplices, & in ramos diffusi prosiliunt. Et alibi: Æstiua semina, quia imbecillia sunt, perfici celeriter possunt, & ob id æstiuo tempore seruntur.

Panis. Columella: Panis ex milio conficitur, qui antequam refrigescat, sine fastidio potest absumi. Pultem quamuis in copia, maximè cum lacte non fastidiendam præbet. Plinius, Campania pultem candidam ex eo facit. Fit & panis prædulcis. Sarmatarum gentes hac maximè pulte aluntur, & arida etiam farina, equino lacte, vel sanguine è cruris venis admisto. Æthiopes non aliam frugem, quàm milii nouére. Panis multifariam è milio fit, sed nullum frumentum ponderosius est, aut quod coquendo magis crescat. x x x x enim pondo panis è modio reducunt, modiumque pultis ex tribus sextariis madidis. Fit quoque vinum è milii semine maturo. Galenus de alimentorum facultatibus: Milio item in panes nonnunquam abutuntur, vrgente frugum penuria. Panis tamen ex eo exigui est alimenti, & refrigerans. Constat insuper peraridum & instar arenæ & cineris friabilem esse, nihil enim in se habet pinguedinis, & lentoris. Agricolæ huius farina cocta, admisto adipe suillo & oleo vescuntur. Ad omnia panico præfert: nam & gratius estur, & facilius concoquitur, ventremq; minus cohibet, ac magis nutrit. Huius farinam lacti incoctam, veluti triticeam, agricolæ mandunt. Lacte præstantius redditur edulium, vt in edendo iucundam voluptatem concilier, deiectionem ventris facilius moliatur, eoq; duce facilius membratim digeratur. Nos panes, laganas, & placentas ex eo conflamus, in mandendo glutinosas, & ingratas, nisi mox, quum coctæ fuerint, edantur.

Cõditura. Milium etsi acerbi saporis, sponte tamen suæ naturæ tunditur, omnium tamen optimè reponitur milium, quia tunica multiplici integitur, & siccum est. Plus centum manet annos, si condatur, quo venti non perueniant.

Infir. rem. Multi ad milii remedia, rubetam noctu aruo circumferri iubét prius, quàm sarriantur, defodiq; in medio inclusam vase fictili, ita nec passeré, nec vermem nocere, sed eruendã priusquã metatur, alioqui amarum fieri. Pestem à milio sturnorũ passerúm ve agmina scit Plinius abigi herba, cuius nomen ignotũ est, in quatuor angulis segetum defossa, mirum dictu, vt omnino nulla auis intret.

De panico. CAP. XXXIIII.

DE panico eadem est tractatio cum milio, eodemq; capite vtrumq; absolui poterat, nisi nos clarioris doctrinæ gratia seiungeremus. Columella inter frumenta reponendum arbitratur.

Nomen. Theophraſto nunc ἔλυμος, nunc μέλινος dicitur, vnde & milium etiam dicebatur, authore Varrone. Fuit enim milii, & panici propter communes naturas, & vſus promiſcua nomenclatio, eſt quippe milii ſpecies. Latinis panicum dictum à glomeroſis tuberoſiſq; racemis in paniculam nutantem, & longam aggeſtis: nam Plinius panicum à paniculis dictum dicit. Apud nos Latinum nomen retinet, *panico*.

Genera. Plinius: Sunt & panico genera. Mammoſo, è pano paruis racemato paniculis, & cacumine gemino. Quin & colore diſtinguuntur, candido, nigro, ruſo, etiam purpureo. Apud nos ſatiuum & ſylueſtre.

Deſcriptio. A Theophraſto ei calamus tribuitur arundinis vt milio rectus flos lanuginis, ſemen circa ſpicam, multiplici tunica contectum, & radice valida, & caule valido, & multiplici. Plinius, Cacumine languido, nutante, paulatim extenuato culmo penè in ſurculum, prædenſis aceruatur granis cum longiſſimo pedali, ſemper tamen pro indiuiſo, & paruis auibus expoſitum, indefenſis quippe membranis continetur, culmo geniculato, & concauo. Panicum milio per omnia ſimile, niſi in paniculis, ſiquidem ea pedali longitudine profert ad terram verſa, prædenſis racemis compacta, non vt in milio diuulſa, granis miliaceis exilioribus, numeroſioribusq;, multis tunicis obſitis, & hirſutis. Syl-ueſtre ſtipula, folio, culmo, internodiis, & radice omnia panico non diſſimilia profert, longè tamen minora, ſed ſpica peculiari non in vmbonem collecta, ſed minore, & alterno ſitu ſummo cauli hærente.

Cœl. Sol. Cœlum, & ſolum idem, quod in milio diximus.

Eandem quoq; panico tribuemus diligentiam, quam milio tribuimus.

Diocles Medicus, authore Plinio, mel frugũ appellauit. Panico Galliæ quędam, præcipuè Aquitania vtitur. Sed & Circumpadana Italia, addita faba, ſine qua nihil conficiunt. Ponticæ gentes nullum panico præferunt cibum. E panico panis rarius fit, quàm è milio. Columella, Panicum pinſitum, & euolutum furfure pultem, quauis inopia, maximè cum lacte non faſtidiendam præbet. Dioſcorides miliaceo pane minus nutrire & ſtringere dicit. Galenus paucioris alimenti dixit. Nulla gratia, aut iucunditate cõmendatur, maximè quod in Aſia naſcitur: nam apud alias gentes, vt in Italia longè melius inuenitur. Panis, qui ex eo defingitur, perſiccus, & cineris aut auenę modo friabilis, lentoris fœdere, aut humoris vinculo carens. Quapropter iure optimo coeũtem in alno reſiccat humorẽ, atq; exhauriẽs exugit. Ruſtici haud ferè aliter, quã admiſto pingui ſuillo, & oleo ad domandã ariditatẽ farina veſcũtur. Panicum in omnibus milio cedit, inſuauius eſu, cõcoctu difficilius, ventremq; multo magis firmãs, quare in edulíis ruſtici nõ ſine lacte vtuntur, ad tollendas eiuſmodi noxas, ſic faciliorem concoctionem, ſuauitatẽ, ac in corpus diſtributionem à lacte ſibi aſciſcit. Sed agreſte panicum molitur in farinam, & in agreſtem cogitur panem, vbi premit caritas tritici. Apud nos verò ad columbarum, gallinarumq; ſaginam potius, quam ad hominum alimentum ſeritur.

De

De milio Indico. CAP. XXXV.

INTER frugum genera melicam annumerabimus, & fortasse milium Indicum Plinii ex India in Italiam allatum Neronis principatu, intra decem annos omnium frugum fertilissimum: nam ex vno grano terni sextarii gignuntur.

Latini (si Plinianum Indicum milium est) Indicum milium vocant, Itali *saginam*, & *melicam*, vel *surgam* à proceritate, qua surgit inter suas cognatas fruges, scilicet milium, & panicum. *Nomin.*

Plinius ita describit: Amplum grano, arundineum culmo, adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis: lobas vocant. Ferrariæ nos hanc segetem vidimus, harundineis consurgere culmis ad hominis proceritatem, medulla intus farctis, fuscis, geniculis tuberosis, superioribus foliis mucronatis, spicatis in summitatibus fastigiis, panico maioribus, floribus luteis, granis oblongæ rotunditatis, subrubris, cannabis aut milii duplo maioribus, duplici tunica inuolutis. Petioli, quasi filamenta sunt, è quibus, excussis granis, scopas concinnant, vestibus, & capiti detergendis, verrendisq́;, & arefactis summis viticulis rigidioribus, & exilibus. *Descriptio.*

Apud Ferrarienses genera sunt, rufiora, nigrioraq́;, & quæ cito, & quæ serò maturitatem sentiunt. *Genera.*

Plinius seri debere in humidis scribit. Optat & lætum solum: nam multiplici culmo, & radice emaciat solum. *Solum.*

Apud eos ita seritur. Octaua corbæ pars bubulcam replet, solum exposcit optimè pastinatum. Si nimia loci pinguedine perit, sarculatione adiuuetur. Locis temperatis, Martii fine, calidis citius, frigidis serius cum milio seritur. Viginti diebus sub terra latitat. Maii initio ablaqueatur, vt lætius à radice pullulet. Iunio occatur, vt se solis ardore tueri possit. Augusti fine, vel Septembri metitur, & in fasces colligitur, & vbi sole inaruit, area trituratur. *Satio.*

Miselli illic coloni pertæsi operæ, & longioris moræ, qua cæteræ fruges egent, melicam serunt ad panificia, alibi columbis, & pullis alendis, & suum, & boum, & equarum pabulo. *Panif.*

De milio Æthiopico. CAP. XXXVI.

EST & apud nos planta, superiori multum affinis, vt oblectationi magis, quàm panificio sata, & culta. Dicunt ex Æthiopia aduectam, ob id Æthiopicum milium multis vocatum, & nostro orbi iam inquilinum, ad frugum magnitudinem, & speciositatē adolescit. Folio & calamo cōsurgit similis tritico indico iam dicto, intus alba medulla infarcto, saccariferarū arūdinum modo, in summo spicata fastigia milio maiora insunt, quæ post delapsos flores è capillaceis filamentis exiguis, rigidisq́; grana depēdent, albo folliculo occlusa, candido colore, vt niuea videātur, minus exactæ rotūditatis, sed cōpressę, lenticularis, durissimum fractu, nigro puncto, quo spicæ, vel petiolo hærent, vt

ægrè diuellantur. Spica est semipedis longitudine. Tepidum cœlum, & pingue solum desiderat. Seritur Martio cum milio. Floret Iunii fine, quindenis diebus singulas radices profert è nodis siue geniculis, primo è terræ proximioribus, & gradatim ad superiora tendens, vsque ad quartum. Radices terram à summo petunt, eique infinduntur, vt plantæ moles firmius contra ventorum impetum firmetur. Grana candidissima, candidissimam farinam promunt, panificiis aptam.

De sesamo. CAP. XXXVII.

ETSI veteribus ferè omnibus, vt pleraq; alia cerealium seminum, notissimus erat vsus sesamæ, nostris tamen temporibus intercidit: nam multis in locis non solùm frugem ipsam, sed nomen ignorant, sed medico tantum vsui inseruit. Columella inter legumina reposuit, Plinius inter æstiua frumenta. Theophrastus tertium genus dixit, quæ in æstiuis sementibus carent communi appellatione. Nostra seges in vtriusq; medio habet, & frumentorum fine, & leguminum principio, vtrouis modo accipito. Sed æstiua semine aliqua spicis, aliqua vasculis claudebantur: diximus quæ spicis, par est, quæ clauduntur vasculis subiungere.

Nomen. Græcis & Latinis idem nomen fuit, quippe illis σήσαμον, vel σησάμη, his sesamum, & sesama. Varro sesima. Palladius sisamũ. Italis *giuggiulea* vulgò dicitur.

Descriptio. Theophrastus ita efformat illud. Attollitur caule crassiori, & multipliciori, & numerosiori radice, quã miliũ. Alibi verò simpliciori radice & culmo quàm miliũ, caule ferulaceo, recto, flore lanugineo, sed foliis conformato. Grana fert in siliquis, distincta vt lupini, sed peculiari quodam in modo septa, & pinguiuscula. Viride nullũ animal attingit propter amaritudinẽ, & grauitatẽ saporis, siccũ acceptius, & suauius fit, quum quicquid amaritudinis in eo fuerit, percoctum excretumq; sit solis opera. Inter æstiua feracior, & in totum ferè simile iriono Plinius verò ita depingit, Sesama fastigiatur in culmum ferulaceum, folio sanguineo, semen includitur vasculis, nullum animal vescitur. Addimus: Surgit caule sesquicubitum alto, foliis amygdali, siliquis cylindraceis, præsepiolis distinctis, semine flauescente, oblongo, radice simplici, & alta.

Genera. Generum differentiam ex colore, & sapore Theophrastus accipit. Ex eo candidum præfertur dulcedine, quod & in cæteris leguminibus accidit. Plinius, Color eius candidus.

Cœlum. Columella in Syriæ, & Ciliciæ regionibus, & Pamphiliæ Chalcide vidit. Plinius, Sesama ex Indis venit. Ob id existimarem calidum cœlum exoptare.

Solum. Nihil ita emacrat solum ex æstiuis sementibus, vtpote cui crassior, & multiplicior sit arundo, quàm milio, & radix quoq; numerosior, ex Theophrasto. Ob id Columella dixit, Putre solum quod Campani pullum vocant, plerunq; desiderat, nõ deterius tamen pinguibus arenis, vel congestitia humo prouenit. Palladius ab eo: Seritur putri solo, vel pinguibus arenis, vel terra congestitia.

Æstate

Satio. Æstate seri sesamum monet Theophrastus, tum imbecillitate, vt à tempore petat opem, tum quod natura propensa sit ad celerem fructificationem. Neq; est terrestris substantiæ, vt illa leguminum, neque penitus leuis, vt illa hordei, sed pinguiuscula est, atq; opus habet coctionis, ob id cunctabundum it ad maturitatem. Constat radica vnice, ob id æstatis mollitiem appetit, nec habet aduersus hyemem præsidia. Non moratur ergo naturæ operam ad superiora conficienda, quin sese expediat, nisi pinguedo illa nonnihil exigeret operæ. Postquam defloruit quadragesimo die absoluitur, vt omnia æstiua, & si non desint qui intra pauciores dicant: ei post sationem imber officit, quũ cæteris omnibus superueniens frugibus prosit. Plinius: Quadraginta diebus maturatur à flore sesama. Varro: Quinque diebus sesima exit è terra, præterquam si quid regio, aut tempestas vitij attulit, quominus ita fiat. Columella eius sationem docet sic: Sesama, quæ rigantur, maturius, quæ carent humore ab æquinoctio autumnali serenda sunt in Idus Octobris. Tantumq́; seminis, quantum milium, panicumque, interdum etiam duobus sextariis amplius in iugerum spargitur. Sed Ciliciæ, & Syriæ regionibus Iunio, Iulioq́; cõseritur, & per autumnum quum permaturuerit, tollitur. Sesami modij nouem, vel decem totidem operas, quot tritici modij quinque postulant. Sesami sextarij sex tribus iugis à proscissione coluntur, occantur operis quatuor, sarriuntur quatuor, & sarriuntur iterum duabus, metuntur duabus. Summa fit operarum quindecim. Alibi: Quibusdam regionibus, sicut in Cilicia & Pamphylia Augusto mense sesama seruntur. Italiæ autem regionibus humidis possunt vltimo mense Iunio seri. Plinius, Æstate ante Vergiliarum exortum seritur, vt cætera æstiua Italiæ duntaxat ritu. Palladius, Septembri seritur. Iugero quatuor, vel sex sextarios seuisse conueniet, seriturque vsque ad idus Octobres etiã læto agro. Ex Quintiliis. Februario seritur, vt trimestre triticum, & Martio.

Cõditura Optime reponitur, inquit Theophrastus, quia pingue est, suique succi natura se tutari potest. Acerbi saporis est, & sponte suæ naturæ tunditur.

Oleum. Alexis in lebete in condimentorum catalogo sesamam recensuit ex Athenæo. Plinius, Indi ex ea oleum conficiunt. Sic pinsi iubet Mago. Sesamam in calidam maceratam exporrigi, deinde cõfricari, frigidæ immergi, vt paleæ fluctuent, iterumq́; exporrigi in sole super lintea. Quod nisi festinato peragatur, liuido colore mucescere. Dioscorides oleum Ægyptios ex eo conficere, vt nunc apud Græcos, & Turcas in maxima copia paratur in cibum, secundum locorum bonitatem. Nunc condiendis panibus inspargitur, & presertim buccellatis, qui ex Cypro Venetias afferuntur. Nullus orienti frequentior cibus, quàm sesami, quamuis sequacis sit lentitiæ, & oleaginei liquoris.

De erysimo cereali. Cap. XXXVIII.

POST sesama de erysimo, siue mauis de irione dicendum, quum sesamæ maximè assimilet Theophrastus, & cognatum faciat, & in æstiuarũ frugum censu connumeret. Meminit alterius erysimi Dioscorides inter oleraceas plantas, à prædicto admodum dissimilis, sed vtriusque meminit Galenus, & Theophrastus inter frumenta, & Dioscorides inter medicamenta. Plinius vtrumque confundit, vt videbimus.

Nomen. Græci ἐρύσιμον vocant, Latini irionem, Dioscoride teste, sed suum irionem oleraceum intelligit. Plinius etiam cereale irionem vocari dicit, sesamæ simile, in Asia, Græciaq; erysimum, quod apud nos vocant irionem. Videtur mihi *formentone* dictum esse, vel ei non admodum dissimile, vel *saracenicum*, quum nulla planta eruditorum sententia ei affinior videatur.

Descriptio. Theophrastus ita depingit: Caule consurgit ferulaceo. Folio constat, quod ab aliis sua proprietate discernitur. Flore foliaceo, vt sesamũ. Prorsum idem erat, nisi pinguiusculum esset, quo virente nullum animal vescitur, quod amarum sit, sed siccum cibo idoneum, quum quantũ in eo amaritudinis & difficultatis erat, percoctum excoctumq; sit solis opera. Feracissimum est, semenq; minimum affert, ideo ex seminis exiguitate fœcunditas arguitur. Plinius, Folium sanguineum irioni & sesamæ. Erysimum erat, nisi pinguius esset, quod apud nos vocant irionem, medicaminibus annumerandum potius quàm frugibus. Irione nullum animal vescitur virente. Sed apud nos cubitali caule assurgit, striato, folio non frumentaceo, sed leguminoso, smilacis, aut atriplicis, flore candido, semine glumis contento triquetris, nigris, maturescens planta purpurascit. Contritum semen albam farinam ostendit.

Cœlum. Calidum cœlum exoptare videtur: nam Plinius in Asia, & Græcia nasci scripsit. Apud Belgas & Antuerpianos nasci audiui: & in Italia ferax.

Satio. Theophrastus, Recens sato irioni pluuius imber nocet, quamquã reliquis frugibus prodesse videatur. Æstatis tempore seritur, quo panicum, & sesamum. A quo Plinius. Fruges sunt æstiuæ, quæ ante Vergiliarum exortum seruntur, vt sesama, irio, Italiæ duntaxat ritu, alioqui in Græcia & Asia omnia Vergiliarũ occasu seruntur. Seritur & in Italia Aprili, & metitur Iunio mense. Addunt calidis in locis bis in anno eodem agro prouenire.

Bonit. Galenus primo de alimẽtorum facultatibus inter fruges eum referens, dixit, vt milio panicum adsimile est quodammodo, sed ad omnia deterius, ita & sesamo erysimum corporis substantia nonnihil affine, sed pransum insuauius est, & tenuioris alimenti, adeo quod in omnibus deterius existit. Rustici non solum panem conficiunt, sed etiam pulmenta, quibus hyeme victitant. Vel granum incoquunt rustici, vt bubus, iumentis, pecudibusque cedat in pabulum, cuius vsu vehementer gliscit sagina.

De legg.

De leguminibus, & primùm de faba. Cap. XXXIX.

IAM ad alterum frugum genus deuentum est: diximus enim de triticeis, nunc de leguminibus dicendum: illa enim spicantur glumis & aristis, hæc grauidantur siliquis, & vaginulis, & quemadmodum illa à terendo triticea dicebantur, sic hæc à legendo legumina Latini dixerunt. Legumina etiam Varroni dicuntur, quod vellantur à terra, non autem subsecentur, vt fruges. Gallicani quidam legaria appellant. Græci χεδροπὰ, sicut etiam ὄσπρεια, quasi serenda, quod semina multo fœnore reddant, quum legumina triticeis feraciora sint, & multo prouentu minore labore, & tempore colantur. Ea clarissimis Romanis cognomina dederunt, sicut Fabij, Cicerones, Lentuli, & Pisones, à faba, cicere, lente, & piso cognomina retulere. Nos à fabis incipiemus, quòd inter legumina maximus sit honos fabæ, inquit Plinius, sola certè frugum etiam exesa repletur crescente Luna. Faba maximè delectantur apes, vbi pabulum autumnale deest, duplexq; ex ea ministerium præbetur, cera, & cibus, vt inquit Varro, & Palladius. Et Plinius, Apum causa fabam serere oportet.

Nomen. Græcis κύαμος vocatur, à maxima earum feracitate, vt Galenus annotauit. Antiqui ferè cuncta legumina fabas, quasi prægnantes, & fœcundas vocarunt à verbo κύω, id est prægnans sum, & κύαμοι testiculi dicti olim. Sed faba postea leguminum omnium notissima, vt quæ plebi in annonæ caritate non vulgare præsidium afferat, speciatim nomen sibi soli vsurpauit. Πυανὸν etiam vocarunt, vnde πυανέψια Atheniensium festa Apollini sacra, quibus πυανοὶ, id est fabæ & legumina serebantur, à quibus mensis, in quo celebrabantur, πυανεψιὼν dictus, is Aprilis est, qui & Octobri conuenit. Latini fabam dicunt, & fabulum Festo, & Gellio authoribus. Itali *faua*.

Genera. Theophrastus colore & sapore discrepare dixit, cādidæ dulcedine præstant. Plinius nasci in Mauritania dixit, syluestrem passim, sed præduram, & quæ percoqui non possit. Columella trimestris meminit, quæ mense Februario seritur, sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Apud nos variæ sunt magnitudine, colore, effigie latiore, compressiore, tereti, rotunda. Est enim magna, quæ pollicis iuncturā superat, *ischiane* vocata. Sunt & minimæ, mediæque, quas *canzanellas* vulgò vocant. Sunt & rubro colore asperfæ, veluti cruore, & magnæ, quæ pro deliciis seruntur.

Descriptio. Theophrastus ita depingit: Faba sola ferè leguminum erecto scapo cōsurgit, & sine adminiculo nititur, mira interdum proceritate post cicer, geniculato, & fistuloso, sine ramis, folio rotundo, vt leguminum pars magna. Fructum fert siliquis, qui siliquis adhæret, & veluti quoddam principium inde obtinet eminens. Quum recentes sunt, mandi possunt, propter commistionem aquosi humoris: aridiores verò, humoris temperie sublata, minus commendantur. Radice singulari, lignosa, & capillata fibris,

vt cætera legumina. A quo Plinius: Legumina omnia singulas habent radices, præter fabam. Leguminum vnicaulis faba sola, sed fistulosus caulis, folia multiplicia habet, vt cicer, & pisum, rotunda, vt magna leguminum pars. In eius flore literæ lugubres reperiuntur, alternis lateribus siliquatur. Sunt qui putent nostram fabam non esse antiquorum illam, quum nostras maior, eorum fabula, vel fabella sit, nunc enim loto, & terebintho pares comparantur, nunc taxi baccis apud Dioscoridem. Galenus verò rotundas, iuxta & æquales asellis subter hydriis delitescentibus *κυάμοις* vocatis cõparat. Aristoteles pulli decimi incubitus dici oculos faba maiores dicit. Ex his cognoscimus eorũ fabam fuisse minorem, quàm hodierna, nec tamen specie diuersam, sed congenerem. Addimus nos: Folia ab extremo in fastigium rotundãtur, carnosa, portulacæ similia, exortu alterno in ramis, quæ e caule dispari exortu prodeunt. Flore cristato versicolore, partim albo, partim purpureo, atris quibusdam maculis notato, vel nigricantibus lituris, quas rati lugubres literas illi Romani Flamines non mandebant, vt tradit Varro. Plures racematim ex vno pediculo exeunt, non vtrinque, sed vno tantùm latere seriatim appensi. E ramusculorum cacuminibus capreoli exeunt singulares, adeo tenues, vt facilè perdantur. Siliqua semipedali, fructu intus lato, humani vnguis effigie, vnusquisq; suis inhærens valuulis, perinde quasi peculiaribus cellulis clausi, basi, qua hæret, cernitur vestigiũ nigrũ illud, quod hilum vocabant antiqui, quasi germinis vmbilicellum.

Cælum. Calidum videntur cœlum expostulare, quippe calidis in locis, soliq; expositis Theophrastus, coctiles fabas euenire dixit, vt in Ægypto, solis & aëris causa. Calor enim coctilitati, & digestioni pernecessarius est. Contra verò frigido cœlo incoctiles. Apud Philippos ob frigidos flatus incoctiles nascuntur, vt latius in sequentibus dicemus. Auguror id verum esse, quod latis Apuliæ campis, & calidissimis optimæ proueniunt. Plinius nasci scripsit sua sponte plerisque in locis, sicut septentrionalis Oceani insulis, quas ob id fabarias dicunt. Columella nebulosum locum non pati dixit.

Solum. Theophrastus leue solum melius fabam ferre dixit, sic enim modicè alimentum offertur, idemq; optimũ præstare nouale dixit, quamuis frequens pangatur, & fructum largiorem ferat. Minime enim molesta est terræ, tum raritatis suæ causa, tum etiam quod solum, in quo sata sit, lætificet stercoris vice. Ob id circa Thessaliam, & Macedoniam, quum florere incipit, arua moris est inuertere, quia legumen id solum pro stercore proficit. Cato: fabam in locis validis non calamitosis serito. Columella: Fabæ pinguissimus locus, vel stercoratus destinatur, nec macrum locum patitur, densa tamen humo commodè respondet. Sunt & qui putent in aruis hanc eandem vice stercoris fungi, quod sic ego interpretor, vt existimem non sationibus eius pinguescere humum, sed minus hanc quàm cætera semina vim terræ consumere. Nam certum habeo frumentis vtiliorem agrum esse, qui nihil

quàm

quàm qui istam siliquam proximo anno tulerit. Plinius: In solò valido fabam serito. Solum, in quo sata est, lætificat stercoris vice. Ideo circa Macedoniam Thessaliamque, quũ florere incipit, vertunt arua. Didymus gaudere lutosa terra dixit. Rationem addit Leontius. In arida enim cõcidunt, antequam enascantur, & pereunt, quæ verò non concidunt, degeneres fiunt. Quintilij fabam humectis locis, & humorem continentibus gaudere. Palladius à Columella: Faba pinguissimum, vel stercoratum desiderat locum, vel vallem, quam succus veniens à summitate fœcundet. Satione eius generis non fœcundatur terra, sed minus læditur, & agrum vtiliorem frumentis probari, qui anno superiore vacuus fuerit, quàm qui calamos fabaceæ messis eduxit. Nos autem magnas & latas fabas in planis & validis terris serimus, vt Apuliæ, paruas autem tenui solo, & collibus.

Theophrastus maturè seri præcipit: nam suæ imbecillitatis gratia ad radicum firmitatem consequendam, desiderat anteuertere hyemem. Faba ante hyemem seritur, simul & quia imbrem in flore amat, diuque refloreat, nam si serò seratur, imbrem haud assequi possit. Prodest fabæ imber, quum floret, quia raro opere constat. Adeò enim detrimentis multis frequenter obnoxia est, vt quamuis maturè prouenerit, tamen perfici plerunque non possit. Eius imbecillitatem, sensui manifestam, percipere licet: Est enim corpore soluto, & valido, nec radice numerosa subnititur. quamobrem à quauis causa offensa transigi facile potest. Dicit etiam esse, qui sero eam serere audeant, si minus primis imbribus expedire potuerint. Fabas optimè seri putat Varro in Vergiliarum occasu. Columella: Media sementi pars seri, & pars vltima debet, quæ septimuncialis satio (à sacrificiis) dicitur. Tempestiua frequentius, nonnunquam tamen sera, melior est. Post brumam parum rectè seritur, pessimè vere, quamuis sit etiam trimestris faba, quæ mense Februario seratur, quinta parte amplius, quàm matura, sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Veteres itaque rusticos plerunque dicentes audio, malle se matura fabalia, quàm fructum trimestrem. Sed quocunque tempore anni seratur, opera danda erit, vt quantum destinauerimus in sationem, tantum quintadecima Luna, si tamen ea non transcurret eo die solis radios, quod Græci ἀπόκαυσιν vocant. Si minus, quartadecima vtique adhuc crescente lumine, spargatur, etiamsi cõfestim totum semen operiri non poterit. Nihil enim nocebitur ei nocturnis roribus, aliisve causis: dum à pecore, & auibus vindicetur. Virgilius vere serit. *Satio.*

Vere fabas satio.

Ab his Plinius: Seritur ante Vergiliarum occasum leguminum prima, vt antecedat hyemem. Virgilius eam per ver seri iubet Circumpadanæ Italiæ ritu. Sed maior pars malunt fabalia maturæ sationis, quàm trimestrem fructum eius. Varro in fabæ vtique satu hanc obseruationem custodiri præcepit, allij plena Luna serendam. Didymus: Oportet fabas serotinas

talis, flos purpureus, radix gemmeæ rotunditatis. Columella, Ordeo similis, binis ordinibus distincta spica. Granum ponderis, & candoris eximii. Nos autem: Culmo exurgit ordeaceo, cubitali, vel sesquicubitali. In arista flexuosa, & rigidula grana visuntur, spicata alterno situ subflauo folliculo, acutis seu angulosis liris per longum striata. Grano candido, pellucido, & duro. Radice tritici, folio arundineo, carnoso, porro simili.

Col. Sol. Theophrastus. Magna ex parte in aquis residens. Strabo in amnibus prouenire. Dioscorides vliginoso, & palustri loco. Columella seri quàm pinguissimis, & frigidis locis. Theophrastus in India nasci scripsit. Italicos, Plinius ait, maximè oryza gaudere. Strabo in India. Hodie in Bactrianis, Suside, atq; Syria inferiore vberrimè nascitur, ex Strabone. Apud nos in Salernitano agro, & alibi maximo prouentu, patenti, vda planitie, quam tamen euripis, & illicibus, & fluuiis ductis, quoties opus est, rigamus, alioquin nullam, aut cassam segetem latura.

Satio. Columella; Quam pinguissimis & frigidis locis circa Martium mensem seritur. Melius tamen respondet, si dementia hyemis permittit, quum seminatur circa idus Ianuarias. Iugerum sex modios postulat. Palladius: Si demens fuerit hyems, ordeum gallaticum, quod graue & candidum est, circa idus Ianuarias seremus locis temperatis. Octo modiis iugerum complebitur. Locis frigidis seretur circa Martias calendas. Messis serotina est circa æquinoctium autumnale. Maturescit enim æstiuis solibus.

Panis. Columella: Ordeum galaticum tritico mistum egregia cibaria familię prębet. Plinius, Indos oleum ex oryza conficere, scripsit. Indi pistum, tanquam alica, reddunt concoctu perfacile, dixit Theophrastus. Bonum alimentum, & lautum suggerit, etiamq; valetudini prodest. Plinius: Italici ex oryza ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex ordeo. Sunt qui hodie in lacte parant, vt sanguinem alant, & genituram adaugeant.

De auena. CAP. XXIX.

DIXIMVS de tritico & ordeo: nunc de eius vitiis, scilicet de auena. Est enim vulgaris notitiæ, in quam triticum, & ordeum, & semen facilè mutatur.

Nomen. Theophrasto *αἰγίλωψ*, Dioscoridi *βρόμος*, vel ei consimile genus, sed alia est *αἰγίλωψ* Dioscoridis, de qua libro quarto disserit. Latini auenam dicunt. Poëtæ bromum, vel bromium. Sunt qui festucæ nomen adeptum putent, quod ei semen ante messem deciduum sit, & spica granis orba spicilegii tempore reperiatur, inarescente adhuc in festuca. Italis *auena* dicitur.

Descriptio. Theophrastus ita suam ægilopem describit. Inter ea, quæ tritico & ordeo similia sunt, auena est, sed aspectu quodam syluestri, & immiti. Numerosa radice attollitur, ex qua frequens culmus spargitur, folio piloso, lolio simili, non tamen vt illi pingue. Semine multipliciter tunicato: immò eius granum omnium maximè natura operuit. Matura illicò granum proiicit, vt culmus re-

ſtet inanis. Plinius: Ipſa frumenti fit inſtar, granum maximè nudum. Aſſurgit apud nos procero, craſſoque culmo, vt triticum. Semen *germano* iam dicto ſimile, ſed arctius, longius, acutius, & nigrius, ſæpè albicans, & admodum per meſſes caducum.

Genus.

Satiuam auenam dicimus, ſyluestrem bromum Theophraſti, vt dicemus in ſequenti. Hæc tamen quum ſeritur, & colitur, frugifera eſt, ſi neglecta & inculta, ſemine vidua. Ob id Virgilius,

——— *Steriles dominantur auenæ.*

Eſt & auena Græca, cui non cadit ſemen. Plinius, Sunt qui bromum fertilem auenam, ægilopem verò dicant ſterilem, quaſi feſtucam ſine ſemine.

Solum.

Quia radice, culmoq; multiplici naſcitur, ſolū emaciat, ob id Theophraſti pręcepto frugale ei damus. Alii ſicco ſolo lætari dicunt. Virgilius ſolū emaciare dixit: *Vrit lini campum ſeges, vrit auena.*

Cælum.

Hoc ſemen, Galenus inquit, in Aſia frequens eſt, & potiſſimum in Myſia, quæ eſt ſupra Pergamum, vbi & tiphæ, & olyræ vberrimus eſt prouentus. Plinius: Germaniæ populi ſerunt eam, nec alia pulte viuunt. In oriente & Oonis inſulis. Ex hoc auguror, quod vtroq; cœlo fruitur, calido vt Aſiæ, & Apuliæ: & frigido, vt Germaniæ, atq; tritici naturam ſortitur.

Theophraſtus in cultis erumpere dixit, nonnunquam quum prius germinis infœcunda eſſet, diligenter culta germinauit, & copioſa reddita eſt. Et peculiari vel illo à cæteris frumentaceis diſcerni putatur, quod annis alternis ſemen aptum ſit prouenire. Quamobrem qui eam delere penitus volunt (nam deleri per contumax eſt) ſegetes annos duos laxant à ſatu, quumq; plenè diffuſa in herbam eſt, pecus ſæpe impellunt, vſq; dum penitus depaſcatur, idque planiſſimū eius exitium fit, quod ſimul & alternatam eius germinationem teſtatur. Cuius rationē libro de cauſis veſtigat, & varia opinione fluctuat, num ratio in radice, ex qua poſtquā vnus prodierit ſtipes, prodit alter anno ſequente, & intercepta iterū inſtauretur germinatio: vel collapſo prioris anni ſemine procreetur: ob id vt eam deleant, rudetū primum faciunt, biēnio ſuperſedendo arationi: & altero anno ſubpullulat, quod reliquum eſt, vt quod priore anno pręſtitū eſt, & quod ſequenti pollicebatur, exeat non amplius rediturum. Vel ſemen totum annum incorruptum permanere ſub terra, quoad tempus appetat idoneum ipſum ciens ad germina, & tunicæ plures, quibus veſtitur, ei vſu veniunt. Vel bipartiti ſeminis pars abit in ſtipulam, pars manet ſequente anno germinatura. Columella: Auena autumno ſeritur, partim cæditur in fœnum, vel pabulum dum adhuc viret, partim ſemini cuſtoditur. In Apulia omni ſolo ſerunt, tempore quo ſeritur ordeum. Quæ ſata naſcitur, craſſiori & proceriori culmo eſt, quæ ſponte, tenui ſtipula, & ieiuna ſpica ſterilis eſt. Caducum præcedentis anni ſemen in agris reſtibili fœcunditate regerminat, reliquamq; frugem præcoci maturitate præueniens, tabe conficit, ei ſubripiens alimentum, ita ſeges ſuo decoquit domino.

Messis. Properanda messis est: nam vt diximus, illicò matura semen proiicit, vt spica granis viduata appareat, ex Theophrasto. Multo enim ordeum antecedit auena, vt culmus remaneat inanis.

Cōditura. Pertunditur etiam auena, & si multum vestita sit, sponte suæ naturæ. Intus enim incipit vitium; nempe si vetulam auenam consideres integro corio, optimam iudicabis, si conteres digitis, cassam inuenies, nec nisi acus, aut glumus est.

Panis. Germaniæ populi serunt auenam, nec alia pulte viuunt. Plinius. Et in Orientis partibus gentes esse, quæ ibi sponte nascenti auena vescantur, & in Oonis insulis. Et si apud nos equorum, iumentorumque pabulo seratur. Sunt gentes etiam, quæ alimoniæ caritate, confecto ex auena pane, famem arceant.

Mutatio. Mutatur zea, triticum, & hordeum in auenam. Theophrastus auenam in ordeo nasci scripsit, & esse, quæ non singulis frugibus oriantur, vt auena tritico, & ordeo: eaque interimat, quia pabulum tollit, tam quod terra ministrat, quàm quod à sole & aëre venit. Mutatio in formam alienigenam miranda sanè est: vt ex semine in auenam suam permutat naturam, sed vere transit in proximam. Plinius, Proximum omnium frumenti vitium auena est, & ordeum in eam degenerat. Soli maximè, cœlique humore hoc euenit vitium. Sequentem causam habet imbecillitas seminis, quum diutius retentum est terra, priusquam erumpat. Eadem est ratio si cariosum fuerit, quum sereretur. Prima autem statim eruptione agnoscitur, ex quo apparet, in radice esse causam. Est & aliud ex vicino auenæ vitium, quum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura priusquam roboretur corpus, afflatu noxio cassum, & inane in spica euanescit quodam abortiuo. Ægilopem ordei vitio fieri testis est Galenus ex nimia vligine, quum prima generatio vel incrementum ipsis non rectè successerint. Porrò vt Galeni pater ætate iam declinante, quum agricultura delectaretur, descripsit, triticum ac ordeum aliquando seminauit, omnibus diuersi generis seminibus, quæ ipsis erant admista, diligenter selectis, quo certo cognosceret, num ex ipsorum mutatione lolium, & ægilops nasceretur, an hæc propriè semina naturam haberent. Enatis seminibus in tritico frequens lolium, in ordeo parum, sed magnum ægilopis vim enatam conspexit.

De bromo. Cap. XXX.

SVBIVNXIMVS auenæ de bromo caput, quum vel eadem res multis existimetur, vel ab ea parum diuersa. Theophrastus de vtraq; seorsum egit, & inter se similia dixit: quod fuit in causa, vt nos diuersum caput cōderemus. Plinius externum semen esse, & ab oriente inuectum nobis dixit, & inter vitia segetum esse, & ex auenæ genere.

Nomen. Græcis βρόμος, non à fœtore, sed quia veterina ea vescantur, vel à fragore, quem

quem natura ſeges flatu edit. Latinis auena, quod ad fructum non veniat. Italis *auena galatro*.

Theophraſtus ita deſcribit. Auena radice numeroſiore, quàm ægilops, ex qua culmus frequens ſpargitur: aſpectu veluti ſylueſtri, & immiti, multiplici tunica loricatur. Semen vt zea. Mea ſententia *galatrum* vulgò vocatum eſſe dicerem. Naſcitur auena inter ordeum ſolum. *Galatrum* inter ordeum & triticum, & aſpectu ſylueſtrius quàm auena, ſtipula ſurgit craſſiori, & nigriori ſolio, grana in ſpica bino ordine, in auena ſingulari, gluma foras binas profert ariſtas granum ſtrigoſius, longius, & piloſius, auidius à beſtiis deuoratur: gluma piloſa eſt, & nigra, è cuius dorſo ariſta intorta naſcitur. Dioſcorides bromum ſuum ita pingit: Genicula quædam habet, folio & ſtipula triticum imitatur, & in cacuminibus dependẽtes paruas veluti locuſtas bipedes gerit, in quibus ſemen continetur. Plinius à Dioſcoride eadem refert. Herba eſt ſpicam ferens, folio & ſtipula triticum imitatur, in cacuminibus dependentes paruas veluti locuſtas habet. Auicenna ægilopem depingit. Eſt herba cuius folia ſunt ſimilia foliis tritici, ſed ſunt leuiora, & fructus eius habet velamina duo, aut tria, & ſuper ipſa ſunt quædam ſimilia pilis. Galatrum tria habet velamina, duo, quæ diximus, tertium cito cadit matureſcens. *Deſcriptio.*

Plinius. Genera bromos, ſiligo, & tragos, externa omnia ab oriente inuecta, oryzæ ſimilia. Naſcitur inter vitia ſegetum, ex auenæ genere. Galliæ, Germaniæ & Italiæ laudatiſſimum, equis pabulum eius granum. In Calabria audiuimus panes fieri non reſpuendos, & pultes, & potus. *Panis.*

De lolio. CAP. XXXI.

EST & inter ſegetum vitia lolium, cuius etiam ſemen ſeritur in paniſicium.

Græci αἶραν vocant, παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quod eſt ſurſum efferri: effertur enim in cerebrum vapida aura, atq; dementiæ affinis, tenebricoſa vertigo ex lolii eſu, vt temulentos efficiat veſcentes, vt torpido veterno cerebrum opprimat, reliquaq; membra torpore afficiat. Vocant etiam & ζιζάνιον. Latini verò lolium. Itali *gioglio Zizania*. *Nomen.*

Ordei, cuius mentitur effigiẽ, vitium eſt, ſed foliũ anguſtius, pinguius, & hirſutius. Sed pinguitudo ei peculiare notatur: nam piloſitas auenę datur. Semen non multis intectũ tunicis affert, vt auena, ſed nudũ, aſpectu penitus ſylueſtre, ideo & tritico validius eſt. Hęc ex Theophraſto. Dioſcorides ſpicã ferre ſcripſit capite de phœnice. Deſcribimus nos: Spica nulli ſimilior, quàm phœnici, granum in dura tunica, ſtipula, codice, & reliquis, vt tritici, flore ſubpurpureo. *Deſcriptio.*

Aquam vehementiſſimè amare Theophraſtus ſcripſit, ob id vliginoſos tractus diligere exiſtimarem, quum & huiuſmodi in locis triticum, vel ordeum corruptis vligine ſeminibus, aut nimio imbre dilutis, naſci dicant. *Cœl Sol.*

Negat Theophraſtus lolium vernam eſſe frugem, quemadmodum reliqua *Satio.*

herba: nam confestim hyeme ineunte id exortum patescit. Nascitur partim anno primo, partim secundo.

Mutatio. Triticum, ordeum, & linum mutatur in lolium, & è contra. De lolii origine, tanquam cæca, ambigitur. Mirandum profectò arbitratur Theophrastus, triticum, & lolium mutatas inter se habere vicissitudines: nam & triticum in lolium, & rursus lolium in triticum, quum nullum ex frumentis istis validius reperiatur, & tam magnam mutationem recipiant. Permulti enim quũ ordeum & triticum seruissent, lolium messuerunt. Mirum quoque si linum in lolium transeat: nam inter se plurimum distant, quarum rationes superius capite de tritico diximus. Degenerant fruges, quæ potissimum viribus pręstant, vt triticum atq; ordeum, hęc enim in lolium transeunt, sed magis triticum, quia validius. At si lolium in triticum transeat, hoc certe admirabilius est, ceu imbecillitatem quandam, vel morbum seminis intelligere licet, quam alimẽti, cœliq; mutatio tollere possit. Ad hæc in genere frumentorum aliud purum lolii nascitur, vt Ponticum, atq; Ægyptium, purum & siculum satis, & præcipuè Agrigentinum sine lolio exit. Sed hæc quidem locorum naturæ ascribi licet. Plinius lolium inter frugum morbos potius, quàm inter ipsius terræ pestes connumerat. A Virgilio infelix dictum in Georgicis,

Infœlix lolium, & steriles dominantur auenæ.

Vires. Aristoteles libro de somno & vigilia inter ea, quæ grauedinem capitis efficiunt, lolium commemorat. Theophrastus graue lolium dixit, & caput tentans. In potu enim inebriat, & celerrimè vertiginem mouet. Aiunt Græciæ & Asiæ balneatores ad pellendum turbam solitos carbonibus id semen obiicere. Ouidius ad id in Fastis,

Et careant loliis oculos vitiantibus agri:

Hinc natum prouerbium, quo Plautus vtitur in milite, contra eum, qui nihil videat,

Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico:
Quid iam? Quia lusciosus.

Monere solebat Galeni pater, vt cerealia semina priusquam in sationis vsum venirent, diligentissimè iis frugum vitiis liberarentur, etenim triticũ, nisi lolium à re frumentaria operosè idoneis ad hoc incerniculis expietur, vescentibus noxam inferet, nam capitis dolores continuo mouentur, vertigines obuersantur, postmodum sequens ęstas cutem fœdis obsidet vlceribus, aliaq; emergunt incómoda, quæ nutrimenti huius improbitatẽ satis ostendunt. Præcepit igitur Galenus non fastidiendum triticei repurgamẽti pręceptũ: nam si grassantem sensim noxã inter initia propter exiguitatẽ vescentes non sentiãt, gliscente multo pluribus diebus vitio impunè non effugient, quũ tandem ea non sine magna vitæ alea, manifestius eruptura prodeat. Frumentũ, vt Paxamus est author, lolium necat, panibusq; mixtũ vertigines edentibus adducit.

Cicuratio. Sponte naturæ tunditur, & si acerbi sit saporis, ex Theophrasto.

De

De melampyro. CAP. XXXII.

CONNVMERATVR etiam melampyron à Theophrasto inter ea, quæ tritico connascuntur, quasi etiam frugum pestis.

Theophrasto μελάμπυρον est, quasi nigrum triticum dicas: nobis verò pseudomelanthium dictum. Plinius git vocat. *Nomen.*

Theophrastus de suo melampyro hæc pauca habet, Melampyron siculo tritico peculiare, granum eius innocens, nec sicut lolium graue, ac caput tentans: nascitur inter triticum, & præcipuè apulum, quũ siculum conferrem, semen nigerrimum, farina alba, nec noxia capiti, vt Theophrastus dicit, panem candidissimum facit tritico immistum: nec curant pistores à tritico secernere, quum res innocua sit. Caules producit rectos, quinque vel quatuor pedum longitudine, folia lata, vt leucoii, pilosa, in summo flores profert purpureos, maluæ effigie, radix alba, multum fibrata. Semen nigrum, cuius farina tritico permista vesca est. Dixit Plinius: git pistrinis nascitur. *Descriptio.*

De milio. CAP. XXXIII.

NVNC ad alia frumenti genera deueniendum, quæ æstiua dicũtur, quum ante Vergiliarum exortum serãtur. Theophrastus tertium genus appellat, atq; communi appellatione carere ait. Nos miliacea frumenta dicemus. Columella inter frumenta reponendum cẽset, quamuis id leguminibus contribuerit, nam multis regionibus cibariis eorum coloni substinentur.

Græcis κέγχρος à minutis ficuum granis, seu gigartis numerosissimis, quæ κεγχραμίδες vocantur, dictum existimo. Straboni κέγχρον, Latini milium vocant, à miliaria summa, authore Festo, quasi millesimum ferat granum: est enim tantæ feracitatis, vt singula grana ternos reddere sextarios ferantur. Varro etymon à Græcis deducit, quod communi nomenclatura tum panicum, tum milium μελίνην vocant. Itali *miglio*. *Nomen*

Theophrastus ita describit. Ex alta numerosa, & valida radice fruticat milium multiplici, & valida stipula geniculata, arundinacea, flore lanuginoso, quem circa spicam gerit. Semen in iubam profert, effusam illam arundinaceam comam iubam appellat, similem ei, quam oryza fundit, semine feraci, plurimis folliculis concluso. Plinius, Surgit milium in culmum geniculatum, & concauum. Semen tantum pro indiuiso, & paruis auibus expositum, indefensum quippe membranis continetur. Comæ granum complexæ fimbriato capillo curuantur. Apud nos fibrosa radice ternos, quaternósve culmos, binum triúmve cubitorum altos, hirsutos, arundinaceos exerit, iubata fœtura, comam harundinaceam imitante, grauida pusillis numerosisq; acinis, læuiore tunica tectis, rotundis, lubricisque. *Descriptio.*

Cato nebuloso solo seri iussit. Plinius eadem ex Catone. Columella humido cœlo gaudere dixit. A quo Palladius etiam humidum cœlum ei tribuit. *Cælum.*

Milio Campania præcipue gaudere dixit. Plinius, Sarmatarum quoq; gentes, non aliam frugem nouisse: serique debere in humidis. Apud nos aërem tepidiorem amat.

Solum. Theophrastus quia multiplici culmo, numerosa, validaq; radice præditum sit, proinde maximè terram extenuare dicit, ob id facile lætum, & crassum agrum tribuendum censuerim. Cato ei agrum crassum, lætum, & sine arboribus conuenire dixit. Columella leuem, solutamq; humum desiderare. Nec in sabuloso solo, sed in arena quoq; prouenire, modò humido cœlo, vel riguo solo: nam siccum, cretosumq; reformidat. Plinius vetat inter vites arboresq; frugiferas milium seri, terram hoc satu emacrari existimans, nec nisi in stercorato seri. A Columella Palladius eadem habet. Florentinus Græcus, Limosa & humida terra gaudet milium, arenosa etiam, si frequentius rigetur. Nos limoso, pingui, & glutinoso solo serimus.

Satio. Verno tempore seritur, quod æstiuis seminibus attributum est, quum ob suam imbecillitatẽ hyemem perferre nequeat. A flore intra dies quadraginta absolui dixit Theophrastus, idq; inter omnes constare, non tamen deesse, qui vel pauciores prodiderint. Minus aquarum indiget, nam si plus habuerit, folia dimittit. A quo Plinius: Æstiua ante Vergiliarum exortum serũtur, Italiæ duntaxat ritu, alioquin in Græcia & Asia omnia Vergiliarum occasu seruntur. Alii vernum milium appellant. Quadraginta diebus maturatur à flore, & quia purgari nisi tostum non potest, cum suis folliculis crudum seritur. Extremo vere milii satio est. Iustum est hoc maturato hordeo, atque etiam in eodem aruo, estq; signum illius maturitatis, & horum sationis commune lucentes vespere per arua cicindelæ. Ita appellant rustici stellantes volatus, Græci verò lampyrides, incredibili benignitate naturæ. Serere in iugero temperati soli iustum est milii sextarios quatuor. Varro: Exit è terra milium quatriduo, aut quinque diebus. Columella: Ante ver seri non potest, quoniam teporibus maximè lætatur. Vltima tamen parte Martii mensis commodissimè terræ committitur. Nec impensa graui satione cultores onerat, quippe sextariis ferè quatuor iugerum implet. Frequentem tamen exigit sarritionem, & runcationem, vt herbis liberetur. Milii sextarii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occantur operibus tribus, sarriũtur tribus, quot operis carpantur incertum est. Palladius calidis & siccis regionibus Martio mense milium serit, herbis iubet assiduè liberari, quinque sextariis spatium iugeri compleri. Maio mense locis frigidis, & humectis. Florentinus Græcus, Seminis pauxillum omnem implet agrum, sarriri, & runcari continuo desiderat. Seritur ab æquinoctio, quod ante octauum Aprilium calendarum diem peragitur. Quod si densius seratur, noxam trahit, quando vix iugerum recipiat, quantum plena manus continet, etiam si inter sarriendum quippiam euellatur. Itaq; satum diligenter iugerum modios quadraginta proculdubio perfert.

Messis. Semina quo minora sunt, eo fertiliora sunt, & quæ minima, maximè fru-

ctificare

ctificare videmus, vt milium. Rationem assignat Theophrastus libro de causis, quod minora facilius effici possunt, copia autem facilitati adiudicanda est, quod eiusmodi omnia facilius augescant, celeriusq; aëris qualitati obtemperent. Argumento quoque temporis breuitas accipi potest: nam & semina ipsa hac eadem causa fertiliora, quàm arbores sunt. Item eorum caules validi sunt, nec ligno constant, & multiplices, & in ramos diffusi prosiliunt. Et alibi: Æstiua semina, quia imbecillia sunt, perfici celeriter possunt, & ob id æstiuo tempore seruntur.

Columella: Panis ex milio conficitur, qui antequam refrigescat, sine fa- *Panis.* stidio potest absumi. Pultem quamuis in copia, maximè cum lacte non fastidiendam præbet. Plinius, Campania pultem candidam ex eo facit. Fit & panis prædulcis. Sarmatarum gentes hac maximè pulte aluntur, & arida etiam farina, equino lacte, vel sanguine è cruris venis admisto. Æthiopes non aliam frugem, quàm milii nouére. Panis multifariam è milio fit, sed nullum frumentum ponderosius est, aut quod coquendo magis crescat. x x x x enim pondo panis è modio reducunt, modiumque pultis ex tribus sextariis madidis. Fit quoque vinum è milii semine maturo. Galenus de alimentorum facultatibus: Milio item in panes nonnunquam abutuntur, vrgente frugum penuria. Panis tamen ex eo exigui est alimenti, & refrigerans. Constat insuper peraridum & instar arenæ & cineris friabilem esse, nihil enim in se habet pinguedinis, & lentoris. Agricolæ huius farina cocta, admisto adipe suillo & oleo vescuntur. Ad omnia panico præfert: nam & gratius estur, & facilius concoquitur, ventremq; minus cohibet, ac magis nutrit. Huius farinam lacti incoctam, veluti triticeam, agricolæ mandunt. Lacte præstantius redditur edulium, vt in edendo iucundam voluptatem concilier, deiectionem ventris facilius moliatur, eoq; duce facilius membratim digeratur. Nos panes, laganas, & placentas ex eo conflamus, in mandendo glutinosas, & ingratas, nisi mox, quum coctæ fuerint, edantur.

Milium etsi acerbi saporis, sponte tamen suæ naturæ tunditur, omnium ta- *Cōditura.* men optimè reponitur milium, quia tunica multiplici integitur, & siccum est. Plus centum manet annos, si condatur, quo venti non perueniant.

Multi ad milii remedia, rubetam noctu aruo circumferri iubēt prius, quàm *Infir. rem.* sarriantur, defodiq; in medio inclusam vase fictili, ita nec passerē, nec vermem nocere, sed eruendā priusquā metatur, alioqui amarum fieri. Pestem à milio sturnorū passerúmve agmina scit Plinius abigi herba, cuius nomen ignotū est, in quatuor angulis segetum defossa, mirum dictu, vt omnino nulla auis intret.

De panico. Cap. XXXIIII.

De panico eadem est tractatio cum milio, eodemq; capite vtrumq; absolui poterat, nisi nos clarioris doctrinæ gratia seiungeremus. Columella inter frumenta reponendum arbitratur.

De milio Indico. CAP. XXXV.

INTER frugum genera melicam annumerabimus, & fortasse milium Indicum Plinii ex India in Italiam allatum Neronis principatu, intra decem annos omnium frugum fertilissimum: nam ex vno grano terni sextarii gignuntur.

Latini (si Plinianum Indicum milium est) Indicum milium vocant, Itali *saginam*, & *melicam*, vel *surgam* à proceritate, qua surgit inter suas cognatas fruges, scilicet milium, & panicum. *Nomen.*

Plinius ita describit: Amplum grano, arundineum culmo, adolescit ad pedes altitudine septem, prægrandibus culmis: lobas vocant. Ferrariæ nos hanc segetem vidimus, harundineis consurgere culmis ad hominis proceritatem, medulla intus farctis, fuscis, geniculis tuberosis, superioribus foliis mucronatis, spicatis in summitatibus fastigiis, panico maioribus, floribus luteis, granis oblongæ rotunditatis, subrubris, cannabis aut milii duplo maioribus, duplici tunica inuolutis. Petioli, quasi filamenta sunt, è quibus, excussis granis, scopas concinnant, vestibus, & capiti detergendis, verrendisq;, & arefactis summis viticulis rigidioribus, & exilibus. *Descriptio.*

Apud Ferrarienses genera sunt, rufiora, nigrioraq;, & quæ cito, & quæ serò maturitatem sentiunt. *Genera.*

Plinius seri debere in humidis scribit. Optat & lætum solum: nam multiplici culmo, & radice emaciat solum. *Solum.*

Apud eos ita seritur. Octaua corbæ pars bubulcam replet, solum exposcit optimè pastinatum. Si nimia loci pinguedine perit, sarculatione adiuuetur. Locis temperatis, Martii fine, calidis citius, frigidis serius cum milio seritur. Viginti diebus sub terra latitat. Maii initio ablaqueatur, vt lætius à radice pullulet. Iunio occatur, vt se solis ardore tueri possit. Augusti fine, vel Septembri metitur, & in fasces colligitur, & vbi sole inaruit, area trituratur. *Satio.*

Miselli illic coloni pertæsi operæ, & longioris moræ, qua cæteræ fruges egent, melicam serunt ad panificia, alibi columbis, & pullis alendis, & suum, & boum, & equarum pabulo. *Panif.*

De milio Æthiopico. CAP. XXXVI.

EST & apud nos planta, superiori multum affinis, vt oblectationi magis, quàm panificio sata, & culta. Dicunt ex Æthiopia aduectam, ob id Æthiopicum milium multis vocatum, & nostro orbi iam inquilinum, ad frugum magnitudinem, & speciositatē adolescit. Folio & calamo cōsurgit similis tritico indico iam dicto, intus alba medulla infarcto, saccariferarū arūdinum modo, in summo spicata fastigia milio maiora insunt, quæ post delapsos flores è capillaceis filamentis exiguis, rigidisq; grana depēdent, albo folliculo occlusa, candido colore, vt niuea videātur, minus exactæ rotūditatis, sed cōpressę, lenticularis, durissimum fractu, nigro puncto, quo spicæ, vel petiolo hærent, vt

ægrè diuellantur. Spica est ſemipedis longitudine. Tepidum cœlum, & pingue ſolum deſiderat. Seritur Martio cum milio. Floret Iunii fine, quindenis diebus ſingulas radices profert è nodis ſiue geniculis, primo è terræ proximioribus, & gradatim ad ſuperiora tendens, vſque ad quartum. Radices terram à ſummo petunt, eique infinduntur, vt plantæ moles firmius contra ventorum impetum firmetur. Grana candidiſſima, candidiſſimam farinam promunt, panificiis aptam.

De ſeſamo. Cap. XXXVII.

ETSI veteribus ferè omnibus, vt pleraq; alia cerealium ſeminum, notiſſimus erat vſus ſeſamæ, noſtris tamen temporibus intercidit: nam multis in locis non ſolùm frugem ipſam, ſed nomen ignorant, ſed medico tantum vſui inſeruit. Columella inter legumina repoſuit, Plinius inter æſtiua frumenta. Theophraſtus tertium genus dixit, quæ in æſtiuis ſementibus carent communi appellatione. Noſtra ſeges in vtriuſq; medio habet, & frumentorum fine, & leguminum principio, vtrouis modo accipito. Sed æſtiua ſemine aliqua ſpicis, aliqua vaſculis claudebantur: diximus quæ ſpicis, par eſt, quæ clauduntur vaſculis ſubiungere.

Nomen. Græcis & Latinis idem nomen fuit, quippe illis σήσαμον, vel σησάμη, his ſeſamum, & ſeſama. Varro ſeſima. Palladius ſiſamū. Italis *giugulea* vulgò dicitur.

Deſcriptio. Theophraſtus ita efformat illud. Attollitur caule craſſiori, & multipliciori, & numeroſiori radice, quā miliū. Alibi verò ſimpliciori radice & culmo quàm miliū, caule ferulaceo, recto, flore lanugineo, ſed foliis conformato. Grana fert in ſiliquis, diſtincta vt lupini, ſed peculiari quodam in modo ſepta, & pinguiuſcula. Viride nullū animal attingit propter amaritudinē, & grauitatē ſaporis, ſiccū acceptius, & ſuauius fit, quum quicquid amaritudinis in eo fuerit, percoctum excoctumq; ſit ſolis opera. Inter æſtiua feracior, & in totum ferè ſimile iriono Plinius verò ita depingit, Seſama faſtigiatur in culmum ferulaceum, folio ſanguineo, ſemen includitur vaſculis, nullum animal veſcitur. Addimus: Surgit caule ſeſquicubitum alto, foliis amygdali, ſiliquis cylindraceis, præſepiolis diſtinctis, ſemine flaueſcente, oblongo, radice ſimplici, & alta.

Genera. Generum differentiam ex colore, & ſapore Theophraſtus accipit. Ex eo candidum præfertur dulcedine, quod & in cæteris leguminibus accidit. Plinius, Color eius candidus.

Cælum. Columella in Syriæ, & Ciliciæ regionibus, & Pamphiliç Chalcide vidit. Plinius, Seſama ex Indis venit. Ob id exiſtimarem calidum cœlum exoptare.

Solum. Nihil ita emacrat ſolum ex eſtiuis ſementibus, vt pote cui craſſior, & multiplicior ſit arundo, quàm milio, & radix quoq; numeroſior, ex Theophraſto. Ob id Columella dixit, Putre ſolum quod Campani pullum vocant, plerunq; deſiderat, nō deterius tamen pinguibus arenis, vel congeſtitia humo prouenit. Palladius ab eo: Seritur putri ſolo, vel pinguibus arenis, vel terra congeſtitia.

Æſtate

Satio. Æstate seri sesamum monet Theophrastus, tum imbecillitate, vt à tempore petat opem, tum quod natura propensa sit ad celerem fructificationem. Neq; est terrestris substantiæ, vt illa leguminum, neque penitus leuis, vt illa hordei, sed pinguiuscula est, atq; opus habet coctionis, ob id cunctabundum it ad maturitatem. Constat radica vnice, ob id æstatis mollitiem appetit, nec habet aduersus hyemem præsidia. Non moratur ergo naturæ operam ad superiora conficienda, quin sese expediat, nisi pinguedo illa nonnihil exigeret operæ. Postquam defloruit quadragesimo die absoluitur, vt omnia æstiua, & si non desint qui intra pauciores dicant: ei post sationem imber officit, quũ cæteris omnibus superueniens frugibus prosit. Plinius: Quadraginta diebus maturatur à flore sesama. Varro: Quinque diebus sesima exit e terra, præterquam si quid regio, aut tempestas vitij attulit, quominus ita fiat. Columella eius sationem docet sic: Sesama, quæ rigantur, maturius, quæ carent humore ab æquinoctio autumnali serenda sunt in Idus Octobris. Tantumq; seminis, quantum milium, panicumque, interdum etiam duobus sextariis amplius in iugerum spargitur. Sed Ciliciæ, & Syriæ regionibus Iunio, Iulioq; cõseritur, & per autumnum quum permaturuerit, tollitur. Sesami modij nouem, vel decem totidem operas, quot tritici modij quinque postulant. Sesami sextarij sex tribus iugis à proscissione coluntur, occantur operis quatuor, sarriuntur quatuor, & sarriuntur iterum duabus, metuntur duabus. Summa fit operarum quindecim. Alibi: Quibusdam regionibus, sicut in Cilicia & Pamphylia Augusto mense sesama seruntur. Italiæ autem regionibus humidis possunt vltimo mense Iunio seri. Plinius, Æstate ante Vergiliarum exortum seritur, vt cætera æstiua Italiæ duntaxat ritu. Palladius, Septembri seritur. Iugero quatuor, vel sex sextarios seuisse conueniet, seriturque vsque ad idus Octobres etiã læto agro. Ex Quintiliis. Februario seritur, vt trimestre triticum, & Martio.

Cõditura Optime reponitur, inquit Theophrastus, quia pingue est, suique succi natura se tutari potest. Acerbi saporis est, & sponte suæ naturæ tunditur.

Oleum. Alexis in lebete in condimentorum catalogo sesamam recensuit ex Athenæo. Plinius, Indi ex ea oleum conficiunt. Sic pinsi iubet Mago. Sesamam in calidam maceratam exporrigi, deinde cõfricari, frigidæ immergi, vt paleæ fluctuent, iterumq; exporrigi in sole super lintea. Quod nisi festinato peragatur, liuido colore mucescere. Dioscorides oleum Ægyptios ex eo conficere, vt nunc apud Græcos, & Turcas in maxima copia paratur in cibum, secundum locorum bonitatem. Nunc condiendis panibus inspargitur, & præsertim buccellatis, qui ex Cypro Venetias afferuntur. Nullus orienti frequentior cibus, quàm sesami, quamuis sequacis sit lentitiæ, & oleaginei liquoris.

De eryſimo cereali. CAP. XXXVIII.

POST ſeſama de eryſimo, ſiue mauis de irione dicendum, quum ſeſamæ maximè aſſimilet Theophraſtus, & cognatum faciat, & in æſtiuarũ frugum cenſu connumeret. Meminit alterius eryſimi Dioſcorides inter oleraceas plantas, à prædicto admodum diſſimilis, ſed vtriuſque meminit Galenus, & Theophraſtus inter frumenta, & Dioſcorides inter medicamenta. Plinius vtrumque confundit, vt videbimus.

Nomen. Græci ἐρύσιμον vocant, Latini irionem, Dioſcoride teſte, ſed ſuum irionem oleraceum intelligit. Plinius etiam cereale irionem vocari dicit, ſeſamæ ſimile, in Aſia, Græciaq; eryſimum, quod apud nos vocant irionem. Videtur mihi *formentone* dictum eſſe, vel ei non admodum diſſimile, vel *ſaracenicum*, quum nulla planta eruditorum ſententia ei affinior videatur.

Deſcriptio. Theophraſtus ita depingit: Caule conſurgit ferulaceo. Folio conſtat, quod ab aliis ſua proprietate diſcernitur. Flore foliaceo, vt ſeſamũ. Prorſum idem erat, niſi pinguiuſculum eſſet, quo virente nullum animal veſcitur, quod amarum ſit, ſed ſiccum cibo idoneum, quum quantũ in eo amaritudinis & difficultatis erat, percoctum excoctumq; ſit ſolis opera. Feraciſſimum eſt, ſemenq; minimum affert, ideo ex ſeminis exiguitate fœcunditas arguitur. Plinius, Folium ſanguineum irioni & ſeſamæ. Eryſimum erat, niſi pinguius eſſet, quod apud nos vocant irionem, medicaminibus annumerandum potius quàm frugibus. Irione nullum animal veſcitur virente. Sed apud nos cubitali caule aſſurgit, ſtriato, folio non frumentaceo, ſed leguminoſo, ſmilacis, aut atriplicis, flore candido, ſemine glumis contento triquetris, nigris, matureſcens planta purpuraſcit. Contritum ſemen albam farinam oſtendit.

Cœlum. Calidum cœlum exoptare videtur: nam Plinius in Aſia, & Græcia naſci ſcripſit. Apud Belgas & Antuerpianos naſci audiui: & in Italia ferax.

Satio. Theophraſtus, Recens ſato irioni pluuius imber nocet, quamquã reliquis frugibus prodeſſe videatur. Æſtatis tempore ſeritur, quo panicum, & ſeſamum. A quo Plinius. Fruges ſunt æſtiuæ, quæ ante Vergiliarum exortum ſeruntur, vt ſeſama, irio, Italiæ duntaxat ritu, alioqui in Græcia & Aſia omnia Vergiliarũ occaſu ſeruntur. Seritur & in Italia Aprili, & metitur Iunio menſe. Addunt calidis in locis bis in anno eodem agro prouenire.

Panis. Galenus primo de alimẽtorum facultatibus inter fruges eum referens, dixit, vt milio panicum adſimile eſt quodammodo, ſed ad omnia deterius, ita & ſeſamo eryſimum corporis ſubſtantia nonnihil affine, ſed pranſum inſuauius eſt, & tenuioris alimenti, adeo quod in omnibus deterius exiſtit. Ruſtici non ſolùm panem conficiunt, ſed etiam pulmenta, quibus hyeme victitant. Vel granum incoquunt ruſtici, vt bubus, iumentis, pecudibuſque cedat in pabulum, cuius vſu vehementer gliſcit ſagina.

De legu-

De leguminibus, & primùm de faba. CAP. XXXIX.

IAM ad alterum frugum genus deuentum est: diximus enim de triticeis, nunc de leguminibus dicendum: illa enim spicantur glumis & aristis, hæc grauidantur siliquis, & vaginulis, & quemadmodum illa à terendo triticea dicebantur, sic hæc à legendo legumina Latini dixerunt. Legumina etiam Varroni dicuntur, quod vellantur à terra, non autem subsecentur, vt fruges. Gallicani quidam legaria appellant. Græci χεδροπὰ, sicut etiam ὄσπρεια, quasi serenda, quod semina multo fœnore reddant, quum legumina triticeis feraciora sint, & multo prouentu minore labore, & tempore colantur. Ea clarissimis Romanis cognomina dederunt, sicut Fabij, Cicerones, Lentuli, & Pisones, à faba, cicere, lente, & piso cognomina retulere. Nos à fabis incipiemus, quòd inter legumina maximus sit honos fabæ, inquit Plinius, sola certè frugum etiam exesa repletur crescente Luna. Faba maximè delectantur apes, vbi pabulum autumnale deest, duplexq; ex ea ministerium præbetur, cera, & cibus, vt inquit Varro, & Palladius. Et Plinius, Apum causa fabam serere oportet.

Nomen. Græcis κύαμος vocatur, à maxima earum feracitate, vt Galenus annotauit. Antiqui ferè cuncta legumina fabas, quasi prægnantes, & fœcundas vocarunt à verbo κύω, id est prægnans sum, & κύαμοι testiculi dicti olim. Sed faba postea leguminum omnium notissima, vt quæ plebi in annonæ caritate non vulgare præsidium afferat, speciatim nomen sibi soli vsurpauit. Πυανὸν etiam vocarunt, vnde πυανέψια Atheniensium festa Apollini sacra, quibus πυανοὶ, id est fabæ & legumina serebantur, à quibus mensis, in quo celebrabantur, πυανεψιὼν dictus, is Aprilis est, qui & Octobri conuenit. Latini fabam dicunt, & fabulum Festo, & Gellio authoribus. Itali *faua*.

Genera. Theophrastus colore & sapore discrepare dixit, cādidæ dulcedine præstant. Plinius nasci in Mauritania dixit, syluestrem passim, sed præduram, & quæ percoqui non possit. Columella trimestris meminit, quæ mense Februario seritur, sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Apud nos variæ sunt magnitudine, colore, effigie latiore, compressiore, tereti, rotunda. Est enim magna, quæ pollicis iuncturā superat, *isfibiane* vocata. Sunt & minimæ, mediæque, quas *canzanellas* vulgò vocant. Sunt & rubro colore aspersæ, veluti cruore, & magnæ, quæ pro deliciis seruntur.

Descriptio. Theophrastus ita depingit: Faba sola ferè leguminum erecto scapo cōsurgit, & sine adminiculo nititur, mira interdum proceritate post cicer, geniculato, & fistuloso, sine ramis, folio rotundo, vt leguminum pars magna. Fructum fert siliquis, qui siliquis adhæret, & veluti quoddam principium inde obtinet eminens. Quum recentes sunt, mandi possunt, propter commistionem aquosi humoris: aridiores verò, humoris temperie sublata, minus commendantur. Radice singulari, lignosa, & capillata fibris,

vt cætera legumina. A quo Plinius: Legumina omnia singulas habent radices, præter fabam. Leguminum vnicaulis faba sola, sed fistulosus caulis, folia multiplicia habet, vt cicer, & pisum, rotunda, vt magna leguminum pars. In eius flore literæ lugubres reperiuntur, alternis lateribus siliquatur. Sunt qui putent nostram fabam non esse antiquorum illam, quum nostras maior, eorum fabula, vel fabella sit, nunc enim loto, & terebintho pares comparantur, nunc taxi baccis apud Dioscoridem. Galenus verò rotundas, iuxta & æquales asellis subter hydriis delitescentibus κυάμοις vocatis cõparat. Aristoteles pulli decimi incubitus diei oculos faba maiores dicit. Ex his cognoscimus eorũ fabam fuisse minorem, quàm hodierna, nec tamen specie diuersam, sed congenerem. Addimus nos: Folia ab extremo in fastigium rotundãtur, carnosa, portulacæ similia, exortu alterno in ramis, quæ è caule dispari exortu prodeunt. Flore cristato versicolore, partim albo, partim purpureo, atris quibusdam maculis notato, vel nigricantibus lituris, quas rati lugubres literas illi Romani Flamines non mandebant, vt tradit Varro. Plures racematim ex vno pediculo exeunt, non vtrinque, sed vno tantùm latere seriatim appensi. E ramusculorum cacuminibus capreoli exeunt singulares, adeo tenues, vt facilè perdantur. Siliqua semipedali, fructu intus lato, humani vnguis effigie, vnusquisq; suis inhærens valuulis, perinde quasi peculiaribus cellulis clausi, basi, qua hæret, cernitur vestigiũ nigrũ illud, quod hilum vocabant antiqui, quasi germinis vmbilicellum.

Cælum. Calidum videntur cœlum expostulare, quippe calidis in locis, soliq; expositis Theophrastus, coctiles fabas euenire dixit, vt in Ægypto, solis & aëris causa. Calor enim coctilitati, & digestioni pernecessarius est. Contra verò frigido cœlo incoctiles. Apud Philippos ob frigidos flatus incoctiles nascuntur, vt latius in sequentibus dicemus. Auguror id verum esse, quod latis Apuliæ campis, & calidissimis optimæ proueniunt. Plinius nasci scripsit sua sponte plerisque in locis, sicut septentrionalis Oceani insulis, quas ob id fabarias dicunt. Columella nebulosum locum non pati dixit.

Solum. Theophrastus leue solum melius fabam ferre dixit, sic enim modicè alimentum offertur, idemq; optimũ præstare nouale dixit, quamuis frequens pangatur, & fructum largiorem ferat. Minime enim molesta est terræ, tum raritatis suæ causa, tum etiam quod solum, in quo sata sit, lætificet stercoris vice. Ob id circa Thessaliam, & Macedoniam, quum florere incipit, arua moris est inuertere, quia legumen id solum pro stercore proficit. Cato: fabam in locis validis non calamitosis serito. Columella: Fabæ pinguissimus locus, vel stercoratus destinatur, nec macrum locum patitur, densa tamen humo commodè respondet. Sunt & qui putent in aruis hanc eandem vice stercoris fungi, quod sic ego interpretor, vt existimem non sationibus eius pinguescere humum, sed minus hanc quàm cætera semina vim terræ consumere. Nam certum habeo frumentis vtiliorem agrum esse, qui nihil

quàm

quàm qui istam siliquam proximo anno tulerit. Plinius: In solò valido fabam serito. Solum, in quo sata est, lætificat stercoris vice. Ideo circa Macedoniam Thessaliamque, quũ florere incipit, vertunt arua. Didymus gaudere lutosa terra dixit. Rationem addit Leontius. In arida enim cõcidunt, antequam enascantur, & pereunt, quæ verò non concidunt, degeneres fiunt. Quintilij fabam humectis locis, & humorem continentibus gaudere. Palladius à Columella: Faba pinguissimum, vel stercoratum desiderat locum, vel vallem, quam succus veniens à summitate fœcundet. Satione eius generis non fœcundatur terra, sed minus læditur, & agrum vtiliorem frumentis probari, qui anno superiore vacuus fuerit, quàm qui calamos fabaceæ messis eduxit. Nos autem magnas & latas fabas in planis & validis terris serimus, vt Apuliæ, paruas autem tenui solo, & collibus.

Satio.

Theophrastus maturè seri præcipit: nam suæ imbecillitatis gratia ad radicum firmitatem consequendam, desiderat anteuertere hyemem. Faba ante hyemem seritur, simul & quia imbrem in flore amat, diuque refloreat, nam si serò seratur, imbrem haud assequi possit. Prodest fabæ imber, quum floret, quia raro opere constat. Adeò enim detrimentis multis frequenter obnoxia est, vt quamuis maturè prouenerit, tamen perfici plerunque non possit. Eius imbecillitatem, sensui manifestam, percipere licet: Est enim corpore soluto, & valido, nec radice numerosa subnititur. quamobrem à quauis causa offensa transigi facile potest. Dicit etiam esse, qui sero eam serere audeant, si minus primis imbribus expedire potuerint. Fabas optimè seri putat Varro in Vergiliarum occasu. Columella: Media sementi pars seri, & pars vltima debet, quæ septimuncialis satio (à sacrificiis) dicitur. Tempestiua frequentius, nonnunquam tamen sera, melior est. Post brumam parum rectè seritur, pessimè vere, quamuis sit etiam trimestris faba, quæ mense Februario seratur, quinta parte amplius, quàm matura, sed exiguas paleas, nec multam siliquam facit. Veteres itaque rusticos plerunque dicentes audio, malle se matura fabalia, quàm fructum trimestrem. Sed quocunque tempore anni seratur, opera danda erit, vt quantum destinauerimus in sationem, tantum quintadecima Luna, si tamen ea non transcurret eo die solis radios, quod Græci ἀπόκαυσιν vocant. Si minus, quartadecima vtique adhuc crescente lumine, spargatur, etiamsi cõfestim totum semen operiri non poterit. Nihil enim nocebitur ei nocturnis roribus, aliisve causis: dum à pecore, & auibus vindicetur. Virgilius vere serit.

Vere fabis satio.

Ab his Plinius: Seritur ante Vergiliarum occasum leguminum prima, vt antecedat hyemem. Virgilius eam per ver seri iubet Circumpadanæ Italiæ ritu. Sed maior pars malunt fabalia maturæ sationis, quàm trimestrem fructum eius. Varro in fabæ vtique satu hanc obseruationem custodiri præcepit, allij plena Luna serendam. Didymus: Oportet fabas serotinas

plantare. Palladius Nouembri mense spargit semen, & Decembri circa septimum idus. nam post exactam brumam malè seminatur. Nos hic magnas Octobri serimus, quia præcoces sunt, minimas verò serius.

Elect. se. Virgilius priusquam semina proiiciat in terram, vtitur aliquibus medicaminibus, vt grandior nascatur, & coctilis euadat:

Semina vidi equidem multos medicata serentes,
Et nitro prius, & nigra profundere amurca,
Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset:
Et quamuis igni exiguo properata maderent.

Eadem Columella à Virgilio refert. Plinius: Si vino antè semina perfusa; minus ægrotare existimant. Quidam verò: si triduo ante satum, vrina & aqua macerentur, præcipue adolescere putant. Græci asserunt fabæ semina galli sanguine macerata ab aduersantibus herbis liberari. Putat enim satis ineptè Sotion, quòd quemadmodum gallus leoni aduersatur, sic orobanche, quæ necat fabas, osprolcon à Græcis dicta, vel herba leo, sanguine galli perfusa semina timeat, ob id eis non officiat. Didymus: Et nitrata aqua respersas cocturam non habere difficilem. Aqua pridie infusa, citius nasci. Nostri, qui fabas in scrobibus paxillo depressas infodiunt, longè maiores producunt. Sed quantitas in seminio proiiciendo, ab his ita determinatur. Varro: Serũtur fabæ modiis quatuor in iugero. Si locus crassus plus, si macer minus. Columella ex Tremellij opinione & sua, ita serendã mensuram præscribit fabarum in iugero: Iugerum agri quatuor, vt Tremellio, sex verò, vt ei videtur, occupant modij, si solum pingue sit, si mediocre, paulo amplius. Plinius, Serere in iugero temperati soli iustũ est tritici modios quinque, fabæ quintam partem amplius quàm tritici, pingui solo plus, gracili minus. Pamphilus Græcus præcisiùs docet, deducit digitos manus, eosque imprimit in terram, & seminum numerum in manus vestigio considerat. In fabis senarium, & quaternarium esse debet. Sationis modum ita docent. Columella: Et si veruactum erit in valle situm, quod à superiore parte succum accipiat, prius tamen iaciemus semina, deinde proscindemus terram, proscissamque in lyram reuocabimus, occabimusque, quo largiore humo altius contegatur: nam id plurimum refert, vt radices enatorum seminum penitus demersæ sint: sin autem proximæ messis occupandum erit restibile, desectis stramentis, quatuor & viginti vehes stercoris in iugerum disponemus, dissipabimusq;: & similiter quum semen crudo solo ingesserimus, inarabimus, imporcatumque occabimus, quamuis scio, quod locis frigidis negent oportere occari fabam, quia extantes glebæ à gelicidiis adhuc teneram vindicent, & aliquem teporem frigore laboranti præbeant. Post sationem, vt Theophrastus refert, quibusdam in locis, vel quintodecimo, aliis vigesimo difficillimè omnium leguminum prouc-

prouenit, & si quum sata fuerit, imbres plus æquo incesserint, prouentu difficilis redditur. Eadem parte scapus & radix funditur, idque in omnium leguminum genere, non in diuersa vt in frumento, qua siliquarum nexus consistit, inque ea, veluti principium quoddã germinandi haudquaquam obscurum, quod vel ad mentulæ formam effigiatum sanè inspicere possis. Radix deorsum versus, folium verò & caulis sursum. Exit primum multis foliis, vt pisum, atque cicer, non singulis vt triticum vnde caulem emittit. Diebus quadraginta floret, non vniuersim vt frumentum, sed particulatim. Caulis pars infera primum florem promit, quo excusso proxima, atque ita ad supremum itur, successu continuo. Post florem diebus totidem perficitur, ita tamen, vt citra tantundem spacium temporis hæc florere, atque perfici nata sit, quum cætera intra dies pauciores consummentur. Aquas in flore maximè concupiscit, quum verò defloruerit, exiguas desiderat, ob id serò eam serere volunt, consummatio enim iam in vicino est. Causa est, quia legumina diutius florent, ex quo fit, vt pluuiam desiderent, & adepta benè succedant, sed hoc forsitan per accidens est, quod tota planta humorem adepta, melius vegetetur, quum fructus, quo perficiatur, iuuari desiderat, & præcipuè faba, quia rara, & fertilis flore fructuque omnium maximè sit. M. Varro: Legumina ferè quatriduo exeunt, aut quinque diebus, præter quàm faba, ea enim serius aliquando prodit seges. Plinius à Theophrasto: Fabæ in totum exeunt, deinde caulem emittunt, nullis distinctum internodiis. Erumpit faba à satu primo à decimoquinto ad vigesimum. Diutissimè faba floret quadraginta diebus, non autem singuli scapi tandiu, quoniam alio desinente alius incipit, nec tota seges, sicut frumenti pariter. Siliquantur ab ima primum parte, paulatim flore subeunte. Quum defloruerunt crassescunt, maturanturque cum plurimum diebus quadraginta. Aquas in flore maxime concupiscunt, quum verò defloruerunt, exiguas desiderant. Palladius: Fabæ quadraginta diebus florent, simulque grandescunt.

Columella: Fabam multi ne sarriendam quidem putant, quod & manibus, quũ maturuerit, ducta secernatur à cætera runcatione, & internatæ herbæ fœno reseruentur. Cultus. Cuius opinionis etiam Cornelius Celsus est, qui inter cæteras dotes eius leguminis hanc quoque enumerat, quod sublata faba fœnum ex eodem loco secari posse dicat. Sed mihi videtur, inquit, esse pessimi agricolæ committere, vt satis herba proueniat. Frugibus enim plurimum detrahitur, si relinquitur runcatio. Neque enim est rustici prudentis magis pabulis studere pecudum, quàm cibis hominum, quum præsertim liceat illa quoque cultu pratorum consequi, adeoque fabam sarriendam censeo, vt existimem debere etiam ter sarriri: nam sic cultam comperimus nõ solùm multiplicare fructum, sed exiguam portionem in valuulis habere. Hyberna sarritio plurimum iuuat diebus serenis

ac ſiccis poſt brumam confectam menſe Ianuario, ſi gelicidia non ſint: ea porrò ſic debet fieri, ne radices ſatorum lædãtur, & vt potius adobruantur, cumuliſq; exaggerentur, vt latius ſe frutex humi diffundat, id prima ſarritione feciſſe proderit, ſecunda oberit: quia quum pullulare deſiit frumentum putreſcit, ſi obrutum eſt. Nihil itaque amplius in iteratione, quàm remoliri terra debet æqualiter, eamq́ue tranſacto æquinoctio verno ſtatim peragi oportet intra dies viginti, antequam ſeges in articulũ eat, quoniam ſerius ſarrita corrumpitur, in ſequentibus æſtiuis ſiccitatibus, & caloribus. Subiungenda deinde eſt ſarritioni runcatio, curandumq́; ne florentem ſegetem tangamus, ſed aut antea, aut mox, quum defloruerit. Fabæ modij quatuor, vel ſex in veruacto duas operas bubulcorum detinent, at in reſtibili vnam. Occantur ſeſquiopera. Sarriuntur ſeſquiopera, iterum ſarriuntur vna opera, & tertio vna, metuntur vna, ſumma fit operarum octo, vel ſeptem. Plinius. Ter quidem ſarritam modium fractæ è modio ſolidæ reddere dicunt. Fabam non proſciſſo ſerere ſine damno compendium operæ eſt, bis ſarrire melius, runcari non geſtit, quoniam euincit herbas. Faba ante quàm trium foliorũ eſſe cœperit, leui ſarculo purgare, verius quàm fodere conuenit. Florentem vtique XV primis diebus non attingere. Palladius. Faba ſi bis ſarculetur, proficiet, & multum fructum, & maximum afferet, vt ad menſuram modij complendi freſa propemodum ſicut integra reſpondeat. Nos Maio menſe ſarrimus, quum floruerit, ne luxuriet in frondem, cymam decerpimus, vbi ſolidum eſt non fiſtuloſum, nam per fiſtulam ingrediens aqua, corrumpit eam. Iterum foditur Maij fine, ac Februario adobruitur, vt pullulationes terræ aggere adiuuentur.

Meſſis. Columella: Faba & ſine iumentis teri, & ſine vento purgari expeditiſſime ſic poterit: Modicus faſciculorum numerus reſolutus in extrema parte areæ collocetur, quem per longiſſimum eius mediumq́; ſpacium tres, vel quatuor homines promoueant pedibus, & baculis, furcilliſve cõtundant. Deinde quum ad alteram partem areę peruenerint, in aceruum culmos regerant. Nam ſemina excuſſa in area iacebunt, ſuperq́ue ea paulatim eodem modo reliqui faſciculi excutientur. Ac duriſſimæ quidem acus reiectæ, ſeparatæq́ue erunt à cudentibus, minutæ verò, quæ de ſiliquis cum faba reſederunt, aliter ſecernentur. Nam quum aceruus paleis, graniſq́ue miſtus in vnum fuerit cõgeſtus, paulatim ex eo ventilabris per longius ſpacium iactetur, quo pacto, palea quæ leuior eſt, citra decidet, faba, quæ longius emittetur, pura eo perueniet, quò ventilator eam iaculabitur. Plinius. Octauo Calend. Iulij faba teritur, deinde concutitur.

Conditura Theophraſtus. Celerrimè faba tunditur ſua natura, ſed dici fortaſſe veriſſimè poteſt, hæc perinde ac locis valent, poſſe perdurare. Quippe quum apud Apolloniam maris Ionij fabas multos perdurare annos confirment, multos etiam apud Cyzicum. Sic apud Tarentum & contuſam reparari

poſſe

posse affirmant, cinere quoque tosta plurimum ad diuturnitatem sanè facit: sic enim humoris minus relinquitur. Columella: Silente Luna fabam vellito ante lucem, deinde quum in area exaruit, cõfestim prius quàm Luna incrementum capiat, excussam refrigeratamq; in granarium conferto, sic condita à curculionibus erit innoxia. M. Varro: Faba in olearíis vasis oblita cinere, perdiu incolumis seruatur. Didymus: Fabæ marina aqua rigatæ & respersæ, integræ & illæsæ permanebunt. Plinius fabam in olearíis cadis oblitam cinere longo tempore seruari dixit. Item fabam à Pyrrhi Regis ætate in quodam specu Ambraciæ vsque ad piraticum Pompeij Magni bellum durasse annis circiter CXV. Faba crassioribus tunicis operitur, ob hoc efferuescit. Palladius à Columella: Faba Luna minuente velletur, ante lucem sanè, & antequam Luna procedat, excussa & refrigerata ponetur, ita gurguliones non patietur infestos.

Ex faba etiam tentatus est panis: lomentum appellatur farina ea: aggrauaturque pondus illa ex omni legumine. Frumento etiam miscetur apud plerasque gentes, & maximè panico solida, ac delicatius fracta. Quin & prisco ritu fabacia suæ religionis diis in sacro est, præualens pulmentari cibo. Aqua marina, aliáve salsa non percoquitur, Plinius. Galenus, Qui corporis halitum inani sagina mentiuntur, vti solent, pariunt enim fabæ non solidam, vti suillæ carnes, aut densam corpulentiam, sed quandam fungosam, lenem, ac flatulentam saginam. Porrò fabis abstinendum Amphiaraus primus præcepit, quod vaticinationibus, quæ somnio colligũtur, obesse non parum credidit, quod suo flatu placidam interpellet quietem, ac mentem in somnis conturbet. Orpheus vates fabarum cibum nobis interdixit, ita canens,

A fabulo miseri, miseri subducite dextras,
Par fuit hoc fabulum, caput ac exesse parentis.

Quoniam vt Magi tradidere, mortuorũ animæ sint in ea. Callimachus Poëta ex hac opinione, ita dixit,

A cyamo dextram tristante amouit edentis,
Hoc, vt Pythagoras iusserat, ipse loquor.

Sed A. Gellius hoc loco, Pythagorico more testatur loquutum fuisse, atque aperte cyamos testiculos appellare voluisse, quòd sint τῦ κύειν αἴτιοι, id est pariendi authores, vel εἰς τὸ κύειν δεινοὶ, hoc est ferendo vtero valentes: sed vetus opinio est Pythagoram philosophum fabam non esitasse, quum in eo verbo non cyamum, id est fabam, sed rei venereæ proluuium detestẽtur. Quum Philoxenus, Aristotelis auditor, scriptum reliquerit, nullo sæpius legumine Pythagoram vsum fuisse quàm fabis, quoniam & is cibus subduceret sensim aluum, & læuigaret. Cicero in ea opinione est, interdictum esse Pythagoreis, ne faba vescerentur, quod animi perturbationem tranquillitatem quærentibus afferat, quibus is cibus quum magnam ha-

beat inflationem, contrarius esse constat. Plutarchus in commentario de educandis liberis hoc ænigmate abstinendum à fabis interpretatur, id est, à tractandis reipublicæ muneribus, propterea quod antiquitus in creandis magistratibus suffragia per fabas calculorum vice ferebantur. Nempe qui negotiorum securus, & animi in silentio ac tranquillitate viuere cupit, is vacare debet perturbationibus, quæ in obeundis magistratibus frequentissimè sese offerunt. Ex his Plinius: Faba hebetare sensus existimata, insomnia quoque facere. Ob hæc Pythagorica sententia damnata: velut (vt alij tradidere) quoniam mortuorum animæ sint in ea. Qua de causa parentando vtique assumitur. Varro & ob hæc flaminẽ ea non vesci tradidit, quoniã in flore eius literæ lugubres reperiantur. In eadẽ peculiaris religio: namq; fabam vtiq; è frugibus referre mos est auspicij causa, quæ ideo refrina appellatur. Et auctionibus eam adhiberi lucrosum putant. Didymus ex his. Physici aiunt fabas hebetare corda eorum, qui eis vescuntur. Quare rectè somnia impedire eas putant, sunt enim flatuosæ. Aiunt & domesticas gallinas ex assiduo earum esu steriles fieri, & cætera quæ retulimus.

Coct. Inc. Nunc de incoctilibus, & coctilibus fabis loquemur. Hesiodus canit, Fabarum semina quæ bubulorum cornuum occursu conciderint, non optimam nacta conditionem, sed veluti errantia & prolabentia, flabellatis potius, quàm satis proximè accedunt. Inde conceptum frigus ea corrumpit, & exucca, & lignosa reddit, adeò vt liquari nõ possint. Hoc genus seminis cerasbolon nominatur à Platone, superstitiosa satis origine, quasi sterilia, & irrita proueniant, quæ per boum cornua ferendo cecidissent in terram. Sotion ait. Seminantem obseruare oportet, ne semina boum cornibus incidant. hæc enim semina quidam cerasbola ab ipso facto vocant, aiuntque & sterilia, & imperfecta, ac inutilia talia generari, adeo vt neque per ignis vim edomari possint. Plutarchus in Symposiacis hac de re abunde differit, tradens euidentius esse, quàm vt dici debeat, semina quæ inter iactandum inter boum cornua ceciderint, fructum ateramona, quasi rebellem nec coctiuũ dixeris, producere. Sic ex lepida translatione, duræ ceruicis hominem apprimè contumacem, cerasbolon, & ateramona appellare Græci consuenere. Verùm rei tam cæcæ nõ facilè ratio iniri potest. Plutarchus amicis sæpè causam disquirentibus planè sic irrita & cassa fieri semina cornibus bubulis procidua inficiatus est, quũ permulta sint euidentia, quorum omnino cæca sit causa, nec ratio quouis modo possit iniri. Tandem leguminũ, seminumq; contumaciã frigori acceptã refert, quod premens & cogens habitũ ad duritiã perducat, sicut calor in mollitiẽ obsequiosam laxet, sed à Theophrasto causa protinus dilucidatur. Ipse nanq; insaniã putat, referre causam ad aratorũ boum cornua, quorũ occursu dum iactãtur semina percussa obduruissent: nam si in lapidẽ impegerint, nõ ideò lapidescunt, quũ lapis quouis cornu durior sit. Præterea si ad cornua non offenderint, vt qui equis, &

mula-

mulabus arant, etiam robustæ, & incoctiles nascuntur. Neque solas ex leguminibus fabas lentesq; pati hoc, sed alia legumina, & frumenta. Sed videri hæc sola pati, propter eorum vsum frequentiorem. Præterea aliis fresis vti solemus, non integris, & ex farina, nec facile deprehendi potest importuna hæc cruditas, quæ vi ignis domari non potest. Existimat igitur id vel à solo, aut cœlo euenire. Fit enim vt ager vnus, cultus idem, aliquando coctilia, aliquando incoctilia ferat, & aliquando sulco discriminante, semina vt hîc facilia, illic cõtumacia nascantur. Eueniunt etiam ex seminibus coctilibus incoctilia, & vicissim ex his illa. Vocat coctile, quod facile elixari ad nostri vsus rationem potest, contra vitium in tarditate coquendi, vel quod laxari non potest, incoctile. Tandem aditum totius vestigationis alimentum esse dicit, & ab eo procedere. Scilicet eius qualitate, & quantitate: nam quæ tepidis locis, stercoratis, tenuibus, & apricis sunt, alimentum leue, & facile habent, itaque fructum rarum, mollemque præstant. Exemplum in terra Lemnia, vbi quia terra lenis, similia alimenta porrigit, ob id coctilia. Ægyptus etiam soli, & aëris causa coctilia affert. author enim coctilitatis, & digestionis est calor: quapropter stercorata antecedunt vicenis ferè diebus ea, quæ nõ stercorata. Quæ igitur agro feruenti leuiq; proueniunt, his de causis coctilia sunt. Contra quæ terra frigida, lenta, & viscida, & quæ nimio abundet humore, & stagnanti, & cui subsunt scatebræ, exurgunt, incoctilia sunt, nimia alimenti copia, ex permistione frigidæ partis, & terrestris, congelatio nanq; & condensatio ex iis fiunt, quibus induratio. Vnde palustria nulli vsui humano procreant idonea, & non nisi pecori abdicata, vt ne macerata quidem obsequantur. Quum dixerit de solo, transit ad causam aëris, & ad eius peregrinas conditiones, nempe pluuias, quia alimenti pars est, vnde quum plus alimenti, & crudius subministretur, eandẽ sequi deprauationem. Vnde si incessatur imbribus, perinde esse, ac si sua natura terra sit vda. Si causæ digerantur in hæc, nil vetat si ager vnus, aliàs coctilia, aliàs incoctilia ferat, nihilq; vetat si eodem sulco diuersa semina procreentur, quum in terris etiam venæ difformes sint, & vt in metallis, sic & in aruis putandum est. Ex his rationibus sequitur, quod partium quoq; partes diuersentur, vt ex eodem caule diuersis naturis prodeant semina, & ex eadem siliqua, vbi scilicet aër suam impegerit qualitatem. Accedit ad hæc imbecillitas fabacei generis, vt eius partes etiam imbecilliores sint. Argumentum illud est quod faba sui coloris non sit compos perpetuò, sed interdum nigrescat. A frigore etiam concretionem, & densitatem fieri ostendit regio apud Philippos, in qua nascuntur incoctiles fabæ, quod regio illa frigida sit: aliud argumentum, quod si in area relinquatur in valuulis, iam estu torrefactis, non mutantur, sed manent coctiles, tum quia teguntur siliqua; tum quia sese mutuò stipant, tum etiam quod terra affecta est calore, muniuntur aduersus illam refrictionem,

sic è contrario ablatæ ab area, positæq; in tabulatis flatus subit, & cõdensat, propter imbecillitatem, quippe tum primum exutas domiciliis suis. Sed si vbi perfectę fuerint vannentur, nil tum à ventis patiuntur, quia iam durius corium præsidio est. Adhuc si diutius sub diuo relinquantur, contrahunt vitium incœtilitatis, quia ex refrigeratione durescunt. Et post sationem si imbres incesserint, incoctiles etiam euadunt: non est igitur mirum, aërem, aquam, & solum, cogere posse in sua iura semen ipsum. Sunt & qui dicant incoctilia fieri, quando putamine duriori vestiantur, quippe nõ videntur admittere calorem, quo perficiantur: quod si corticis contumacia remiserit, admisso calore coctilia fieri. Qui verò putant hoc vitium fieri, dum in area sunt, non est verisimile, quippe solis vis si dempserit de succo aliquid, ac de suauitate, tamen addit aliquid facilitatis ad coctionem, & si hoc verum sit, non tamen aduersatur iis, quæ diximus: nam hæc siccitas non affert duritiem sicut illa, quæ prouenit à condensatione: nam hæc exiccatio solis potius rara facit. Coctilia etiam facile perforantur, quia sunt dulciora, facilius in eis bestiolæ generantur, & concocta magis sunt, ob id etiam celerius immutantur. Plinius: Circa Philippos ateramnon nominant in pingui solo herbam, qua faba necatur: teramnon, quia in macro, quum vdam quidam ventus afflauit. In qua translatione aperto errore Plinius falsus est, quippe Græci non herbam inter fabas nascentem, sed ateramnon vocant legumina inobsequiosa, & contumacia.

Inf. rem. Faba, Theophrastus inquit, magis ærugine infestatur, quia vndique foliis stipatur, & foliorum sinibus insidet humor, densiusq; obseritur, & sua raritate plus trahit humoris. Adde quod fructus haud procul abest à terra: inferiores ob id putrescunt partes, quia minus perflabiles, haret humor, nec excutitur, ob id faciliùs putrefit: rubigo enim putrefactio quædam est residui humoris, quapropter ex largioribus imbribus rubigo non prouenit, qui cluunt se ipsi, sed ex minutis pluuiis, atque roribus siue flatu, siue solis superuentu. Nec omittit fabarum putamina, quæ non solùm radicibus, sed etiam germinibus arborum apposita sunt, nocere, & præsertim iis, quæ nuper prosiluere, vtpote imbecillioribus: idque duritia, & siccitate sua operantur, alimentum tum trahendo tum arcendo, alimento enim destituta omnia moriuntur. Didymus: Caue ne ponas circa arboris radicem fabæ semen, ne arbor arescat. Arbores omnes iuuari dicuntur fabarum paleis, aut aliorum leguminum, aut frumentacei generis, iuxta cuius radices inditæ fuerint arefactæ. Quintilij: Quæcunque arbores flores abiiciunt, aut defluos habent, sic curabis: Circumfossis radicibus palearum fabacearum aqua temperatarum, magnę quidem arbori octo congiorum mensuram, paruæ verò non minus, quam duos congios circumiice, sic ægrotantes curabuntur, & de cætero à morbo liberæ erunt.

De piso.

De piso. CAP. XL.

POST fabam de piso dicemus, quod nullum vel hoc nomine à faba nobilius. Varro: Si pabulum naturale desit, feratur, quòd maximè sequantur apes pisum, quod valentibus vtilissimum est.

Nomen. Græcis πισὸς dicitur, à Pisa, loco, in quo olim copiosissimè nascebatur, inter Ossam, & Olympum montes sito, vnde adlatum prædicant. Dicitur etiam Græcè λέκιθος, quasi dicas oui vitellum, quem colore & similitudine exprimit, quum per maturitatem ex viridi flauescit. Dicitur & ὠχρὸς, id est pallidum, à medullæ colore. Latinis pariter pisum, pisus. & pisa, vni tantum Palladio dicitur in genere fœminino. Vocant etiam eruiliam propter similitudinem, quam cum pisis habent. Itali *pisello* dicunt.

Descriptio. Theophrastus, quando è terra nascitur, inquit, frequenti exit folio, oblongiusculo, caule humi sparso, siliqua cylindracea, granis non interseptis, sed quasi inuicem se contingentibus, amplum vagumque, sed radice imbecilla. Plinius: Quorundam caules sparguntur in terram, si non habeant adminiculum, vt pisorum, quod si nō habuere, deteriora fiunt. Folia multiplicia, granū inæquale, & angulosum veluti cicercula. Prolixè admodum hæc seges serpit, humi semper sparsa, nisi ridicas sit nacta. Folio oblongo. Prælongis, gracilibus, & fistulosis caulibus, per media folia euntibus perfoliatæ modo, supernè in clauiculas eminentibus. Flore papilionis effigie, albicante, sui medio purpureo. Februario, & Martio mensibus floret, & subinde semina in vaginulis cylindraceis affert.

Genera. Duo sunt apud nos pisi genera; vnum minus, fulcris non indigens, alterum arbores scandens, quibus accubet affixum, omnia capreolis vinciens illigat. Discrepant & colore grana, alba, & cinerea, quæ nōnulli eruilia vocant. Minus in cibis gratum. Vidimus & vnum genus angulosa corporatura, quod existimauimus Plinianum. Syluestre copiosum est, apud nos nascens, figura non absimili, radice multis fibrillis capillata, adultiore, flore coloris obsoletioris, folio nigriori.

Cælum. Columella tepidum locum exoptare scripsit, & cœlum frequenter humidum. Plinius in apricis seri dixit, frigorum impatientissimum. Ideo in Italia, & austeriore cœlo non nisi verno tempore.

Solum. Serendum soluta, & facili terra. Stercorari agros piso Saserna putauit. Subdit Columella. Si confestim aratrum sequatur, & quod falx reliquerit, prius quàm inarescat, vomis rescindat, atque obruat, id cedit pro stercore. Plinius in Italia seri terra facili ac soluta. Leontius, pisum, dicit lutosa terra serere conuenit, in arida enim conciditur, priusquam enascatur, & perit. Quæ verò non conciduntur, degeneres fiunt.

Satio. Sera, Theophrastus ait, satione gaudere. Columella, Tribus modiis iugerum obseritur, licet obserere primo tempore sementis, ab æquinoctio autumnali. Plinius; Nouembri mense seritur in Græcia pisum, at in Italia, &

austeriore cœlo non nisi verno tempore. Iugerum pisi tres modios recipit. Palladius Septembri mense postremo, & ad idus vsque Octobris pisum serit. Iugero quatuor modios, vel tres sparsisse sufficit. Nos Nouembri, & Decembri, Ianuario, & Februario serimus. Ridicas iuxta affigimus quo sequaci reptatu per ramos scandant, nec humi serpant, & corrumpantur. Colliguntur quum perfica fuerint, nec Luna minuente.

Inf. rem. Theophrastus fragilissimum pisum putat, quippe æruginem vehementissimè sentit, quia frequenti folio est, terrenum, amplum, vagumque. Implet enim locum totum, etiam si amplo interuallo positum sit. Frigoribus, atque gelationibus id obnoxium maximè, quia radice imbecilla cohæreat. Vermes etiam in piso nascuntur, quum aer modicè humidus, siccusque, vel quum tempestiuè non humescit.

Cibus. Diocles in leguminum censu ei secundas à faba tribuit partes. Galenus fabis non dissimilem retulisse naturā dicit, nec diuerso ab illis modo mandi. Apud nos commendatio in iurulentis, quia facile elixantur, & manduntur in patinis cū suis thecis, & in opiparis cœnis nullū legumen sæpius se offert.

Cōditura Exucto solibus humore, diutius à putrilaginis labe vindicatur, suis valuulis explicitum.

De cicere. CAP. XLI.

POST pisum, cicer describetur, cuius exactam historiam, à Theophrasto desumemus.

Nomen. Græcis ἐρέβινθος, Latinis cicer, Italis *cece, & cecere* dicitur.

Descriptio. Theophrastus ita effigiat. Caule surgit omniū firmissimo, lignosissimo, sed obliquo, parua siliqua, pauciora continet, cùm cæteris leguminibus seminum multitudo pro eius magnitudine sequatur. Principium vnde siliquis adhæret, eminens est, quo germinat, & radicatur. Summam foliorum partem salsilago quædam obducit. Altissima radice cohæret, quum legumina ferè cuncta singulari nitantur radice, eademque lignosa, & prætenuibus surculis capillamentorum fibrata, & nonnunquā ex latere emittit. *Plinius* ex eo: Altissimas cicer radices habet, ramosaque est, folio multiplici, *siliquis* rotundis. Culmo apud nos surgit, sesquipedali, lateratim ramoso, quasi in obliquum flexo, fistuloso, compluribus in eo hærentibus foliolis rotundis. Iuxta summos alarum ramulos, confertim siliquulæ proueniunt, vno exortu nixæ cylindraceæ, in quibus semina particulatim distincta protuberantibus torulis conspicitur, nulla intersepiente membranula.

Genera. Cicer, apud Theophrastum, tum magnitudine, tum sapore, odore, & forma plures differentias sortitur: vt arietinum, & columbinum. Candida inter omnia dulcedine præstant. Nigrū, & rufum firmius est, quàm album. Dioscorides syluestris, & satiui meminit. Syluestre foliis satiuo simile, odore acri, & figura seminis discrepans. Columella arietini, & punici meminit.

Plinius

Plinius dicit arietinum esse arietino capiti simile, vnde ita appellatur album, nigrumque. Columbinum, quod alij venetium vocant, candidum, rotundum, leue, arietino minus, quod religio peruigiliis adhibet. Syluestre foliis satiuo simile, odore graui. Auicenna nominat album, rubrum, nigrum, & orobinum. Apud nos arietinum videtur frontata arietum effigie, & angulo mucronem æmulante, colore album, rubrũ, obsoletè nigricans, vel ex fusco purpurascente. Græcis κριὸς dicitur. Columella videtur punicum vocare illud erui similitudine, ob id aliquibus orobeium appellatum, subamarum vt eruum.

Columella humido gaudere cœlo dixit. Palladius amare loca maritima, atque humido cœlo seri. Athenæus in agro Milesio optimum prouenire. *Cœlum.*

Breui agrum emaciare dixit Theophrastus, quamobrem solum nouale non facit, nec solo quolibet, sed bono proficit. Edax legumen esse, maximè terra potiri, etsi in ea minus temporis maneat, solum solo pullo, crassoque lætari, vel terram nigram melius cicer ferre. Breui agri succum depopulari. Cicer ob id solum nouale non facit, nec quolibet vulgari solo, sed optimo proficit, quod contra rationem esse videtur, quia non solùm celeriter exit, sed celerrimè perficitur, quum quadraginta diebus, vel paulo pluribus perficiatur, cuius rei causa robur est, quo & alta superare, & sibi sufficere potest: nam & aqua minima indiget, & hac tantum ad primum germinandum, inde quod reliquum est, se ipsum nutrit, nisi virium momenta afferat sal, exiccans quod nimis est: nam & in generatione iuuat, & priuata ciceris natura talis est. Argumento: ea, quæ secundum mare sata sunt, lætius proueniunt. Et diluta pluuiis salsilagine corrumpitur, & vermiculatur. Sed cur id in sabuletis eueniat, quærendum, nisi ab ipsius substantiæ proprietate eueniat. Sed videamus quid cæteri agricolæ de eo statuant. Cato, Cariosam terram faciet, si iacias cicer, & quia vellitur, & quod salsum est, eo malum est. Columella loco seri debere dicit quam lætissimo, nam terram lædit, atque ideo improbatur à calidioribus agricolis. Tremellius maximè obesse ait solo virus ciceris, quia sit salsæ naturæ. Plinius: Natura ciceris est gigni cum salsilagine, ideo solum vrit. Serendum in tenuiori terra, quæ non multo indiget succo. Palladius lætissimo loco serit à Columella edoctus. *Solum.*

Theophrastus tempori vtrique datum dicit, & locis dilutioribus serò serendũ censet. Eadem ex parte radicem fundit, & caulem, qua annexus siliquarũ consistit, inq; ea velut principiũ quoddã germinandi haudquaquam obscurum, ad mentulæ formam effigiatum, inspicere possis. Radix deorsum versus, folium & caulis sursum tendunt. Floris productio diuturnissima est, sed perfici diebus paucissimis potest, siquidem post sementem diebus quadraginta absolui possit: nam in totum celerrimè genus id leguminis cõsummari nulli dubium est. Herbam enecat omnẽ, & maximè *Satio.*

ac celerrimè tribulum. Florenti pluuia obest, id enim abluta salsugine radice tabescens interit, & ab erucis protinus erosum perit. Cicer nigrum, atque rufum firmius est, quam album, enimuero iactura illa salsuginis, veluti sphacelismus est. Columella. Cicer, quod arietinum vocatur, itemque alterius generis, quod punicum vocatur, seri mense Martio toto potest. Iugero modij tres abundè sunt, operis totidem seminantur, occantur duabus, sarriuntur vna, runcantur vna, velluntur tribus. Summa fit vndecim operarum. Plinius: Paucissimis diebus post florẽ maturatur cicer, id enim à semente diebus xxxx perficitur, nec nisi madefactum pridie seri debet. Imber florenti nocuus. Commune omnium satorũ vitium vrica, etiam ciceris, quum salsilaginem eius abluendo, imber dulcius id facit. Serere in iugero temperati soli iustum est ciceris modios tres. Palladius Maio mense serit. Iugerum tribus modiis conseritur.

Cultus. Certo mangonum commẽto cicer præmature exire monet Theophrastus, si iam suis thecis prius aqua maceratum seratur. Primo quia minus putrescit, quia arcetur siliquarum obiectu humidioris terræ noxa. Præterea ex putaminibus ipsis putrefactis plus alimenti accedit, sic ante illa exeunt, quæ sine thecis nata fuerint. Ne florenti ciceri pluuius aer obsit, nam abluta salsugine, tanquam ei ingenita & connaturalis tabescit illicò, & exeditur erucis, ab ea noxa liberat vinum, si semen in eo præmaceretur, nec ratio deest, quia vinum acrimonia non caret, qua salsugo illa fouetur, ne tam facile imbribus diluatur, & erucæ à vino cauent. Columella vt celerius enascatur, macerandum pridie iubet. Florentinus: Si pridie quàm seminaturus es cicer aqua tepida maceraueris, maius nascetur. Quorundam superuacua cura est, qui maius cicer esse volentes, vnà cum corticibus ipsum similiter præmaceratum, addito nitro in aquam serunt. Quod si præcox cicer facere velis, ipsum circa hordei tempus seminato. Quo verò vigoris tempore nemo ipsum comedere possit, cucumeris syluestris, & absinthij semine ex aqua tritis per dies quinque sub diluculum irrorato: etenim ros per quinque dies eluit omnem ex ipso amaritudinem. Palladius: Macerandum est pridie, vt possit citius nasci. Cicer grande nasci Græci dicunt, si aqua tepida pridie infundatur.

Inf. rem. Vermes ciceri innascuntur, & erucæ, ob alimẽti, cœlique intemperiem, videlicet quum plus minúsve alimenti præbetur: aer enim immodicè humidus siccúsve est, vel etiam quum non tempestiuè humescit. Ciceri verò, quum salsugine ablata dulcedinem ceperit, vermes innascuntur, quippe natura vbique animal gignit, modo calor cum humiditate ratione debita coëat. Tabitudo propria radicis ciceris est, & vricarum infestatio. Vermes gignuntur, quum sequutis imbribus calor repentinus humorem incluserit, sic & nasci vricæ solent. Cicer circumplicando necat se. Paxamus, Olerum medicina est cicer, si vnà seratur, arcet enim erucas, Plinius. Cicer in-

tra olera propter multa portenta serendum esse tradidit Palladius. Theophrastus refert in Media, reliquisque excelsis tractibus conditum diu perdurare posse. Corruptis seminibus animal semper gignitur, cicere excepto, id solum gignere animal nullum potest, ob id cicer omnium maximè durat. Cicer diu perdurare potest, quod acredinem, & amaritudinem habeat succi, quod & nigrescit, quum corrumpitur. Omnium optimè reponitur cicer, quia amaritudinem quandam & acredinem habet, quę quidem qualitates seruare impune possunt, quamobrem & corruptum nullas generat bestiolas, quemadmodum nec semina olerum. Nonnunquam sponte naturæ tunditur cicer, & omnino quæ acerbi saporis sunt. Plinius. Ciceri in horreis nullæ bestiæ innascuntur. *Cōditura*

De cicercula. CAP. XLII.

POST cicer de cicercula, quum non minus eo apud nos seratur colaturque, nomine & figura affinis.

Quæ Theophrasto λάθυρον, & λάθυρος, Theodoro interpreti, & Latinis cicercula est. Neapolitanus *cicerchia* corrupto à cicercula nomine. *Nomen.*

Caule humi prociduo, & folio, vt pisum, oblongiori exiri dixit Theophrastus. Sed Plinius: Est & cicercula minuti ciceris, inæquales angulos habens, veluti pisum. Columella. Cicercula, quæ piso similis est, sapore certe nihilo differt à cicera, sed colore tantùm discernitur: nam albedini propior, frequens apud nos seritur, quaternos & inæquales granũ habet angulos, pisi magnitudine in siliqua compressiori, ramuli in tortiles capillaceas clauiculas desinunt. *Descriptio.*

Columella, & Pallad. ab eo, cœlũ humidũ cicerculã exoptare dixerunt. *Cœlum.*
Iidemq; locum lætum ei ascripserunt, nec vllum leguminũ minus agro nocere. Immò Saserna iuuari agros & stercorari cicercula putauit. *Solum.*

Inter solstitium, & caniculam Varro serendam cicerculam putat. Columella Ianuario, & Februario seri debere, quamobrem in Italiæ locis ante Calendas Nouemb. seritur. Tres modij iugerum implent. Raró respondet, quia nec siccitates nec austros in flore substinet, quæ vtraque incommoda ferè eo tempore anni sunt, quo deflorescit. Cicerculæ modij quatuor, operas bubulcorum tres postulant. Occantur opera vna, runcantur vna, velluntur vna. Summa fit sex operarum. Eadem habet Palladius in Ianuario. Iugerum cicerculæ modios tres recipit. *Satio.*

Vermiculis obnoxia. In ipsis enim gignuntur, sequutis post imbres caloribus, vel si prius quàm fuerit resiccata, dies feruidi accesserint, & aer modicè humescens, ex Theophrasto. *Inf. rem.*

Galenus ochris, & phaselis non longè dissimili natura lathyron cõstare prodidit, Asiaticos suos eo cibo maximè in Mysia & Phrygia plurimum vti: nec eo tantum modo, quo in Alexandria, aliisque pluribus oppidis ochris, & phaselis, sed in modum phacoptisanæ etiam, id est fresorum cremoris. *Esus.*

De cicera. CAP. XLIII.

VT congenera legumina describamus, post cicerculam ciceram describemus. Columella non tam leguminibus, quàm pabuli generibus annumerat, vt dicemus in pascuis, sed eadẽ in cibis nõ inutilis, nec iniucunda.

Nomen. Theophrastus ὠχρὸς, Theodorus ciceram vertit, modo eruiliam. Varro & plerique eruiliæ sæpius meminere, & videntur per eruiliam ciceram intellexisse. Galenus eruiliam genus leguminis dicit, folio quàm faba longiore, quum eruiliæ nusquam meminerit. Neapolitani *doliche* vocant.

Descriptio. Folio oblongiore constare eruiliam Theophrastus dixit. Columella à cicercula solo colore differre, nam est obsoletior, & nigro propior, quum sapore nihilo certe differat. Palladius ab eo. Cicera distat à cicercula solo colore, quia sordet, & nigrior est. Plinius oblongiore folio eruiliam constare dixit: & quæ Theophrastus de ochro dixit, de eruilia conuertit.

Solum. Columella læto solo serit, sic ab eo Palladius.

Satio. Seritur ab eodem, primo, vel altero sulco, mense Martio, ita vt postulat soli lætitia, quod eadem quatuor modiis, nonnunquam & tribus, interdum etiã duobus, ac semodio iugerũ occupat. Ciceræ modij quatuor operas bubulcorum tres postulant, occantur opera vna, runcãtur vna, velluntur vna. Summa fit sex operarum. Palladius à Columella: Cicera Martio seritur, primo, vel secundo sulco. Iugerum quatuor, vel tribus, vel etiam duobus modiis implebimus.

Cibus. Columella. Cicera bobus erui loco fresa datur in Hispania Bætica, quæ quum suspensa mola diuisa est, paulum aqua maceratur, dum lentescat, atque ita mista paleis subtritis pecori præbetur. Ciceræ libræ sexdecim satisfaciunt vni iugo, eadem hominibus non inutilis, neq; iniucunda est. Plinius torrere docet. Quum fieret panis hordeaceus, eruiliæ admixtione fermentabantur, iustumq; erat duæ libræ in sex semodios.

Cõditura Theophrastus seruari optimè posse dixit, quoniam id habet, quod arcere, tutarique possit. Hæc tamen calida, & sicca est. Celerrimè tunditur sua natura. Plinius: sua amaritudine cicercula se facile tueri potest, ex Theophrasto, qui vt vidimus, de cicera, non de cicercula dixit.

De araco. CAP. XLIIII.

EST aracus lentis vitium, post cicerculam apponemus, quum non pauci sint non infimæ literaturæ viri, qui cicerculam à Galeno aracum vocari velint, nos distinximus, quia Theophrastus, quem in hoc opere sequimur, eiusq; valde doctrinam admiramur, vtriusque meminerit, & si Galeni aracum non sit cicercula, tamen ex leguminibus fortasse ei valdè affine est.

Nomen. Theophrasto ἄρακος, siue ἀρακὶς est. Galenus ἄραχον per χ scripsit, vltimã syllabam, in Aristophanis comœdia, quæ Heleades inscribitur, vbi inquit, aracon, triticum, ptisanam, zeiam, lolium, similam, & id semen cicerculæ affine,

fine, sed suis regionibus nasci ait syluestre quoddam rotundum, ac durum, eruo exilius in cerealibus granis, quod arachum adiecto in vltima syllaba spiritu nominant. Latini aracum dicunt.

Theophrastus nasci ait in lente, rem duram, & scabram. Galenus araci semen cicerculæ proximũ prodit, eamq; reliqua facie tam æmulari, vt multi idem esse genus existiment, quandoquidem tam vsu, quam viribus consentiunt. Sed aliquando duriores sentiuntur araci, coctiui quoque difficilius in ventre conficiuntur, sed Galeni pater Agriculturæ studiosus, quum per senectam ruri degeret, inuenit aracum quodam degenerationis argumento, durum ac rotundum innasci lenti, cibo tamen damnatum. Apud nos legumen exoritur, ab indole sua cognoscitur cicerculam in hanc spuriam abiisse, est ei prorsus cognatum & simile, vt altera cicercula dici possit, quum eius grana sordibus nigricent inter pisa, orobos & cicerculas, vt Columella affirmare videtur. Foliis cicerculæ, ramulis peruoluitur flexilibus, quasi teniolis circa frutices, vel calamos, inter legumina nascitur, vt vitium, & exitium lentium sit verè. *Descriptio.*

De lente. CAP. XLV.

LENTICVLÆ laudes apud Græcos authores maximas leges, & præsertim apud Athenienses. Pythagorici maximo honore prosequuti sunt. Varro pro apibus serendã censet, præcipuè vbi naturale pabulum abfuerit.

Dicebatur φακὸς Græcis ab rure, qui fuit ἀσκὸς, vnius elementi mutatione, quia eius siliqua granis compressis, circinatã lagenulam effigiare videtur. Latinis lens est, & lenticula, quod lenes, æquanimesque vescentes efficiat. Apud Italos nomen retinet, nam *lentecchia* vocant. *Nomen.*

Fertilissimum leguminum Theophrastus prædicat, quum pusillum semen afferat, caulis in latus spectat, siliquæ in latitudinem molliter funduntur, minor siliqua pauciora fert. Plinius: Ramosa lens. Apud nos lentis seges humi fusa, & reptatrix est, foliis viciæ, sed minoribus, floribus exiguis in candido purpurascentibus, siliquis paucis, vbi duæ, aut plurimum tres insunt. Floret Iulio mense, & deinceps in siliquis fert grana. *Descriptio.*

Theophrastus quoad colorem, saporemq; differentiam facit. Sed candida sapore præstantior. Nascitur & Indiæ lens, visu fœnugræco similis, quæ circa Vergiliarum occasum metitur. Plinius, Duo eius genera in Ægypto, alterum rotundius, nigriusque, alterũ sua figura. Vnde vario vsu translatum est in lenticulas nomen. *Genera.*

Plinius siccum cœlum exoptare scripsit. Laudatur maximè lens Pelusiaca, est enim Pelusium oppidum vnum ex sex ostiis Nili in Ægypto. Apud nos sicco, vdoque cœlo gaudet, vbi humor, lætior. Martialis: *Cœlum.*

Accipe Niliacam Pelusia munera lentem,
Vilior est alica, carior illo faba.

Solum. Cato lentem in rudeto, & rubricoso loco, qui herbosus non sit, serit. Columella: Solo tenui, & resoluto, vel pingui, & sicco maximè loco seri debere: nam in flore facile luxuriat, & humore corrumpitur. Saserna lente solum stercorari putat, si post eam viridē desectam statim aratrum subsequatur, & quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat, atque obruat. Plinius: Lens amat solum tenue magis, quàm pingue. Lentem in frutectoso, & rubricoso, qui non sit herbidus, serit, ex Catone. Palladius eadem habet, quæ Columella.

Satio. Theophrastus lentem tertiæ sationis esse dixit. Varro lentem interuallo serit inter caniculã, & solstitiũ. Virgil. occidente Boote seri debere scribit.

Nec Pelusiacæ curam aspernabere lentis,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.
Incipe & ad medias sementem extende pruinas.

Columella sementi media, crescente Luna vsque in duodecimam serit, sationesque eius duas seruat, alteram maturam per mediam sementim, seriorem alteram mense Februario. Iugerum agri paulo plus, quàm modius occupat. Lentis sesquimodius occatur vna opera, sarritur duabus, runcatur vna, vellitur vna. Summa fit operarũ octo. Plinius: Virgilius lentem seri iubet Boote occidente. Nouembri seritur. Serere iugero tẽperati soli iustum est lentis modios tres. Serendum à vigesima quinta Luna, vsque ad x x x. ita demum sine limacibus fore. Palladius eadem, quæ Columella recitat.

Ars. Theophrastus retulit lentem, quæ ante satum bubulo fimo fuerit obuoluta, longè præstantiorem fructum producturam. Ratio est, quia iuuat calor, & siccitas stercoris. Ac paxillo demissam crassescere. Columella: Lens vt celeriter prodeat, atque grandescat, antequam seratur fimo arido permisceri debet, & quum ita quatuor, aut quinque diebus requieuerit, spargi. Palladius eadem à Columella. Florentinus, Lentem, quæ ante satum bubulo stercore fuerit obuoluta, longè præstantiorem emicare fructum prodidit. Celerius que demeti pollicetur, additque proceriorem euadere, quæ in aqua tepida cum nitro prius maduerit, quàm seratur.

Def. rem. In lente exit aracus res dura, & scabra, dicit Theophrastus. Adnascitur lappa (ἀπαρίνη) lenti, & interimit, quæ alimoniam subripit, tam quam terra ministrat, quàm quæ à sole, & aëre venit. Plinius: Lentem herba securidica, quam Græci à similitudine pelecinon vocant, & quidem complexu necat. Paxamus: Lentem securidica herba, Græci pelecinon appellant, necat. Reperitur & in eis coctibilitas, & incoctibilitas. Sed eius rationes in faba diximus. Apuleius tradit seminibus lentem modicam ammiscendam esse, dum seruntur. Natura enim resistit aduersus impetus, atque molestias ventorum.

Cibus. Plinius inuenit apud authores æquanimitatem fieri vescentibus ea, & opti-

optimam esse, quæ facillimè coquatur, & quæ maximè aquam absorbet. Florentinus Ægyptiam lentem in cibo acceptam lætitiam afferre, & conciliare dixit. Ex lente intentatus est panis, quum perarida citra pingue possit friari.

Columella. Lens ne curculionibus absumatur (nam etiam dum est in siliqua estur) curandum erit, vt quum extrita sit, in aquam demittatur, & ab inani, quæ protinus innatat, separetur solida, tum in sole siccetur, & radice silphij trita cum aceto aspergatur, defriceturque, atq; ita rursus in sole siccata, & mox refrigerata, recondatur, si maior est modus, in horreo, si minor, in vasis oleariis, salsamentariisque, quæ repleta, quum statim gypsata sint, quandocunque in vsus prompserimus, integram lentem reperiemus. Potest tamen etiam citra istam medicationem cineri mista commodè seruari. Florentinus nullum semen corruptionis labem sentire promittit, quod laserpitiato aceto conspersum sit. *Cōditura*

De aphaca. CAP. XLVI.

NVNC de segetali aphaca sermonem habebimus, quum de oleracea in horto abundè dixerimus. Dubitat Hermolaus apud Theophrastum, num aphaca segetalis vnum & idem sit cum oleracea, an diuersum. Quum sanè clarè constet Theophrastū in leguminum censu segetalē aphacam ab oleracea distinxisse, inquientē, In leguminū genere, lens, aphaca, & pisum.

Græcis ἀφάκη est, vnde si Græcum etymon respiciemus, α poterit esse infìciale, & φάκος lens, quasi non lens. Potest & illud α similitudinem significare, quod quadantenus lenti simile, vt ἄλοχος vxor est quod eiusdem cum viro thori. Latinis aphaca. Italis *veccione*, quia viciæ species videtur. Neapolitani *apice* vocant, corrupto ab aphaca nomine. *Nomen.*

Theophrastus scribit aphacæ esse siliquas leniter latas, vt lenti. Nascitur in aphacis securina, securi similis, atque in omnibus ferè inest, quod simul alatur, intermisceaturque, seu ratione telluris, quod non ineptè putaueris, seu ob aliam aliquam causam. Dioscorides: Altior lente, tenuibus foliis, siliquas lenticula maiores fert, in quibus terna, quaternave semina nigra, lente minora continentur. A quo Plinius: Aphaca tenuia admodum folia habet, pusillo altior lenticula est, siliquas maiores fert, in quibus terna, aut quaterna semina sunt nigriora, & madidiora, & minora lenticula. Galenus: Aphacæ seminum figura non rotunda velut fabarum, sed aliquando latiuscula, similis lenti. Apud nos quadrangulari caule exit, flore subrubro, siliquis pisi, lenticulæ maioribus, in quibus semen viciæ maius, aut nigrius, foliis ex aduerso binis, pisi capreolis. Semen maculosum, vipereis maculis depictum, viticulis exilibus, optat pedamenta circum, quibus surrigi possit. *Descriptio.*

Dioscorides & Plinius in aruis nasci dixerunt, vel intra segetes spontè. *Cal. Sol.*

Theophrastus. Sera illarū satio est. Apud nos seritur mense Septembri. *Sata.*

Cibus. Seritur multis Italiæ locis ad columbarum ſaginam. Galenus: Aphacam cum planta & valuulis integram ruſtici reponunt, vt brutis pecudibus pabulo ſit. Per famem tamen quoſdam inueni, qui hanc quoque comederint, potiſſimum vere, quum etiamnum viret, quemadmodum fabas, & cicera eſitare conſueſcunt. Sunt non ſolùm inſuauia, ſed concoctu difficilia: alimonia, quæ ex ipſis in corpus permeat, improbi & craſſi ſucci eſſe dicitur.

Cõditura Celerrimè perit. nã corruptis animalia ꝓpria gignũtur, ex Theophraſto.

De eruo. CAP. XLVII.

ERVVM medicaminis vim obtinet, quippe per eruum Diuum Auguſtum curatum in epiſtolis ipſius memoria extat, vt ex Plinio habetur, eiusq; farina theriacam ſubintrat. Leguminibus etiam adnumerandum.

Nomen. Græcis ὄροβος, Latinis eruum, nec multum à Græco Latinũ vocabulum diſtat ab eruendo, quod manu capiatur, & eruatur. Italis *orobo.*

Deſcriptio. Theophraſtus caule obliquo exire ſcripſit, ſiliqua cylindracea, grana in ſiliquis ſine ſepto, quæ ſe inuicem vt piſum tangant, ſed minora, quàm paludapij, vel ſambuci acini. Dioſcorides, Eruum eſt frutex tenuis, anguſto folio, ſemẽ in vaſculis habens, ſimile tithymali paralij, aut catanances, magnitudine ſeminis ethiopidis, aut lithoſpermatis. Plinius, Ramoſum, diutius floret.

Genera. Saporem, & colorem, generum differentiam facere ſcripſit Theophraſtus, ſed candidum dulcedine præſtat. Galenus addit: Pallidum inter candidum, & rufum medium: laudatque flauum & pallidum, vtpote medicamentoſum haberi, & alterum inter ſegetes ſpontè naſcens.

Solum. Lætari loco macro, nec humido Columella dicit, quia luxuria plerunq; corrumpitur. Palladius: loco ſicco, macroque.

Satio. Theophraſtus vtrique tempori dari ſcripſit. Seri maturo ſatu, ſui roboris cauſa, quum poſſit hyemis algores ſufferre. Temporis ratione ſemina mutari, vt leuiora, facilioraque reddantur, nam ſi eruum quis vere ſerat, facile gratumq; exit, non graue, quemadmodum ſi autumno ſeratur. *Florum* productio diutina eſt: nam & flos cæterorum leguminum *more* particulatim erumpit, ab ima parte flore ſubeunte, ſiliquaturque diuerſis diebus. Primùm pars infera floret, quæ quum deſierit, proxima incipit, atque ita ad ſupernam itur ſucceſſu aſſiduo, qua de cauſa multa ex eruis euulſa parte ima defluxiſſe cernuntur, ſuperna verò penitus eſſe viridia. Columella: Poteſt & autumno ſeri, nec minus poſt brumam, Ianuarij parte nouiſſima, vel toto Februario, dum ante Calendas Martias, quẽ menſem vniuerſum negant agricolæ huic legumini cõuenire, quod eo tempore ſatum pecori ſit noxium, & præcipuè bubus, quos pabulo ſuo cerebroſos reddit. Quinq; modiis iugerũ obſeritur. Erui modij quinq; totidem operis conſeruntur, occantur vna, item ſingulis ſarriuntur, runcantur, metuunturque,

cuncta sex operas occupant, stercorari aruum ex eo Saserna putauit. Plinius: Nec eius operosa cura est. hoc amplius quàm vicia runcatur. Sufficiunt singulis boum iugis modij quini sati. Martio mense satum noxium esse bobus aiunt. item autumno grauedinosum. Innoxium fieri primo vere satum. In iugero erui modios sex serere iustum est. Palladius Ianuario eruum seri nouissimò loco sicco, & macro. In iugero quinque modij sufficiunt. Octobri in læto agro.

Cibus. Dioscorides ad boum saginam satum dixit coctum appositum. Virgilius idem annuit,

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in eruo.

Galenus iniucundum, & insuaue prorsus fatetur, & hominum cibis abdicandum, sed bobus in pabulo gratissimum, si prius aqua madescat. Porrò grassante famis iniuria, vt Hippocrates scriptum reliquit, inexpugnabili necessitate pressi homines, hoc sese saturant.

Inf. remi. Seri eruum inter radices cõsueuit, vt tradit Theophrastus, remedio contra papiliones, & brassicis associatur, vt ab erucis defendatur, & quicquid eiusdem generis sit. Pestis eius est orobanche, quæ scapum, & comas aggreditur, vt imbecillitatem suam fulciat, & tanquam brachiorum complexu vinciens, angit, & obstrangulat. Plinius: Est herba, quæ cicer enecat, & eruum circumligando se, vocatur orobanche.

Cõditura. Nascitur in eruo phalangium. Patientissimum omnium vetustatis est. Plinius à Theophrasto. Nascitur in eruo bestiola aranei generis, si hyems aquosa sit.

De orobanche. CAP. XLVIII.

POST eruum vitium erui prosequemur, vel anguinam erui, imo herbarum omnium, quibus adhæserit. Dicemus primo de Theophrasti orobanche, mox Dioscoridis, quæ satis inter se diuersæ sunt.

Nomen. Græcis ὀροβάγχη, quasi erui anginam dicas, suo enim amplexu, complexuque angit, & strangulat eruum. *Descr.* Theodorus eruanga vertit apud Theophrastum, quam ita describit. Erui pestis est orobanche, ciceris & fabæ, quæ scapum & comam aggreditur, vt imbecillitatem suam fulciat, & tanquam brachiorum complexu vinciens enecat. Huius speciẽ esse dicerem, quam idem Theophrastus cadytam vocat. Est Syriaca illa herbula cadytas vocata, quę arboribus, vepribus, atq; aliis quibusdam innascitur. A quo Plinius: Est & Syriaca herba, quæ vocatur cadytas, non tantum arboribus, sed ipsis etiã spinis circũuoluens se. Recentioribus Græcis videtur hæc κασσύθα, litera y in u transeunte, cassuta, & posterioribus cuscuta. Vulgò apud nos *podagra lini* dicitur, quod quasi compedibus id, cui inciderit, illigat, vt vinctu eo facile non possit extricari. Hæc thymum aggrediens, & circumplectens epithymũ à Dioscoride dicitur, sic etiam hyssopo, serpillo, aliisq; non paucis congeneribus clauiculis inhæret, vt in Gargano monte sæpius vidi,

& attrectaui: nam poſtquam ſuapte adoleuit radice, finitimis plantis ſurrecta ſeſe implicat, & alimentum nacta, ſuis radicibus deſtitutis, quaſi ſui muneris oblitis, aliena veſcitur quadra, earum ſuccum depopulando: omnibus nanque his oriendi, & aucupandi conditio par. ramulis enim ſuis ſe circumuoluendo ſumma ſenſim fruticum faſtigia ſcandit, crebriſque clauicularum voluminibus prorepens, tam ſtricto, tenacique complexu, vt velut ſtrictis laqueis ſtrangulet, vt nonnunquam ſtirpes humi deturbet, foliis orbata, flore albo, ſemine tenui, cirri diluta rutilant purpura, & nonnunquam rufeſcunt. Theophraſtus etiam, Eruanga erui, & lappa lentis proprium vitium putatur, quod altera eruum potiſſimo vincat cauſa imbecillitatis, altera inter lentem maximè coaleſcat, quæ quidem eruangæ proxima eſt: etenim pari modo aggreditur, & herbam totam veluti brachijs, nec ſecus angit, atque obſtrangulat. Altera eſt orobanche Dioſcoridis, etiam leguminum peſtis, & ab eruo nomen trahens. Cauliculus eſt ſeſquipedalis, aut puſillo excelſior, ſubrubens ſine foliis, hirſutulus, pinguis, tener, flore ſubalbido in luteum vergente, radix illi ſubeſt, digiti craſſitudine, quæ dum ariditate flacceſcit, ſcapus dehiſcens in rimas diſſilit. A recenti Græcia ὀσπρολέων, quaſi leonis legumen, aut leonteos botane, quaſi herba leonina, ex Paxamo. Neapolitanis vulgò *neca*, quaſi fabas necans dicitur. Ab aliquibus lupa, quod plantas deuorare videatur. Aliqui toram, quod vbi vaccæ deguſtarint, ſtatim tauros adeant. Plinius à canini genitalis ſimilitudine cynomorion aliquibus nominari dicit, non inepta, nec inconcinna ſimilitudine, ſi planè contempleris. A radice ſingulari ſurgens, caule glabro, aliquot foliis conferto, & inter ea emergentes flores habet, quaſi in glomerem omnes collectos, tumens circa radicem, quæ omnia caninum genitale effigiant. Hæc non amplexicaulis eſt, ſed ſola præſentia maleficium affert, radicibus alimentum omne ſubripiens, vt apparet ex eo, quod ſucciplenula eſt. Sotion, & cæteri agriculturæ authores remedia aduerſus natales eius exortus condiderunt. In aruis non prodibit, ſi in quatuor eorum angulis, & medio rhododaphnæ ramuli pangantur. Hoc eodem remedio putant legumen omne à noxa vindicari. Qui volunt hanc frugum peſtem prorſus aboleri, quinq; teſtas creta depingunt, Herculis effigiem leonem ſtrangulantis referentes, & in quatuor agrorum angulis, atque in medio collocant. Sunt qui delineatam eo modo teſtam in area tantum media, vt hanc amoliantur perniciem iubeant obrui. Democritus affirmat orobanchem herbam cõfeſtim abigi, ſi mulier quæ in menſtruis eſt, ſolutis crinibus & nudo corpore gallum in manibus tenens, areá circumeat. Sunt è Græcia, qui longa probarũt experientia, quę ſerenda ſunt legumina galli cruore reſperſa, nulla ab hac aduerſante herba ſentire penitus iniuriam, eoque roratu à nocumentis tuta eſſe aſſerunt. Plinius ſcribit: Legumentis addita coctionem accelerat.

De pha-

De phaseolo. Cap. XLIX.

EST & phaseolus ex leguminum genere: huius Theophrastus non meminit, nisi sub dolichorum nomine, nos hunc segetalem, alterum hortensem dicemus, sed nunc segetalem, intelligendo de illis minimis candidis.

Græcis φασίολος. Galenus discrimen inter φάσηλον, & φασίολον facit, ac diuersa esse legumina scribit libro de alimentorum facultatibus, & videtur hunc vilem nostrum & minimum φάσηλον, & smilacem & hortensem φασίολον dicere. Latini Græcorum imitatione pluribus nominibus nominant. Columella phaseolus, phaselus, Palladius faselus, Plinius faseolus. Itali *faggioli*. Nomen.

Plinius venosa folia habere dixit, cuius siliquæ cum ipsis manduntur granis. Surgunt apud nos phaseoli sine pedamento subsistentes, ramos in latum pandunt, foliis hederaceis, minoribus, mollioribus venosis, ternis ex vno pediculo prodeuntibus, floribus purpureis, albicantibus, siliquis pedalibus, primo exortu viridibus, & teneris, vt cum granis simul mandantur elixæ, grana alba, circa nexus, quibus hęrent siliquis, nigricantia. Descriptio.

Apud nos plura genera sunt, maiora, media, minima, albaq;. Genera.

Columella. Veruacto, vel melius pingui, & restibili agro seruntur. Ab eo eadem Palladius. Serere eos qua velis terra licet. Solum.

Virgilius ad occasum Bootes serendum phaseolum præcipit in Georgicis, Satio.

Si verò vitiamq; seres, vilemq; faselum,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.

Columella, Faselum ad escam vindemiis serito, ad percipiendum semen vltima parte Octobris, circa cal. Nouembres melius obruitur. Septembri mense seu potius à calendis Octobris phaselus rectè terræ mandatur, nec amplius quatuor modiis iugerum obseritur. Phaseoli modii quatuor obruuntur totidem operis, occantur vna, metuntur vna. Palladius eadem, quæ Columella. Plinius à Virgilio seri iubet Bootæ occidente. à Columella: Ab idibus Octobris ad calendas Nouembres. A fidiculæ occasu, occari tantum desiderat.

De dolichis, siliquis, siue phaseolis. Cap. L.

NVNC ad alteram phasioli speciem, siue de hortensi, quam supra describendam proposueramus.

Theophrasto δόλιχος, ασκολοβὸς à siliquarum magnitudine. Dioscoridi σμίλαξ κηπαία, siue hortensis smilax, Theodorus Theophrastum vertendo, vbi dolichos, siliquam vertit. Galenus libro de alimentorum facultatibus ex Theophrasti authoritate hos dolichos appellat. Itali *faggioli turcheschi*. Nomen.

Theophrastus ita suum dolichum describit. Siliqua speciali nomine appellatur, scandit pedamento, cui accumbit, prælongo, propter eos adfixo, ita enim reddi eos putant frugi, contrahit enim eruginem, nisi adminiculo fulciatur, perit facillimè siliqua. Corpore læui gracilique constat, facilè Descriptio.

arbores scandit, offensatque. Dioscorides hortensem smilacem suam ita depingit. Frutex est, folio hederæ, molliori tamen, tenui caule, capreolis vicinis fruticibus circumuolutis, qui tantum adolescunt, vt topiarias scenas repræsentare videantur. Siliquas fœnigræci profert, longiores, & torosiores, in quibus semina renum similia, sed inæquali colore recluduntur, quæ quadam ex parte fuluescunt. Galenus ex Theophrasto: Dolichus adacta palo consurgit, & fructum gerit: sin hoc adminiculo careat, vitiosus fit, & rubigine tentatur. Apud nos prolixissimis viticulis serpit, ad topiariorum ornamenta, attegia & vmbracula efformans.

Genera. Ex fructus varietate distinguuntur genera. Fructus enim perquàm amœno aspectu sunt, non flauescunt, interdum auro prorsus rubescentes, plerumq; bicolores, & vnicolores, maculis atris, giluis, rotundis granis, teniatim aspersis, obliquis, renunculi effigiem referentes.

Cæl. Sol. Cœlum, solumq; vt patricum exoptat, & milium, quum plerumq; in ea serantur, & inter ciceres, cæpas, & caules. Macro, & soluto etiam optimè prouenit: quò pinguius solum, eò rarius spargatur: etenim pensilibus hortulis mulieres nostræ serunt in fenestris, vt æstiuis solibus liberentur. In segetibus nemo veterum agricolarum meminit, quum solius horti munus esset.

Satio. Iisdem temporibus, quibus panicum, & milium à nascentibus herbis liberentur. Colliguntur vbi siliquæ albescunt, sole assiccantur, reponunturq;.

Cibus. Diocles in leguminum censu post fabam, pisum, post pisum dolichum apponit. Nos horum valuulas cum granis ipsis asparagorum more mandimus ancipiti edullo, inter bonum malumq; succum ambigente.

De lupino. CAP. LI.

DIXIMVS de satiuis leguminibus, nunc de syluestribus, vel quæ pro syluestribus habentur. Lupino multum tribuit Columella, quod & minimum operarum absumit, & vilissimè emitur, & maximè ex iis, quæ seruntur, iuuat agrum. Nam & vineis iam emaciatis, & aruis optimum stercus præbet, ac vel effœto solo prouenit, vel repositum in granario, patitur æuum, boues per hyemem alit, & famem hominibus propulsat in annonis. Subscribit huic Plinius. Nullius, quæ seruntur natura allensu terræ mirabilior est. Primum omnium cum sole quotidie circumagitur, horasq; agricolis etiam nubilo die demonstrat. Arboribus ægris lupinum circa radices earum seri conuenit, aqua lupini vst. circumfusa pomis prodest. Lupino trito cum oleo radicibus linunt, contra formicas. Apuleius Græcus addit quoq; cum sole quotidie circumagi, & ruralibus diei horas indicare, etiam aëre nubiloso.

Græcis θέρμος dicitur, quod calidior sit cæteris leguminibus, vel quod aqua calida lauatur, quo molestum, & tristem amarorem exuit. Apuleius θέρμον ὄρειον vocat, montanum lupinum, & syluestre. Legitur apud Athenæum Polemonio

lemonis testimonio lupinos apud Laconas Lysiadas nos nominari. Latinis & Italis lupinus.

Omnibus vtpote notus à Theophrasto non describitur. Siliqua magnopere circumsepta. Principium, quo siliquis adhæret concauum, habet. Plinius: Caule singulari, fistuloso, ter florens. Nos ita describimus: Culmum edit perinde ac faba, rectum & suapte natura stantem, rotundum, nonnihil tomentosum, radice singulari, & multum fibrosa, à qua ferè per totum caulem, rami alterno situ exeruntur. In pediculis folia sena, vel septena diuisura, digitata, aduersa, virentia, subtus incaua, hirsuta, siliquæ fabaceis minores, per ambitum crenatæ, fructus durus, rotundus, compressus, albidus foris, subluteus intus, perquàm amarus. Flos ter æstate spectandus: nam initio ex imo emicant albi, postea è cauliculis effœta æstate, & autumno exeunte. *Descriptio.*

Etsi syluestris penitus sit, vt Theophrastus de eo retulit, est tamen satiuus & sponte nascens. Satiui apud nos tria genera: maior, qui *ischiano* dicitur, medius *nostrate*, minimus *canzanello*. Syluestris Plinius meminit. Lupini quoq; syluestres sunt, omnimodo minores satiuis, præterquam amaritudine. Apud nos passim nascuntur, satiuum per omnia refert, nisi quia grandior multo est caule, pedali folio, quinquefariam dissecto, angustiore, flore purpureo puniceo, fructu rotundo minore, guttatis maculis, pullis, cinereis veluti viperinis. *Genera.*

Frigida, niuosaq; amare dixit Theophrastus, vt syluestre. *Cœlum.*

Idem etiam arenas, sabulũ, & terræ vitia sequi, horrere culta, & frugale solũ aspernari, & exile solum amare. Causam adde, quia in hoc sentire calorẽ & celerius perfici possit: nam in cultis & aquosis syluescens, & luxurians, infœcundum redditur. Cato: in agro rubricoso, terra pulla atterina, rudeta, & arenosa, item q[illegible] aquosa non erit, ibi lupinũ bonũ erit. Columella: Effœto prouenit solo, terram amat exilem, & rubricosam præcipuè, vel cretã reformidat, limosoq; non exit agro. Plinius à Catone, In solo autem rubricoso, vel pullo, vel arenoso, si non sit aquosum, lupinũ seri. A Columella verò: In terra maximè sabulosa, & sicca, atq; etiam arenosa. Ex densiore terra, rubricam maximè amat, cretosam terrã, limosamq; odit, & in iis non prouenit. A Columella Palladius. Qualicunq; terra seritur, limoso agro non nascitur, cretam reformidat, amat exilem terram, atq; rubricosam. Florentinus: In terra imbecilli serẽdum. *Solum.*

Lupinus duplici causa seritur, semine recipiendo, vel stercorando agro, vt loca fœcundentur exilia. Dicemus primo quando seritur ad semen. Theophrastus lupinum maturius, & protinus post aream serendum censet, licet robustissimum, aliter malè proueniet. Rationem affert libro de causis, quia terram calentem desiderat, quum eius natura difficilis, & contumax sit, argumento est nimia eius amaritudo, ob id caloris multum exigit. In matura enim eius satione, agri calorem nactus, & macerari, & optimè suum ostendere germen potest, sin minus & prauè germinabit, & simile eueniet, vt si quis exiguo igne validissimum quicquam coquere vellet, ob id bonum *Satio.*

solum aspernatur, & strigosum desiderat, & sabuleta, quia calidius & expeditius ad negotium conficiendum. Petit etiam abunde ab agricola sibi parari, vt haud profundo abscondatur sulco, vt insolari, fruiq; possit aëris tepore. In totum condi sub terram recusat, qua de causa subarantes id serunt, & sæpe si in materiem, aut herbam prædensam quampiam altè incidat, eam vi summa impellendo nititur, radiceq; terram contingit, & germinat. Ostendit etiam robur, quod altè à terra conditum, deducit radicem, & in sua se seri valet & abscondit. Primus omnium seritur, nouissimus omnium tollitur. Columella. Id solum omnium leguminũ non desiderat requiem in horreo, à Septembri mense ante æquinoctium crudis noualibus ingeras, & qualitercunque obruas, substinet coloni negligentiam. Teporem autem autumni desiderat, vt celeriter confirmetur: nam si non ante hyemem conualuerit, frigoribus affligitur. Iugerum decem modii occupant. Lupini modii decem obruuntur vna opera, occantur vna, metuntur vna. Plinius: Terram amat, terraq; operiri non vult. Et vnum hoc seritur non aratro. Coli non vult. Tellurem adeò amat, vt quamuis frutectoso solo coniectum inter folia vepresq;, ad terram tamen radice perueniat. Nihilq; aliud nullo impendio constar, vt quod ne serẽdi quidem gratia opus sit afferre. Protinus seritur ex aruo, ac nec spargi quidem postulat, decidens sponte. Primumq; omnium seritur, nouissimumque tollitur. Vtrunq; Septembri mense, quia si non antecessit hyemem, frigoribus obnoxium est. Impunè prætereaiacet, vel derelictum etiam, si non protinus sequuti obruant imbres, ab omnibus animalibus amaritudine sua tutum. Plerunq; tamen leui sulco integunt. Palladius à Columella: Septembri mense vel maturius aliquanto lupinus seritur, decem modiis iugeri mensura complebitur. Florentinus Græcus, Lupinum præ cæteris aliis serere oportet post æquinoctium autumni, non expectatis imbribus. Pro soli stercoratione, M. Varro quædam serenda non tam propter præsentem fructum, quàm in annum proficientem, quod ibi subiecta atq; relicta terram faciunt meliorem. Itaq; lupinum, quum nec dum siliculam cepit, si ager macrior est, pro stercore inarare solent. Columella, Lupinum nisi in florem verteris, nihil agrum stercoraueris, sed nec vlla res magis vacui operis, aut seritur, aut conditur. Nam & primis temporibus ante aliam sementim potest id obrui, & nouissimis post cunctos fructus tolli. Sementi facta inoccare oportet, quod sparseris. Duo iugera tres operæ commodè occabunt, arboresq; quæ intereunt, ablaqueabunt, quamuis antiqui singulis operis singula iugera sartiri, & occari velint. Plinius: octauo calen. Iulii lupinum stercorandi causa vertitur. Ad terram alendam post tertium florem verti debet, in sabuloso post secundum. Palladius: mense Septembri circa idus, vt loca fœcundentur exilia, lupinus seritur, & vbi creuerit, vertitur vomere, vt putrefiat excisus. Si quis lupinum stercorandi agri causa seminabit, aratio illud tunc debebit euertere. Cassianus Græcus: Maio mense lupinum fodere conuenit, quod stercorandi, aut purgandæ.

gandæ terræ gratia seminatum est. Deinde ante idus, antequam vitis floret, secare, quum adhuc humidum existat, & demessum sinere, vt paululum putrescat, & postea arare, donec defectum adobruatur, atq; sic radices omnes corrumpantur.

Messis. Theophrastus confestim post imbrem rapiendum monet. Siccatus enim à siliquis exilit, interitq; quum decidit. Post dies feruentes, aëre humefacto mane demetitur, quoniam si prius tangatur, decidit, & capi non potest. Plinius, Remedium eius ne metêtes fugiat exiliendo, vt ab imbre tollatur, quum cœpit maturescere, rapiendus est, quoniam cito exilit, latetq; quum decidit. Florentinus, Cõfestim post imbrem rapiendum, siccatum enim è siliquis exilit, & latenter decidit.

Cultus. Quoniam syluestre quidem est, cura ei officit, inquit Theophrastus. Columella: Lupino contraria est sarritio, quoniam vnam radicem habet, quæ si fuerit sauciata, seu vulnerata, totus frutex emoritur. Quod etiam si non fieret, superuacuus tamen esset cultus, quum sola hæc res adeo non infestetur herbis, vt ipsa herbas perimat. Plinius: Coli vtiq; non vult. Pinguescunt hoc satu arua, iuuariq; diximus: adeò non eget fimo, vt optimi vicem repræsentet. Lupinus runcatur tantum. Palladius, Lupinus si sarculetur, quia vnam habet radicem, extinguitur, quod nec desiderat, quia herbas præter auxilium cultoris affligit. Florentini Græci hæc sententia de eorum cultura: Antequam flores edant, boues immittantur, quippe quum omnem aliam herbam depascent, solum lupinum ob amaritudinem intactum relinquunt: nec eget fimo, quum pinguescant hoc satu arua, optimiq; fimi vicem repræsentet, telluremq; in futurum feraciorem reddat. Si coloni sentiat operam, relicta sede fugit, culturam enim reformidat.

Cõditura. Theophrastus lupinum diuturnius eruo & cicere contineri dicit. Amaritudinem quidem, & acredinem habet, nigrescitq; quum corrumpitur, sponte quoq; suæ naturæ tunditur, & omnino quæ acerbi saporis sunt. Columella: Repositum in granarium patitur æuum. Reliquum, quod seminis superest, in tabulatum, quo fumus peruenit, optime reponitur, quod si humor inuasit, vermes gignit, qui simulatq; oscilla lupinorum aderunt, reliqua pars enasci non potest. Plinius, Condi in fumo maximè conuenit, quoniam in humido vermiculi eius in sterilitatem castrantur. Amaritudo facit, vt diutius duret. Palladius: Iunio mense lupinus colligitur, & si placuerit, statim separetur ex area. Sed longè ab humore est ponendus in horreis: sic enim diutissimè custoditur, maxime si grana eius afflauerit fumus assiduus.

Panis. Columella: Bouem per hyemem coctum, maceratumq; probè alit. Famem quoq; si annonæ sterilitas incessit, hominibus commodè propulsat. Plinius: Lupino est vsus proximus, quum sit & homini, & quadrupedum generi vngulas habenti communis. Maceratum calida aqua homini cibo est, nam bouem vnum modii singuli satiant, validumque præstant. Florentinus: macera-

tur in aqua marina, vel fluuiatili triduo, dulcescere, & ita siccatū ad vsum recōdi, homini & quadrupedū generi in cibo esse. Boues cum paleis satiare, hominibus commodè cum triticea, aut ordeacea farina in panes digeri. Diphilus Siphnius lupinos tradit, qui maceratu dulcescūt, corporis vires alere. Quomodo enim ex eis optimus panis fiat, iam docuimus in nostra naturali Magia. Zeno Cittieus vir morosæ seueritatis, in suos familiares ac notos præter modum iracundia percitus excandescebat, verum quum plusculum vini hausisset, blandior factus & suauior mansuescebat. Rogantibus horum morum discrimen, respondere solebat, sese idem cum lupinis pati, siquidem illi antequā maduerint, amarissimi sentiuntur, dulcescunt verò potu satiati, & mitescunt.

De lino. CAP. LII.

DE lino dicemus, quod tundimus in lanæ mollitiem ad linteorum texturas. Columella inter legumina connumerat. Plinius neq; inter hortensia, neq; inter fruges asserit dici posse linum: sed miraculum ait, Herbam esse, quæ admoueat Ægyptum Italiæ septimo die: herbam esse, quæ Gadeis ab Herculis columnis septimo die Ostiam afferat, & citeriorem Hispaniam quarto, prouinciam Narbonensem tertio, Africam altero. Aliquid seri, quod ventos procellasq; recipiat: deniq; tam paruo semine nasci, quod orbem terrarum vltro, citroq; portet, gracili auena, tam non altè à terra tolli, neq; id viribus suis necti. Aiunt linum & retia Arachnem reperisse.

Nomen. Tam Græcis, quā Latinis, Italisq; λίνον dictum volunt propter corticis recta stamina in recta filamenta scindi solita, quæ etiam lina dicuntur, à quo etiam linea & libella, qua directiones, & parietum structuræ librantur. Fabri lignarii directorium filum etiam lineam vocant. Sic piscatores filum, quod annexum est hamulis.

Descriptio. Herba tam frequens est, & vulgaris notitiæ, vt superuacuum sit plura lineamenta afferre, quam sequentia. Tenuicaulis, angustifolia, in summo acuminata, floribus cæruleis speciosis, semine strigoso, fuluo.

Genera. Duo apud nos genera visuntur, satiuum, & syluestre, vernum satiuum, hybernum rustici vocant syluestre, quia hyemis gelicidia substinet.

Cælum. Cœli, quo fruatur linū, authores non meminere, mihi tepido frui videtur.

Solum. Theophrastus solum amare dicit succosum, quum id pabulum immodicè trahat. Varro, In pingui rectius solo seritur, quia maioris est succi. Tremellius apud Columellam maximè dicit obesse terræ virus lini, quia feruidæ sit naturæ: quod etiam Virgilius significauit Georgicorum libro.

Vrit enim lini campum seges, vrit auena,
Vrunt lethæo perfusa papauera somno.

Columella, Lini semen, nisi magnus est in ea regione, quam colis, prouentus & pretium procidat, serendum non est, agris enim præcipue noxium est, atq;

atq; pinguissimum, lætum, & modicè humidum poscit. Sed omni solo, quod prædictis seminis segetibus satisfacit, vna præsens medicina est, vt stercore adiuues, & absumptas vires hoc velut pabulo refoueas. Plinius: seritur sabulosis maximè. Quintilii limosis tractibus gaudere dixerunt, & vliginosis.

Satio.

Virgilius serendi lini tempus præscribit Georgicorum primo.

Libra dies, somniq́; pares vbi fecerit horas,
Et medium luci, atq; vmbris iam diuidet orbem,
Exercete viri tauros, serite ordea campis,
Vsq; sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Nec non & lini segetem, & cerale papauer
Tempus humo tegere.

Columella, Seritur à calendis Octobris in ortũ aquilę, qui est septimo idus Decembris. Iugerum agri octo modiis obseritur, nonnullis placet macro solo quàm spississimum semen vetus committi, quo tenue linũ proueniat. Idem etiam si læto solo seratur, mense Februario, decem modios in iugerum iaci oportere dicunt. Lini decem modii vel octo, quatuor iugis conseruntur, occantur operibus tribus, runcantur vna, velluntur tribus. Summa fit vndecim operarum. Plinius, seritur vno sulco, nec magis festinat aliud. Vere satum æstate vellitur. Vere seritur. Palladius: Octobri mense lini semen seremus, si placet, quod pro malitia sui serendum non est, nam terræ vber exhaurit, sed si velis loco pinguissimo & modice humido, seretur in iugero VIII modiis. Aliqui macro solo spissum serunt, ita assequuntur, vt linum subtile nascatur. Quintilii ab æquinoctio autumnali vsq; ad exortum Arcturi, quod fit pridie nonas Ianuarii. Nos autem linum serimus maxima diligentia & labore. Solum ante hyemem proscindimus, vt glebæ gelu in puluerem redigantur. Post hyemem quinquies, aut sexies aratur, vt optimè tellus pulueretur, sed eo pacto, vt aratrum primo profundius immittatur, ac deinde minus, postremo, quá sublime fieri poterit. Inde à medio Aprilis vsq; ad calcem optimum est sarritionis tempus, spargatur semen, ac aratro cooperiatur. Proficiet si post sationem ager herpicis obseratur, si tẽpus siccius, optimum esset, si tellus madescere posset. Locis calidis potest & ante hyemem seri, vt adueniente frigore sit firmiusculum, vt ab eo se tueri possit. Cretosa humo etiam tunc optimè prouenit. Conducibilius erit ab hominum manibus, quàm bubus herpica trahi, ob vrinæ incommodum. Ab herbis liberandum lolio, & cassutha, nam caulem amplexantes angunt, & strangulant, idq́ue prius quàm crescant: nam si increuerint, & amplexantes linum suis cincinnis lędunt, & ægrius diuelluntur. Qui ince sunt per segetem caueant, ne proculcent & obterant pullulantem.

Messis.

Plinius de eius messi hæc habet. Maturitas eius duobus argumentis intelligitur, intumescente semine, aut calore flauescente. Tunc euulsum & in fasciculos manuales colligatum, siccetur in sole pendens conuersis supernè radicibus vno die, mox quinq; aliis in contrariũ inter se versis fascium : acuminibus,

vt semen in medio cadat, deinde post messem triticeam virgæ ipsæ merguntur in aquam, solibus tepefactam, pondere aliquo depressæ. Nulli enim leuitas maior. Maceratas indicio est membrana laxatior. Iterumque inuersæ vt prius, sole siccantur, mox arefactæ in saxo tunduntur stupario malleo. Quod proximum cortici fuit, stupa appellatur, deterioris lini, lucernarum ferè luminibus aptior. Et ipsa tamen pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. Medullæ numerosior distinctio, candore, mollitia. Cortices quoq; decussi clibanis, & furnis præbent vsum. Ars depectendi, digerendiq;: Iustum est è quinquagenis fascium libris quinas denas carminari. Iterum deinde in filo politur, illisum crebro in silice ex aqua, textumq; rursus tunditur clauis, semper iniuria melius.

Cibus. Theophrastus semen habere quandam pinguedinem, & lentitiam dicit. Plinius. Exprimitur è semine oleum, quod non solum medicis, sed etiam pictoribus, lapicidis, lignariis, cementariis, ac fabris ferrariis vsui est. Præstat & ad lucernarum vsum, quod diutius igni resistat, quàm quod ex oliuis.

Inf. rem. Vnum hoc maximè rationem desiderare dicit Theophrastus, si lolium transit in linum: nam inter se plurimum distant, ni fortè pabulum id etiam immodicè trahat, vt ex ista nimietate mutatio accidat. Sed nostri agricolę credere non possunt, quod linum in lolium abeat.

De cannabo. CAP. LIII.

LEGVMINVM complura genera Columella dicit, inter quæ cannabis maximè grata, & in hominis vsum.

Nomen. Græcis *κάνναβος*. Sparsæ sunt aquarum scaturigines, quo loci cannabis sata, vel sponte nata luxuriat, ob id videtur id nominis inditum. Latinis vt Varroni cannabis, Palladio cannabus. Itali *canape*.

Genera. Meminit Dioscorides satiui, & syluestris. Plinius tria eius genera facit. Optima Alabandica, secunda Milasea, tertia rosea agri Sabini, quæ quod ad proceritatem quidem attinet, arborum altitudinem æquat. Apud nos in marem & fœminam duntaxat distinguitur, mas ex flos, fœmina sterilitatem cõpensat.

Descriptio. Dioscorides satiuam ita delineat. Foliis fraxini, graui odore, caulibus proceris, semine rotundo. Gliscit verò apud nos rectis culmis, quadratis, *striatis*, horridis, foliis nigricantibus serratis, septenis, & nouenis è singulo pediculo, diuisuris ricini, crebrisq; geniculatur nodis. Syluestrem Dioscorides ita depingit. Virgas fert altheæ similes, minores, nigriores, & asperiores, cubiti altitudinem æquantes, folio satiua nigriore, & asperiore, flore lichnidis, subrubro semine, & radice altheæ, cuius cortex torquendis funibus accommodatus.

Solum. Columella, Pingue solum, stercoratum, & riguum, vel planum, atq; humidum, & altè subactum deposcit. Palladius eadem, quæ Columella habet. Quintilii, Vmbrosis lacunis, vdisq; marginibus delectatur.

Satio. Columella, Arcturo exoriente, quod est vltimo mense Februario, circa

sextum

sextum aut quintum calendarum Martii seri debet, nec tamen vsque in æquinoctium vernum. In quadratum pedem seruntur grana sex eius seminis. Si sit pluuius cœli status, improbè seretur. Incertum est quantam impensam curamque desideret. Plinius, Seritur à Fauonio, quò densior est, eo tenerior. Quintilii, Cannabis seritur ab arcturi exortu, qui est ad quintum calendas Aprilis. Cassianus ex veterum Græcorum placitis Februario serendum censet. Palladius eadem, quæ Columella habet. Apud nos, qui cannabinæ segeti dant curam, pro restibus conficiendis lætissimo solo semina committunt: nam robustiorem cultum, crassioremq; corticem, ac rudiorem stupam creabit, rudentibus & capistris apta, & quanto rarior seretur, eò pinguior fruticabit. Situ muscoso & puluerulento, florum seminumq; spes perit. Qui verò locis mediocriter lætis, densiùs vt semen sparget, graciliorem calamum, & sine ramis, & delicatiore cortice producet, aptiorem ad nendum, & ad textrinas. Vbi sata est, herbis manibus solum purgabis.

Plinius. Semen eius, quum est maturum, ab æquinoctio autumni distrin- *Messis.* gitur, & sole, aut vento, aut fumo siccatur. Ipsa cannabis vellitur post vindemiá, ac lucubrationibus decorticata, purgatur. Improbatur cortici proximum, aut medullæ, laudatissimum est è medio, quæ mesa vocatur. Nostri maturato semine in manipulos colligunt, ac simul obseruantes seminarios culmos vnà componunt, radices verò ex altera parte. Deinde semina in culmis straminibus, vel herbis cooperiuntur, vt perfectam maturitatem concipiant per hebdomadam: inde sublatis straminibus in substratis linteis decutiunt semen, & condunt. Collecto semine, manipuli lacunis aquæ plenis merguntur, vbi macerantur diu, deinde insolantur, ac tunduntur, ac deinde cortices staminei velluntur, vt fit in lino.

Plinius, Vsus funibus vtilissimus: iis enim vtuntur in fabricis ad substinen- *Vsus.* da trahendaq; ingentia pondera, ad nauigia regenda, & ad lintea texenda, quibus infima plebs vtitur. Inuisa admodum furibus, qua subinde ii pendeant, aut laqueo suffocentur. Necessaria piscatorum retibus, quum funes & retia ex ea confecta diutius in aqua commorentur, quàm ex lino. Plagarum etiam vsibus præcipua. Apud nos ad vestium stragula, velorum, & quamlibet denique supellectilem.

Plinius. Saturandis hyeme gallinis, quo tempore raro oua parere solent, *Cibus.* hoc cibo frequenti vtuntur. Nos multum alimentum ex eo gallinis cohortalibus suggerimus, vt hyeme fœcundiores sint, sed steriles postea, quasi pinguedinis mole obrutæ redduntur. Auiculis etiam in cibum porrigimus, ac tantum saginæ affert, vt aut enecet, aut cantillandi alacritatem adimat, vt carduelibus & linottis. Præterea lucernis alit ellychnia & lucem, & ex ea oleum exprimitur.

De gossipio. CAP. LIIII.

INTER lini genera sunt qui gossipium adnumerent, è cuius fructu candidissimũ vellus netur ad multa vtile, nec est aliud lini genus, quod huic mollitie & candore præferri possit.

Nomen. Græcis ξύλον dicitur, Polluce authore, Theophrasto ἐριοφόρα dicitur, Suidæ βάμβαξ & πάμπαξ, Nicolao Myrepsio βομβάκιον. Plinio, cæterisque Latinis gossipium & xylon, vnde ligna xylina. Arabes *cottonem* vocãt, à mali cotonei fortasse effigie, quod cum eo gignitur. Itali ab his nomina mutuantes, *bombace*, & *cottone* vulgò vocant.

Descriptio. Theophrastus ita suam lanigeram depingit. In Tylo insula, in sinu Arabico est lanigera arbor, folio vitigineo fruticans, verùm minori, fructu nullo, sed in quo lana cõtinetur, mali magnitudine cernitur, verùm nascens compressum, quum tempestiuæ maturitatis sit, aperiri, lanas eximi, qua telas texunt: aliàs viles; aliàs pretiosas. Plinius ab eo: Tylos insula est in sinu Persico: Eius excelsiore suggestu lanigeræ arbores alio modo quàm serum. His folia infœcunda, quæ ni minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cotonei mali amplitudine cucurbitas, quæ maturitate ruptæ, ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Sed ex se hanc eandem alibi describit. Frutex est paruus, similemque barbaræ nucis defert fructum, cuius ex interiore bombice lanugo netur. Nec vlla sunt in candore, mollitiáve præferenda. Hæc descriptio commodè, & concinnè nostro gossipio quadrat: nam fruticulus est, in quo vitis folia, sed minora, molliora, incana, flores lutei nonnihil purpurascentes in medio, nuculasq; ferunt, aut potius mala exigua pullo colore, dum maturuerint hiantia, lanosum floccum, aut glomum ostendunt, semen oblongum cubebæ, copiosum, alba farctum medulla, oleaginosa, lanugine inuolutum, vt difficillimè extrices.

Cælum. Cœlum exoptare calidum videtur: nam Theophrastus in Arabico sinu ad orientem verso, & Tylo insula nasci dixit. Plinius in superiore Ægypti parte, in Arabiam vergente. Apud nos apricis maritimis ad Austrũ versis prouenit, vt in Apulia, sic Creta, Cypro, Sicilia, & Melisea Italiæ prouenit vbertim.

Solum. Solum pingue, lætum, & profundum amat, & si macrum erit, lætamine satietur. Sed melius erit per se pingue: nam sole incalescente fimum plantas interimit.

Satio. Satus rationem ita apud Appulos obseruauimus, vbi copiosissimè seritur. Solum primò Ianuario proscinditur, Februario secundo, ac tertio Martio. Aprili demum quando seritur, iterum aratur. Semen separatur vnum ab altero, & spargitur vt triticum. Iugerum soli quarta pars modij complet, sparsum operitur pastino, nascitur post mensem, quum tria folia emerserint foras, manibus herbis liberatur, vel sarculis, & si denuò nascentur, denuo idem opus obeundum. Si in solstitio luxuriat in germina & frondes, summa decerpuntur. Floret Iulio, nec desinit florere, fructificareque, donec hyemis asperitate cohibetur. Aiunt Candiotæ cultores semen suillo stercore & vaccino mace-

macerari, sic vberius, & felicius enasci, nempe celerius emergit, & vberius fert, anteuertitque frigoris tyrannidem, & sæuitiam. Sic etiam nostri olitores in minus commodo cœlo, vel morosissimas plantas vernaculas faciunt.

Nullum lini genus huic candore, & mollitie præfertur, quanquam firmitatis in eo parum. *Vsus.*

De fœnugræco. CAP. LV.

SERITVR fœnumgræcum ad messem, & ad pabulum, ad pabulum quomodo seratur dicemus in prato.

Βούκερως Theophrastus illi nomen imposuit, à bubuli cornu similitudine, & τῆλις. Plinius αἰγόκερως à caprini cornu similitudine: sic etiam κεράτις, nam κέρας Græcis cornu est, magnaque Græcarum nomenclationum pars à siliquis, quæ corniculis similes existunt, desumpta est. Hippocrates κέρας. Varro siliculam vocat, Columella ab iisdem siliquis siliquam vocat, inquiens: Siliquam, quam rustici fœnum græcum appellant. Plinius siliciam, Palladius fœnugræcum. Itali *fienogreco*. *Nomen.*

Theophrastus ait eius semen viride inolidum esse, siccum verò odoratum. Ex Dioscoride. Siliquas profert smilacis, sed minus longas, & torosas, semen loti syluestris, sed multo minus, vel myagro simile. Emicat fœnumgræcum cauliculis parum striatis, foliis ternis, loto æmulis, & crenatis, flore paruo albicanti, semine anguloso, fuluo in corniculis. *Descriptio.*

Theophrastus fœnumgræcum solo tenui inarescere, nec pingui producere, quod nulli è reliquis accidere dixit. Vt in Eubœa apud Lelantum nasci quidem omnino nequit, & apud Canethum. *Solum.*

Columella ita fert: Duo tempora sationum habet, vnum quū pabuli causa seritur, alterum mensis Ianuarij vltimo, vel primo Februarij, quum in messem seminatur. Hac ratione iugerum sex modiis occupamus, cruda terra non incommodè fit, daturque opera, vt spisse aretur, nec tam altè. nam si plus quatuor digitis obrutum est semen eius non facile prodit, propter quod nonnulli priusquam ferant, minimis aratris proscindunt, atque ita iaciunt semina, & sarculis adobruunt. Siliquæ modij sex, vel septem totidem operis obruuntur, metuuntur vna. Plinius non aratione, sed scarificatione seri dixit, quantumque peius tractetur, eò lætius prouenire, rarumque dictu, esse aliquid, cui prosit negligentia. Occatur tantum. Palladius ea, quæ Columella habet. *Satio.*

Theophrastus scribit subnasci huic statim ab radice, quod bæmodorum vocant Græci, singulari caule, nec absimili consurgens, verùm longè breuiori, in culmine quippiam capitis instar gerit, radice subrotunda nititur. Statim adnascens interit, quia pabulum tollit, tum quod terra ministratur, tum quod sole & aere venit. *Inf. rem.*

De herba tinctorum. CAP. LVI.

SERITVR in Campania herba tinctorum, officinis maxime expetita. Latet me an fuerit antiquis cognita.

Nomen. *Aluz*, vel tinctorum herba vulgo nominatur.

Descriptio. Assurgit grandi caule, & tereti, auenæ crassitie, altitudine cubitali, in longum spicata, spica à medio caule incipit, in quo flores & semen, folio oblongo, vt linaria, sed latiusculo, in viridi clarescente, flore herbaceo, vel croceo, radice tenui, alba, sapore rapisti.

Cælum. Aperto, & calido cœlo gaudet, oblæditur frigore.

Solum. Solo verò macro, & cliuoso.

Satio. Præparatur solum, vt in lino diximus. Seritur Ianuario, vel Februario, modium seminis duodecim iugera complet. Nascitur à satu sexto, vel octauo die, floret initio Maii, sementescit, excipiturq; decusso semine.

De arundine saccharifera. CAP. LVII.

NOSTRÆ segeti coronidem imponet calamus saccharatus, quum apud nos seratur, colatur, nec mediocrem quæstum inde extorqueant mercatores, dum saccharum diuersis in locis venum exportant, & præsertim quum nemo adhuc eius sationem, & vsum conscripserit, quoniam maiores nostri auditione potius, quàm oculata fide & exploratione aliqua nobis tradiderũt. Aristoteles enim & Theophrastus eius discipulus mel arundinibus Indicis excipi dixerunt. Dioscorides, Est & aliud concreti mellis genus, quod saccharum nominant, in India, & felici Arabia in arundinibus inuenitur, salis modo concretum, & dentibus, vt sal, fragile. Galenus oriri ait in Indicis harundinibus mel, saccharum nominatum. Strabo in sua Geographia non solùm radicibus, sed arundinibus mel extrahere in India, sine apibus. Varro è Latinis huius rei meminit,

Indica non magna nimis arbore crescit arundo;
Illius & lentis premitur radicibus humor;
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Plinius: Saccharum Arabia fert, sed laudatius India, est autem mel harundinibus collectum, candidum, dentibus fragile, amplissimum, nucis anellanę magnitudine. Et Seneca memorat cannas, quarum humor pinguis, dulcisque in mel abeat.

Nomen. Recentioribus Grecis saccharon, Latinis saccarum, Arriano vel calaminum, vel Indicum. Italis *Zuccaro*.

Descriptio. Non magnitudine solum, sed effigie saccharatus calamus harundines & milium Indicum, & Æthiopicum dicta æmulatur, vel medium inter miliaceas, & arundinaceas plantas, septenum, octonúmve pedum altitudine calamos profert, pollice crassiores, densis geniculis, albida, succulentaque, & per-

qpàm

quàm dulci farctus medulla, folio bicubitali, per longitudinem striato, comoso flore, quadantenus *sorgi*, radice harundinacea. Quum harundines annulæ factæ sunt, præ senio turgidæ fiunt, excluduntq; è rimis, quibus hiascunt, succum saccharatum, sed solidum salis aspectu.

Calidi, vel tepidi aëris amasiæ sunt, vtpote Ægypti, Rhodi, Cypri, Indiæ, *Cælum.* Africæ, vel Arabiæ, quæ fœlix cognominatur, sed aëre blandiori allectę, Italiæ, Hispaniæ, Galliæ tandem & orbi Europeo inquilinæ factæ sunt, vt vsq; ad Canarias transuectæ sint.

Humentis soli, & palustris amica. *Solum.*

Apud Brutios & Siculos tali arte præparatur ager. Ianuario aratur, in fine *Satio.* iteratur, dicunt vulgo *duplare*, medio Februario tertiò aratur, dicunt *tertiare*: Martio deinde postremo ager in areolas efformatur, dicunt vulgò *incasellare*: sint areæ viginti pedum longitudinis, octo latitudinis, in extremitatibus erigatur sulcus, in medio lacunæ fiant, in quibus immissæ resident aquæ, omnes aquario sulco hærent, ob id decliui aruo seruntur, qui flumini subiaceat, vt quum decurrit aqua per apertum vadum recipiat aquam, inde harundines sacchariferas iam adseruatas in metam in taleolas scindunt semipedis longitudinis, in quibus genicula intercipiantur, sulco hinc inde figuntur semipedis interuallo distantes, quæ Aprili concipientes germinant. Maio mense, vbi calor inualescit, rigantur, vt singulis hebdomadibus areæ semel irrigentur, aliis diebus aliis partiuntur, idq; vsq; ad Octobrem. Nouembri mense inciduntur iuxta radicem, & in fasciculos colligantur in metas, quæ sub dio efformantur, decem pedum altitudinis, & ita seruantur ad saccharum conficiendum, vel ad serendum Martio, & nunc ager hortus dicitur. Secundo anno Martio mense, herbæ euelluntur, & stercorantur sulci, & Maio irrigantur, vt diximus, & Nouembri secantur calami, diciturque *cannamela* vulgò. Tertio anno eadem cura. Nouembri eruitur radicibus, vt per triennium requiescat ager. Hic apud Brutios serendi modus. Possunt etiam stolones euulsi, & depacti concipere, sic etiam oculis è radicibus satis, vt in harundinibus. Si solum imbecille erit, per biennium fatigant solum.

Saccharum paratur arte tali. Euulsi è radicibus calami ad trapetum defe- *Ars.* runtur, emundantur primo frondibus, inciduntúrq; ad palmares taleolas, sub trapeto contunduntur, ac sub prælo elicitur incomparabilis vtilitatis latex. In cortinam, seu ahænum coniicitur, ac per diem naturalem efferuere sinunt, aquam iniiciendo ebullitioni suffecturam, & vicissim despumando. Si verò solum fuit imbecille, per diem & quadrantem ebulliat, vbi verò iam aqua in vaporem expirauit, excoctum saccharum instar salis coalescit, & in nolas, seu figlina vasa infunditur, in metæ formam effigiata, quibus in angustiori loco foraminulum est, suis paleis obturatum, ita quadraginta dierum spatio relinquunt, & reserato foraminulo, quo sordidius crassamentum facilius exeat, eodem dierum interuallo quiescere sinunt, inde luto ex figlina terra, &

aqua subacto dilutiore, meta latam basim inducunt, & loricata latam, duorum, triúmve digitorum faciunt, quæ crusta vbi aruerit, demum & noua superinducitur, bis térve repetunt, quousq; probè coopertam cognouerint.

Vsus. Sacchari multiplex vsus. Præbet enim suas delicias tum culinæ, tum pharmaciæ, multa enim è saccharo conflantur, loricantur, conduntur, & conuoluuntur, dulciaria, & tragemata, & alia gulæ blandimenta.

IOAN. BAPTISTAE
PORTÆ NEAPOLITANI
VILLAE
LIBER DVODECIMVS ET VLTIMVS,
SIVE
P R A T V M.
P R O OE M I V M.

IAm ad operis finem deuentum est, scilicet ad reliqua herbacea, vbi de prato, siue de pascuis loquemur. Ex iis enim villicus fœni copiam habet, quo armenta saturentur, sine quibus terra commodè coli non poterit. Cato summus in villa prato quintum locum tribuit. Interrogatusq; inquit Plinius, quis esset certissimus quęstus? respondit si bene pascat: quis proximus? si mediocriter pascat. Summa omnium in hoc spectando fuit, vt fructus is maximè probaretur, qui quamminimo impendio constaturus esset. Sed scrofa, ex Varronis sententia, de hoc non consentit, *quod* alii dant primatum bonis pratis, vt & Varro quoque, à quo antiqui *prata* quasi parata appellarunt. Columella ab his, Necessarius est prati cultus, cui veteres Romani primas in agriculatione tribuerunt. Nomen quoque indiderunt ab eo, quod prorinus esset paratum, nec magnum laborem desideret. M. quidem Porcius & illa commemorauit, quod nec tempestatibus affligeretur, vt aliæ partes ruris, minimiq; sumptus egens, per omnes annos præberet reditum, neque eum simplicem, quum etiam in pabulo non minus redderet, quàm in fœno. Vlpianus de verborum significatione pratum vocat, in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus est. Cæsar Vopiscus

piscus quum causam apud censores ageret, campos Roseæ dixit Italiæ sumen esse, in quibus perticas pridie relictas gramen operiret. Pratum summa Dei benignitate productum est, vt summa terræ cutis vbique nuda restibili feracitate, perenniq; prouentu, virore decoraretur amœno, & vltro pecori vescendo obiiceretur. Ex varia enim partium terræ commistione, cœli habitu, rore, imbribus variæ herbæ producuntur, vt variis quoq; animalium generibus pabulo esse possint.

Quot pratorum genera, & de aëre, solo, & aquis pratis conuenientibus. CAP. I.

CATO duplicis prati meminit, rigui, & sicci. Pratum si irriguum habebis, fœnum non deficiet: si non, & erit siccum, summittito. Prata irrigua, si aquam habebis, id potissimum facito: si aquam non habebis, sic vt habeas quamplurimum facito. A quo Columella. Prati duo animaduertimus genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. Sed potum prato idoneum eligamus. Columella: Nec campus concauæ positionis esse, nec collis prærupti debet, ille ne collectam diutius contineat aquam, hic ne statim præcipitem fundat. Potest tamen mediocriter accliuis, si aut pinguis est, aut riguus ager, pratum fieri. At planicies maximè talis probatur, quæ exiguè prona non patitur diutius imbres, aut influentes riuos immorari, aut si quis eam superuenit humor, lentè prorepit. Itaque si palus in aliqua parte subsidens restagnat, sulcis deriuanda est: quippe aquarum abundantia aut penuria graminibus æquè est exitio. Ab eo Palladius: Prato locum pinguem, leniter inclinatum, vel huiusmodi vallem deputabimus, vbi humor nec statim præcipitari cogitur, nec diu debet inhærere. Varro etiam campestrem positionem probauit, quia ibi semper prata herbosa. Nunc solum eligamus. Columella: Læto, pinguiq; campo non desideratur influens riuus, meliusq; habetur fœnum, quod suapte natura succoso gignitur solo, quàm quod irrigatum aquis elicitur, quæ tamen sunt necessariæ, si macies terræ postulat: nam & in densa, & resoluta humo quamuis exili, pratum fieri potest, quum facultas irrigandi datur. Palladius ab eo eligit solum pingue roscidum. Potest quidem & soluto, & gracili solo prati forma, si rigetur, imponi. Cœlum tamen optare temperatum nos dicimus, & si id non assequimur, frigido tamen proximum, humidoque: nam si frigidum fuerit, solum continuò niuibus obsessum herbarum virore orbabitur. Nimis calidum herbas exuret, calidum exiccabit, nisi propinquus adsit humor.

Quomodo fiant prata. CAP. II.

PRATA vel naturæ sponte nascuntur, vel arte fiunt. Quæ arte fiunt, vel noua instituenda sunt, vel antiqua renouanda (nam multa sunt, vt dixi,

quæ negligentia exolescunt, & fiunt sterilia) ea expedit interdum etiam frumenti causa exarare, quia talis ager post longam desidiam, lætas segetes affert. Igitur eum locum, quem prato destinauerimus, æstate proscissum, subactumque sæpius per autumnum rapis, vel napis, vel etiam faba conseremus, insequente deinde anno, frumento, tertio diligenter arabimus, omnesq; validiores herbas, & rubos, & arbores, quæ interueniunt, radicitus extirpabimus, nisi, si fructus arbusti id facere nos prohibuerit. Ab eo Palladius: Septembri tempore extirpandus est locus, & liberandus omnibus impedimentis, vel herbis latioribus, & solidis, atq; virgultis. Deinde quum frequenter exercitatus fuerit, ac multa aratione solutus, submotis lapidibus, & glebis vbiq; confractis, stercoretur Luna crescente recenti lætamine. Ab vngulis iumentorum summa intentione seruetur intactus, præcipuè quoties humescit, ne inæquale solum reddant mollibus locis impressa vestigia. Vtilissimum simul & herbę arare, deinde cratire. Nec primo anno rigari nec pasci ante secunda fœnisecia, ne herbæ vellantur, obtrituq; hebetentur. ex Plinio.

Quomodo facta prata colantur. CAP. III.

CVLTVS autem pratorum magis curæ, quàm laboris est. Primùm ne stirpes aut spinas, validiorisq; incrementi herbas inesse patiamur, atque alias ante hyemem, & per autumnum extirpemus, vt rubos, virgulta, iuncos, alias per ver euellamus, vt intuba, ac solstitiales spinas, ac neq; suem velimus impasci, quoniam rostro suffodiat, & cespites excitet, neq; pecora maiora, nisi quum siccissimum solum est, quoniam demergunt vngulas, & atterunt, scinduntq; radices herbarum. Tum deinde macriora & pendula loca mense Februario, Luna crescente fimo iuuáda sunt, omnesq; lapides, & si qua obiacent falcibus obnoxia colligi debent, ac longius exportari, summittiq; pro natura locorum, aut temporius aut serius. Sunt etiam quædam prata situ vetustatis obducta veteri, vel crasso musco, quibus mederi solent agricolæ seminibus de tabulato superiectis, vel ingesto stercore, quorum neutrum tantum prodest, quantum si cinerem sæpius ingeras, ea res muscum enecat. Attamen pigriora sunt ista remedia, quum sit efficacissimum de integro locum exarare. Quum herba permaturuerit, tum fœnisecam messorem oportet inducere, & desectam herbam religare, & exportare, deinde locum rigare si fuerit facultas aquæ, si tamen terra densior est: nam in resoluta humo non expedit inducere maiorem vim riuorum, priusquam conspissatum, & herbis colligatum sit solum, quoniam impetus aquarum proluit terram, nudatisq; radicibus gramina non patitur coalescere, propter quod nec pecora quidem oportet teneris adhuc, & subsidentibus pratis immittere, sed quoties herba prosiluerit, falcibus desecare. Nam pecudes, vt ante dixi, molli solo infigunt vngulas, atque interruptas non sinunt herbarum radices serpere, & condensare. Altero tamen anno minora pecora post fœnisecia permittemus admitti, si modo sicci-

tas, & conditio loci patietur. Tertio deinde, quum pratum solidius, ac durius erit, poterit etiam maiores recipere pecudes, sed in totum curandum est, vt secundum Fauonii exortum, mense Februario circa idus, immissis seminibus fœni, macriora loca, & vtiq; celsiora, stercorentur: nam editior cliuus præbet etiam subiectis alimentum, quum superueniens imber, aut manu riuus perductus, succum stercoris in inferiorem partem secum trahit, atque ideo ferè prudentes agricolæ etiam in aratis collem magis, quàm vallem stercorant, quoniam pluuiæ semper pinguiorem materiam in ima deducunt. Ab eo Palladius: Sed si prata vetera muscus obduxerit, abradendus est, & scalptis eisdem locis fœni spargenda sunt semina, & quod ad necandum muscum prodest, cinis sæpius ingerendus. Quod si sterilis factus est locus carie, incuria, vetustate, exaretur, ac de nouo rursus æquetur. Nam prata sterilia plerunque arare conueniet. Sed in nouo prato rapa conserere possumus, quorum messe finita, cætera quæ dicta sunt, exequemur. Plinius: Senescunt prata, restituiq; debent faba in his sata, vel rapis, vel milio: mox insequente anno frumento, rursusque in prata tertio relinqui. Præterea quotiens secta sint, sicilire, hoc est, quæ fœnisseces prætereunt secari.

Succisum fœnum quomodo tractari & condi debeat.

CAP. IIII.

EXACTISSIME Columella docet, quomodo succisum fœnum tractari, & condi debeat. Fœnum antequam inarescat, optimè demetitur: nam & largius percipitur, & iucundiorem cibum pecudibus præbet. Est autem modus in siccando, vt neq; peraridum, neque viride colligatur: alterum, quod omnem succum si amisit, stramenti vicem obtinet: alterum quod si nimium retinuit, in tabulato putrescit, ac sæpe, quum concaluit, ignem creat, & incendium, nonnunquam etiam quum fœnum cecidimus imber oppressit, quod si permaduit, inutile est vdum mouere: patiemur igitur superiorem partem sole siccari, tum demum conuertemus, & vtrumq; siccatum coarctabimus in striam, atq; ita manipulos vinciemus, nec omnino cunctabimur, quominus sub tectum congeratur, vel si non competit, vt, aut in villam fœnum portetur, aut in manipulos colligatur. Quum igitur ad eum modum siccatum erit, in metas extrui conueniet, easque ipsas in angustissimos vertices exacui: nam sic defenditur à pluuiis, quæ etsi non erunt, non alienum tamen est prędictas metas facere, vt si quis humor herbis inest, exudet, atq; excoquatur in aceruis. Quapropter prudentes agricolæ, illatum tecto, non ante componunt, quàm per paucos dies congestum in se concoqui & deferuescere patiuntur. Plinius verò: Secandi tempus quum spica deflorescere cœperit, atq; roborari, secandumq; antequam inarescat. Cato fœnum, inquit, ne serò seces, prius quàm semen maturum sit, secato. Quidam pridie rigant, vbi sunt rigua. Noctibus roscidis secari melius. Quædam partes Italiæ post messem

secant. Fuit hoc quoque maioris impendii apud priores, Creticis tantum, transmarinisque cotibus notis, nec nisi oleo falcis aciem excitantibus. Igitur cornu propter oleum ad crus ligato fœnisex incedebat. Italia aquarias cotes dedit, limæ vice imperantes ferro. Sed aquaria protinus viret. Falcium ipsarum duo genera: Italicum breuius, ac vel inter vepres quoque tractabile. Galliarum latifundia maioris compendii, quippe medias cædunt herbas, breuioresque prætereunt. Italus fœnisex dextera vna manu secat. Iustum est vna opera iugerum in die desecari, alligarique manipulos mille ducentos quaternorum pondo. Sectum verti ad solem, nec nisi siccum construi oportet. Nisi fuerit hoc obseruatum diligenter, exhalare matutino nebulam quandam, metasque mox sole accendi, & conflagrare certum est. Rursus rigari desecta oportet, vt secetur autumnale fœnum, quod vocant cordum. Interamnæ in Vmbria quater anno secantur, etiam non rigua. Ter verò plerisque in locis, & postea in ipso pabulo non minus emolumenti est, quàm à fœno. Varro: Primum de pratis summissis, quum herba crescere desiit, & æstibus arescit, subsecari falcibus debet, & quoad perarescat, furcillis versari, quum peraruit, de ea manipulos fieri, ac vehi ad villam, tum de pratis stipulam rastellis eradi, atq; addere fœnisiciæ cumulum. Quo facto sicilienda prata, id est, falcibus consectanda, quæ fœnisecæ præterierunt, ac quasi tuberosum reliquerunt campum. A qua sectione arbitror dictum sicilire pratum.

De medica. CAP. V.

PABVLORVM genera complura esse scribit Columella, sicut medicam, viciam, farraginem quoque ordeaceam, & auenam, fœnumgræcum nec minus eruum, & ciceram: nam cætera neq; enumerare, ac minus serere dignamur, excepta cytiso. Sed ex iis, quæ placent, eximia est herba medica, quòd quum semel seritur, decem annis durat, quod per annum deinde rectè quater, interdum etiam sexies demetitur, quod agrum stercorat, quod omne emaciatum armentum ex ea pinguescit, quod ægrotanti pecori remedium est, quòd iugerum eius toto anno tribus equis abunde sufficit. Plinius: Medica vel in primis dicenda. Tanta dos eius est, quum vno satu amplius, quàm tricenis annis duret. Vnum de ea, & cytiso volumen fecit Amphilochus confusim. Medicam maximè sequi apes dixit Varro.

Nomen. Græcis *μηδική* dicitur. Plinius: Medica externa etiam Græciæ, vt à Medis aduecta per bella Persarum, quæ Darius intulit. Sic nos etiam è Mediæ regionis hortis aduectum citrium, malum medicum dicimus. Latinis medica. Neapolitanis *farfara.*

Dioscorides ita describit. Medica quum recenter prodiit, foliis & caule trifolio pratensi similis est, procedens verò folia contrahit, caules edens trifolii, & siliquas coliculorum intortas, in quibus semen lentis magnitudine

dependet.

dependet. Id siccatum iucundi saporis gratia conditaneo sali admiscetur. Herba tota pro gramine vtuntur, qui pecora alunt. Ab eo Plinius: Similis est trifolio, caule, foliisque geniculata, quicquid in caule assurgit, in folio contrahitur. Ex Hispaniis aduecta, nobis inquilina facta est. Trifolium pratense æmulatur, prolixioribus caulibus, follicum orbiculatum, volutæ figuram exprimens, semina genistæ.

Iubet Varro, ne in terram nimium aridam, aut variam, sed temperatam demittas. Plinius. Poscit siccum, succisumq;, vel riguum solum. Solum.

Medicam diximus nomine suo natales suos fateri, locumque vbi fœtificat, vocabulum indicat: nam à Medis Græciæ, & Italiæ aduenit. Cælum.

Varro. In iugerum vnum, si est natura temperata terra, scribunt opus esse medicæ sesquimodium, id seritur ita, vt semen iactatur, quemadmodum scilicet quum pabulum, & frumentum seritur. Columella: Locum, in quo proximo vere medicam saturus es, proscindito circa calendas Octobris, & eum tota hyeme putrescere sinito. Deinde calendis Februarii diligenter iterato, & lapides omnes egerito, glebasque offringito. Postea circa Martium mensem tertiato, & occato. Quum sic terram subegeris, in morem horti areas latas pedum denum, longas pedum quinquagenum facito, vt per semitas aqua ministrari possit, aditusq; vtraq; parte runcantibus pateat, deinde vetus stercus iniicito, atq; ita mense vltimo Aprilis serito tantum, quantum vt singuli cyathi seminis locum occupent decem pedum longum, & quinque latum, quod vbi feceris ligneis rastris (id enim multum confert) statim iacta semina obruantur, nam celerrimè sole aduruntur. Post sationem tangi ferro locus non debet, atq, vt dixi, ligneis rastris sarriendus, & identidem runcandus est, ne alterius generis herba inualidam medicam perimat. Tardius messem primam eius facere oportebit, quum iam seminum aliquam partem eiecerit. Posteaquam voles teneram, quum prosilierit, deseces licet, & iumentis præbeas. Sed inter initia parcius, dum consuescant, ne nouitas pabuli noceat: inflat enim & multum creat sanguinem. Quum secueris autem, sæpius eam rigato: paucos deinde post dies, vbi cœperit fruticare omnes alterius generis herbas eruncato. Sic culta, sexies in anno demeti poterit, & permanebit annis decem. Ab eo Plinius: Solum, in quo seratur, elapidatum, purgatumque subigitur autumno, mox aratum & occatum, integitur crate iterum, & tertium, quinis diebus interpositis, & fimo addito. Ita præparatũ seritur mense Maio, alias pruinis obnoxia. Opus est densitate seminis omnia occupari, internascentesq; herbas excludi: id præstant in iugera modia vicena. Cauendum ne adurat, terraque protinus integi debet. Si sit humidum solum, herbosúmve, vincitur & desciscit in pratum. Ideo protinus altitudine vnciali, herbis omnibus liberanda est, manu potius quàm sarculo. Secatur incipiens florere, & quoties defloruit, id sexies euenit per annos, quum minimum quater. In semen maturescere prohibenda est, quia pabulum vtilius est vsque Satio.

ad trimatum. Verno seri debet, liberariq; cæteris herbis, ad trimatum matris ad solum radi: ita reliquæ herbæ intereunt sine ipsius damno, propter altitudinem radicum. Si euicerint herbæ, remedium vnicum est aratio, sæpius vertendo, donec omnes aliæ radices intereant. Dari non ad satietatem debet, ne deplere sanguinem necesse sit. Et viridis vtilior est, arescit surculosè, ac postremo in puluerem inutilem extenuatur. Palladius eadem, quæ Columella recitat. Virgilius vere serendam dixit.

Vere fabis satio: tunc te quoque medica putres
Accipiunt sulci.

Theophrastus medicam nimio stercore & vrina perire dixit aliorum relatione.

De cythiso. Cap. VI.

FRVTEX est & cythisus, ab Aristomacho Atheniensi miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam suum: spondetq; iugero eius annua H-S M M. vel mediocri solo reditus. Vtilitas quæ eruo, sed ocyor satietas, perquam modico pinguescente quadrupede, ita vt iumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior, super omnia pecorum medicina à morbis omni vsu præstante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atq; in aqua decoctum, potui cum vino dari iubet, firmiores celsioresq; infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut si aruerit madefactum. Apes quoq; nunquam defore cytisi pabulo contingente, promittunt Democritus, & Aristomachus, nec aliud minoris impendii est. Hæc Plinius, quæ ex Columella excepit. Cythisum in agro esse quamplurimum maximè refert, quod gallinis, apibus, capris, bubus quoq;, & omni generi pecudum vtilissimus est, quod ex eo citò pinguescit, & lactis plurimũ præbet ouibus, tum etiam quod octo mensibus viridi eo pabulo vti, & postea arido possis. Mulieres quidem si lactis inopia premuntur, cythisum aridum in aquã macerari oportet, & quum tota nocte permaduerit, postero die expressi succi ternas heminas permisceri modico vino, atque ita potandum dari, sic & ipsæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur. Varro è cythiso bonum fieri mel dixit. Et si à Theocriti & Virgilii versibus sit maximè celebratus, hodie ferè apud nos abolitus est vsus.

Nomen. Græci κύτισος dicitur. Plinius è loco nomẽ desumpsisse indicat, dum inquit, Inuentus hic frutex in Cythno insula, inde translatus est in omnes Cycladas, mox in vrbes Græcas. Ego potius Cynthisæ insulæ, quæ vna è Cycladibus est, nomen ferre dixerim. Qui κύσαν in Poëtis legunt, fœcundum fœnum dicunt, quod veneri multum fœminis ministret. Latinis cytisus.

Theophrastus hebenum cythisi modo fruticosam dicit. Molestus est iuxta nascens, alimenti rapina, nam omnia fermè necat, sed eo valentior halimus est, hic enim vel cythisum ipsum interimit. Dioscorides: Frutex cytisus est albus

albus in totum, vt rhamnus, ramos spargens cubito longiores, in quibus folia fœnugræci, aut loti trifoliæ minora, dorso medio prominente, ea digitis trita erucam olent, gustataque cicer sapiunt. Plinius: Canus aspectu, breuiterque si quis exprimere similitudinem velit, angustioris trifolij frutex. Ramulosa ei folia. Necat alimenti rapina. Galenus, Fruticosa planta cytisus est, eam altitudinē attingens, ad quam myrtus crescit. Apud nos viret cytisus frutice candido, foliis singulis pediculis ternis, & ramulosis, quæ si digitis terantur, odorem erucę proximum habent, gustatuq; cicer recens repręsentat, flore in cacuminibus saturatè luteo, pulcherrimoque. Siliquis contortis, seminibus paruis, vix ineunte æstate maturescentibus.

Columella in apibus vtriusque cytisi meminit; satiuæ, & suæ spontis. *Genus.*

Plinius in insula Cythno nasci dixit: non æstuum, non frigorum, non grandinum, aut niuis iniuriam expauescit. Vnde maximè miratur rarum esse in Italia. Apud nos frequens obuia, in Neside insula, Puteolis, Pausilipo, maritimis collibus. *Cœlum.*

Varro rectius in tenui terra seri cytisum dicit, propterea quod non multo indiget succo. Columella in quolibet agro, quamuis macerrimo celeriter comprehendere. *Solum.*

Cytisus seritur in terra bene subacta tanquam semen brassicæ, inde differtur, & in sesquipedem ponitur. Aut etiam de cytiso duriore virgulæ deplantantur, & ita panguntur in serendo. Varro. At Columella: Satio autem cytisi, vel autumno circa idus Octobris, vel vere fieri potest. Quum terram benè subegeris, areolas facito, ibiq; velut ocymi semen cytisi autumno serito, plantas inde vere disponito, ita vt inter se quoquouersus quatuor pedum spatia distent. Si semen non habueris, cacumina cytisorum vere disponito, & stercoratam terram circumaggerato. Si pluuia non incesserit, rigato quindecim proximis diebus, simul atque nouam frondem agere cœperit, sarrito, & post triennium deinde cædito, & pecori præbeto. Potest etiam ante Septembrem satis commodè ramis cytisus seri, quoniam facile comprehendit, & iniuriam substinet. Plinius: Seritur cum hordeo, aut vere, semine vt porrum, vel caule autumno ante brumam. Si semine, madidum, & si desint imbres, satum spargitur. Plantæ cubitales seruntur scrobe pedali. Seritur post æquinoctia tenero frutice. Perficitur triennio: demetitur verno æquinoctio, quum florere desinit, vel pueri, vel anus vilissima opera. Obiterque inter ordines allium, & cępe seri, fertile est.

Omnem iniuriam sine noxa patitur. *Cultus.*

Cytiso nigra materies ex Theophrasto & spissa, & proximè ad ebenum accedere videtur. Ab eo Plinius: Nigricans color cytiso, quæ proximè accedere ebenum videtur. Alibi autem: Adiicit Hyginius, ne hostium quidem, propter nullam gratiam ligni, iniuriam expauescit. Sed nos quum nigram cytisi medullam inuenire quæreremus, frustrabamur voto, attamen inueteratis, *Materies.*

caudicemque crassissimum habentibus mediam partem nigram repetimus, in adolescente vero nequaquam.

Pabulum. Equo abunde est viridis pondo, XV bubus pondo vicena, cæterisque pecoribus pro portione virium. Aridum si dabis, parcius præbeto, quoniam vires maiores habet. Prius aqua macerato, & exemptum paleis permisceto. Cythisum quum aridum facere voles, circa mensem Septembrem, vbi semen eius grandescere incipiet, cædito, paucisque horis, dum flaccescat, in sole habeto, deinde in vmbra siccato, & ita condito. Plinius. Datur animalibus post biduum semper. Hyeme verò quod inaruit, madidum. Satiant equos denæ libræ, & portione minora animalia.

De trifolio pratensi, CAP. VII.

OPTIMAM esse in prato trifolij herbam dicit Plinius, omnesq; ab eiusmodi præstantia pratense trifolium vocant. Idemque trifolium inhorrescere, & folia contra tempestatem subrigere, quod in omni trifolio obseruauimus.

Nomen. Græcè τρίφυλλον, Latinè trifolium. Neapolitani *prato.*

Genus. Trifariam distinctum à floris colore, quippe purpureum, est flore purpureo, album, albicante, & maioribus foliis alterum. Sunt & guttatis, & falcatis superficie foliorum maculis.

Caulem rotundum erigit, cubitalem, ramos exiles, folia per interualla tria, florem in summo, radicem longam, & lignosam habet. Plinius: vtilissimum simul & herbæ arare, deinde gratire, serere florem ex fœnilibus, atq; ex præsepibus fœno dilapsum spargere, priusquam gratiantur. Nec primo anno rigari, & cætera.

De vicia. CAP. VIII.

E Pabulorum genere vicia est, authore Columella, atque agrum stercorat, in quo seratur, nec ipsis agricolis operosa. Sed oportet vbi viridem viciam desecueris, aratrum subsequatur, & quod falx reliquerit prius, quàm inarescat, vomis rescindat, atque obruat. Id enim cedit pro stercore: nam si radices eius desecto pabulo relictæ inaruerint, succum omnem solo auferent, vimque terræ absument.

Nomen. Græci βίκιον dicunt, quod semen fortasse lagenulæ effigiem referat, Latini viciam, vt Varroni placet, à vinciendo, quod item capreolos habeat, vt vitis, quibus sursumuersum serpit, ad scapum lupini, aliúmve calamum, ad quem vt hæreat, eum solet vincire. Itali *veccia.*

Descriptio. Cubitali assurgit altitudine, foliis aphaces, angustioribus tantum, flore pisi, nigricantibus in siliquis seminibus, vel fuscis, quorum figura lenticularis. Iunio mense floribus, & seminibus prægnans est, humi funditur, & repit. Galenus viciæ semini figuram assignauit non orbicularē, sed lenti similem, & fabarum modo longiusculam.

Plinius

Plinius siccitatem ex omnibus, quæ seruntur, maximè amare, nec aspernari vmbrosa. Cato quam minimè herbosis locis seri iubet. Colum.

Viciæ duæ sationes sunt. Prima quam pabuli causa circa æquinoctium autumnale serimus, septem modios eius in vnũ iugerum. Secunda qua sex modios mense Ianuario, vel etiam serius iacimus semini progenerando. Vtraque satio potest cruda terra fieri, sed melius proscissa, idque genus præcipuè non amat rores, quum seritur. Itaque post secundam diei horam, vel tertiam spargendum est, quum iam omnis humor sole, ventóve, detersus est, neque amplius proiici debet, quàm quod eodem die possit operiri: nam si nox incessit, quantulocunque humore, priusquam obruatur, corrumpitur. Obseruandum erit ne ante quintam, & vigesimam lunam terræ mandetur. Aliter satis ferè limacem nocere comperimus. Hæc Columella. Sed Plinius tria eius sationis tempora dicit, Circa occasum Arcturi, vt Decembri mense pascat, tunc optimè seritur in semen. Æquè namq; fert depasta. Secunda satio mense Ianuario est: nouissima Martio, tum ad frondẽ vtilissima. Vno sulco sata, non sarritur, non stercoratur, nec aliud quàm deoccatur. Ex semine eius, si lecta matura est, palea cæteris præfertur. Viribus præripit succum, languescuntq; si in arbusto seratur. Limaces nascuntur in vicia, mirum in modum erodentes eam. Viciam non proscisso serere sine damno, compendium operæ est. Serere in iugero temperati soli iustum est tritici modios quinque, viciæ duodecimam partem amplius quàm tritici. Viciam à xxv, ad xxx lunæ diebus serendam, ita demũ sine limacibus fore. Quidam pabuli causa sic seri iubent, seminis autem vere. Virgilius viciæ tempus sationis docet. Satio.

Si verò viciamq; seres, vilemq; faselum,
Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes.

De ocymo. Cap. IX.

Diximvs simplicia pabulorum genera, nunc mista prosequemur. Erat apud antiquos pabuli genus, quod Cato pabulum vocauit, eoque sistebant aluum bobus: id erat è pabulis, segete viridi desecta, antequam gelaret. Sura Manilius id aliter interpretatur, & tradit fabæ modios decẽ, viciæ duos, tantundem & eruiliæ in iugero autumno misceri & seri solitos. Melius & auenagræca, cui non cadit semen, admista. Hoc vocitatum ocymum, boũmq; causa seri solitum. Varro appellatum à celeritate proueniendi, à Græco, quod ὠκὺς dicunt. Hæc Plinius. Sed Varro. Ocymum dictum à Græco verbo ὠκέως, quod valet cito. Similiter quoque ocymum in horto. Hoc amplius dictum ocymum quod citat aluum bubus, & ideo iis datur, vt purgentur, id ex pabuli segete viride sectum, antequam gerat siliquas.

De farragine. Cap. X.

Varro, Ex segete, vbi satu admista ordeũ & vicia, & legumina pabuli causa viridia, quod far, & ferro cæsa, farrago dicta, aut quod primũ in farra-

cia segete seri cœpta. Ea equi, & iumenta cætera verno tempore purgantur, ac saginantur. Columella: Farraginem in restibili stercoratissimo loco, & altero sulco serere conuenit. Ea fit optima cum cantherini ordei x modiis iugerum, obseritur circa æquinoctium autumnale, sed impendentibus pluuiis, vt consita rigataque imbribus celeriter prodeat, & confirmetur ante hyemis violentiam: nam frigoribus, quum alia pabula defecerint, ea bubus cæterisq; pecudibus, optimè desecta præbetur. Et si depascere sæpius voles, vsque in mensem Maiū sufficit, quod si etiam semen voles ex ea percipere, à Cal. Martiis pecora depellenda & ab omni noxa defendenda est, vt sit idonea frugibus. Plinius. Farrago ex recrementis farris prædensa seritur, admista aliquando & vicia. Eadem in Africa fit ex ordeo. Omnia hæc pabularia: degeneratq; è leguminibus, quæ vocatur cracca: in tantum columbis grata, vt pastas ea negent fugitiuas illius loci fieri. Palladius: Farrago etiam loco restibili stercorato seritur. Ordei canterini in iugero x spargimus circa æquinoctium: & cætera quæ Columella.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX PERSPICVVS VILLAE LIBRORVM XII: QVI VT PROBA SERIE DIGESTVS EST, ITA ET MAXIME GENERA NOTATU digniora complectitur.

ABDOMINVS, *stirpis regia, ruri agit* pag. 12, vers. 31
abies, arbor conifera resiniferaq. 74,20 *unde dicta* 74,22 *uti describatur a Theophrasto* 74,28 *quot specierũ sit* 76,35 *quibus gaudeat locis* 77,12 *qua aliá melior* 77,30 *eius satio* 78,4 *eius materies* 78,12 *abies admirationis pracipua* 79,4 *abies ab Hercule euulsa* 80,15 *abietis resina* 80,19
ablaqueatio fossionis species 227,22 *quid sit* 227,23 *ablaqueatio oliueto necessaria* 465,29
Abrotonos, femina 620,32
abrotonum quam vim habeat 620,17 *vnde denominetur* 620,21 *quot generum* 621,6 *quale solum appetat* 621,8
Absyrtus Medea 447,5
Academia Athen. situs 9,31
Acdestis, qui Atyn adamat 87,11
acer, siue aceris, arbor 127,15 *acer operum elegantiá cedro secunda* 128,9
acetaria hiemalia 659,40 *acetaria herba* 653,37. 654,1
acetum cõficiendi modi 572,32 *acetum quid* 572,38 *acetum an aquam habeat* 573,9 *acetum dulce* 573,10 *acetum duplicatum* 573,15 *acetum commentitium ex non vino* 573,21
acharnitarigua 636,16
Acheron inferorum fluuius 134,23
Achillis hasta fraxinea 123,39
Achilles corona oleaginea donatus 440,28
Achillis sepulcrum 609,23. 614,33
Acilius Sthenelus 5,36
acropolis quid 114,11
acus moscata 679,7
Adamo protoplasta terra cultura a Deo mandata 2,7
Adamus in deliciarũ horto posit⁹ 6,16
Adami pomum 270,8
adolescetia negligentẽ quem reddit 21,27
Adonis Veneri dilectus 584,37 & 41 *à Marte casus* 585,1 *Myrrha filius* 654,37 *à Venere lugetur* 737,15
Adonidis cruor in anemones florẽ mutatus 612,14 *Adonidis fabula quid denotet* 612,31 *Adonidis hortuli vt pangebantur* 621,19
Adorea dea qua 845,6
adoreum quid 844,35
ador & adoreum 845,3
adificiorum rusticorum situs 45,19
agilops 160,14 *& eius figuratio* 160,15
agilopis descriptio 856,37
agis quid 95,38 *agis mellei coloris* 100,28
Ægypti lanificium 4,25
Ægyptia nauigatio 14,13
Ægypti cœlũ, caliginosum & roscidum 582,38 587,39
Ægyptiorum mos in designando sano homine 614,39
Ægyptus qualis terra 752,28

XXX

Ægyptij sacerdotes capis abstinuere 787,39
Ælij Spartiani hortus 12,4
ænigmata & gryphi, Latinis scirpi & quæstiones lusoria 680,24
æquinoctiū autumnale 821,10. 846,14
Æsculapij caput lauro redimitū 114,2
æstus adurit olivas 474,29
Æthiopes, Rhizophagi dicti 2,34
Æthiopia lanifera arbores 4,21
in Æthiopia melones nobilissimi 758,15
Ætolus OEnei filius 494,15
Ætolus pastor, Staphylinus nomine 494,20
Africa Massyli 5,27
Africanus oleas seuit 448,17
Agamemnonis manu platani consita 12,38. 135,26. 132,7
agaricū in glandiferis nascens arboribus 158,13
ager arbustis idoneus quis 540,16 ager bona frugis frigora quoque desiderat 808.31
agri subactio duplicis generis 811,25
agrum bene colere quid 812,12. 817,8
agricolæ felices 8,2 agricolæ boni viri 14,24
agricolarum duæ metæ; vtilitas, & voluptas 15,23
agricolæ qui liberi, qui serui 21,14
agricultura generi humano pernecessaria 1,25 cæterisq; animalibus 2,2 agricultura præfertur mercaturæ 5,5 & fœnerationi 5,6 agricultura à regibus exculta 12,13 agricultura, ars generosa 14,36 ars ingenua 14,39 agricultura etiam monachis inter honestas artes 15,8 agricultura quid 15,18. 16,8 agricultura sub Nili simulacro 16,37
agriculturæ laudes & necessitas 1,7 vtilitas 1,15. 5,1 voluptas dignitati commista 1,16. 6,8. agriculturæ dignitas 10,5 antiquitas 10,7 agriculturæ inuentores 16,23 agriculturæ principia; terra, aqua, anima sol 17,31
agrielæa, & agrippiu 449,24
agrioraphanos alius a raphano agria 776,12
Agrippina coniugi venenū offert 766,8
Aiax à Græcis oleaginea corona donatus 440,28
Aiacis cruor in hyacinthum conuersus 6:6,8
Aiax, regia stirpe satus 607,20
alaternus, arbor perpetua fronde 108,2
vti depingatur 108,7
Alcibiades Atheniensium dux 13,10
Alexander Magnus persea arbore ornatus 10,33 agriculturam docet, 12,35
Alexander ex India hedera coronatus abit 638,20 & 27 Alexandri statua apud Coos 591,10
Alexandro Seuero victoriam laurus præmonstrat 115,24 laurus mortem prænunciat 115,35
Alexandrini supplices à Romanis pacem rogant 441,20
alica fit ex Zea 848,18 trium generum 848,21
alliporrum 802,22
allij historia 798,3 allij satio 799,11 cultus 800,12 allij condimentū 800,28 allium cypriū, siue vlpicū 800,35 allium punicum 800,41 allium Ægyptium 801,28 allium anguinum 801,36 allium vrsinum 802,4
Allobij, inter Sarmatas 4,15
Allobiorum vestes 4,15
almus, syluestris arbos 142,5 eiusq; historia 142,11
Alpheus amnis oleastris frequens 449,2

alterationis causa; cœlum, alimentum, tempus 837,10
aluearia optima ex subere 151,28
alui deiectio brassica iuuatur 716,10
alunus lapatho exinanitur 744,14
aluz, herba tinctorum 902,4
amamelis 167,3
amaraci vmbra 626,19 amaraci appellationes 626,32 amaraci & sampsuci non eadem ratio 626,37 amaraci descriptio 627,8 amaraci cœlũ 627,19 satio 627,25
Amaracus Cynaræ regis Cypri filius, in sampsucum versus 626,25.627,21
amaranthus aut luteus, aut purpureus 609,11 vnde dictus 609,27 amaranthus purpureus 614,29
amaranthi purpurei nomina 615,3 delineatio 615,11 species 615,16 cultus ibid.21
amarum quidque ex siccitate redditur 749.9
amasij quomodo vt redamarētur cognoscerent 757,2
ambugia, herba intubacea 662,11
aminea vites 499,29
Aminei populi 500,34
ampeloprason 795,11 ampeloprasi descriptio 797,31
Amphiaraus fabis primus interdixit 875,21
amuletũ horti, asini caluaria est 642,24
amurcæ commentatio 486,19
Amyclensium ager deuastatus 502,31
Amycus Bebrycum rex 117,11 cuius tumulus lauro tegitur 117,12 è qua decerptum quid nauibusq; illatũ iurgia suscitat 117,13
amygdali tractatio 420,15 amygdali forma 421,30
amygdalorum differentia 422,32 sationes 424,3 cultus ratio 428,12 & 21 amygdalorum morbi & remedia 427,26 amygdalarum conditura 428,20
anacacabea arbor 168,35
anacacabos loti fructus 168,35
anchusæ nomen vnde descendat 13,10
Androcides sapientia clarus 562,12
anemones flos 612,13 ex Adonidis cruore natus 612,14 ex Veneris lacrumis satus 612,25 anemomes florē Ægyptij quando pingant 612,33
anemone vnde dicatur 612,40 quibus nominibus indigitetur 613,2 quot generum sit 613,11 vbi proueniat 613,38
anesum, ἄνησον 693.4
anethum vnde nuncupetur 691,40 anethi descriptio 692,3 satio ibid.20
anguria cucumis species 757,31 anguria quædam vastæ magnitudinis 758,4 anguriæ satio 758,6
anguilla quando sine aquis duret 30,1
anicetum 693,1
anima hominis imperans 21,9
anima mortuorum in fabis includuntur 875,28.876,9
animalia post plantas nata 2,3 & 5 animalia venenosa 556,7
animantium mutatio 836.15
animum menta recreat 705,7 item & nepita ibid.
anisi vsus 692,30 satio 693,16
anni non semper eadem facies 18,36
annus non tellus fructificat 254,7
anthedonis descriptio 386,21
antidoton contra omnia venena 628,20 & 32
antiscoridon 798,49
Antoninus Pius 12,40 tiliaceis tabulis fasciatus 123,10

anularis insitionis modus 211,20
apes hyacintho gaudent 605,20 è serpillo pabulantur 621,36 rumicem refugiunt 744,10
apum ducis officium 25,4
apibus thymi flores gratissimi 623,25
apibus gratissima satureia 695,18
apibus gratum origanon 698,23 apibus duplex ministeriũ prabet papauer 737,12
aphaca Theophrasti 663,23
aphaca segetalis historia 887,15
aphrodes 739,5 aphron 739,10 utrũque unũ idemq́; papaueris genus ibid.
apiastrum 633,10 & 16
apij historia 682,23
apium palustre 685,39 apiũ capitatum 686,14
Apollini ludi a Theseo instituti 11,5 Apollini laurus dicata 13,28
Apollo myriceus unde cognominatus 121,5 quare imberbis fingatur 605,25
apomelis, pyri genus 167,3
Appulus pastor nymphas irridet 449,6 in oleastrum conuertitur ibid.
Aprilis Veneri sacer 389,10
apris medicina hedera 635,37
Apulia plurimum thymi profert 624,21
Apulia campi fertilissimi 809,20
aqua villa qua eligenda 37,37
aquam inuestigandi ars 37,12
aquarum fugiendarũ signa 42,18 aquarum vitia ut emendentur 43,15
aqua vino immista deprehenditur 570,1 & seq.
aquosum omne in fundo sidit 566,25
aquifolia arboris nomẽ 107,10 delineatio 107,17 insitio ibid. 27 materies 107,29
aquifolia 148,35
aquifolia ilex coccifera 149,30
Aquila ortus 254,27
Aquila, Vestinorum urbs 604,25
Aquilo non omnibus utilis 255,41
aquus, olim pro acus 107,15
Arabes arbores pro tuguriis habent 3,31
Arabum vestes 4,14
Arabes annua thuris vectigalia pendunt 6,1
Arachosij populi unde agriculturã didicerint 12,36
Aracis fluuij accolas plantarum fructus ad cibum reponere 2,21
aracus, lentis vitium 884,33
arare, & bene arare 465,10
aratio 811,24 iuxta terra qualitates exercenda 811,32 aratio prima, qua ante sationem 811,26 secunda 811,40 tertia 812,1 aratio quarta, qua sementis tempore 812,1
arationũ vocabula declarata 812,14
arationis ratio exactior per Columellam 813,11 arationis inuentor 814,27 arationis regula 815,25
aratrum remoratur ulmus 539,39
aratri inuentores 814,31
aratrum ex qua materia fiat 815,11
arbor quid 65,18 arbor paradisi 170,34 arbor arbori ut copuletur 219,16 arbor sterilis ut fructum ferat 253,1 arbor ut copiosiorem fructum reddat 253,8 ne flores aut folia abiiciat 253,9 ne fructũ amittat 253,12 arbor ut a vitiis & vermib. vindicetur 253,24
arboris cultura perpetua 542,32
arbori ut maritentur vites 543,5
arbores terra antiquiores Sardis 2,8
arbores & cibos & habitacula prabẽt 3,15 itẽ & vestes 4,10 arbores lanifera 4,17 arbores cadua aut resinifera aut nõ resinifera 62,12 arbores pomifera

feræ aut virentes aut frondẽ remittẽtes 147, 28 arbores pomiferæ syluestres 164, 35 arbores arbustiuæ quæ sint 539, 1 & 11
arborum herbarumq́ fructibus animalia vescuntur & victitant, 2, 1 & 39 arborum vsus ex Cicerone 4, 34 arborum vectigalia 5, 41. 6, 1 arborum syluestrium genitura, natura, morbi, physiognomonia 65, 37 arborum peculiares morbi 238, 37 arborum corruptiones violentæ 245, 35 arborum pomiferarum remedia 252, 28 arborum plantandarũ ratio 541, 1
arbustiuæ arboris formatio 542, 1
arbustiua vitis vide vitis arbustiua
arbustum veterũ 537, 21 arbusti commoda 538, 1 & d. arbustũ fundo suburbano conuenit 538, 14 arbustum quid 538, 29 arbusto quæ terra accommoda 540, 16 arbustum densum commendabile, senio confectum, inuenustum 546, 4 arbustũ Gallicum 546, 31 arbustum Italicum 547, 3
arbuti, arboris syluestris tractatio 166, 16
arbutus & vnedo diuersa 166, 26
arbutus, arbor: arbutum, fructus 166 38
arbuti descriptio 167, 10 arbuti materies 168, 14 arbuti pomarum condimentum 168, 17
Arcades Balanophagi vocati 2, 36. 152 32 Arcades primi ex terra homines 152, 24 ante lunam & astra ibid. 25. & 3, 37
Arcadia satureiam & origanum non fert 624, 9
Archelaus 13, 3
arena humida mustũ conseruat 569, 13
argilla alba multum vaporis flatumq́ continet 454, 17
argilla sterilis 817, 3 aliis admixta fertilitatem iuuat ibid.
Argippæi sub arboribus incubant 3, 25
Argiuorum cibus 2, 28
Argus oleæ Io alligat 448, 17
Aricina vallis 719, 33
arietum cornua contusa asparagum pariunt 731, 23
Arimphæorum alimentum 2, 31
Arimphæi Asiæ populi in nemoribus degunt 3, 27
arinea Homeri 848, 30
Aristeus Apollinis filius 13, 19. 440, 5 deus 13, 20 oleæ inuentor 440, 6
armoraciæ historia 776, 1
Artaxerxes Sidonem obsidet 441, 15
Artemisia regina 13, 12
artemisiæ nomen vnde 13, 13
artes omnes agriculturæ famulantur 1, 18
ars humana vrbes ædificat 10, 14
artis & naturæ discrepantia 249, 12
artes lucubrationibus perdiscuntur 438, 23
arti natura succedit 555, 19
articulatio vitium morbus 557, 14 tribus de causis accidit 557, 27
arui stercoratio 816, 32
Arula apud Campanos 541, 34
ari tractatus 785, 32 arus cibo idoneus 785, 34 ari descriptio 786, 18 arus arte vt pertractetur 787, 1
arundo saccharifera 902, 14
ascalonia cepa 792, 16
Asiæ Arimphæi 3, 27
asia, frumenti genus 844, 13
asini claua, lilii probrum 590, 33 asini caluaria alexicacō hortorum 642, 24 asinus Priapo lætabilis victima 642, 14 Libero patri assignatur 680, 27 asinus cur Baccho assignatus 746, 18

asparagus Gallica satiua 672,15
asparagi percunctatio 727,12 asparagi condiendi ratio 727,23 asparagi genera 728,19 eorumq; descriptio 728,27 locus & satio 729,1 & 13 qua arte asparagi producātur 731,23
asphaltion 628,18 & 19 quare ita nominatum 628,22
Assyriae stella 564,19
Astomi, Indiae gens, solo odore viuunt 2,24
Astomorum vestimenta 4,13
astrion, inter intubacea 675,17
astrologia non inutilis ruricolis 254,1
atabulus Apuliae ventus 475,9
Athenae vnde nomen traxerint 438,32. 439,2,22
Athenis in arcem vix capra admissa 475,29
Athenienses oleam primi coluere 439,41 magno in honore habuerunt oleam 440,17.442,11
Atheniensium alimenta 2,28 Atheniensium ludi 11,15 Atheniensium terra a Neptuno inūdata 439,32 Atheniensium celebritas εἰρεσιώνη dicta 442,27
athletae oleo se perungunt 444,14
atinia, vlmi genus 138,25.139,4
Atlantis horti 257,27
Atlas mons 4,28.257,23
Atlas nouus in agricultura 1,24
atraplexum veteribus, quod modo atriplex 740,6
atriplex in cibum vti veniat 739,34 atriplicis nomen 739,41 atriplicis genera 740,8 delineatio 740,12 satio ibid.32
Attali regis horti 9,33
Attalus Asiae rex 13,3
Atticus ager 439,3 & 38
Attico in solo fructus praeter thymum omnes dulces 623,39
Atys fabula 86,30.87,3,8
aucupii voluptas 7,35
auellanae descriptio 428,34
auena, ordei vitium 856,29 eiusq; historia ibid.
aues ne vuas attingant 562,2 aues vt castigentur 801,40 quo medio ab frumentis prohibeantur 826,19
auium modulatio, non minima delectatio 7,27
Augustus lactuca conseruatus 654,13
aurea mala 267,29
aurelia quid 609,34
aurum habere praeclarum non est, sed iis qui aurum habent imperare 12,28
auri apyri vnguentum 609,22.610,8
Auster omnibus infestus 256,1. praecipue florentibus arboribus ibid.
austrini flatus frumētis damnosi 808,32
autumnus & ver sese imitantur 464,40
autumnus calorem retinet ex pristinis solibus 464,46
autumnalis aëris qualitas non dissimilis vernae 547,39
axes querni cum aesculeis non miscendi 155,37
azadarat arbor 170,29 azadarat qui seratur 170,41

B

Babylonico agro Iasme vulgaris 598,25
baccae olearum ne abiiciantur 473,28
baccharis, fascini depulsoria 631,21 somni conciliatrix 631,24 baccharis etiam παρὰ χεῖρα cur vocata 631,32 baccharis vti describatur 631,37 quo solo proueniat 632,5
Bacchus cur inter deos numeretur 13,28

aquam

aquam vino primum miscuit 494, 17 Bacchus semper iuuenis 494, 24 vini repertor 494, 26 & 28 Bacchus in Graciam vitem transfert 494, 33 Baccho prior Noe vitem coluit 495, 28 Bacchus Limnaus, a Limnis 495, 31 Bacchus insanus, ab effectu 496, 2 & cornutus depictus ibid. Bacchus ναρθηκοφόρος 680, 30 Baccho assignata ferula, hedera, picea 13, 32 Baccho cur sacra hedera vide in hedera. Baccho hircus immolatur 494, 30 smilax dicatur 618, 28 asinus assignatus 746, 11 Baccho ferula dicata 746 12 Baccho cur cornua apposita 814, 29

Baotii ilicis similes 149, 24

Balanophagorum nominis origo 2, 36

Balsami tributum 6, 3

Barolum Apulia 600, 10

Basan quercus 155, 13

basilicon, herba 701, 22

batis seu crithmos 671, 25. 672, 7

batuere, idem quod cadere 106, 21

beatior vita rustica nulla 10, 24

bellis inter coronarios flores nomen 610, 20 species ibid. 23 descriptio 610, 27 solum 610, 40 cultus 611, 1

beneuoletia obsequetes parit operas 21, 30

Berecynthius, Phrygia mons 111, 18 buxo abundat ibid.

Beroe anus 495, 1

bestiola horto innascentes 649, 6

beta commentatio 724, 10 beta conditura 724, 25 beta genera 725, 3 & delineatio 725, 20 beta satio 726, 7 beta radix allii extinguit odorem 798, 6

betici, molles Cynico 724, 27

betizare, pro languere & effæminari 724, 30

betula, arbor 106, 17 betula arboris materies ad quē vsum adhibeatur 106, 34

Biges Atheniesis, aratri inuentor 814, 13

bipennula, herba 669, 31

Bislingua, lauri species 120, 5

Bithyni vt arboribus vitem maritare soleant 544, 8

bitumen ex arbore betula 106, 41

blattas necandi experimenta 651, 8

blichon, blechon, βλῆχων 704, 26

bliti denominatio 741, 7 species 741, 10 ac satio ibid. 23 bliti historia 741, 40

Boarmia cur Minerua nuncupata 815, 6

Bœotorum cyathi 76, 41

boleti, fungorum species 765, 40. 766, 7

bombyces vnde & vbi nascantur 4, 30

Bona dea myrtum refugit 389, 12

bono viro indecens non est agricultura opus 10, 18

boni viri ex agro solum requisiti 14, 29

bonos viros esse agricolas 14, 24

bonus vir Catoni quis 14, 33

Boreas, Celtarum rex 81, 37

Borea Zelotypia in Pana 86, 19

Boreas Hyacinthū extinguit 606, 23

borrago vetus 671, 1

Bosmoris oryza religiosa 855, 36

botryones albi nigriq; ex eadem vite 553, 15

boues frondium fasciculis pascuntur hyeme 2, 7 boū cibus, glans 3, 12 boum cornua num seminibus suam vim adimant 876, 18

Brachmanes sacerdotes 3, 29

brance Gallorum 845, 16

braßica vitis inimica 562, 9. 698, 25. 715, 21 brassica, herba escaria, historia 715, 9 brassica genera 717, 4 brassica qualem cœli statum toleret 720, 37

qualis solo gaudeat 721, 1

brassicae consitio 721,10 brassicae cultura 723,4 apparatus artificiosus ibid. 36 de brassica quae dixerit Theophrastus, Plinius raphano assignauit 771,6
brenthis Cypriorum lactuca 655,12
brionia 731,40.732,6
Briza Macedonum 812,27
bromos, vel bromios 856,34 bromos syluestris 857,5 bromos fertilis 857,9 bromi tractatus 858,34
bruma nonnunquam vitem comprehendere 547,31 bruma vitis non putanda 547,33
bruscum acerinum 128,10
brya syluestris 121,17
bubulae carnes breui vt coquantur 171,36 bubula lingua 670,35
bubulci arantis regulae 815,36.816,8
Budia cur Pallas appellata 815,7
buglosson, buglossa 670,21
bulbi e genere cartilagineo 802,27 bulbi nil prosunt nisi neruus adsit 802,33 bulborum conditura 802,29 bulborum ollam deuorasse: prouerb. 802,39 bulborum apparatus 802,40 bulborum genera 803,16 bulbos serendi ratio & ars 804,21 & 28 bulbos quaerere, prouerb. 802,38
bumamma Varronis 498,18
bumasti 498,15,20 & 24
bumelia quid 122,32 & 37
buniadis materia & tractatio 781,20
buphthalmos 611,15,& 30
Buxentum, Italiae oppidum 12,9 a buxo desumpsit nomen 110,27
buxus, arbor siluestris 110,22 siluis erepta ibid. 23 triplici genere 110,31 quibus locis vigeat 111,4 quomodo seratur 111,22 quam producat materiem ibid. 34
Buzygia familia 815,4

C

Cachryllii efficacia 685,16 cachryllii significatum 685,19
cachrys quid 76,30. 158,5.159,14
Caduciorum cibi 2,27
caedenda vti & quando materies 67,13
caelum cum terra maritatur 16,10 & 19 caeli electio pro villa comparanda 28,5 caeli vitia emendandi ratio 30,26 caelum frumentis habile 808,9 caelum a caelo differt 809,1
Caelum Saturni genitor 809,13
cepa suspensa floret 704,5 cepa historia 787,31 cepae genere differunt 789,26 cepas producendi ratio 791,1 & deinceps incorruptas seruandi modus 792,13 cepa ascalonia 792,17 cepa Palestina 792,20 cepa fissilis 793,19 vti seri debeat 793,26 cepa conditura 800,28
caerephillum, caerefolium 668,33
Caesaris imago lauro coronata 10,36 Caesaris triumphus Gallicus 11,4 Caesaris stella 564,19 Caesarum progenies sub Nerone defecit 115,34
C. Seruilius Hala 12,25
calabricis historia 174,30
calaminta, pulegii genus 704,38 calaminta historia 706,40
calculos pellendi remedium 687,21
calidiorem sinapi esse 709,9
calor digestionis autor 877,16
caltha flos 611,5 eius nomina 611,14 descriptio 611,23 caltha duplex, satiua & syluestris 612,7 calthae cultus 612,9
campa, eruca 649,20
Campania solum felix 640,33 Campania

niæ campus 846,1
campi Elisii 4,9
cancri fluuiatiles, siue πάγουροι, arborum fructus a lapsu præseruant 253,16 & 25 cancri sata & arbores a quibuscunque bestiis seruant illæsa 653,31
Caniculæ ortus vbertatem quando prædicat 254,11
Canis æstum vmbræ arborum leniunt 7,8 Canis occasus 824,31 Canis ortus 827,15
Canopus gubernator 629,25
cantharis in tritico nascẽs 823,40 cantharis frumenta erodens 825,24 vt prohibeatur ibid. 25
capitis dolores leuat pulegiũ 703,41. 704,1 capitis dolor ex ferulæ caulium esu 746,1
Cappadocũ Magi Pyrethi appellati 121,12
capparis vsus & descriptio 672,33 capparis genera quæ vitanda 673,25
capparis satio 674,7
capræ fraxineis frondibus nutriũtur 3,11
capra hominibus diisq; inuisa 473,25
capra nouella sata carpendo corrumpit 475,19 eius saliua fructui venenũ 475,21 capra vnde nomen sortita 475,23 capra Mineruæ immolatur
capreolus quid 504,4 (642,22
capreoli cur vitibus dati 538,35
caprifici historia 171,6 caprificus alba & nigra 172,16 bifera & trifera 172,20 caprificus nullis obnoxia vitiis 173,3
caprinum pecus quibus maximè pascatur 108,11 caprino morsu infecta vti emendentur 475,31
Caprotinæ Romanorum 171,23
caraba, arbor 165,7
carbones optimi 159,1
cardiacæ syncope remediũ nasturtiũ 667 20
cardui origo 732,14 cardui syluestris delineatio 732,34 species duæ 733,13
cardui efficacia 732,20
carduus satiuus, altilis, aut hortensis 733,25 carduus syluestris, sclarea nuncupatur 811,18
caria quid 106,25
caritatis euenturæ præsagia 254,1
Carmani palmis aluntur 2,30
caro incorrupta æstate corianno seruatur 707,29
carpinum, è genere aceris 127,17 & 29 carpinus ab acere distat 128,31 carpinus, Græcis ζυγία 128,33 carpini materies 129,10
carpophyllos, lauri genus 120,22
Carthaginienses a Scipione pacem deprecantur 441,17
Carthago Hispaniæ 587,36
cartilagineum genus quid 748,24
caryophylli 599,4 vnde dicti 599,5,14 describuntur 599,26 quotuplices 599 33 quo cœlo gaudeant 600,12 quo solo 600,14
caryophyllorum satio 600,16 cultus 600,28 ars 600,32 (455,32
Cassianus ager olei quã frumenti feracior
Castana Magnesiæ oppidum 433,24
castanearum enarratio 433,14 genera 434,9 castanearum plantatio 435,7 conditura 437,1
castitatis & sterilitatis symbolũ salix 143 25 castitatẽ oleæ præsulẽ esse 438,22
casulæ tam veterum quam nostrorum populorum 3,21 & d.
Catiuulcus taxo se exanimauit 109,23
Catonis spectaculum in theatro 449,16
caupones caseum & nuces cur apponant 568,28 (26
causidicis absq; artibus felices vrbes 14,
causa cæca complurium 876,35

Cecrops Athenienſium rex 439,23
Cedros inſula 12,7
cedrium Syris quid 95,6
cedrus magna 71,1
cedri minores 73,19 *vt a maioribus differant* 73,22 *quot generum ſint* 73,24 *earundem deſcriptiones* 73,31 *quale ſolum quærant* 74,17
celaſtrus Theophraſti 119,36
cella vinaria 53,22 *cella olearia eiuſq; torcular* 55,26
celtis Afrorum, arbor 168,39
Cepheus amnis 601,6
Cephiſus & Melas, fluuii Bœotiæ 552,35
cerasbalon, ſeminis genus 876,21
ceraſi hiſtoria 357,7 *ceraſi ſpecies* 358,21 *ceraſi cultus & inſitio* 360,9 & 14 *ceraſi morbi & remedia* 379,23 *ceraſorum conditura* 379,38
ceraſus pumila 380,6
Ceraſus, Ponti ciuitas 12,10
ceratitis, papauerea ſpecies 738,41
cera Tyrrhenica 106,12
cerauntia Ionum 165,17
Ceres terra appellata 10,15 *Ceres inter deas cur relata* 15,22 *Ceres, ſiue Geres* 16,27 *Ceres dea frugum* 807,17 *Saturni & Opis filia* 807,18 *vnde nomen indepta* 807,20 *Cereris ſacra* 807,37 *Ceres Siculi Siciliæ regis vxor* 808,3 *Ceres aratri & ferramentorum ruſticorum inuentrix* 814,39 *ante Cererem frumenti vſum mortalibus innotuiſſe* 815,9
cereuiſia Germanorum 731,37
cerrus roboris ſpecies 160,12 *cerri materies* 160,35 *celeriter marceſcit* 161,6
ceruis phalangium exitiale, ceruis ſalutare 635,35
ceruus ægrotas, olea ramis manſis con(*naleſcit* 443,25
chærephyllon, chærefolium 668,21
chamæceraſus 380,17
chamædaphne 618,2 & 10
chamæleon animal innoxium 171,37 *circa caprificos ferum* ibid.
chamæplatanus 132,19
Charion, Chremili ſeruus 14,30
Charites, Eteoclis filiæ 80,25. 82,11
chenoſiris Ægyptiorum 635,3
Chii primò vitem colere diſcunt 494,31
chondrilla, ex intubaceis 662,36 *eius deſcriptio* 663,5
Chremilus, vir iuſtus 14,30
chreſton, ex intubi genere 662,10
Chriſti gratia trans Tyberim Romæ per oleam indicata 446,24
cibi potusq; varii variarum gentium 2,5 & d. *cibus nomen quibuſdam populis indidit* 2,32 *cibus pinguis ſiccis corporibus conueniens* 810,1
cicera, legumen 884,2
cicerbita Columellæ 665,20
cicerculæ hiſtoria 883,12
ciceris hiſtoria 880,20
Ciceronis exilium 9,27 *Ciceronis academia* 9,40 *Cicero lux doctrinarum altera* 33,18
Cicerones, à cicere 869,10
cichorium Ægyptium 660,14 *cichorium, intubus ſilueſtris* 662,9 *cichorium, duûm generum* 662,13 *cichorium, ſeu chondrilla* 663,1
cicla vnde denocetur 724,40. 725,1
ciconia auſtris ſe non committit 29,40 *ciconiæ noctuas platani foliis abigunt* 130,35 *item & veſpertiliones* 131,1 *ciconia origano aduerſum venenoſa munitur animalia* 698,27
Cimon academiam exornat 9,33
cinara, ſeu carduus hortenſis 733,25 *cinara vt in cibũ veniat* 733,35. 734,3 *cinaræ nuncupatio* 734,6 *deſcriptio* 734,

734,27 cinara genera 735,12 satio 735,32 cultus 736,13
Cinesias poeta Graecus 127,7
Circe, solis filia 13,24
circos, accipitris genus 655,25
Cithonia festa 606,22
curago 633,17 à melissophyllo distincta ibid. 25
citreolus modernus, veterum cucumis 751,23
citrus, citrius, citreum 259,28
Cittus puer saltans 636,1
ciuica corona 152,36
ciuitates in Iouis tutela 153,2
clava, an idem quod talea 189,15
clauicula vitium 538,36
clauum olea patitur 474,15
Clearcus Heracleota, Ponti tyrannus 259,4
clematis daphnoides 617,37 eius nomina 618,1 descriptio 618,11 solum ibi. 20
Cloria dea 845,5
Cloris nympha 582,9
Clymenus rex 13,9
clymenus vnde nomen indipiscatur 13,9
cœna nasturtio inchoatur 667,6
ex Cocco tributum qui soluant 6,4
Codiculi qui sint 538,36
cognomina ex arboribus imposita 11,34
Co, insula bombycibus clara 4,30
coitum stimulat satureia 696,25
collimida quid 451,12
color hyacinthinus 605,40 ianthinus 606,2 colossinus 617,32
columba ægrotans lauro sibi medetur 113,28
Columella notatur 460,4 Columellæ & Plinii conciliatio 837,21
colytea arbor 108,30 eius natura & qualitas ibid. 33
comitialis morbus 692,38
Commodus Imp. 14,17
concordia per malum punicum demonstraito 397,33
condimentaria herba 682,22
conditiua mala quæ Varroni 450,17
confinem vicini fundum olea refugit 463,35
Conilos, herba cunilæ inuentor 699,17
coniuratorum nomina in tabulis tiliaceis scribi solita 125,23
Constantinopolitani climatis frigus maximum 722,23
continuatione naturæ qualitates mutari 840,33
contrariorum appetentia & in terra & in seminibus 819,13
conuiuantium corona 11,26 & 27
conuoluolus ne fiat in vinea 561,6
conuoluolus, herba 591,26
corianni enarratio 707,28 corianni satio & cultus 708,10
Cornelius Cethegus mustum rutatum populo dedit 710,19
cornu ceruinum, herba 675,19
corollaria 580,24
corollarum vsus & inuentores 580,17
corona laurea 10,36 myrtea 11,1 citrea 11,4 Deliaca 11,6 oleaginea 11,10. 12,15 pinea 11,16 corona ex apio 11,17 ex lauro, & hedera 11,18 frondea 11,26 corona hederacea 11,27 corona rosacea 11,28 corona ex philyra 11,31 corona pinea apud Isthmos 87,39 corona iligna postponitur ei quæ ex esculo fit 147,32. 152,33 oleaginea 440,18. 580,28 obsidionalis 580,29 ciuica 580,31 myrtea 580,34 nardina 580,38
corona inuentum 580,26
corona myrtina 389,39 corona vnde dicta 580,20 corona ludicra & puellares

580,39 corona ὑποθυμίδες 581,17
Corona occasus 820,20
coronamentis cur flores inserti 581,14
coronarum sola varietate placentium duo genera 581,18
coronopus, intubacea herba 675,10
corpus hominis vt instrumentum 21,10
corporis vita, anima idolum 601,12
corruda asparagi genus incultū 727,33
corruda syluestris asparagus 728,18
cortex vitis pars vitalis 548,16
corticis ablatio 247,8
corylum vitis odit 562,22
corymba, corymbion 616,3 & 5
corymbia 636,3 & 16 corymbia & corymbi ferula 745,39
cosmosandalos, Hermionēsiū flos 606,20
cotinos, & cotinodis 449,21,23 (22
Cotinusa Hispaniae vnde deuocata 449,
cotinus, siue oleaster 12,6
Cotinusa insula 12,6
cotoneorum malorum historia 270,20
coturnicibus veratrum noxium 388,2
myrtus salubris ibid.
crambidion Varronis 771,25
crambus, vuarum morbus 558,12
Crana Arcadiae 77,13
crapulam sedat brassica 715,38.716,11
crapula quid 716,19 à temulentia diuersa 716,20
crassinenium, aceris genus 127,25
Creta cupresso abundat 83,15 Creta scaturiginosa & vliginosa 454,33
crethmos Plinii 672,14
crithmi seu batis historia 671,25
Crocus iuuenis 603,17. 618,26 & 31
crocus 603,4 croci nomē 603,24 descriptio 603,28 genera 604,1 cœlū 604,10 satio 604,27 croci conditura 605,1 croci odor, quotidie acrior 605,5
croci probatio 605,9
Crœsus Lampsacenis vt pinum se eos excisurum interminatus 88,8
crotona, olea infesta 442,12
cucumer annuam non sentit naturam 755,7
cucumerarii ingressus 748,22
cucumerem præcoquem vt habeas 753,23
cucumerē toto anno vt habeas 754,10
cucumeres aqua amantes 753,10 cucumeres oleum odere 753,10 & 21 vti maneant illæsi 757,23
cucumerū satio 751,35 cultus 752,37
cucumerum artificiosa aliquot experimenta 753,23 & dein. cucumerum conditura 757,13
cucumeribus solum cōueniens 751,28
cucumis in cibum vti veniat 748,33
cucumis historia 748,29 cucumis tonitru conuertitur ibi. 30 cucumis & cucumer vnde nuncupatus 749,16
cucumis satiui descriptio 750,16 cucumis humidus frigidusq; 750,20 cucumis silnestris 751,1 asininus 751,8
cucurbitarum sationes 761,37 ars 762,23 conditura 763,31
culices vnde gignantur 565,37. 566,16 culices ne oleribus noceant 650,35. 651,1
culminia bacca 452,1
culminiana olea 451,48
cultus terræ necessarius 223,12 cultus terræ vtilis 223,26
cuminum, herba condimentaria 693,38
cumini genera 694,9 delineatio ibi. 16 satio & morbi 695,1 & 9
cunilæ duo genera 695,32 cunila quando seratur 697,20 & quomodo colatur ibid. cunila quibusdam origanos 699,12, & 16
Cupidinis delineatio 584,35

cupressus Plutoni consecratur 13,32 cupressus vnde originem traxerit 80,37 81,3 Diti ob suā naturā sacra 81,7 & 20 in cœmiteriis seritur 81,21 etiā in patibulo ibi. eiusdē varius vsus 81,20 cupressus feralis & luctuosa 81,20 & 37 cupressus quid Vespasiano portenderit 81,40 mortis ostentum Imp. Seuero 82,3 inimica viti 82,6 cupressi nomina 82,10 descriptio ibid. 18 genera 83,9 cœlum 83,15 satio 83,41 insitio 85,14 materies 85,19 cupressi resina 86,9 cupressus Cretica, seu Sabina 120,30
cupressum odit vitis 562,25
cupressorū siluæ quæstuosissimæ 5,33
cyanus flos 614,1 blaptisecula ruribus 614,9 delineatur ibid. 14 hortensis & erraticus 614,20
cyathi Bœotici 76,41
Cybeles currui leones adiuncti 13,25. 223,22 Cybeli pinus sacra 13,33 Cybele deūm mater 86,26 turrita vnde cognominata 87,14
cyclaminus 617,4 in omnibus domibus seruanda 617,6 vnde nominetur 617,12 cyclamini descriptio 617,24 solum 617,35
Cyclopum cibi, fructus sponte prouenientes 2,18
cydoniorum insitio 273,5
Cyllenum promontorium 77,21
Cymesiorum terra à rege exculta 12,37
Cynæ arboris frondes vestium vice Arabibus 4,14
Cyreæ legati facetè dictū in austeriorem vini gustum 538,11
Cyparessa ciuitas 12,10
Cyparissa, Boreæ filia amissa 81,37
Cyparissa, ignes prodigiosi 82,14
Cyparissus, Telephi filius 80,29 eius historia poetica ibid.
Cyrenaicus succus 555,13 Cyrenaicum lac 555,13
Cyrenei horti 9,33
Cyrene nympha 15,19 eius filius Aristeus ibid.
Cyri Persarum regis solertia 12,14
Cyssos adolescens in hederam conuersus 634,13
cythisi fruticis historia 910,13

D

Dactyli inter vites numerantur 499,17 vnde dicantur 499,20
dæmones laurum oderunt 113,33
Daphne, Asiæ vrbs, Daphnitis & Daphinsa 12,11
Daphne, palatium Romæ 114,8
daphnitis, e lauri genere 120,22
Darius Persarum rex 10,33
Dauid Palæstinum gigantem interficit 12,4
decacuminatio 248,9
decussis quid 197,12
defectus emendatur supplemento 810,2
defrutum coquendi ratio 570,26
deliratio vnde deuocetur 822,28
Delphica platanus a quo consita 12,38 Delphica laurus Apollini dicata 115,9 Delphicum templum è lauri ramulis 115,3
Delum appulit Theseus 11,5
Democritus Abderites philos. 9,35 Democritus, agricolarum sapientissimus, terram cœlo maritat 16,19
Demosthenes plus olei quàm vini absumpsit 438,17
dendrogalenum vinum quoddam Bithyniæ 497,26
densiora frigori obnoxia 474,26
dens leonis 664,4 & 21
dentium remedium 676,4

deorum simulacra ex subere primum cōfecta 151,26 dein ex palma 151,27
deorum corona 609,18 & 28
Deucalion 494,11
Deus tertia die pomiferum lignū, sexta produxit animalia 2,4 Deus primo homini deliciarum hortum destinauit 6,16 Deus incrementū dat 6,23
deuteria an vina dicenda 565,38 deuteriarum tria genera 565,40
Diana, nemorum dea 68,35
Dianæ Ephesiæ simulacrum an vitigineum, an vero ex ebeno 579,6
dictator creatur Cincinnatus in agris degens 12,23
Didymi error 553,21
dies felicibus operibus apti 18,20
dij agrestes 8,16
diligentia inimicissimum vinum 22,39
diminuta, vere increscunt 796,15
Diocletianus ruri agit 8,1 Diocletianus in agris consenescit 12,26 oleta manibus suis consita imperio præfert 12,29
Diogenes Cynicus 153,15. 724,27
Diomedis delubrum 132,28
Dionysius hederaceam instituit coronam 11,27 Dionysij maioris tyranni hortus 12,39
Dionysius, qui & Osiris 16,24 Dionysius vitem primus plantauit 494,37
Dionysius Semele genitus 494,38
Dionysius, Ioue ac Proserpina vel Cerere satus 814,27 boues primum ad aratrum iunxit 814,28
disciplinæ lucubrationibus addiscuntur 438,23
Dis mortuorum deus 81,7 & 13
diuinatio in somnis per laurum prabetur 13,29
diuturnitatis specimen quercus 153,6
Dodonæ quernum nemus 153,21
dolia quo tempore aperienda 568,29
de dolichis 891,29
doliorū musto cōdendo præparatio 566,7
domini assidui diuitiæ 5,13
domus priscorum hominū 3,21
domus patrisfamilias rustica vrbana 47,8 domus villici, seruorum & animalium 48,34 domus fructuaria 50,26
domus ab arboribus tribuuntur 3,15. 4,10
dos filiarum, plantaria 5,35
draco hortensis, herba 681,39
dracótias, Græcis cucumeris species 757,28
dracunculus 786,16 & 35
Drepani nominis ratio 809,15
Druidæ Gallorum magi 3,30
drupa, veterum cibus 2,23
drupa quid 446,39. 478,13
druparū vermiculatio 472,12 & 13
Drusus Cæsar 721,40. 727,37
δρῦς Græco Latinum verbum nullum respondet 147,20

E

EBori vindicando à carie oleum conueniens 443,18
ebrietas saltim semel in mense permissa 492,36 ebrietatem arcet crocus 603,9 ebrietas absque vino inducitur hederá 634,30 brassicá caueri potest 715,32. 716,26 in ebrietate peccatum leui reprehensione castigatur 746,20
ebrij poetæ meliores 492,10
ebrius myrtea corona conuenit 389,41
echij nomen 13,10
echinus marinus plenilunio augētur 748,32
elæa callistephanos quid 449,15
ἐλαία quid 74,24
Elector, solis nomen 137,36

elaostaphylos 554,14
electrum quid vocemus 137,35 unde ortum 138,4 electrum paleosa & levia attrahit 138,10
elelisphacos 713,30. 714,3
eleoselinon 683,3. 685,41
elephas oleastro sibi medetur 449,19
elephantes odore sagacissimi 758,16
Elico Helvetius 443,37
Eliochryse nympha 609,37
Elisij campi, deorum sedes 4,10
ἐμόχυον quid 615,28
Empedocles igneam statuebat animam 113,35
emplastratio quid 210,2 cui arborum generi idonea 210,17
ensis, floris nomen 608,1
Epaphus Phaetonti molestus 138,39
epimelides 167,5
Epimenides Phastius 442,21 Solonis in multis adiutor 442,22
epithillis 793,41
epithymbra quid 697,27
epithymum florem esse 697,25
equapium, ἱπποσέλινον 687,1
Equensis ciuitas 308,21
equi castrati, cantherij appellantur 855,1
Eridanus amnis Padus dicitur 137,35
erigeron, siue senecio 664,20
Erinon, Dorica urbs 371,41
eruca varium genus 474,38. 475,3 a vitibus quibus abigatur 561,35 erucas auertendi modus varius 649,10 & seq.
eruca, herbe, historia 665,34
eruilia 879,10 eruilia, an cicera 884,5
erui vitium phalangium 823,40. 889,25 erui tractatio 888,8
erysimon cereale 868,1
esculus unde nomen adepta 2,37. 161,30. 26 Ioui sacra 161,12,13,26
esculi historia 161,7 esculi materiei usus 162,6
esuca prius, postmodo eruca dicta 666,16
Eteoclis filie, Charites 80,25
Eubolus coniugem ob appositā lactucam incessit 654,41
euentari 825,35
euphorbium à Iuba denominatur 13,9
euphrosynum, buglosson 670,31
Euribiades oleagineam coronā a Græcis accipit 440,30
Euripidis mater filiiq; fungorū esu mortui 764,4
Euristheus, Argiuorum rex 258,7
Europa sub platano à Ioue compressa 131,19 Europa, narcissos carpens 601,14
Eurotas fl. cur Apollini sacer 114,36
Eurus lenis 7,19
exercitatio ὑποσυμμιγής 14,8
exercitus loti fructibus alitur 169,8
exigua facilius suū arripiūt finē 694,19
exilij tolerandi ratio 9,27

F

Faba Græca 168,36 Syriaca 168,38 faba baccas oleæ à lapsu preseruat 473,28 faba cruda allij fœtorem tollit 798,7
faba, eiusque commentatio 869,1 faba conditura 874,38 faba quadam annorum CXV. 875,10 faba, refrina dicta 876,12
faba flos lugubribus literis 607,9
faba in lolium non mutantur 837,5 licet cum tritico serantur ibid. faba coctiles & incoctiles 876,17
fabarum cibus interdictus 875,21
fabarum imbecillitas 877,34
Fabij, a faba 869,10
fabulum idem quod faba 869,25
facilitas propiores habet principiis suis fines 694,20

factus quid 453,4
fagus Lydis μύσις dicta 12,5 fagus Latinorum 163,15 vipera nocua 163,19 quot generum 163,23 vbi proueniat 164,7
fagi glandifera duo genera 159,29 & 38 fagi vrbana descriptio 159,41 materies 160,5 prouenit in cultis 160,10
falx, Iani insigne 16,31 falcis vineaticæ figura 518,7
Falernus vbi modo 500,34
far, frumenti genus 844,29 Zea præponitur 844,36 far facticium & naturale 844,36 far triticeum & hordeaceum 844,38 far quid & vnde denocetur 845,1 far Campanũ nulli simile 845,28 far ex olera fit 849,12 farris vsus apud Roman. 845,5 satio 845,9 genera 845,12 solũ 845,31
farnus glandifera arbor 163,2 eius descriptio ibid. 5 species 163,11
fascinationis amuletum, ruta 710,23
Fauonius alijs noxius, alijs vtilis 255,41
febriles æstus coronis arciti 627,38
feculentum omne in fundo sidit 566,25
feles calaminta delectari 707,7
feminarum calceatus 4,16
feriæ propter fructus institutæ 254,30 feriarum vices omnia volunt 546,27
ferramenta rustica a Cerere inuenta 814,38
ferrum oleo remollitur 443,27 recrudescit aqua 443,28 à magnete trahitur 798,8
fertilitatis olearum prænotiones 470,28 fertilitas nimia oleis nocua 472,3 fertilitas oleæ qua ratione inducẽda 472,40
ferulacei generis species 747,26
ferulago 681,26 & 31. 747,28 & 32
ferula Baccho sacra 13,32 ferula, lignum non lignum 680,26. 746,35 ferulæ asinis pabulum, cæteris iumẽtis venenum 680,27. 746,10 ferula imperij nota 746,23 quo modo in cibũ veniat 746,36 vnde dicta 747,6
ferulæ descriptio 681,11 ferulæ semĩ, Italiæ cibus 745,38 ferulæ caules capitis dolorẽ gignũt 746,1 ferulæ præparatio 746,2 ferulæ delineatio per Theophrastum 747,30 per Plinium 747,18 per Portam 747,21
ferulæ cibo cõmendabiles 680,2 quomodo condiantur 680,7
ferulâ ignis asseruatur 746,41. 747,2
ferularũ attritu ignis excitatur 747,4
festuca aliquibus, auena 856,34
fici vmbra viti infesta 541,38
de ficu, eius inuentione & laudibus 300,1 ficuũ natales loci 312,26 ficus satio ex semine 314,1 ex viui radice 314,15 ficus satio ex propagatione, auulsione, ramo 315,31,37 & 40 ficus satio ex talea, ex surculo 316,15 & 23 ficus insitio & cultus 317,12 ac 27 ficus morbi & remedia 319,38 ficuum conditura 325,9 ficus Ægyptiaca 165,10 & 18 ficus & caprificus differunt 171,9 ficus fatua 172,1
fides sinapi assimilata 710,14
Filisci adhortatio de tolerando exilio 9,26
fimeta vt immunia fiant à serpentibus 156,22
fimi oleribus maximè idonei 645,28 oleribus incommodi 646,1 fimorum optimi qui 817,9
fistula vnde reperta 7,28
flagelli descriptio 815,23
flamen Dialis attactu hederæ piaculum committit 634,20 flamen faba non vesci-

vescitur 876,10
flatibus & tractus & regio tota infestatur 251,11 *flatus alij alius prastant* 255,34 *flatus oleas adurunt* 474,29 *flatus regionib. quibusdã proprij* 475,8
flatus frumento officiunt 825,30
Flora, dea florum 582,1
Floralia 254,31. 582,4,11 *floralia feria Flora instituta* 824,22 *quando* ibid. 32
flores quotuplices 580,9 *florum coronariorum generatio, cultusq.* 583,17 *florum excelsitas maxima in lilio* 591,21
flos triferi prouentus 600,7
fœcunditatem oleis adferendi medium 473,7
fœmina quando pariatur 836,6
Fœneratio vilior agricultura 5,6 *illicita* ibid. *fœneratio cum terra* 5,9
fœnerator quadrupli cõdemnatur 5,8
fœniculi historia 689,36 *fœniculum vt seratur* 691,14 & *vt semina dulciora ferat* ibid. 30 *fœniculum Romanum* 693,4
fœnum cordum 672,13
fœnumgrecum 901,7
foliis etiam satio fit 192,24
formica ne vitem ascendant 561,23 *vti fugentur* 651,19
fortitudinis symbolum quercus 153,6
Fortunata insula 747,15,36
forum-Casaris Roma 169,38
fossio terra quid & quotuplex 226,39 & 40
fracibus olearum dulcescunt allia 800,23
fraga gula oblectamenta 748,3 *Gracis incognita* 748,7 *duplicis generis* 748,9 *quomodo conserantur* 748,16
fraxinus 122,9 *qua fabula priscis* ibid. 11 *eius genera* 122,29 *vbi nascatur* 123,12 *qua materie & quàm vtili* 123,32 *fraxinus florida, donũ nuptiale* 124,21 *fraxinus capris ouibusque pergrata* 539,6
frigiditas humorem eximit 452,27
frigoris vis terrã excoquit 646,30 *frigoris effectus* 808,33
frigus densis magis insidet quàm raris 474,26
frondea corona in cõuiuiis 11,26
frondium fasciculis hieme pecora pascuntur 3,7
Frondius miles 11,41
fructus simul miscẽdi per insitionem media 220,30 *fructibus venenum capra salina* 475,21
fructuũ peculiares morbi 240,8 *fructuũ quidam partem imam cur superiori amariorem habeant* 749,4
fructibus sponte prouenientibus homines quosdam viuere 2,10 & 18
frumentacea genera 806,18
frumenti genera 827,35 *frumenti conditura* 833,27 *frumenti generum in alia mutationes* 837,8 *frumenti vulgarissima genera, triticũ & far* 844,28
frumento tribus temporibus à ventis nocetur 825,35
frumentorum alia frumentacea, alia χέδροπα 806,26 *frumentorum alia hyberna* 807,1 *alia astiua* ibid. 3 *frumentorum qua aliud in aliud mutentur* 843,5 *frumẽtorum fastigia duo; tritici & ordei* 850,9
frumentis cœlum conueniens 808,9
frumentis solum commodum 809,25
frutex quid 65,20
fuci occasio in arboribus 473,28

fulguris noxam à vino quid dimoueat 571,29
fulmen in ilicem frequenter fertur 148,2
fulminis miracula per cacas quasdam causas 769,5
fulminum pra metu laurea adhibetur 113,15
fundus suburbanus arbustum expetit 538,14
fungi probatissimi & noxij 156,16 fungi in roboribus nascentes 157,20 fuilli 766,19 & 29 farnei 766,20 amanita 766,2 piperites 767,2 circa arbores nascetes 767,11 fungi verno nascētes genere 767,33 fungi quos ars reperit 768,6
fungum olea patitur 474,15
fungorum locus & explanatio 764,1
fungorum genera 765,7
fungos coquendi obseruationes 764,11
fur dupli condemnatur 5,7
fusterna quid 98,32,36

G

Gadir Hispaniæ ciuitas 449,21 quondam Tartessum, & Continusa ibid.
Galatia Asiatica 621,13
Galenus regiones hybernas peragrauit omnes 847,38
Galerius 12,28
galla ad coria vtiles 154,8 galla nigra & candida 156,37 galla resinosa 157,2 galla deterrima 157,34 galla esculi 161,2 & 36
Gallicum arbustum, siue rumpotinum 546,31
Galli cur in Italiam primo transiuerint 443,36
Gallorum magi Druidæ 3,30
gallinacei ne vuas attingant 562,3
gallinæ fabarū esu steriles euadūt 876,15
Garganus mons thymo scatet 625,21
Garilianus fluuius 632,2
gastera, rapa Lacedæmoniorum 778,33
Gebanitarum regi thus Arabes pendunt 6,2 item Sabæi 6,3
gelu facile oleam adurit 474,24
genera quæ facile transmutentur 842,14
generosa animalia 14,38
Gentiana a Gentio inuenta 13,6
Gentius Illyricorum rex 13,7
Geometria 19,3
geranion Plinij 679,9 & 13 geranion Dioscorid. 679,17
è Germania siser Romam allatum 785,3
Germanorum vestimenta ex plantarum corticibus 4,15 Germanorum brassica optima 720,39
germinare an quæpiam terrâ non contenta possint 590,37
germinatio arborum quando conspiciatur 75,9 germinatio prima vt debilis, ita deterior 796,17
Geryon rex 718,28
gethyi historia 793,35
gethyllis 793,40 gethyllis rapi magnitudine 795,6 gethyllis quid 795,14
gethyon quali forma depingatur 794,7 quomodo seratur 794,17
gladiatores ordearij 850,13
gladiolus, flos coronarius 607,36 eius appellationes 607,40 descriptio 608,5 vbi plurimum nascatur 608,23
gladioli vagum nomen 608,22
glandaria silua 147,6
glandifera arbores an generali aliquo cōprehendantur nomine 147,20 glandifera arbores inter felices numeratæ 147,24 quædam æterna coma pubent 147,25 quædā caluescentes ibid. 26
glandifagi, Arcadum cognomentum 152,39

glans

glans, boum cibus 3,12 quercus ob. cœnitatem refert 153,13 glans dulcissima 153,35.154,7 maxima 154,13 optima & grandissima 156,19 glans cerrea 160,26 fagea 163,39 omniũ dulcissima ibid. 40

glandis honos custoditus 152,34 glandis nomine omnium arborum fructus contineri 250,10

glandes nutrices inopis ac feræ sortis 147,11 glandes multarum gentium opes 147,12 panis vicẽ subeunt 147,14 secundis mensis in Hispaniis subeunt ibid.

glutinum abdicat robur 159,19

Gnosiorum cupressetа 83,29

gongri oleam infestant 447,10 quo alio indicentur nomine ibid.

Gordianus senior 9,23

gorphia Syrorum quæ ligna 457,39

gossipium lini genus 900,1

Græca vanitatis exemplum 253,3

Græciæ sterile solum 182,2

Græci oleagineam coronam Achilli & Aiaci donant 440,28 Themistocli & Euribiadi coronam ex olea largiti 440,30

grandinem quid remoretur 561,5.648,2

Gratiæ, siue Charites 80,25.82,11 Gratiæ poetarum tres 584,24

gruariæ delineatio 679,29

gurguliones fabis infesti 875,13 vitiarceantur ibid.

gustus seiuno hebes 568,22 gustum quæ immutent 568,23,28

guttus faginus 164,21

gypsum musto commodum 566,27

gypsi vtilitas 571,19 & 20

H

Habis Hispaniæ 814,36 agriculturam docuit ibid.

habitacula diuersi generis 3,15 & seq.

habiziz radix 787.9 quo nomine authoribus indicetur 787,11 habiziz cœlum calidũ exoptat 787,22 etiam nascitur sua sponte 787,25

Hæmorrhous, αἱμοῤῥόος, serpens 629,25

halicastrum 845,15

haliphæi enarratio 162,12 species 162,58 delineatio ibid. 22

Halirrhodius Neptuni filius 442,37

harpe, auis aquilæ similis, hederam nidis ingerit 635,36

Harpocrati persea sacra 15,33.176,10

Hebe, Herculis vxor 134,13

Hecale sonchon Theseo apponit 665,6

hedera arbores amplexatur 6,36 hedera Cilicia 618,23 nullo odore 634,11 quo figmẽto Græcis orta ibid. 13 Baccho sacra 13,32.581,1.634,17 & 37.635,2 satis omnibus inimica 635,21 hederæ Ciliciæ nomen 618,35 delineatio ibid. 39 genera & solum 619,22 hederæ nominatio 635,40 hederæ genera & descriptio 636,10 hedera amplexu arbores infestat 636,39 hederæ cœlum 638,17 solum & satio 638,34 & 36 cultus, ars & materies 639,10 & d.

hedygaum Tarẽtinus quid vocet 749,15

hedyosmos, herba 705,13

hedypnois Plinij 663,22.664,7 hedypnois vnde nomen capiat 664,18

Helena, insula 630,25.631,5

Helenæ lachrymæ herbam producunt 629,25

Helenium Helenes inuentum 13,11

helenium, herba 629,23 vnde enatum 629,25 hilaritatem efficit ibid. 29 vt condiatur 629,34 & 39.630,7 eius delineatio 630,21

heleoselinum 686,3

Heliades, Phaetontis sorores 138,3 *in arbores mutatæ* ibid. & 142,6
helicæ vitium 538,36
helice, è salicis genere 144,17
helichrysos, siue amarãthus 609,10 *vnde dicatur* 609,27
heliochrysi delineatio 609,39 *heliochrysos vbi nascatur* 610,14
heliostrophos Apuleio quid 743,19
helix 636,13 & 18 *helicis genera* ibid. 26. 637,27 & 32 *helix fructum non gignit* 638,12
helleborum seritur in Thaso 556,5
hemeris an diuersa à quercu 153,35 *hemeris descriptio* 154,5
hemerocallis Dioscoridis 607,21 *Theophrasti* 607,30
Heraclia, vrbs Campaniæ 718,3 *eius ortus & interitus* ibid.
heraclion papaueris genus 739,3, & 9
herba tinctorum 902,1
herba quid 65,22
herbæ lachrymis quoque nascuntur 179,10 *herbæ an insitionẽ admittant* 222,28 *herbæ vel odoratæ vel inodoratæ* 580,13 *herbæ condimentariæ* 682,22 *herbæ segetem anticipantes suffocãt* 812,7 *anteuersæ necantur* ibid. 8 *herbarum arborumque fructibus vescuntur ac victitant animalia* 2,2
Herculeius 12,28
Hercules oleastrum vnde attulerit 11,10 *abietem euellit* 80,15 *Iunonis serpentem interimit* 257,25 *ad auferenda mala medica missus* 258,7 *ludorum Olympicorũ inuentor* 444,3 *primus oleastro coronatus* 449,18 *Hercules Iouis filius ex Alcmena* 590,23 *in suam patriam redit* 718,28 *militibus suis vrbes ædificat* 718,30 & 32 *Buzyges cur dictus* 815,3
Herculis vxor 134,13 *quercus* 13, 14. 154,22 *Herculis claua ex oleastro fuit* 448,40 *terræ defixa sponte effloruit* 449,1 *in Herculis honorem Olympici ludi inuenti* 449,12 *Herculis delubrum* 743,35
Herculi sacra populus 13,33
Herodis tristitia & pestis, silua commodo leuata 14,19
heroes animũ rerusticá relaxarunt 9,15
Herous sinus 116,35
Hesperidum horti 257,5. 743,34
Hetruria vt creuerit 8,24
hiems ab ilice prædicitur 148,21 & *à quercu* 153,25 *hiems cõmoda* 255,1 *hieme cœli rigorem non soli probamus* 560,15
Hierapolis Syriæ 621,15
Hiero 13,3
hilaritas nulla in abstemio 493,16 *hilaritatis effectrix buglossa* 670,32
hippomelides 167,5
Hippodamia Pelopi nubit 389,25
hippoglossus, lauri species 120,2 & 21
hippolapathum 744,24
Hippolyti habenæ 449,26 & *currus* ibid.
hipposelinon 683,3. 686,26 *hipposelinon Dioscoridis, aliud ab eo, quod smyrnion vocat* 688,30
hippuris vitis minus pruinã curat 560,24
hircinus adeps 558,24 *hircinus sanguis magneti trahendi virtutem restituit* 798,10
hircus Baccho immolatur 494,30. 641,23
Hispaniæ pauperes tributum soluunt 6,4
Hispani secundis mensis glandes inserunt 147,15
Homeri Laërtes 9,25
homines quare ex arboribus nati putentur 3,32

hominum alimenta poma & semina 2, 10 hominũ primi Arcades 3,37 hominum ratio aut imperans, aut audiens 17,20 (149,22
Horatius Cocles, Sublicii pontis defensor
hordei enarratio 850,7
hordus veteribus grauidus 850,18
horreum 50,26
Hortensii, ab hortis 11,40
hortensium sementes tres 646,35
hortus coronarius quid contineat 580,7
hortus quid 641,7 hortus olitorius 641,20 horti locum irriguum esse oportere 644,2,13 horto quis locus, quod cœlum solumq; deputetur 582,21 contra horto innascentes bestiolas media 649,6
horti Hesperidum vbi sint 257,5
hortorum deus 641,23 hortorum remedia contra cœli noxas 647,38
hortis quis locus deputetur 642,25
hortis quale cœlum solumve conueniat 642,38
hostus nequam qua soli parte euadat 453,2 hostus quid 453,4
humanus actus omnis aut villa est aut negotiatio 15,13
humor à gelu eximitur 452,27
humoris indiga, pinguioris sunt auida alimenti 809,38
hyacinthinus color 605,40
hyacinthus in hortis nutriendus 605,19 duplex, historicus & fabulosus 605,20 hyacinthus fabulosus, siue poeticus 606,5
hyacinthi medici nomen 605,27 descriptio 605,29 species 605,37 vbi maximè proueniat 605,39 non seritur 606,3 (scriptio 606,36
hyacinthi poetici nomina 606,33 de-
Hyacinthus puer in florem conuersus 606,22 regis filius 207,20
Hyacinthum quare puerum fingant poetæ 605,25 (28 & 38
hydrolapathõ, rumex in aqua natus 744
hydrophantica 37,13
Hyperboreorum cibi 2,20
hyphear, & stelis 76,4
hyssopus, hortensis herba 697,32 vnde nomen nacta 697,36 duûm generum 697,39 hyssopus vulgaris 698,4 hyssopus Dioscoridis ibid. hyssopus Hebræorum 698,5

I

IAcinthus 593,31,39
iaculum ex aquifolio 107,30
Iani insigne, falx 16,31 Ianus corollarum inuentor 580,26
Ianuarii calendis cur lauri folia & carica donata 113,40
iasme frutex 598,1 eiusq; nomen 598,11 descriptio 598,16 genera 598,22 cœlum 598,28 solum 598,29 satio 598,31 insitio 598,39
Iasonis nauis in Colchidem vecti 80,2
Icarus insula 764,4
icteros caltha arcetur 611,11
Idea spelunca aditus 135,18
Ida, mons Phrygiæ pini refertissimus 87,28. 93,5
ieiuniorum alimentum ex pingui succo 809,40
ignis qua ligna non lædat 101,19 ignis è silice à Prometheo primum exceptus 680,21. 747,2 ignis ferula asseruatur 746,41 ignis continuo ferularum attritu elicitur 747,4
ilex, arbor glandifera æterna virens cæsarie 147,31 Ioui sacra ibi. 33. ilex minor 148,2 ilex frequenti icitur fulmine 148,2 arbor infausti ominis 148,8 vbertatis indicia præbet 148,18 dua-

rum specierũ 148,30 ilex nigra à Poetis appellata 148,41 ilex in Vaticano 149,12 ilex aquifolia coccifera 149,30 milex Plinio, sed perperam 149,32 ilex fœmina 151,34.152,12 & 18 ilex aquifolia, vel sterilis vel fructifera 149,36 ilicis aquifoliæ descriptio 149 38 quo loco maximè nascatur 150,27 qualem producat materiem 150,32
ilicis materia 149,11
iligna corona 147,32.152,33
Ilicet nouissimum verbum 81,36
Ilium, Ili tumulus 154,20
imbecillia paratiora ad opus sunt 694,12 ab externis facilius patiuntur ibi. 23
imber viti florenti noxius 558,27 imbres tempestiui 255,11 inopportuni floribus qui 583,30 imbrium prænuncia oxys 678,8
imperandi prudentia 21,36
imperij nota, ferula 746,23
imprecationibus seritur cuminũ 695,1
imprudentia plus, quàm scientia prodest, incommodat 23,23
Indiæ venenosa animalia 3,29 Indiæ occidentales 849,17
Indi arundinibus nutriuntur 2,29 Indi lectos in arboribus sternunt 3,29 Indorum cibi 2,19 habitatio 3,28 Indorum Seres 4,19
Indus fluuius 2,19
inertibus nasturtiũ mandendũ 667,15
infantis subrumi febricitantis remediũ 749,1
infoliatio 212,21
inguinum tumor 388,20
inoculatio, inserendi modus 208,33 etiam satio dici meretur 209,31
Ino Dionysij nutrix 495,8
inopia à rege perfertur 12,33
insitio, agriculturæ pars nobilißima 178,21 insitio quid 206,35 insitio, qua truncus finditur 213,20 insitio an herbis conueniat 222,28 insitio per rescißionem 548,10 per contactum 550,22 per terebrationem 550,37 insitionis necesßitas, vtilitas, voluptas 204,34 insitionis modi 208,32 insitionis nonus modus, anularis nuncupatus 211,20 insitionis, quæ resecta arbore fit, ratio 212,6 insitionis præceptiones 214,34 insitionis temporum ratio 216,21
insitione meliores redduntur fructus 181,40 insitiones vitis tres 548,9
insurculatio 212,6.213,22
intubacea Theophrasto quæ 659,35
intubi quid 659,37 intubi paratus & conditura 661,24 intubus siluestris 662,1 intubus erraticus 662,9
inulæ conditura 629,39.630,7
Ioan. Baptista Porta in eloquentiæ studiis non admodum exercitatus 1,20 agriculturæ studiosus 1,24 nouus Atlas ibid. arbores conserit 540,38
Ione nympha 595,39.596,1
Iones per braßicam iurabant 714,15
Io in vaccam commutata 448,17.593,4 oleæ alligata 448,17
Iouis sceptrum ex acere 128,23 in Iouis tutela ciuitates 153,2 Iouis stella, anni qualitatum index 254,19 Iouis Stratij ara 154,22 Iouis simulacrum è vite 579,1
irion, siue erysimon 868,2
iris, flos coronarius 607,39
irrigatio, cultui maximè necessaria 232,18
Isthmia in Melicertæ honorem instituta 87,40
Italia querno folio aßimilata 154,25 omnium terrarum alumna 154,27

cunctarũ gentiũ patria 154,31 Italia toto orbe potior oliuetis 453,14 Italiæ soli concessa arbusti ratio 538,18
iteratio sato semine sequitur 822,36
Iuba Mauritaniæ rex 13,9
Iudæi Romanorum tributarii 6,4
Iugarius deus 815,4
iuglans a coronamentis abdicata 581,4
iugum an cornibus illigandum 815,28
iuiuba 381,40 (629,39
Iuliæ Augustæ quotidianus cibus, heleniũ
Iulii Cæsaris imago lauro coronata 115,12 Iulii Cæsaris cædes laureo ramulo præmonstratur 115,31
Iulius Vindex adsertor libertatis 694,3
iuniperus, arbor resinifera bacciferaq́; 103,17 somnũ affert 103,18 eius nomina 103,30 descriptio ibi. 34 genera 104,9 cœlũ & solũ 104,21 & 26, materies ad quid vtilis ibi. 28 eius resina 104,40 iuniperus à pecore respuitur 148,33
Iunonis simulacro caprifici ramus suspẽsus 171,22 Iunonis hortorũ custos serpens 257,24 Iunonis lac 590,23
iupha Syrorum 786,15 (442,36
Iupiter fagutalis 163,18 Iupiter Morios
iureiurandum per braßicam conceptum 714,15 per allium cæpasq́; 798,23
iuris origo Cereri attribuitur 807,24
iuuenum officia, seniorum imperia 23,32

K

κεδρελάτη quid 71,14
καρύα, iuglans 581,5
κυπαρίσσου καρπὸς, prouerb. 83,4

L

LAbor à peccato profluit 6,18
Lacedæmonii vt mustum emendent 566,28 (23
lac cyrenaicum 555,13 lac Iunonis 590,
lactea via 590,27
lactuca in acetariis optima 654,7 lactucæ genera 655,17 lactucæ satio 657,35 lactucæ quas artes admittat 658,14 ab erucis & vermiculis vt vindicetur 659,29 lactuca leporaria 665,18 lactuca sine eruca non edẽda 666,1
lactucina vnde dicta 665,20
Lactucini, è familia Valeria 655,6
lacus Lucrinus 9,41
lacus aerem inficit & fructum 251,20
lacuturres, è braßicæ genere 719,31
Laertes Homeri 9,25
lætitiæ efficiens causa vinum 493,2
Lampsaceni Crœsi minas explorant 88,9
Lampsacus, Hellesponti vrbs, qui olim appellata 88,28
lanarum tinctura 154,39
lanificium ex arboribus 4,17
lanigeræ arbores 4,17
Lanonis fluuii filia 113,18
lapathi nomen ab effectu 744,13 lapathi & rumicis discrimẽ 744,35. 745,12
lapillus puniceus in robore genitus 157,15
Larignum, castellum a D. Cæsare debellatum 101,5
Larissæ solum frigidius factum 453,12
larix, arbor conifera, resinifera, perdifolia 99,15 laricis descriptio 99,28. 100,7 larix quo cœlo oblectetur 100,17 larix celebris, à Tiberio Cæs. in ponte naumachario exposita 100,28
laricis materies 100,21
latifolia arbor 161,14 (14
Latinus Latii rex, Circæ filius 114,9 &
Latona, Apollinem & Dianam enixa 440,6 Latonæ porri capitati dicantur 794,40
lauandula & lauanda 633,36
Lauinium, Ital. oppidum 114,13 item & Lauinia ibid.
Laurentum, Italiæ vrbs 12,11 Lauren-

tum, crebris lauri siluis 14,17 nomen eius originem unde traxerit 114,9
Laurea, libertus Ciceronis 12,2
laurea corona 10,36. 115,12 laurea Poetarũ insigne 116,2 laureæ usus in deorum coronis & sacrificijs 116,13
laureum scipionem gestare: prouerb. 113,31
laurus Apollini sacra, fulmine non icitur, diuinationem in somnis præbet 13,29 arbor siluestris 112,36 triumphis dicata 112,38 pacifera ibid. 40 usu laudabili 113,1 & d. 114,4 & seq. 115,3 laurus Delphica tribus radicibus 115,9 laurus triumphantiũ propria 115,29 boni genii planta 118,22 laurus Alexandria 120,7 laurus vitem offendit 562,9
lauri miracula 115,20 & d. lauri ramulus in Liuiæ gremium dimissus 115,20 lauri nomina, ac genera 116,32 lauri delineatio 117,15 quo cœlo proueniat 117,34 quo solo 118,3 lauri satio & plantatio 118,4 lauri insitio 119,8 lauri materies cuius usus 119,10 lauri species 119,22
Laydis Cyrenei in hortis schola 9,33
lege antiquitus homines nulla viuebant 807,22
legumina quid 806, 29 leguminum historia 869,3
legum origo penes Cererem 807,24
Lemnia terra 877,14
lens & lēticula 885,17 eiusq; historia ibi.
lentiscus, arbor resinifera, baccifera 105,8 eius nomen 105,11 descriptio ibid. 16 lentisci satio 106,1 insitio ibid. 3 materies & resina 106,5,10
Lentuli, a lente 869,10
leones cur Cybeles currui adiuncti 13,25
leo ilicis foliis calcatis torpore corripitur 148,1 leones allio perunctum non attingunt 798,22
leonis dens, herba 664,4 & 21
leporaria lactuca 665,18 leporum astu lassorum remedium ibid.
leptophyllon Dioscoridis 707,17
leptoraga Plinii 497,10
Lesbi nemus incensum 89,27. 97,12,22
leucoion quid, eiusq; nomen 593,10 descriptio 594,1 leucoion bulbaceum 595,9 leucoiõ commune 595,11 leucoion Dioscorideum 595,11
leucoii genera 594,16 cœlum 594,32 solum 594,36 satio 594,37 cultus 595,7
leuson, quid 79,18
lex Delphis lata de porro 795,4 lex duodecim tabularum, de glãde in alienum procidente fundum 147,16
libanotis seu rosmarinus 632,8 quæ Græcis fabula 632,15
Liberi patris platanus & laurus 13,16
librorum appellatione quæ contineantur 125,21
licinia oliua 451,32 (121,38
lienis antipathia mirabilis in tamarice
ligneus canis 732,15
lignum suberis non fluitat 151,32
lilium rosa nobilitate proximum 590,21 Iunonis lacte natum 590,23 pulchritudinis symbolum 590,28 Veneri inuisum 590,32 lilium rubrũ 606,34
lilii nomen 591,3 descriptio 591,14
lilii genera 591,34 cœlum 591,37 solum 591,39 satio 591,40 cultus 592,18 ars 592,20 cõditura 592,37
de limone, mali medica specie 269,24
limonia mala 266,30
lingua cordi coniuncta 176,10 lingua bubala 670,35
lini in lolium transgreßio 835,24

linum, & eius enarratio 896,10
liquores humanis corporibus duo gratissimi 443,14
lira, & liratim serere 799,28 & 29
lirare boum est 812,17 *lirare quid* ibid. 18. & 822,27
liras rustici quas porcas vocant 813,34
Liriope nympha 601,6
Lisias orator 127,7
litera lugubres in faba 876,11
Liuia Drusilla laurea 115,20. 118,36
Lixum Mauritania oppidum 743,34 *vbi Hesperidum horti* ibid.
locorum propria vitia 474,36
Locrensium origo 732,16
Locrus vrbem condidit 732,16
locustæ ab ægritudine per oleæ folia liberantur 443,26 *locustarum arcendarum media* 651,35. 652,3
lolij mutationes in triticum 835,20 *lolij origo & transmutatio* 860,3
lolium, segetum vitium 859,23 *eiusque historia* ibid.
lomentum, farina fabacea 875,14
lora quomodo paretur 565,19
Lotis pudicitiæ insidiatus Priapus 642,15
Lotophagi 2,33. 168,31. 169,5 *Libyæ populi* 2,33 *Lotophagorum regio* 170,12 & 17
lotos arbor 2,33 *viuax & longæua* 169,30
loti arboris fructus in cibũ vt veniat 170,3 *materies* 170,17
lotos, herba laudata 629,5 *æquiuoco nomine* 629,10 *vnde dicatur* ibid. 12 *vt à Dioscoride depingatur* 629,17 *è semine nascitur* 629,21
Lotos nympha in arborem conuersa 168,22
lotus, arbor siluestris 168,20
Lucina dea 155,41 *Lucinæ area Romæ* 169,31 *Lucina vnde nomen sortita* 169,33
lucinæ augurum in abiete 76,10
L. Quintius Cincinnatus agrum colens, dictator creatur 12,23
Lucullus in villa vitam finiuit 9,20
ludi Olympici 11,10 *nauales* 11,12 *Atheniensium* 11,15
luna Diana vocitata 68,34 *quando calidissima* 560,41 *quando fructus putrefaciat* 561,1 *luna crescente omnia gliscunt, & senescente tabescunt* 787,37
lupini historia 892,24
lupi salictarij, siue lupuli historia 731,33
Luscinia modulatio 7,30
Lusitanorum quercus 155,2 *Lusitani regis nauigatio* 758,14
luxuria segetũ inter vitia 825,41 *quomodo castigetur* 826,1
Lycei platanus 131,29 & 34
lychnis è Veneris labro nata 615,25 *vnde appellata* 615,27 *lychnidis delineatio* 615,35 *cœlum* 616,6 *cultus* 616,10
Lycurgus à Libero patre vitibus alligatus 715,18
Lydi μῶν fagum vocant 12,5 *Lydorum gens libidinosa* 620,25
Lysander Lacedæmonius 12,16
lysimachia inuentor 13,7
Lysimachus Macedo 13,8

M

MAcilenti homines ex pingui succo multũ trahunt alimenti 809,40
magnapium vnde dictum 687,2
magnetis ferrum attrahentis virtus allio tollitur 798,8
Mago Carthaginensis 17,38 (16
maiorana delineatio 627,10 *genera* 627,

malache, è maluaceo genere 743,7
malleolus quid 510,36 *malleoli serendi ratio* 514,8 *malleoli ponendi modus* 515,17
malope, maluæ species 743,6
malua hortensis, vel rosea 616,14 *eius nomen* 616,18 *genus* 616,21 *descriptio* ibid. 24 *foliũ & satio* 616,35 & 36 *efficacia* 742,29 *genera* 743,5 *malua ingentis magnitudinis* 743,33 *maluæ satio* 743,40 *translatio* 744,1
malum siluestre, nomen generale 173,11 *malum citrium* 259,24 *arantium* 267,35
mala montana 173,12 *siluatica* ibid. 13 *mala & nuces vt discrepent* 250,18 *mala limonia* 266,30 *conditiua* 450,17
malorum siluestrium historia 173,8 *cotoneorum* 270,20 *punicorũ* 397,1
malus medica 257,11 *mali medicæ vires* 258,26 *malus aurea* 267,25 *verna* 285,28 *malus, & malum* 275,10
mamma, rumen veteribus dicta 677,28
manica 787,13
Manius Curius Imperator rapos torrere inuentus 777,17
manna verè melleũ ex olea manat 445,23 *mannaruris* 744,18
marathron, fœniculum 690,24
M. Agrippæ septa 100,26
M. Varronis studium in villa 10,3
M. Curius 12,19
Mariamna, Herodis vxor, à viro interimi iussa 14,10
Mariana quercus 30,1
Marius Maximus 554,4
Massagetæ siluestribus fructibus fruuntur 2,22 *Scythiæ populi, arbore vestiuntur* 4,12
Massyli Africæ per saltus errant 3,27
de Materie cædenda & conseruanda 67,13
Mathematicæ scientiæ 18,7
matrisfamilias hortis cura mandata 640,28
Matthiolus Pliniũ notans fallitur 608,17 *errat, anguriam esse cucumim satiuum* 797,39
Mausolus Cariæ rex 13,12 *eius vxor Artemisia* ibid.
meconis, lactuca atra 655,40
Medea Absyrtus 447,5
medica arbor 257,14
Medos amygdalis nutriri 2,29
medulla vitis pars vitalis non est 548,16
Megarensis oleaster 446,6
melampyron, tritico connascens 861,2
Melas, fluuius Bœotiæ 552,35
mel Atticum optimum 624,18
mellis anguriũ, thymus 623,28
Melicertæ Isthmia instituta 87,40
meliloton, herba 627,30 *meliloti descriptio* 628,4 *vbi nascatur* 628,12 & 15
meliloton loqueris prouerb. 627,33
melissophyllon apibus gratissimum 633,8 *quibus nominibus indicetur* 633,15 *duplicis generis, hortense & siluestre* 633,23
Melius, Fraxini vir 812,13
Mellona, a melle nuncupata 250,31
melones veteribus incogniti 758,12 *nobilissimi in Æthiopia* 758,25 *melones quasi pomes dicti* 758,21
melonum descriptio 758,26 *genera duo* 759,4 *quo loco & quo modo serantur* 759,18 & 25
melones vt odorati reddantur 759,33 *vt dulces* 759,37 *vt precoques* 759,40 *vt & alias admittant artes* 760,3

melo-

melopepon 750,4 *a pepone differt* 750,6 *melopepones idem quod melones* 758, 12 vbi & plura.
memecylon arbuti fructus 166,16
Memphim e Perside arbor persea translata 10,34
mensis primis cucumis damnatur 748,33 *vt & raphanus* ibid.
mentæ vis ad recreandos animi affectus 705,7 *mentæ vsus in cibis* 705,8 *menta belli tempore non edenda* 705, 26 *mentæ denominatio* 705,30 *duæ species* 705,37 *mentæ delineatio* 706, 1 *an semine iuxta Theophrastum careat* 706,18 *ferro tangi non vult* 706,36
mentastrum, mentæ species 705,38. 706, 6 ac 30
mercatura inferior agricultura 5,5
Mercurio sacrum malum punicum 13,33 *Mercurius oleæ inuentor* 440,2
meretrix blitea Plauto quid 742,3
Meroe Nili insula 2,35
Merus, Indiæ mons 638,18 & 26
mesphyllum quid dicatur 633,17
mespili delineatio 383,33 *genera* 384, 20 *morbi & remedia* 385,33
messis quid 831,34 *cuius tria tempora* ibid.
metus multum confert ad diligentiam 24,17
Midas rex filiam Aty despondet 87,11
milax Plinij 149,32
Miletus, vrbs Cariæ, Pityusa vnde nominata 88,24
milij descriptio 861,15 *milium Indicum* 865,1 *Æthiopicum* ibid. 31
Miltiades a Lampsacenis dimissus 88,12
Minerua oleæ sacra 13,30. 438,9 *Mineruæ & Neptuni contentio de Athenis* 438,33. 439,6 *Minerua capram respuit* 475,27 *Mineruæ festa* 752, 14 *Minerua Boarmia dicta* 815,5 *belli dea* 580,29
Minotaurus a Theseo vincitur 11,5
Minthe, Achaiæ mons 705,12
Minthæ puellæ fabula 705,17
Minutius Augurinus 845,6 *cui statua propter farris pretium posita* ibid.
minyanthes 628,17 & 21
Mithridates Ponti rex 13,8 *laurum habere laborat* 117,41 *Mithridaticon pharmacum* 710,33
Mnesithei error 842,24
mœrum pro muro veteribus 250,3
molluscum acerinum 128,11
monachos non dedecet agricultura 15,8
Monobasis 503,11
mons transuersim sulcandus 813,40
montapium, ὀρεοσέλινον 689,11
montiulmus quasi montana vlmus 138,21
morbi plantarum vniuersales 235,28 *peculiares arborum* 238,37 *speciales fructuum* 240,8 *morbi vel intrinseci, vel extrinseci* 472,1 *morbi intrinseci vel copia vel inopia alimenti proueniunt* 472,2 *morbi extrinseci aut secundum naturam, aut præter naturam* 472,5 *morbi extrinsecus venientes qui sint* 474,23 *morbus quid* 236,39
Mori folia bombyces alunt 4,32
morus arbor 327,17 *qua forma* 328,9 *duplicis generis* 329,8 *mori cultus ac insitio* 330,14 & 21
mortuorũ animæ fabis continentur 875, 28. 876,9
moscata acus 679,8
moschum maioribus ignotum 497,37
Moses autorum verissimus 2,4
muceri siue amygdalæ 421,17
muli cucumere delectantur 748,37

muliebris pili suffitus 561,32
mulier cur viro imbecillior 24,13 cur timidior 24,15 mulier texens palliũ cucumerẽ deuoret, prouerb. 749,13
murenis infesta natura ferulæ 681,4. 746,9
mures vt à vineis auertantur 561,14 mures rurales ne officiant 652,14 mures agrestes a serpentibus læsi chondrillam edunt 662,39 mures a radicibus arcendi ratio 736,36 mures a frumentis abigendi medium 826,14
Musa medicus 654,14
muscata acus 679,8
muscus ruber 453,2
mustarda 709,6
mustelas infestandi modus 653,12 mustela ruta, vt venenum defugiat, vescitur 710,35
mustum quomodo in dolia condendum 566,6 quomodo purgandũ 566,12 pluuiis frequentibus imbecillum, vt curetur 566,22 toto anno dulce vt haberi queat 568,38
mustum pro ochryma quod dicatur 569,6 musto mixta origanus, vinum dulce efficit 698,31 mustum rutatum 710,19
myacanthon quid quidam nuncupent 728,13
mycerus quid Ameriadi 421,17
myrice, frutex siluestris perpetuo folio 121,4 eius descriptio 123,24
myrrhis descriptio 679,27
Myrsine Attica puella 388,26
myrtatum obsonium 388,9
myrtidanum 388,7
myrtus Veneri consecrata 13,31
myrti commentatio 388,4 de myrto fabula 388,27 myrtus quibus hi storiis nobilitata 389,10 myrti nomẽ & forma 390,29 & 38 species 391,41 myrtus quo cœlo, quo loco proueniat 393,11,35 myrti plantatio 394,3 cultura 395,10 insitio ibid. 22 conditura 396,1 myrti cum olea familiaritas 448,1
Mysorum nomen a fago 12,5
myttota quid 800,37
myxorum historia 344,12

N

NAbidi suo Hispani rei rusticæ inuentum tribuunt 16,28
napunculus 678,27
napus quo solo proueniat 782,31
napi seu buniadis pertractatio 781,20 napi & rapi Galeno nulla differentia 782,8 naporũ probasatio 783,3 & 15
Narbonensis prouincia 569.38
Narcissi fabula 601,5
narcissi nomen 601,18 genera 601,32 cœlum solumq; 602,30 satio 602,32 ars 602,39
narcissi à lilio differentia 602,23
nardus suaui odore 633,32 nardus genuina veterum 633,34
Nasamones palma victitant 2,31
nasturtij descriptio 667,5
natura, rerum parens & nutrix 1,26 natura agros, ars humana vrbes construit 10,14 frustra nil facit 181,1 naturæ & artis discrepantia 249,12 natura arti succedit 555,19 naturæ qualitates continuatione permutantur 840,33
naualium ludorum victores 11,12
naufragium omnium animantiũ 442,2
necessitas feriis caret 23,35
Nedã fluuius 172,3
negligens plerunq; adolescens 21,27
negligẽtia plus obest, quam prodest scientia 23,23

nego-

negotii omnis caput, nosse quid agendum sit 19,11
Nemeai certaminis victores 682,30
nepita animum exhilarat 705,7
Neptuni & Mineruæ de Atheniensi vrbe contentio 438,33.439,6
Neronis amphitheatrum 100,23 Neronis vltimo anno Cæsarum prosapia desinit 115,34 Neronis fossa à Baiano lacu Ostiam vsque 502,29
nescire se, quenquam intelligere, pretiosissimum 23,22
nihil agendo homines malè agere discunt 22,30 (16,37
Nili simulacrum agriculturam denotat
Nisa, Indiæ mons 13,16
nitrum vuas maturat 554,24 nitrum Alexandrinum 569,15
niuis seruandæ inuentum 156,8 niuis multitudo 255,22 niues hibernis nonalibus commendantur 811,39
Noæ arca 442,2 pacem hominibus redditam significat 442,4
nobilium Rom. cognomina ex arboribus 11,34
noctuæ platanum refugiunt 130,35
Noe primus vineam plantauit 495,28
nonæ Romanorũ Caprotinæ dictæ 171,23
Norion, insula fortunata 681,17
nosse quid agendum, omni in negotio caput 19,11
nonalium cura & æstiuo & hyemali tempore assumenda 811,35 nonale quid 814,22
nuciperfici historia 337,29
nucleus allii 799,16 (153,5
nummis antiquorum quercus inscripta
nuptiæ sacræ veteribus φαρμάκια 844,33
nux iuglans 415,1 & dein. eius plantatio 417,13 nucis iuglandis insitio 418,5 eius morbi, eorũq; remedia 419,5 conditura ibid. 16 materies 420,3
nux Persica 414,27 Thasia 421,21 Græca 421,23 auellana 429,13 eius historia 429,29 auellanæ satio 430,29
nux Heracleotica 429,14.433,32
Prænestina 429,17
nuces a malis vt distinguãtur 250,18
Nymphæ Bacchi nutrices 495,8 & 33
Nysiades nymphæ 635,8

O.

Oblivio à vino inducitur 22,39
occare quando opus 812,20 vnde & quid appelletur 816,18
occatio quid 816,18 (4,27
Oceani insula quædam apud Diodorum
ocimum quare a plerisq; increpetur 700,24 ocimi anceps nomen 701,10 ocimi descriptio 701,26 ocimi regio 702,14 ocimi satio 702,28 ocimi cultus vulgaris & artificiosus 703,14
ocima serere, prouerb. 702,37 (& 20
oculorũ caligo fœniculi succo tollitur 690,4 oculis inimica corambe 716,31
ocymum, idem quod ocimum 701,25
odorata aqua ex loto 629,16
odore solo Astomi victitant 2,24
odores oleo seruantur 444,21
odorifica vitis 557,6
œconomus qualis esse debeat 17,26.18,7 & deinc. œconomo tria aduocãda 19,7 œconomi officium in religione 19,17 œconomus Christianus 19,26 œconomum vendacem non emacè esse oportet 20,30 œconomi domus 47,8
in œconomia quid primum, quid secundum, quid tertium 24,30
œnanthe, è floribus coronariis 608,30 vago nomine 608,31 vnde denominetur 608,34 quomodo describatur 608,37 quo cœlo gaudeat 608,6

OEneus Orestei filius 494,14 unde nomen indeptus ibid.
OEnei capella 494,20
OEnopion Chios vineæ culturam docuit 494,32
œnopolarum fraudes detectæ 568,16
offringere terram 812,16
olea stirpium nobilissima 437,28 quando in Italiam peruenerit 437,32. 438,1 quamobrē Mineruæ dicata sit 438,9. 13,30
olea origo fabulosa 438,31 oleæ inuentio 440,2 quo in honore fuerit Atheniensibus 440,17. 442,11 quo Romanis 440,36 olea supplicantiū & pacis symbolum 441,2 oleæ necessitas & utilitas 443,10 olea rei medicæ necessaria 443,13 oleæ longæua vita 444,40 leui cultu sustinetur 445,8 ficu præstātior 445,14 oleæ prodigia 445,30 oleæ nomē 446,28 olea & oliua an discrepent 446,31 oleæ cum myrto amicitia 448,1 oleæ descriptio 447,3. 448,40 olea ducentos viuit annos 447,40 longæ vita est 448,16 vrbana & syluestris 448,36 olea diuersa ab oleastro 449,33
olearum domesticarū genera 450,7 olea regia 451,3 & 7 oleæ cœlum & situs qui conueniant 452,23 oleæ circa Larissam desierunt 453,13 oleæ solum debitum 454,14 quibus modis nascatur 455,37. 456,11 oleæ satio per semē 456,12 oleæ plantatio per ingentes ramos 456,27 trunco in plures partes per longum disciso 457,15 oleæ usitatus per sobolem serendi modus 458,20 olea quomodo ex radicum oculis exurgat 459,30 oleam serendi ratio per taleas 460,36 olearum seminarium 461,2
de olearum plantatione præcepta 461,27 oleæ cum quibusdam arboribus odium 464,1 & 2 olearū serendarū interuallū 464,6 oleæ plantādæ tempus 464,24 olearū cultus 465,6 olearū stercoratio 466,10 irrigatio 466,36 oleæ insitio 468,18 in olea quid arte paratu ve fieri possit 470,8 olearū fertilitatis & caritatis prognostica 470,28 olearū morbi 472,1 & remedia, ibid. oleæ nouellæ fertilitas, morbida est 472,3 olearū particulares morbi, ut lichenes 472,29 arachniū 472,32 aut araneum quoq; 472,36 & alii deinceps. olearum sterilitas vt castigetur 472,40. 473,7 olearum morbi extrinsecus uenientes 474,23
oleæ fructus duplex 486,18 oleæ & oleastri materies 490,1 oleæ & vitis cōcordia 554,1
oleaster pecus opimat 2,11 oleastrum attulit ex Hyperboreis Hercules 11,10 oleastri origo 448,38. 449,5 oleaster elephanti amuletū 449,19 oleaster ut ab olea differat 449,33
Oleastrū oppidi nomē 449,29 (12,29
oleta imperio a Diocletiano anteponūtur
olei utilitas 443,34. 444,19 oleū insania pharmacū 444,13 oleū & oliuū unde dicatur 446,40 oleū Turditanū 455,21 olei eliciendi instrumenta 476,28 olei collectio 478,15 olei acerbi vel viridis faciendi ratio 479,33 olei tria genera 479,34 maturi conficiendi modus 481,29 vitius quēadmodum vindicetur 482,20 olei diuersa quædam genera 487,26 olei natura Philosophorum dogmatibus elucidata 490,20
olitoriæ rei laudes 640,15
olitorius hortus 641,20 olitorii horti remedia cōtra cœli noxas 647,38 aduersum

uersum bestiolas horto innascentes 649,6
oliua cibum suauiorem efficiunt 444,32 oliuarum conditura 483,37 oliuarum albarum 484,4 nigrarum 485,11 oliua colymbades quomodo fiat 485,36
oliuitati necessaria vasa vti ordinentur 475,36 ante oliuitatem qua preparanda 475,39 oliuitatis tempus 477,1 (688,33
olusatrum 686,27. 687,7. 688,19.
olus cordum quid 672,10 olus quid vocetur 641,15 oleribus quale solum conueniat 643,1 & d. quale vitandum 643,32 oleribus aqua conuenientes 644,31. 645,9 qui fimorum sint oleribus idonei 645,25 oleribus fimum adhibendi tempus 646,7 olerum sationes 646,19 olera acetaria 654,5 eruca vicinitate iuuantur 666,11 olerum fœcundissimum, cuminum 694,18 olerum quod diuturnitate potissimum 745,6 olerum duorum monstrum 802,19
Olympia, Græciæ vrbis, ludi 449,10
Olympias flatus in Chalcide Eubœæ frigidus 474,30. 475,9
Olympicorum victorum corona 11,10
Olympicorum ludorũ inuentor Hercules 444,3 corona ex oleastro 449,11
olyra Mnesithei 842,24 olyra historia 848,24
omomelis 167,4 (27
Omphale mulier dominatur Lydis 620,
onitis, origani species 699,19
onopetalium, origani genus 699,18
operariorum qualitas 26,17
operatrices artes binis discriminatæ partibus 21,12
Ophellus Carthaginem petit 169,8
ophiosçoriden 798,36
oporotheca 56,15
opuli descriptio 129,24 & 30 eiusque materiei vsus 130,6 opulus vitem alit 539,1
orchites olea 450,19 eius vsus 450,23
orchitis denominatio 450,26
ordeum, seu hordeum 850,7 quot generum 850,31 ordeo conueniens cœlum 851,13 accommodum solum ibid. 22 ordei satio 851,32 cultura 853,8 in lolium mutatio 853,31 messis ibi. 37 conditura 854,7 ordeum hexastichõ siue cantherinum 854,29 distichon siue galaticum 855,28
oreoselinon 683,3
oreoselinum, herba 689,6
Oresthus Deucalionis filius 494,11
origani historia 698,20 species 699,20 descriptio 699,30 satio 700,10
oris suauitas ab apio 682,30 oris odorem commendat carduus 731,24
orminum Attici quid vocent 728,13
ornus, eiusq; qualitates & descriptio 124,25 ornus pyrũ malumq; recipit 125,5
orobanche, erui vitium 889,25
Orphei simulachrum ex cupresso 85,36
Orpheus fabarum cibum prohibet 875,24
oryza eadem quod olyra 848,29 oryza historia 855,27
Osiris quidem cum Dionysio, agriculturæ inuentor 16,24
Osiris vitisator 493,32. 494,35 aratri inuentor 814,34
Osiris quid sit 635,4
oues vlmeis frondibus aluntur 3,18
oxalidis historia 677,16
oxalis, e rumicis genere 744,25
oxylapathum primum 744,20 secundum ibi. 22 oxylapathi vtriusque delineatio 744,25

oxys, siue oxytriphyllon 678, 12 eiusq; descriptio 678,14
ozimum, ab ὄζω 701,17

P

PAcis insigne olea 439,9. 441,12
Padus, a picea vocatus 96,37 Eridanus quoque appellatur 137,35
pædagogorum insigne ferula 746,27
Pales pastorum dea 752,24
Palilia festa 752,24
palinrus 381,21
Pallas Budia 815,7
pallorē inducit cuminū 693,40. 694,4
palma multos populos alit 2,30
palmæ historia 345,4 & d.
palmam dare, prouerbium 11,9
palmitū duo genera 545,6 pampinarium & fructuariū 545,8 palmites præcipites qui dicātur 545,24 palmitis genus quod materiam vocant 545,33
palmes focaneus quis 545,35
paludapium, palustre apium 686,4
palustria vsui inidonea 877,23
pampini ad quid vitibus dati 538,36
pampinula seu pimpinella 669,31
Panathenæa, Athenis magna sacra 441,4 à Theseo in Mineruæ honorem instituta 441,5
Panathenai 11,15
πάγχρεις herba 631,32 eius delineatio ibi.
pancration, quasi omnia complectens bona, herba 662,10
Pan, deus agrestis 8,17 Pityn adamat 86,19 Panes è pino comas factitatas gerunt 87,32
panificii tractatio 834,16
panis papauereus 737,16, siligineus & similaceus 839,23 tiphinus 843,32 ex germano 843,39 ex sigala 844,10 & 24 farraceus 846,36 ex Zea cōfectus 848,8 ex arinca 849,4 olyrinus 849,6, hordeaceus 854,22 ex oryza 856,22 ex auena 858,11 ex bromo 859,21 fabaceus 875,14
panici tractatio 861,37
panthera allium fugiunt 798,21
papaueris historia 736,40 papauer ex Veneris lacrumis natum 737,15 papaueris vis soporifera 727,17 letifera 737,18 papaueris specierum descriptio 737,26 papaueris satio 739,19
Papyrii de Parthis triumphantis corona 11,3. 580,34
paradisi arbor 170,34
Paridis naues ad Helenæ raptum paratæ 79,40
Paridius Veterensis filias vti dotauerit 494,4
Parilia festa 752,24
Parnassus ob laurum Phœbo sacer 114,40. 115,1
Parthenius mons 767,30
parthenium, pro amaraco 626,39
partiū partes quoq; diuersantur 877,31
passi acini vnde nomen sortiantur 578,13
pastinaca, è cartilagineo genere 783,21 duorum generum 784,11
pastinatio vitium 512,8
Patauinorum vindemia salicem redolet 556,4
paterfamilias vide œconomus 17,22 paterfamilias religiosus 19,17
Paulus Æmilius 11,2
Pausanias doctissimus & superstitiosus 448,38
pausea, seu posea 451,16
peccatum peperit laborem 6,18
pecora hyeme fasciculis frondium nutriuntur 3,7 pecorum cibus 3,8 & 11
pediti viatori myrti virgis vtendum 388,19

Pelasgis regio, à Pelasgo nuncupata 152, 31
Pelasgus vir magnus & sapiens 152, 30 *glandium cibum Arcadas docuit* ibid.
Pelei & Thetidis nuptiæ 124,19
Pelius Thessaliæ mons 124,20
Peloponnesus Apia unde dicatur 12,6
Pelops Hippodamia potitur 389,25
peponis enarratio 749,19 *an à cucumere differat* 749,26 *sine semine edendus* 749,40 *unde nomen sortiatur* 750,1 *à melopepone discriminatur* 750,6
Periclis caput oleaginea corona incinctũ 441,3
Persarum nutrimentum 2,30 *reges* 6,2
Persæ Romanorũ serui 115, 28 *letalem arborem in Ægyptum transmittunt* 176,15 *Persarum frugalitas & luxus* 667,8
persea arbor ornamentũ Alexandri Magni 10,33 *Harpocrati sacra* 13,33 *de persea peregrina arbore* 176,3 *Isidi sacra* 176,8 *de persea diligẽtiores quid tradant* 177,8
Perseus Macedoniæ rex 441,20
persica quatuor generum 331,17 *præcocia* 331,21 *Armeniaca* 332,24 *duracina* 333,29
è Perside primum Memphim arbor persea traducta 10,34
Pesti, Calabriæ oppidi, rosaria 588,8
pestis remedia 14,15 *pestis tempore laurea utendum* 116,24
petroselinum nostrum, antiquorum apium 682, 25 *ut veteres indigitarint* 683, 4 *petroselinon, in saxis nascens* 689,9 & 26 *petroselini Macedonici descriptio* 689,21
Phaeton Solis & Clymenes filius 137,38 *fulmine ictus in Eridanum labitur* 138,2
phalangium in eruo nascens 823,40
Phaon inter lactucas absconditus 655,4
phaseolus eiusque historia 891,1
phaulia oleæ species 451,10
phaunos oleastri 449,25
phellodris delineatio 152,10
Philomela mille per vocum discrimina canit 7,30
Philometrus 13,3
philosophiæ commodius locus, villa 9,15 & d. *philosophia naturalis agricolæ necessaria* 17,34
philosophis facile ditari 5,26 *philosophi ruri vitam agunt* 9,29
Philotis ancilla, eiusque facinus 171,25
Philoxenus, Aristotelis auditor 875,37
philyra veneri sacra 13,32 *philyra Theophrasti* 108,7 *Dioscoridis* 108,25,41
Philyra, Oceani filia, à Saturno adamata 125,11
phocæ pellis ad quid conferat 561,3
phthisicis cõducunt sylvæ resinosæ piceave 14,11
phthorium vinum 556,6
Phytognomonici scriptores 14,2
picea 96, 15 *Neptuno & Libero patri consecrata* 96,21 *arbor feralis* 96, 35 *eius nominatio* 96,39
picris, unde nomen adepta 662,27 *toto floret anno* 662,34
pimpinellæ historia 669,19
pinaster quid 95,16 *uti appelletur* 95,17 *quot generum sit* 95, 22 *eius descriptio* 95,26
pingui cibo indiga sunt sicca corpora 810, 1
pinus, arbor silvestris 86, 12 *Cybele deũ matri sacra* 86,26 *naturæ imaginem refert* 87,29 *fraudi dicata* 87, 31 *mortis symbolum* 88,3
pini denominatio 88, 13 *descriptio*

38,52 species 90,8 cœlum 90,16 solum 90,27 satio 90,38 cultus 91, 21 morbi & remedia 91,26 conditura 92,12 pini materies 92,16 pinus inges, pulchra cognominata 93,6 pini resina 93,10
pinus tractatio 408,15 fabula de pinu 408,21 pinus plantatio 412,3
Pinus puellæ fabulosa historia 86,18
piperis vicem supplet myrtus 388,8 siliquastrum 714,19
piperitis 714,25 & 32
pisces apio recreantur 682,29
pisi historia 879,1
Pisones, a piso 869,10
pistaceorũ descriptio 431,30 satio 432, 28
pithire quid 738,11
pithitis papaueris genus 738,8
Pityodes & Pityusa, maris Balearici insulæ 12,8. 88,27 aliæ eiusdem nominis in sinu Argolico ibid.
Pitys puella 86,20
pix optima & purissima 93,21 quo modo vratur 94,12 Plinio quid 94,32 pix liquida Europæ 95,3 picis duo genera, spissum & liquidum 95,11 pix è picea 98,20
plantæ ante omnia animalia mundo natæ sunt 2,3 plantarum fructus ad hyemalem cibum reponuntur 2,21 plantæ quibus modis exoriantur 179, 9 plantarum sponte nascentium generationes 179,28 plantarum generatio ex radice duplex 185,1 plantarum interualla 193,30 morbi & corruptiones 235,31 sua principia partim intus habent, partim extrinsecus 236, 14
plantationis modos suppeditabit satio 178
platani præcentinus 130,9 nominatio, delineatio 131,10 & 17 locus & satio 132,27 & 38 insitio ac materies 133, 14,22
plenilunis omnia rubigine afficiuntur 560,40 plenilunio incrementum capiunt cucumeres 748,31 echini marini ibid. 32
Plinij error 74,26 mos vertendi peruertendiq́; Theophrastum 687,25 Plinij & Columellæ conciliatio 837,21
Plutonis cupressus 13,32
Plutus Aristophanis 14,30
podagricis idoneus hordeaceus panis 854, 26
inter Pocula erratorum deinceps commissis parum conuenit 680,34 sed leuis reprehensio sufficit ibid.36
pœnitentia rei gestæ nil agricolis fœdius 193,39
Poëtæ, vnde ex arboribus homines fingant procreatos 3,34 poëtarum insigne 10,30. 11,17. 116,2 poetæ vino singurgitandi 492,20 poetis smilax sacratur 618,28 hederacea corona 635, 23 poetas lacte ac melle pasci 635,31
Polemon vetustus Aristophanis enarrator 795,3
Pollio vti ad magnam ætatem peruenerit 443,22
polypremni herbæ succus arboribus accommodus 252,39
pomarij materia & obiectũ 249,21 Latinis quid 249,33 pomarij positio & locus 251,3 pomario solum quod conueniat 251,30 pomarij arbores vt fœcundiores euadant, media 252,31
pometum, seu pomarium 249,37
pomiferæ arbores aut frondem retinent aut dimittunt 147,28
pomarium quid notet 250,2
Pomona pomorum dea 250,30 a Vertumno

rumino adamata 250,31
Pompeij fascibus laurus alligata 115,38
Pompeiani Campaniæ populi 718,26 vnde nomen sortiti 718,32 eorum ortus & interitus ibid.
pomum Adami 270,8 pomum folij vnius adherescetis 176,9 quid sit 250,6 genere tam mala quam nuces continet 250,22
poncerium, acriũ citriorũ genus 269,38
pons ilicis materiæ structus 149,19
Pontica arbor, qua viuũt Arimphæi 2,31 populi a cibis nomen sortiti 2,32
populus, Herculi dicata 13,33.134,11 arbor infelix 134,2 populi genera 135,3 populi & vlmi differentia 539,24 in arbusto recipienda 539,28 ad alendam vitem maxime conuenit 540,6
Populonia, vrbs Iouis simulacro celebris 579,1
porricidæ 797,27
porra, quid dicatur 812,23
porri tractatio 794,29 vnde nuncupetur 795,8 duorum generum 795,11 & 22 quali loco proueniat 795,34 porrum siluestre 797,33 vineale vel vitigineum 797,38
Portius Latro clarus inter dicendi magistros 694,1
portulaca vitibus putredinē inhibet 560,7 portulacæ descriptio 676,1 & 31 portulacæ satio 677,11
posea oleæ species 451,15
Posthumius Siluius 11,36
potus herbidi per montium æstiua salubres 14,14
Præneste Italiæ vrbs vnde nomen indepta 148,6
præsentia domini quantum polleat 19,37 præsentia domini prouentus agri 20,2
prati percontatio 904,32 prati genera 905,8 prato aer, solum, aqua quæ conueniant ibid.
prata quomodo fiant 905,37 facta quomodo colantur 905,16
premnus oleæ morbus 447,12
Priapus salignam falcem gerat 143,28 Loton deperit 168,23 hortorum deus 641,28 Corinthiis in magna veneratione 642,10
proditor quis 24,2
Prometheus e silice ignem ferulis excepit 680,21 a Minerua in cœlos sublatus 746,41 ferulam accensam in terrã deportat 747,1 primum ignem e silice prouocauit 747,2 ignem ferula asseruari docuit ibid.
propagatio plantarũ 186,39 vnde nuncupata 187,2 propagatio duplex, arborum, & herbarum 187,10
propius sata aliis quæ perniciem inferant 245,16
proscindere terram 812,15
Proserpina a Plutone capta 601,15
aduersus Pruinam vineas lædentem remedia 560,19 pruina suauitatē plantis confert 723,33 noualibus officit 811,39
pruni commentatio 339,17 prunorum genera 340,18
pseudonardus odore præstantissima 633,28 eius species & nomina 633,32 quemadmodum seratur 634,5
Ptolemaus Euergetes Aristarchi discipulus 734,20
pubertatem coercet hyacinthus 605,23
puerilis ætas ad agriculturã apta 27,5
puerperis petroselinon denstandũ 683,6
pugeo, flos 607,40.608,3
pulegium herba condimentaria 703,40 capiti salubre 704,1 quid miri de eo

prodiderint 704,3 vnde deuocetur 704,29
pulegij species 704,38 regio & satio 705,1
pulices hortorum abigendi rationes 650,24 pulices terræ origanũ enecat 757,21 raphanis innascentes eruum arcet 775,37
pulmentaria ruris 800,39.801,8
pulueratio oleis prodest 465,25
puluis vitibus excitandus 533,24 licet siccus nonnunquam alit 753,3
pumila cerasus 380,6
punicæ arboris historia 397,1
punicum malum Mercurij 13,33 punicorum malorum enarratio 397,1
purgatoria vitis 556,30
purpura sarrana 596,7 purpura Tyria Laconicaque 614,30
putatio difficillima cultus vitis pars 544,12
puteus quando effodiendus 644,4
pyanipsia, festa Apollinis 869,22
pyra cypresso circundata 81,33 pyri historia 287,35
Pyrethi, Cappadociæ magi 121,12
Pyrrhaum nemus incensum 89,27.97,12,22
Pythagoras & Pythagorici an faba vescãtur 875,32 Pythagorei cupressino ligno abstinebant 86,4
Pythia carmina, a Pythone serpente dicta 114,22 Pythia oraculum 2,36
pyxacantha Nicandri 732,31

Q

Quæstus vinearum 5,30 & 36
quercus Ioui dicata 13,27.152,35.153,1 arborum prima nata 152,24.153,3 cibum militibus suppeditat 153,1
quercus diuturnitas 153,19 quercus an à hemeri differat 153,35 quercus distributio 153,35 qua cœli constitutione proueniat 154,33 quercus satio 155,14 quercus cum olea odium 155,21 an pyrum ferat 155,31 quercus materies 155,34 infinitæ æternitatis 156,1 domestica arbor 156,13
quercum cum olea complicari prouer. 155,25
quies in toto naturæ opere 546,27
quincuncialis arborum ordo 541,19.196,3 eius typus 197,24
quinquatrua Mineruæ festa 752,14
quinquennales ludi 11,16
quinquennes vlmi transferũtur 541,31

R.

Radicis plantatio 185,1 radicis genera 771,31
radicis Corinthiæ descriptio 776,19
radius maior 450,33 ad escam idoneus ibid. 37
radius minor, siue radiolus 450,40 vnde nuncupetur 451,1
rami quid dicantur 189,5 per ramos serendi modus ibid.
ramoracia siue ramoracea, aut etiam armon 776,11
ranarum sanguis viti commodus 558,25
rapa in sinapi seruatur 708,38 raparum apparatus 778,1 an generis diuersitatem habeant 778,40.779,5 quale cœlum, & quod solum appetant 779,27 & 35 raparum cõditio 780,7
raphani tractatio 770,30 in delphico templo cæteris cibis antelatus 770,40 raphano assignat Plinius quæ Theophrastus brassicæ 771,6 raphani genera 771,30 raphanus frigoribus gaudet 773,24 raphani satio 773,34 raphani artificiose producendi ratio 774,33

raphanus

raphanus siluestris 776,1 & 10 diuersum quid à siluestri raphano 776,12 & seri & transferri potest 776,31
rapus terræ 617,16
raporum tractatio 777,1
rapum è plumbo dicatum in tẽplo Delphico 777,16 rapi & napi differentia nulla 782,8
rapunculus, acetariis conueniens 678,23 eius satio 679,4
rauca, vermes in quercus radice nascentes 464,1
Rauenna omnium operum fundamenta alneis palis 143,6
regalius studio agri colendi nihil 10,21
reges agriculturæ dediti 12,13 regibus quã ob rem sceptra assignentur 746,26
regionum propria sunt munera 823,8
Remi & fratris vita 8,24
rerum parens ac nutrix, natura 1,26
resinarum alia candida, alia nigra, alia mellei coloris 99,23 resina laricis 101, 28 iuniperi 104,40
Rhabarbarum monachorum 744,40
rhœas papauereum genus 738,8,15 & 27
Rhea dea vitis 494,35
Rhegium 12,40
Rhemnus Palæmon 5,37
Rhizophagi, nominati Æthiopes 2,34
Rhodiorum tributa 6,5 ludi funebres 134,4 Rhodii veniam à Romanis deprecantur 441,23
ridica radicibus à ventis securitatem præstat 550,10
rigandi hora matutina atque vespera 703,15
Riphæi montes 2,20
robigalia feriæ Robigo institutæ 824,22 à quo & quando 824,26
Robigus, deus 582,18
robosenum pro robore veteres 156,25
robur, commune glandiferarum arborum nomen 147,23 robur quid 153, 9 à quercu differt 156,12 vnde nomẽ sumat 156,26 qua forma 156,28 quando cædatur 159,5 roboris fructus 157,1 materies 158,32
robusti vnde viri præstantes dicti 153,8
Romanis Iudæi tributum pendunt 6,4 Romanorum nobiliũ cognomina vnde 11,34 Romani posteriores Tiburtibus 149,13 à Romanis pacem rogant Alexandrini 441,20 Rhodii ibi. 23 Romani farre tantũ principio vsi 845, 4 Romanorum clariss. cognomina à leguminibus 869,10
Roma pulcherrima facta 8,25 Romæ pons ilicis tantum structus materie 149,19
Romana maiestas magnum oleæ honorem præbuit 440,36
roratio vitium morbus 557,39 tribus de causis accidit ibid.
rosa inter flores princeps 583,35 Veneri sacra 13,32: 584,13 humanæ voluptatis imago 584,29 Cupidini dicata 584,32 rosæ multiplex fabula 584,37 rosa vitæ humanæ speculum 585,14 scarabeum necat 585,20 scorpionis amuletum 585,23 amuletum serpentis 585,23 rosæ nomen 585, 26 descriptio 585,30 genera 586, 10 cœlum 587,34 rosæ solum 588, 11 satio 588,15 cultus 589,11 insitio 589,22 ars 589,32 conditura 590,10
rosa rudis 798,24 (612,36
Rosam cum anemone conferre: prouerb.
rosmarinus qua natura qualitate 632, 8 & d. quomodo seratur 632,36 cultum exigit 633,4
Rubigalia 254,31

rubiginis tractatus 824, 4 rubigo quid 824,8 pro rubigine remedia 825, 1
rubrica Lemnia 253, 30
rumen veteribus mamma 677, 28
rumex, seu oxalis 677, 27 inter olera recensitus 744, 8 apibus incommodus 744, 10 eius usus in cibis 744, 11 quot generum 744, 19 rumex quid 744, 35 rumicis & lapathi interstinctio 744, 35. 745, 12
Rumpotinũ quid vocetur 539, 3. 546, 32
rumpotinarum arborum spatia 547, 1
runcatio, quae sarritioni subiungitur 823, 23
ruri domicilium proborum 14, 32
rustica vita beatos efficit homines 8, 27 urbana antiquior 10, 9 rustica vitae commoditates 15, 1 & d.
rusticum opus sapientiae consanguineum 14, 25
rusticis nil convenientius vitis cultura 494, 3
rusticum de farre canticum 846, 19
ruta fimum aspernatur 645, 28 rutae usus & conditura 710, 17 nomina & descriptio 711, 1 & 12 cultus 712, 11 amicitia cum fico 712, 35

S

Sabaei thure abundant 6, 3
Sabellici populi qui 719, 22
sabina, perpetua coma 120, 27 alia sterilis, alia frugifera ibi. 31 sabina herba duorum generum 120, 34 sabina non herba sed frutex ibid. 40 uti propagetur 121, 1
Sabinorum veterum vita 8, 23
sacchari historia 902, 14
Sagunti Dianae templum 104, 30
sala corruptionis vitio vindicat 159, 26 trahit absumitq; humorem 773, 14 salsae aquae plurimum fertilitati conferunt & suavitati 727, 10
salsa tellus frugibus infelix 810, 25
Salentinorum regioni olivata ingentia 452, 8
salix, arbor necessaria 143, 19 salicis species ac descriptio 144, 5 & 20 salix quo loco, quave ratione provenit 145, 5 & 13 salicis insitio & materies 146, 7 ac 16 an viti commodet 539, 9 & 15
salignum lignum vini vitium omne tollit 572, 22
saliunca Virgiliana 633, 35
Salomon sapientiss. 13, 2
Salonae Diocletianus ruri agit 8, 1 Salonae oleta 12, 29
salpa obscoenus piscis 746, 40 non nisi ferula vapulans coquitur ibid.
salsi cortex 162, 16
salviae historia 713, 19 salvia & sphaceli differentia 713, 37
Samnitum aurum repudiatum a M. Curio 12, 22
sampsucum, herba 626, 12 an idem cum amaraco 626, 37 unde appellatum 627, 21 sampsuci descriptio 627, 1
sandition quid nuncupetur 667, 25
sanguisorba, quibusdã pimpinella 669, 33
sanitas ex villa conquiritur 13, 37. 13, 38
santion quid nominetur 667, 25
scarabeus frumenta rodens 825, 24
scella, sive scilla 805, 8
sceptra qua de causa reges usurpent 746, 26
schoenum Galeni 805, 8
schola in hortis 9, 33
scillae bulbi beneficio sata facilius comprehendunt 555, 24 scilla, e capitatorũ genere 804, 31 scillae delineatio 805, 12 species 805, 33
Scipio Linternum deligit 9, 24 Scipio Africanus 11, 1
sclarea unde derivatur 811, 18

scolopendra gladiolo gaudent 608,8
scolymi descriptio 732,34
scordii inuentor 13,8
scorodoprasi historia 802,14
scrobes effodiendi precepta 198,20
scylla vide scilla
Scytharum Argippai 3,25 Scytharum habitacula 3,27 Scythas arbore vestiri 4,12
Scythicum frumentum celeriter crescit 704,9
sapa quo tempore coquenda 570,37
sapientia rusticum opus affine 14,25
sapinus, quibusdam inferior abietis pars 98,29 aliis arbor peculiaris 98,30 pineæ species 98,38 Porta picea domestica 99,12
Sardes in Lydia 12,15
Sardina per Aristeum arboribus consita 13,20
Sardorum dementia 2,8
sarmenta vitium quando colligenda 511,27 qualia ad vitis insitionem accipienda 549,25
Saron Archadiæ nemus 153,33 Saron rex 153,33
Saronicus sinus à quercu nomen accepit 153,32
saronos, antiquis quercus 153,32
sarrire quid 822,31
sarritio 822,29 & 36. 823,1
satione plantarum multifarie 178,29. arborum per truncos 188,9 satio surculi 191,15 sationem etiam foliis fieri posse 192,22 satio per lachrymam 193,8 sationis plantarum stata tempora 200,26. 819,16 varia præcepta 203,1 & deinceps
satorum pestes 245,18
satureia seritur in hortis pro cibis condiendis 695,15 vilior medicina in montibus prouenit 695,16 satureiæ genera, ac descriptio 696,28 & 36 locus & satio 697,1 & deinceps
Saturni vita 8,26 reliquiæ 10,16 Saturnus rei rusticæ inuentor 16,26 Philyram deperit 125,11 genitori Cœlo genitalia detruncat 809,13 filios cur fingatur deuorasse 181,13
satus per excellentiam 819,24
Satyri factas è pino comas gerunt 87,32
sauina, idem quod sabina 120,29
secalis historia 844,6
segala, veterum siligo 844,6
Segesta segetum dea 807,16
segetalis flos 608,3
Segetia segetum dea 807,17
segetis enarratio 806,6 seges quid 807,11 segetum cultura 811,24 vitia & remedia 823,31 segetum fertilitatis prænotio 816,34
Seia, segeti addicta dea 807,17
selinum odoratum, vrbanum, hortense 683,1
Semele, Cadmi filia, eiusque fabula 494,41
semen frumenti genus 846,38 847,22
semen producentia nascuntur omnia semine 180,37 semine nata non omnia degenerant 181,31 semen vetus naturam aliquando immutat 721,12 semine sata omnia meliora nascuntur 800,25 semina ne depascantur ab alitibus 801,39 seminum electus in serendo 818,23 seminum vita ad generandum desinita 818,27 seminis vita quædam communia, quædam propria 823,35 seminibus morbi ex quibus causis proueniant 824,1 seminis corruptio & putrefactio 836,2 seminũ natura viuacior quam animalium 836,10

sementis tempora 819,16
seminij principium ab aere 180,8
Semiramidis Persarum regina horti 61,20
Semnones dij qui 641,29
senecionis descriptio 664,23
senectus pigrum quem reddit 21,28
seniorum sunt imperia 23,32 *senibus conueniens baculus ex ferula* 746,32. 747,8
serenitates vitia frumentis afferunt 808,32
Sergia bacca siue Sergiana 452,4
serendi ars diuina 13,21 *serendi tempora* 646,31 *praeceptiones* 821,39
Seres, apud Indos, lanificio siluarum nobiles 4,19
serica indumenta 4,18
seris herba 659,34. 660,7 *duûm generũ* 660,22 *seris seu chondrilla* 663,2
serpens fraxini succum odit 122,17 *ab Hercule interfectus, inter Arctos relatus* 257,25 *quercinis foliis iniectis moritur* 156,22 *serpentes punica arbore non arceri contra Africanum & Plinium* 397,10 *serpens in vindemiis viti implexus acidum praedicit vinum* 567,30 *serpentis virus è vino ferrum elicit* 572,22 *serpentes trifolium fugiunt* 628,20 *quibus depelluntur* 653,16 *nasturtij suffitu fugantur* 667,16 *serpens senectam exuens* 690,3 & deinceps, *serpentes ex hortis abigit ruta* 713,20 *accersit saluia* ibid.
serpilli an inter coronarias herbas locum sibi vendicare possit 621,28 *vnde nomen indipiscatur* 621,37
serta cur stephani dicta 580,27
sertula campana, seu melilotum 627,30 & 40
seruia corolla 580,22
Seuero Imp. cupressus mortis ostentum 82,3
sesamum, sesama, sesima 866,8
seutlomalachon, quasi maluacea beta 741,16
Sextius è Romanis sapientiae affectatoribus 5,27
Sibyllae oracula 582,13. 824,34
sicca corpora pingui indiga sunt cibo 810,1
Siculus Siciliae rex 808,3
sideratio plantarum morbus 237,9
sideritis Dioscoridis 669,30. 670,3
siderum influxus in pla⸗ tis liquido percipiũtur 18,9 *sidera tam a nautis quam agricolis obseruanda* 18,14
Sidon ab Artaxerxe obsessa 441,16
silago, χειρωνίτης 675,15
sil atticum 595,34
Sileno smilax sacratur 618,28 *ferula* 746,12
Siliceus pons Campaniae 759,22
silicula, siliqua, silicia 165,5. 901,13 & 14
siligo, tritici vitium 837,17 *tritici deliciae* 837,20 & 25 *vrbani habitus* 837,30 *olyra falsò dicitur* 848,27
siligo spuria 850,12
siliqua siluestris arbor 101,39 *siliquae historia* 164,34
siliquarum tractatus 891,29
siliquastrum piper supplet 714,19 *siliquastri historia* 714, ibid.
Siluanus senex 8,17
Siluani & Siluij vnde appellati 11,35
siluarum habitatio antiquitus 3,15 & d. *silua, deorum habitacula* 4,5 *numinum templa* 4,7 *silua sanitati conferunt* 14,11 *silua antiquorum duplex* 62,5 *silua cadua quae* 62,6 *silua quid* 62,20 *siluarũ dij* 62,34 *siluis quae regio-*

regiones, quæ loca abundent 63,11
silua glandaria 147,6
siluestria satiuis priora 61,27 acriora & ficciora omnia 797,35
siluestrium arborum natura 65,37
silurus piscis 561,1
sinapi callidiorem esse 709,9
sinapios vsus 708,20 deriuatio 709,13 species 709,18
Sinus Saronicus 12,8
siseris enarratio 785,2 quando seri possit 785,21
sisymbrium, odorata planta 624,35 quæ eius denominatio 624,40 quæ genera 625,8 eius descriptio ibid. 11 cœlum 625,29 solum & satio ibid. 33 & 36 semine caret 625,35 eius cultus 626,1
Sisymbrium, veteribus comœdiis meretricula 625,1
sitanium, & setanium 840,37
situs villæ 31,11
smilaces arbores 148,35
smilax Arcadum 152,8
smilacis flos 618,23
smyrnij Dioscoridei descriptio 687,26 & 36
smyrnion agreste 688,34
Socrates per platanum iurat 131,5 deum vnum existimat 153,18 per quercum deierat ibid.
solanum esculentum 745,16 hortense 745,18 hortense quot generum 745,24 sponte prouenit 745,34
sol Elector vocitatus 137,36
soles lætiores quando sint 8,1
Soloni in multis adiutor Epimenides Phæstius 442,22
solstitium per oleam indicatur 448,6 & 28 solstitium æstiuum quando incidat 813,22
solum idoneum 32,16. 809,25 solum fugiendum 36,7 soli vitia vt emendentur 37,6 ad solum fundi necessaria 44,5 soli qualitates explorandi ratio 810,11. 811,2
somnia vera videri laurus efficit 113,38
somnos allicientes flores 581,10 somnus hedypnoide conciliatur 664,19
sonchos, σόγχος 665,5
soporifera vis papaueris 737,17
sorbi genus siluestre 174,15 vsui medico aptius 174,19
sorbus, & sorbum 296,35
sorices a vineis abigendi ratio 561,14
Sosipater Paphius quando floruerit 734,19
de Spanachiis percunctatio 741,5
sparagus aphæresi, asparagus 728,17
species alia in aliam naturaliter nō commeat 835,23 specierum mutationes fiunt in propinqua genera 837,6
spelta siue spentria 847,19
Spermophagi vnde dicti 2,35
sphaceli delineatio 713,38
sphacos, saluiæ species 714,4
spica nardi 633,32
spina alba 174,37 spina siluestris 174,39 spina nuptialis 175,4 spina Ægyptia 619,28 Theophrasto duæ sunt 619,32 Dioscoridi spina Arabica ibid. 33 duarum specierum, candida & nigra 620,3 vbi nascatur 620,8
spiritus silens sensu perspicuus 453,30
spiritus vegetiores nasturtio redduntur 667,14
splenetico homini remedium tamarice 121,40
spleni medetur myrica 122,7
sponsæ olim asparago in coronis vsæ 727,19
spuma Græcis ἄφρος 801,9

Sp. Melius 12,25
squilla Varronis 805,11
Statius sua carmina Siluas vocet 62,31
stelis & hyphear 76,4
Stephanus, coronæ auctor 580,27
Sterces, siue Stercutius, agriculturæ deus 16,34
stercorationis ratio 228,9 *stercoratio agri* 816,32
stercoris qualitates 228,28
sterilitas salice inducitur 143,25 & 34
sterilitatis symbolum, salix 143,25
sterilis arbor fructum vt ferat, experimẽtum 253,1
stirpium diuisio 65,4
Stolonum cognomen 11,40
stomacho inimica brassica 717,17 *cinara* 733,28 *scolymum salubre* 733,29
stomachũ corroborat portulaca 676,2
stomachum recreat oxys 678,3
streptos oleaster 449,26
strophia quid 580,21
struthos anicula 739,13 *struthos herba* 739,14
studiis aptißimus locus, villa 9,15 & d.
suauiter loquens, melilotum loqui dicitur 627,33
suber arbor glandifera 151,2 *perpetuæ frondis* ibid. *describitur* ibid. 8 *materiam qualem proferat* 151,26 *suberi falsò Plinius tribuit quæ phellodri Theophrastus* 151,36
tanquam suber, prouerb. 152,1
sues sine liene quando reperiantur 121,39
suibus splenis incremento laborantibus tamarice succurritur 122,4 *suum caro pinguis & lenis vnde reddatur* 163,7 & 39
suberi quercus, arbor 152,4
Sublicius pons Tyberinus 149,19
suffragia per fabas lata 876,4
suffrutices quid 65,24 *an tolerent insitiones* 222,28
sulcus quid vocetur 812,22
supplicantium symbolum, olea 441,12
surculi plantatio 191,14 *surculus quid* 191,18 *surculus an à subiecto trunco alimentum capiat* 207,10
Surrentini colles olinetis conuestiuntur 455,35
Susa, Persiæ vrbs 590,29
Sybaris, vrbs 154,9 & 16
Syriæ vallis vnde nomen acquisierit 12,3
syriaca arbor 165,7

T

TAlea quid 189,9 *vnde taleare, vox rustica* ibid.
talpas perdendi ratio 652,41 *vt easdem Græci persequantur* 653,6 *talpas abigendi ratio* 736,32
tamarice, planta perantiqua 121,3,6 *ipsiusq́; descriptio* ibid. (682,3
tarchon Simeonis Seti vnde deriuent
Tarquin. Priscus papauera decutit 737,1
Tartessum, Hispaniæ ciuitas 449,21
tauri feroces caprifico mitigãtur 171,17
taurini fellis in arboribus vsus 253,34
taxa, lauri species 120,1
taxus, arbor perpetuò frondens 109,6 *in inferni opacis nasci ficta* ibid. *letifera* 109,14 *taxus vbi plurimũ proueniat* 110,5 *quæ materie fit* ibid. 14
Tegea ciuitas Arcadiæ 153,17 *vnde Tegeates* ibid.
tegos pro lupanari 153,17
Telemachus Pylum nauigat 80,11
Telephanes, & rex & agricola 12,37
telephium à Telepho appellatur 13,9
Telephus Mysiæ rex 13,10
telephyllon, ramus papaueris 737,10
tellus non fructificat 254,7
Tempe frigida 8,11

tempestatis prænuncia oxys 678,5
temporis ratio per populum indicata 134, 6 tempus per Herculem interpretantur physici 134,11
temulentiã restinguit hedera 581,4 florum odor 581,7 contra temulentiam brassicam pollere 715,25 & 32 temulentiæ & crapulæ discrimen 716,20
temulentis percommoda baccaris 631,26
terebinthus arbor nomen vnde sumpserit 101,37 terebinthus maris & fœmina genere 102,1 terebinthi insitio 103,1 resina 103,5 terebinthus Theophrasti 431,35
terebra quibus vites perforantur 551,15
terebratione inserendi modus 218,23
terra cultura quæ qualisq; Adamo demandata 2,7 terrâ antiquiores arbores 2,8 terra imperium non recusat 5,11 sine vsura nihil reddit 5,12 terra mater & Ceres dicta 10,15 terrarum plantis aptiorum optima quæ 252,14 terra a terra differt 809,1
textrices, veneri maximè opportunæ 749,14 (471,1
Thales Milesius Astrologus 5,19.18,40.
thelyphthoron 620,23
thelythamnon 620,23
Themis Atlanti quid prædixerit 257,28
Themistocles à Græcis oleaginea corona honoratus 440,30
Theodori versio notata 82,37
Theophrasti hortus 9,34
theriaca siue thyriaca vitis 556,10 & 21
Theseï, deuicto Minotauro, corona 11,5
Theseus magna sacra Athenis instituit 441,5. 442,28
Theseo sonchon apponit Hecale 665,6
Thesmophora, latrix legum Ceres nuncupata 807,22 (cta 453,12
Thessalia regio, emisso lacu, frigidior fa-
Thessali ad Achillis tumulum quid instituerint 609,23
Thessalus Pisistrati filius 445,32
Thetidis cum Peleo nuptiæ 124,19
Thraciæ montes sisymbrio scatẽt 625,31
Thracius lapis aqua accenditur 443,30 oleo restinguitur ibid.
Thrasibulus corona oleaginea insignitur 440,39
thunni, marini porci 155,3
thuris vbertas apud Arabes 6,1 apud Sabæos 6,3 thure diis nil gratius 632,20
Thurii, olim Sybari 154,23
Thurinus ager quercu insignis 154,8 & (16
thyma Galeno quid 695,26
thymbra quid 695,24 & 30
Thymbra oppidum 696,20 in quo templum Apollini sacrum ibid.
Thymbræus fl. 696,22
thymos 623,22 vnde dictus ibid.34 cur eius fructus in Attico solo acris 623, (39
Thyna, Thraciæ locus 624,17
Tiberius Cæs. ad villam transmigrat 9,22 Tiberij Cæs. pons naumacharius 100,22 & 32 Tiberio Cæsari toto anno cucumis præbetur 754,9 Tiberio Claudio principi venenum à coniuge datum 766,8 Tiberius princeps è Germania quid afferri iussit 785,2
Tiburtes Romanis antiquiores 149,13
Tiburtus Tiburtum conditor 149,15 filius Amphiarai ibid.16
tilia, siue philyra 125,11 vbi proueniat 126,26 tilia omnia pomarum genere onusta iuxta Tiburtes 126,30 tiliaceis tabulis ob imbecillitatem homines circumdari 127,9
tinctorum herba 902,1
tinus, lauri species 119,24 an sit Theophrasti quinn 119,34

tipha duplex, palustris & cerealis 842,9
tipha cerealis 842,11 *diuersa ab olyra* 842,25
tipha quando seratur 843,21
tipha cerealis descriptio 842,40
tirunculus vt senex contemnitur 21,26
Tirynthij pyris siluestribus vescũtur 2,29
Tmolum, Ciliciæ mons 604,17
aduersus Tonitrua remediũ laurus 116,29 *tonitru ob vbertatem præcognoscendam obseruatu dignum* 254,15 *tonitrus & fulguris noxã a vino quid abigat* 571,29 *tonitru terram hiare, quasi insolatione ac aëris impulsu* 768,40 *tonitrus & fulminis prodigia quædam cæcas habent causas* 769,5
torcular 53,22
toxica vnde dicta 109,15
tragum ex olyra faciendi ratio 849,9
tranquillitas animi in villa quæritur 9,15
Transpadanæ Italiæ arbusta 539,13
Trebula, solo æquata 503,3
tributa varia 6,1
Trifolinus collis 502,37 *mons Neapoli imminens* 629,2
trifoliorum multitudo 502,38
trifolium asphaltites, quorum nominum 628,19 *vti describatur* 628,25 *quo solo producatur* 629,1 *trifoliũ pratense* 678,9
Triptolemus aratri inuentor 814,31
τείοχιμ abies 75,2.76,33
triticeum genus quonis cœlo & solo luxuriat 808,10
triticum omnium stirpium nobilissimum 806,18 *triticum serendi tempus* 821,11 *triticum omne cõuerti in siliginem* 837,18 *triticum trimestre* 839,39.840,4 & 30 *bimestre* 840,6 & 8.841,1 & 8 *triticum trimestre nullum esse* 840,12 *triticum vere satum* 840,26 *triticum quadraginta dierum* 841,2 *siluestre, & exile* 843,13 *triticũ Indicum* 849,14 *Turcicum* 849,19 *Indicum quo modo ab Indis seri soleat* 849,37
tritici vitium cantharis 823,40 *tritici commentatio* 827,38 *tritici differentia* 328,4 *delineatio* 829,20 *variæ cœli qualitates tritico cõuenientes* 830,9 *consitio* ibid. 23 *mutationes in lolium* 835,20 *tritici & tiphæ transmutatio* 843,27
triumphaturi Cæsares laureas vnde decerpserint 115,23.119,2
triumphantium ministri oleagineis corollis cur vsi 580,28
trobellum quid Pollux dicat 451,12
truncus quid 188,14 *trunco feruntur & arbores & herbæ* 188,16 *trunci significatio* 458,28
tubercula corporum ex calore ac sanguine 769,12
tuber terræ 617,14
tuber acerinum 128,11
tuberes, e mespilorum genere 386,10
tuberum tractatio 768,18 *tuberes nil nisi radices sunt* 768,23 *tuberum vsus* 768,25 *tuberibus aliqua cum cœlo cognatio* 768,36 *tuberes cur tonante Ioue nascantur* 768,39 *tuberum forma* 769,30 *tuberum quædam arenosa, quædam sincera* 770,4
tuberum seminaria 770,14
turdi myrtum suis nidis ingerunt 388,24
Tusculanus secessus 10,1
Tusculanæ quæstiones a disputationis loco indigitatæ 10,2
Tyli insulæ lanificium 4,25
typha distinguitur a tipha cereali 842,26
Tzezes Lycophronis interpres 171,41

Vacci-

V

Vaccinium, vnde dictum 593,13
quid sit 593,31
vacerræ, clatrorum genus 156,14 *ex robore; quercu & subere* ibid.
valetudo inoffensa vt retineatur 443,20
Valentiis in patibulo cupressus consita 81, 25
vappa nobilis, vinũ Surrentinum 502,13
vappa vnde fiat 566,17.567,4
in Vaticano ilex 149,12
vbertatis futuræ prognostica 148,18.254, 1.826,35
vbolima in Libya 554,7
vectes ilignei & aquifolij 149,23
vectigalia arborum 5,41
Veientana silua 115,35
Venafrani agri oliuetum 453,14
venenosa animalia 3,29.556,7
venenum terræ 617,20 *contra venena omnia antidoton* 628,20 & 32 *veneni antidoton; ruta* 710,32
venereis remediis quid conferat 13,31
veneri simulandæ nata eruca 666,3 *venerem sedat cucumis* 748,35.749,14
Venetiæ arbusta 539,15
venti optimi 255,36.825,35
ventris dolores virgã myricæ sedare 122,1 *ventris morbis lotophagos immunes* 169,5 & 20
vennuculum rutilum 845,13
Venus punicum seuit 13,18 *Veneri sacratæ arbores* 13,31 *cogitationes irretit* 22,41 *Adonim luget* 612,25. 737,15 *hortorum tutrix* 641,26
venustas per Adonim figurata 612,32
verba cupressis similia; prouerb. 83,6
Vergiliarum occasus 819,19 & 21.820, 32 *per excellentiam satus appellatur* 819,24
vere calor exiguus 452,33 *ver & autumnus sese imitantur* 464,40
vermiculatio, plantarum morbus 238, 10 *oleæ morbus* 472,9
vermiculorum plantas infestantium species 472,17
verni aeris qualitas æqualis autumnali 547,39
Vertumnus Pomonam adamat 250,31
veruactum quid 814,21
veru iuniperinum 104,28
vespertilionis tactu oua ciconiarum sterilescunt 130,39 *vespertilio per platanum torpescit* 131,1 *vespertiliones hederæ suffitu necantur* 635,37
Vestalium virginum capillus 169,35
vestes ab arboribus præbentur 4,10 *a plantarum corticibus* 4,15 *vestibus prodest amaranthus* 609,19
Vesuuius mons 500,40.767,28
vicinorum ob iniurias qui suas sedes reliquerint 44,35
victorum insigne 10,30 & 36. 440,18 & 21
viduæ & fœminæ & arbores 537,25
villæ illecebræ 6,8 *villæ operarij quales esse debeant* 26,17 *villæ cœlum* 28,5 *situs* 31,11 *solum idoneum* 32,16
villicationis præfectus instituitur 21,17
villica qualis esse debeat 24,4
villici boni officium 21,17 & d. *villicus malus, peior, pessimus* 23,37
Vinalia 254,38
vinca peruinca 618,3 & 6
vinculi genera ad insitionem 548,33
vindemiæ quando agendæ 563,10.564, 14 *quomodo faciendæ* 464,29.565,8
vindemiarum leges 564,23
vindemiator, stella 564,19
vineatica falcis figura 528,7
vineæ nouellæ fossio 519,22 *pampinatio* 520,7 *ablaqueatio* ibid. 39 *re-*

secatio 521,20 *putatio* 521,32 *plantatio & alligatio* 522,25 *vineae perstantis cultura* 534,16 *itē brachiatae, ac capitatae* ibid. *prostrata & characata* 536,1 *vineae pedamina & vimina* 536,27 *vineae species quae vivo innititur pedamento* 537,20
vinearum quaestus 5,30 & 36 *genera* 525,29 *vt ab animalibus defendantur* 561,12
vineum amineum vnde dicatur 500,34
vinum etiam ab arboribus potatur 133,12 *diis aequiparatū* 492,15 *remedium senectutis* 492,19 *quos producat effectus* 492,32. 493,1 *oenon vnde dictum* 494,27 *vinum dendrogalenum* 497,26 *tiarenū* 497,27 *tianum* ibid. *Heracleoticum* ibi. *Graecum vulgare* 500,35 *Gaurianum, Faustinum, Falernum* 501,37 *Albanum* 502,8 *Surrentinum* 502,10 *Calenum* 502,22 *Caecubum* 502,27 *Mamertinum* 502,32 *Trifolinum* 502,37 *Trebellium* 503,2 *Creticum siue maluaticum* 503,9 *monobasitis* ibid. 12 *Rheticum* 503,18 *phthorium* 556,6 *ne superfundatur, media* 566,18 *vt elutrietur* 566,38 *vinum gustandi modus & tempus* 568,15 *dulce quomodo fiat* 568,38 *vinum aquam habere cognoscendi experimenta* 570,1 & d. 639,21 *quibusdam locis iterum sponte feruet* 571,32 *diuturnius vt fiat* 572,6 *florem ne habeat* 572,27 *citra vuam* 574,5 *album vt fuscum, nigrum vt album euadat* 574,17 *aquam habere, edera non probat* 639,21
vini fabulosa origo 494,41. 495,10 *vbertas, bonitas aut prauitas vnde praenoscatur* 562,29 *in vappam conuersi signum* 565,38 *acescentis remedia* 571,10 *vini remedia aduersus fulgura* 571,29 *in vappam peruersi remedia* 571,33. 572,2 *turbulentia vt resideat* 572,11 *situm olentis remedium* 572,18 *aut aspergimem sentientis* ibi. *vini, in quod animal cecidit, remedium* 572,24
vina nobilia non nisi arbustis gignuntur 538,5 & 19 *non comprehendunt deuterias* 565,38 *operaria quae* 565,40 *quando laborent* 568,33
vinorum prognostica 567,12
viola 593,2 & 10. 595,24 *violarum genera* 593,26 *viola flore triplicis coloris* 597,30 *flore duplicis coloris* 597,38 *flammea* 597,19
violae flammeae satio 597,40
vipera fago tacto obstupescit 163,19 *viperis noxium allium* 710,34 *antidotus, ruta* ibid.
virginibus olea colenda 438,20
viridis color visui percommodus 14,3
vir muliere à Deo fortior factus & audacior 14,13
viscus ex aquifolio 107,35
visum fouet viridis color 14,3 *exacuit origanos* 699,3
vita pia & vtilis eorum, qui terram colunt 10,16
vitiarium constituendum vt sit 523,7
vitis medium quoddam inter fruticem ac suffruticem herbamq. 491,28 *arbor Theophrasto* 491,31 *vitis laudes* 492,7 *vtilitas* 493,35 *vitis & vini inuentum* 494,9 *vitis origo fabulosa* ibid. *vitis nomen* 496,5 *genera* 496,20 *vitis genus satiuum aut ad escam, aut ad effusionem* 497,1 *vitis Apiana* 497,11 *myrsitis* 497,25 *vitis figura & descriptio* 503,22 *vi-*

tis & malleoli electio 510,16 *vitis formatio* 522,10 *vitis vlmi radicibus non iungitur* 543,13 *vitis arbustiua plantatio* 544,11 *vitis insitio duplex* 547,19 *triplex* 548,9 *vitis brumæ temporibus aliquando comprehendit* 547,31 *vitis insitio per terebrationem* 551,35 *per infoliationem* 552,3 *per inoculationem* 552,13 *vitis eadem vt candidas & nigras habeat vuas* 552,26 *vitis & olea naturalis concordia* 554,1 *vitis medicata* 556,2 *theriaca* 556,13.21 *contra animalia venenum eiaculantia* 556,10 *purgatoria* 556,30 *vnguentaria siue odorifera* 557,6 *vitis materies* 578,36 *vitis ligno nullum æternius* 579,5

vitis & brassica odia 562,8. 698,25. 715,21

viti quæ arbores conueniant 539,1 & 11

Vites præcoces 497,6 *dactylides* 499,19 *trifera siue insana* 499,7 *bifera* 499,9 *Thasia & Libyca* 499,23 *venuculæ & nemesianæ* ibid. *etesiacæ, consemini, & talpanæ* 499,24 *staphylæ, nicostratiaeq;* ibid. *graculæ* 503,15 *vites arboribus maritantur* 543,5. 537,23. 538,1 & 32 *natura sublimitatis auidæ* 538,8 & 33 *vites arboreæ omnibus commodiores* 538,25 *quem agrum expetant* 540,16 *alienum in se trahunt saporem* 556,3 *infructuosæ vt fœcundæ fiant* 559,30 & 39 *ne fructum putrefaciant* 560,7 *ne algore intereant* 560,13 *ne a rubigine & pruina lædantur* 560,19

vitium plantatio 509,36 *sarmenta* 511,27 *pastinatio* 512,8 *satio per malleolos* 514,8 *celer radicatio* 517,9 *diuersa genera vti plantanda* 518,7 *vitium putationis tēpus* 527,5 *vitium pampinatio* 531,7 *propagatio* 532,9 *physiognomonia* 538,33 *morbi eorumq; medelæ* 557,11

vitibus cœlum conueniens 504,24 *accommoda soli qualitas* 506,18 *vitibus puluis excitandus* 533,24 *vitibus proficuum, singulis resolui annis* 544,38

viuiradix quid 185,5

vinum omne cū suo vino sociabile 552,31

vlmus, siluestris arbor 138,13

vlmi generum descriptio 138,29 *vitem patitur* 539,4 *vlmi & populi differentia* 539,24 *ab arbusto reiicitur* 539,28

vlmorum vmbra nouerca 539,33 *vlmus quando in arbusto conserenda* 540,24 *in arbusto vti formetur* 542,5 & 22 *vlmi radices vitem enecant* 543,13 *vlmi plerumq; tres rami* 546,37

vlmeis frondibus oues ali 3,11

vmbilicus terræ 617,17

vnedo & arbutus diuersa 166,17 *vnedo epimelidis fructus* 166,32 & 35

vnguentum Cyrenaicum, suauissimum 596,41. 597,2

Vocontij, Galliæ Narbonensis 569,39

volucra ne pampinos vuasque prærodat 561,16

voluptate cum vtilitate coniunctâ nulla maior 6,13 *voluptas primi hominis* 6,16 *voluptas ex agricultura* 6,20

vrbana vita serior rustica 10,9

vrbes arte humana ædificantur 10,14 *sine ludicris & causidicis artibus felices* 14,26

vrbs, domicilium sophistarum, parasitorum 14,32

vredo quid 474,31 *vredine quæ maxi-*

mè infestentur 474,33
vrinæ difficultatis remedium 687,20
vrsinus adeps viti confert 558,19
vua spina, siue crispa enarratio 396,19
vua staphylis 494,28 *escaria* 497,2 *moschatula* 497,36 *duracina* 498,3 *pergulana* 498,11 *bumamma* 498,19 *bumammia & bimammia* 498,27 *cerannia* 498,30 *corneola* ibid. *vncialis* 498,33 *tripedanea, cuius multæ species* 498,35 *stephanita* 498,38 *capnia Theophrasti* 499,4 *insana* ibid. 5 *vua complura acinorum vt genera habeat* 552,24 *vua myrtea* 554,15 *vua præcox vt nascatur* 554,20 *vt serotina* 554,28 *vua vinaceis vacua* 554,31 *sex tantum dies matura perdurat* 564,1
vua ad effusionem 499,26 *quæ eliquescunt in potum* 499,27 *aminea* ibid. 28 *gemina seu gemella* 500,4 *lanatæ* ibid. 12 *heluolæ* 501,5 *oleaginea* 501,20 *alopecides* 501,22 *Corinthiacæ pusillis acinis* 555,38 *vt sua vite ad ver vsque permaneat* 574,35
vuarum morbus, crambus 558,12 *maturitas* 563,9 *variæ conditura* 576,3 *vuarum passarum faciendarum ratio* 578,12
Vulcanale Romuli 269,36
Vulturnus transnatur 12,1
vxor nimia zelotypia demacratur 540,5

X

Xerxes platani amore captus 130,27
Xerxis aduentu platanus Laodiceæ in oleam mutata 131,6
X litera, antiquis decussis 197,10
xylon, & ligna xylina 900,6

Z

Zambac Mauritanis, iasme 598,14
Zamiæ quid 89,36
Zea in arenam mutatæ causa 836,40 *zea in aliud genus facile transit* 842,14 *Zea Theophrasti* 842,37 *Zea & tiphe ad frumentum vt redeunt* 843,5 *Zeæ satio* 843,21 *Zea in farris locum succedit* 844,30 *Zea idem Græcis quod Latinis far* 844,33 *Zeæ tractatio singularis* 846,39 *zea æquiuocum nomen* 847,19 *Zea quibus enascatur regionibus* 847,33 *Zea in cibum venit* 848,8 *Zea Herodoti* 848,31
Zeceltidas Bœoti rapas appellant 778,34
Zelotypia nimia vxorē demacrat 540,5
Zephyrus refrigerantem inspirat auram 7,15 *Clorim violas* 582,9
Zeopyron 847,41
zizziber caninum 714,28
Ziziphà alba 170,34
Ziziphus 381,8 *Ziziphi duplex genus, candidum ac rutilum* 382,33
Zygia, aceris genus 127,28

INDICIS FINIS.

S.N.VI.2

Digitized by Google